Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bibliotheca



Palatina
Düsseldor-
piensis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

79/02606

Rest. g. Nro 32.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ANALECTA
MONVMENTORVM
OMNIS AEVI
VINDOBONENSIA.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ANALECTA
MONVMENTORVM
OMNIS AEVI
VINDOBONENSIA.

OPERA ET STVDIO

ADAMI FRANCISCI KOLLARII,

PANNONII NEOSOLIENSIS,

MARIAE THERESIAE AVG. A CONSILIIS, ET AVG.

BIBLIOTHECAE VINDOBONENSIS

PRIMI CVSTODIS.

TOMVS I.



VINDOBONAE,

TYPIS ET SVMPTIBVS IOANNIS THOMAE TRATTNER,

AVLAE ET INCLYTORVM INFERIORIS AVSTRIAE ORDINVM TYPOGR.

ANNO CIↃIↃCCLXI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oest. G. 32
2/8c (1) 2°



KOENIGL.
BIBLIOTHEK
ZU
DUSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MARIAE THERESIAE
AVGVSTAE,
HVNGARORVM BOHEMORVM
&c. &c.
REGINAE APOSTOLICAE

SEMPITERNAM FELICITATEM.

Perſpectum iam pridem, AVGVSTA, *atque exploratum omnibus eſt, nihil tam exiguum eſſe, quod auſpiciis Tuis geritur, ex quo incredibilem animi Tui magnitudinem, ſummam in omnes benignitatem, & mentem, vt verbo complectar omnia, plane Regiam intelligere non liceat. Nam vel hoc, humile profecto atque exile, diligentiae meae ſpecimen, quod publici commodi ſpe in lucem a me proferri,*

& pro ſingulari prorſus indulgentia in me Tua Auguſto nomini Tuo inſcribi ſiuiſti, quot & quantas, quas iam dudum in Tua Majeſtate vniuerſus orbis ſtupet, virtutes Tuas poſteris loquetur! Enimvero literarum ſtudia & pacis omnes artes, ante vehemens atque atrox iſtud bellum paene ex obliuione abs Te, DOMINA, *reuocatas, laeti atque alacres videramus: at inter tumultus grauiſſimi belli vt incrementa eaedem caperent, vt non ſecus atque placidiſſima pace in ſpem vberrimi fructus florerent, id enimvero erat hujusmodi, vt magis optandum, quam ſperandum putaremus. Pacis quippe ac belli ſtudia res ſunt natura ſua vt maxime contrariae, ita ſociari inter ſe, & foueri ſimul, longe difficillimae; quas Tu tamen pro magnitudine animi Tui,* AVGVSTA, *vno atque eodem difficillimo tempore ita ex aequo foues ac protegis, vt belline magis, an domi poſteritas Te miratura ſit, iam pridem dubium reliqueris. Atque hoc Tuum,* AVGVSTA, *inter arma pacis artes fouendi ſtudium cum omnes omnium ſubditorum Tuorum ordines, tum in primis Bibliotheca noſtra, Diui Genitoris Tui, paterni in Vindobonenſes ſuos animi aeternum pignus, in dies prope ſingulos experitur, & nunquam pro merito ſatis celebrauerit. Habet enim illa in Te,* DOMINA, *ingenuarum artium ac ſcientiarum amantiſſimam*

ac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac SOSPITAM MATREM; *debet Auguſtis Majoribus Tuis originem ſuam; Diuo* LEOPOLDO *Magno illuſtrem famam; Diuo* CAROLO VI. *Auguſto* GENITORI *Tuo, ornatiſſimum iſtud Muſarum templum, atque eruditas opes ferme innumeras; Tibi,* DOMINA, *praeter incrementa vel maxima, ſpiritum & vitam debet. Quippe quod ſplendido ſepulta mauſoleo non jaceat; quod uſibus quotidianis pateat publicis; quod in Commentariis rurſum ſuis viuere, & excolendis mortalium animis vtilis eſſe incipiat, Tuum vnice,* DOMINA, *munus eſt, Tuum beneficium immortale. At nempe ingenuus humani animi cultus quantopere neceſſarius, quantaeque & quam multiplici vtilitati conjunctus ſit, Tu vna omnium optime,* AVGVSTA, *experta es, & vniuerſo orbi, Majeſtatem Tuam ſuſpicienti, facillime refers vberrimeque probas. Nam quid admirabilius, quid ſublimius inſtitutione,* AVGVSTA, *illa Tua, qua Diuus* GENITOR *in prima ſtatim aetate eruditam Te eſſe voluit? non ille Te,* DOMINA, *Gynaecei otio; non, quae Regiis alias Nymphis propriae ſunt, artibus vnice addixit: ſed, rariſſimo in memoriis priſci etiam aeui exemplo, Latinis primum imbui literis, tum liberalibus artibus ac ſcientiis omnibus, quibus iura populis daturi Principes informari ſolent, animum Tuum*

ex-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

excoli voluit: qua ſingulari prorſus inſtitutione, in primis vero admirabili docilitate ac memoria, ſiue eximio atque excellenti ingenio, AVGVSTA, *Tuo, eas in literis progreſſiones feciſti, vt cauſa iam nulla ſit, cur eruditiſſimam* ANNAM *Comnenam,* ALEXII *Comneni Auguſti, filiam Auguſtam, Graecis inuideamus; quam Tu non tam rebus alienis per otium & privatim ſcriptis, quam, quod longe difficilius ac Regium magis eſt, ſapienter & fortiter publice geſtis, quam longiſſime poſt Te reliquiſti. Eſſet hic locus,* AVGVSTA, *virtutibus Tuis, quae ab hac inſtitutione, quaſi ab vberrimo quopiam fonte, ortum ſuum ducunt, memorandis opportunus: ſi eas tales, quales revera ſunt, aut animo concipere, aut verbis exprimere poſſem; quod quia pro dignitate praeſtare me non poſſe video, leuiter attingere fas mihi non eſſe duco. Illud hic tamen adfirmare non dubitem, ſummam illam ac prope maternam,* AVGVSTA, *ſolicitudinem tuam, qua priuatorum quoque inſtitutioni proſpicis, eandemque laboribus etiam noſtris adiutam promotamque eſſe vis, ex vno iſto & certiſſimo fonte manare. Perſpectum quippe Tibi eſt,* AVGVSTA, *curandis mortalium animis quam medicinam libri contineant; ſcis ſcriptores, bono humani generis natos, lumina ingeniorum eſſe plane mirabilia, quae vel poſt occa-*

ſum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſum ſuum lucent, mentes noſtras colluſtrant, & ad bene beateque viuendum taciti viam commonſtrant: nihil idcirco mirum, praeſcriptis voluntate Tua diſciplinis literarum publicis; & reſtitutis infinito prope ſumptu ſcientiis, opportunum iſtuc ſubſidium a Bibliotheca noſtra abs Te, DOMINA, *comparari. Atque o vtinam,* AVGVSTA, *conceptae de nobis opinioni, quantum in me eſt, ita reſponderim, vt ſanctiſſimae voluntati Tuae, Tuorum vnus ſubditorum, obtemperare debeo, & ob ampliſſima in me indignum benefacta Tua gratum ac memorem perpetuo animum praeſtare volo! nam de diligentia quidem mea, deque animi contentione, quae ſolum in viribus ac poteſtate mea ſunt, certus plane ſum, nullam vnquam in omni vita mea venturam mihi eſſe diem, quam operi huic, atque aliis, quae publico profutura ſperem, lubens volensque non conſecrem; modo Deus Opt. Max. quem eam ob rem veneror precorque, vires mihi primum, tum eum recti bonique amorem conſeruet, quo Tuam,* DOMINA, *quam adhuc expertus ſum, gratiam conſtanter mereri, & reliquum vitae meae curſum in Tuo famulatu conficere poſſim. At iam, ſi pateris,* DOMINA, *de inſtituto noſtro, deque opere ipſo, exponam breui, neque in publica curarum Tuarum commoda longiori ſermone peccabo. Vt opes Tuae Maieſtatis, in Pa-*

latinae Bibliothecae forulis reconditas, praesentibus & futuris visendas fruendasque Illustris atque eruditissimus Praefectus noster proponeret, eruditum opus omne in me & collegam ita partitus est, vt mihi manu exarati vetusti codices, collegae vero typis impressi libri recensendi obtingerent. Ad vetustos manu exaratos codices quod attinet, eorum Catalogum, eruditis animaduersionibus refertum, Petrus Lambecius, Hamburgensis, Vir in Rep. literarum Clarissimus, Diui Leopoldi Aug. liberalitate, abhinc septem omnino & nonaginta annis scribere coeperat. A codicibus Graecis initium sumere operis Viro docto placuit. Ex quinque & viginti libris, quibus prolixum opus inclusurum se sperabat, octo solum priores typis vulgauit; nono scribendo intentum, magno cum Bibliothecae, tum literarum damno, praematura mors oppressit. Lambecio in munere & opere successit Daniel Nesselius, Luneburgensis; is vulgatos a decessore suo libros, in epitomen contractos, iterum edidit, adiectis iis codicibus Graecis, quos Lambecio per fata recensere non licuit. Haec Nesselii additamenta, negligenter admodum scripta, castigare conatus est Nicolaus Forlosia, Neapolitanus, in cuius locum beneficio, AVGVSTA, *Tuo suffectus sum; adjecta recensione Graecorum codicum, quos Neapolitana quaepiam Asceteria diuo* GENITORI *Tuo, Clemen-*

mentissimo tum Domino suo, gratitudinis ergo obtulerant. Atque hic labor eruditorum nostrorum in recensendis Graecis codicibus fuit. In Latinos & caeterarum Occidentis linguarum codices diligenter atque erudite commentatus est Joannes Benedictus Gentilottus, Teriolensis Tridentinus, Vir merito suo & Diuo GENITORI *Tuo*, DOMINA, *in paucis charus, neque Tibi, vt arbitror, ignotus; cuius Operi dum supplementa itidem decessor meus adiicere laborat, lineam vitae suae vltimam attigit; relictis diligentiae meae codicibus Orientis linguarum omnibus, Graecis quam plurimis, ac Latinis ad mille ducentos, quos videlicet liberalitati Tuae,* DOMINA, *Bibliotheca nostra fert in acceptis. Praeclara ista eruditorum nostrorum Opera, lima perpolita vltima, iuris publici atque communis facere in praesenti iubeor. Ab Lambecii libris non vna de causa principium operis capere oportuit. Legebantur in illis quam plurima, quae parum opportuno loco eruditis hominibus sunt visa a Lambecio fuisse edita. Aequissimae eorum voluntati ac iudicio obsequutus, quae eius generis videbantur esse, separatim in hoc volumen, cui ab Augusto nomine Tuo,* DOMINA, *pretium accessit vel maximum, retuli: sequetur proxime eiusdem argumenti Tomus alter; tum Commentaria ipsa, siue Catalogus manu exaratorum codi-*

codicum Auguſtae Bibliothecae Tuae, Deo bene volente, conſequetur: quem laborem ſi Dei beneficio pro viribus perfecerim; ſi Tibi, DOMINA, *bonarum literarum amantiſſimae non ingratum, neque aliis inutilem ſenſerim: feram ſperata ſtudii mei praemia ampliſſima, neque erit, quod de reliqua amplius laude laborem. Interim,* AVGVSTA, *Deum Optimum Maximum veneror precorque, vt qua benignitate adhuc cum Tua Maieſtate egit, eadem porro conſtanter agat; det Tibi atque Auguſto Coniugi ſeram longamque ſenectam; Auguſtae Domui incolumitatem perpetuam; armis victorias innumeras; pacis artibus fructus vberrimos & decus omne.*

NVMINI MAIESTATIQVE TVAE

DEVOTVS

ADAMVS FRANCISCVS KOLLAR,
PANNONIVS NEOSOLIENSIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LECTORI BENEVOLO

ADAMVS FRANCISCVS KOLLARIVS

S. P. D.

Annus fere in exitu eſt, cum literas de editione Commentariorum noſtrorum altera, typis impreſſas, ad Viros in Rep. literarum claros dedi. Earum Argumentum haec epiſtola compendio refert, quam tu, Erudite lector, ſi de conſiliis noſtris certior iam factus es, facile praeterieris; ſin minus, cum prolixa non ſit, non aegre, vt ſpero, perlegeris. Commentaria noſtra, a Petro Lambecio, Hamburgenſi, ſcribi olim cœpta, & a pluribus non indoctis Bibliothecae noſtrae viris ad finem perducta, in lucem efferre publicam, propoſitum nobis eſt. Rationes, quibus ad difficile Opus adducti ſumus, praecipuae ſunt iſtae: voluimus nimirum muneri noſtro non deeſſe; commotae ab Lambecio expectationi tuae tandem aliquando reſpondere; &, quod maximum eſt, AVGVSTAE DOMINAE noſtrae voluntati morem gerere voluimus ſimul & debuimus. Prolixum Lambecii propoſitum notius iam doctis eſt, quam ut hic a me exponi pluribus debeat; *cui* enim *non dictus Hylas?* Eum a Graecis codicibus operis ſui coepiſſe initium, ſciunt omnes, qui Graecas literas di-

ligentius, quam vulgo fieri ſolet, perdiſcere curauerunt. Cur Hebraicis, Syriacis, Arabicis &c. codicibus Caeſareis id honoris non detulerit, veram cauſſam ignoro, hariolari non delectat. Ad Neſſelium, qui Lambecio ſucceſſit, quod attinet, neque huius labor doctis hominibus ignotus eſt. Graecos codices, quos Lambecius morte occupatus in penſum operis reliquit, eos ab Neſſelio admodum oſcitanter fuiſſe euolutos, ſaepius monuerant viri docti: quae etiam, vt opinor, cauſſa fuit, cur deceſſor meus Nicolaus Forloſia, Neapolitanus, cenſuram in eum exercere inſtituerit; cuius emendationibus, quae frugis erunt non malae, vtemur ſuo loco. Neſſelium in munere & opere excepit Cl. Vir Joannes Benedictus Gentilottus, Teriolenſis Tridentinus; is, reſumpta Lambecii commentandi ratione, praeclara diligentia & doctrina in Latinos atque alios Occidentis linguarum codices Caeſareos Commentaria ſcripſit, & cum de Bibliotheca noſtra, tum de Rep. erudita egregie eſt promeritus: dignus vel idcirco cuius Operi manum vltimam, quam iam inde ab anno CIↃIↃCCXXIII. expectabat, porrigeremus, &, vt e tenebris in lucem eluctetur aliquando, conaremur. Cum Lambecii tum Gentilotti Opus ſupplementis integrare ſtuduit laudatus mihi ante Nicolaus Forloſia, cui etiam Operi immortuus, euoluendos mihi reliquit Orientalium linguarum codices omnes; Graecos ἀ λιτὰς, ὀδ' ἀριθμῷ βεαχεῖς; Latinos omnis aeui ad mille ducentos. Modum ac methodum Operis, librorum item ordinem, eum ſeruauimus religioſe, quem ſibi nobisque ipſe Lambecius ſcripſit *Commentar. Lib. V. pag. 299.* A libris iam vulgatis editionis huius noſtrae initium capere oportuit potius, quam libuit: cum exempla rara jam admodum in tabernis librariis veneant, ac pleraque libro octavo ſint mutila; plurima deinde, neque levia, tum ab aliis viris doctis, tum etiam a nobis fuerint in iis animaduerſa, quae utilioris eorum uſus gratia candide indicare, & pro virili in melius vertere fuit neceſſe. Διορθόσεων, atque emendationum

mea-

mearum breve ſpecimen dedi in epiſtola, cujus ſupra memini. Tum has, tum propoſitum meum omne eruditiſſimis memoria noſtra Viris non ſolum non diſplicuiſſe, verum etiam vehementer fuiſſe probatum, eſt cur immortaliter gaudeam, & fructus laboris mei uberrimos iam me retuliſſe exiſtimem. Quibus autem illis? nempe Eminentiſſimo S. R. E. Bibliothecario, & Arcanorum Breuium a Secretis Cardinali PASSIONEO; Reverendiſſimo atque Illuſtr. JOSEPHO SIMONIO ASSEMANO, Bibliothecae Apoſtolicae Vaticanae Præfecto; Rev. & Cl. Viro THOMAE MAMACHIO, Ord. Praed. Theologo Caſanatenſi; Eruditiſſimo denique ROGERIO, Bibliothecae Card. Imperialis Praefecto; quae Romana τετρὰς πολλῶν ἐμοίγε μυριάδων ἀντάξιος: cum varia doctorum hominum de diligentia deque doctrina, quantulacunque illa eſt, mea judicia ponderare potius, quam numerare conſueuerim. Enimvero eruditiſſimi iſti, & omni mea laude iam pridem maiores Viri, datis ad me humaniſſimis literis ſuis non modo emendationes meas, ſuſceptique laboris propoſitum omne, vehementer probare, ornare laudibus, ſed amicitiam etiam ſuam, &, quod hujus pignus eſt certiſſimum, cum celeberrimarum, quibus digniſſime praeſunt, Bibliothecarum ſuarum, tum elegantiſſimæ aeque atque utiliſſimae & doctis omnibus iam pridem notae eruditionis ſuae uſum communem ac perpetuum, addicere mihi non ſunt dedignati: de quo ſingulari prorſus aequitatis in ſtudia mea, amoris in me ipſum teſtimonio eas hic publice ago gratias, quas, vt vires meae ſunt, nunquam me relaturum eſſe, fere praevideo. Ac de Lambecii Opere, a quo, ut memini, initium ſumere oportuit, diverſa, vt notum eſt, eruditorum hominum fuerunt adhuc iudicia. Aequiſſimum eorum mihi ſemper eſt viſum, qui Commentaria noſtra multis παρέργοις, atque, vtiliſſimis quidem, ſed parum opportunis, acceſſionibus onerata potius, quam ornata eſſe, ſcripſerunt. Fuit enim illud ſive temporis illius, ſive Lambecii noſtri inge-

genium, vt quamcunque rem haberet in manibus, in eam, quae ratione quapiam conuenire viderentur, congereret comportaretque omnia: quo, ridiculo nunc prorſus, multa ſcribendi feruore, & de re, vulgo etiam nota, pauca dicendi metu, plurima Commentariis ſuis inſeruit, quae ſeparato in volumine, vt nunc fecimus, commodius fuiſſent reperta, & iucundius vtiliusque lecta. At de utilitate quidem hoc genus παρεκβάσεων digreſſionum, quas volumine iſto complexus ſum, multis hic non agam, ne Horatianum illud e trivio audiam:

Multa fidem promiſſa levant, vbi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Vel certe Lucillianum vetuſtius illud:

Scruta quidem, vt vendat, ſcrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Hoc interim promeritae laudis loco ſit, eruditiſſimum Montfauconium Praefat. ad Bibliothecam Coislinianam ſcripſiſſe: Lambecii πάρεργα, multa licet ſint, praeclaro fructu non carere; quam laudem calculis ſuis iam pridem comprobauerunt Graevii, Muratorii, Pezii, Stadenii &c. qui Opera ſua παρέργοις Lambecii locupletarunt, ornarunt. Mihi profecto certum fere atque exploratum eſt, meliorem Commentariorum Lambecii partem in his ipſis acceſſionibus eſſe; quae etiam cauſſa fuit, cur easdem diligenter collectas volumini huic includere, *Analecta Vindobonenſia* inſcribere, & typis iterum quam diligentiſſime vulgare ſtudui: gratiam quoque apud aequos rerum aeſtimatores initurum me ſperans, quod tot praeclara veterum opuſcula; diſſertationes, additamenta Lambecii, in pluribus antea voluminibus ſparſa, in unum corpus coëgi, plurimaque praeviis monitis, adnotationibus, emendationibus meis diligentius explicui, vel correxi; & prolatis inſuper quibusdam monumentis, adhuc ineditis, auxi; vt vel Index Opuſculorum, quem mox ſubiiciam, clare docebit. Sed eſt, quod abs te Lector benevole mihi ignoſci pervelim. Auſtriacae

Hiſto-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hiſtoriae celebre monumentum, *Hiſtoriam* dico *Vitae rerumque geſtarum Friderici III. Aug. ab Aenea Sylvio conſcriptam*, cum ampliſſimis ſupplementis, & Continuatione Cl. Viri Jo. Hinderbachii, editurum me hoc Volumine ſpopondi in epiſtola mea, typis vulgata; quae tamen promiſſa praeſtare nunc haudquaquam poſſum propter voluminis modum, quod vel his, quae nunc do, in iuſtum plane excreuit: omnia idcirco, quae tum promiſi, in Volumen horum Analectorum alterum coniicere ſum coactus. Liberabo fidem meam quam proxime potero ampliſſimo cum fœnore; nam praeter Hiſtoriam Aeneae Sylvii, Supplementis & Continuatione expletam, iuris publici faciam plures centurias diplomatum, literarum, ad res Auſtriacas eiusdem Friderici III. Imp. pertinentium, & adhuc ineditorum: quidquid enim vel ego in Bibliotheca noſtra colligere, vel Illuſtres atque eruditiſſimi Viri Roſenthalius & Lambacherus, ille ex ſanctiori Auguſtae Domus, hic ex priuato Vrbis Vindobonenſis tabulario pro ſua humanitate, & in me ſtudiaque mea amore, communicare poterant, id omne in manibus iam meis eſt, & propediem praelum ſubire parat. Sunt profecto monumenta illa pretii non vulgaris, & quae non Auſtriacis modo rebus, ſed Hungaricis etiam, Bohemicis &c. vicinarumque prouinciarum lucem accendant vel maximam. Et ô vtinam vetuſta hoc genus monumenta a Vindobonenſibus noſtris ita indagentur, aeſtimentur, & iuris fiant publici, vt ea digna ſunt, & maximo perſæpe vſui vtilitatique eſſe queunt! nam, quod me attinet, nunquam committam, vt ſive per inertiam meam, ſiue inuidiam, in tenebris haereant, & ad interitum properent; modo ſint, qui velint & poſſint vetuſtis rebus, vt ille ait, dare nouitatem, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, dubiis fidem, faſtiditis gratiam; ne pulcerrimum vtiliſſimumque antiquitatis ſtudium non tam ſuo, quam eorum, a quibus imperite tractatur, merito apud alios vileſcat. At vero ad ſpem recuperandae huius etiam elegantiae certiſſi-

mam erigit nos florentiſſima ac nobiliſſima Vindobonenſis Iuventus noſtra, quae, feliciorum praeceptorum ductu, haec itidem ſtudia pulcerrime colit, & priuata etiam atque vnanimi induſtria ad ſolidam utilioris eruditionis laudem magnis paſſibus progreditur, & metam iam fere contingit. De iudiciis eorum, qui ſcholaſticis meliorem aetatem perdiderunt nugis, facile, ſpero, Lector benevole credideris, non eſſe plane quod multum laborem. Contemnant per me licet, & adunco illo naſo ſuo ſuſpendant tum Analecta iſta, tum alia etiam, quae in lucem efferre paro; modo intelligant, in Arabicis inutilium literarum monopoliis, vniuerſae Europae teſtimonio, veram & ſolidam eruditionem non venire, &, niſi meliora ſapiant, plures viros probos ac doctos futuros eſſe, qui ab iis deſpici potius, quam laudari malint. Tu interim, Erudite Lector, Vale! & praeter *Analectorum Vindobonenſium* volumen alterum, *Hiſtoriam* quoque, *Diplomaticam Iuris Patronatus Apoſtolicorum Hungariae Regum*, quam ſtudio meo ſcriptam, mox praelum ſubituram ſpero, ſaluus atque incolumis expecta. Scribebam in Vindobonenſi Bibliotheca Palatina, ſeptimo Idus Aprilis, Anno a partu Virginis CIↃIↃCCLXI.

INDEX EORVM,

QVAE IN

ANALECTORVM VINDOBONENSIVM

TOMO I.

CONTINENTVR.

I.

Conſtitutiones Fratris GWIDONIS, tituli S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis, Legati, promulgatæ in Concilio Provinciali Vindobonenſi, ſive Viennenſi, in Auſtria, quarto Idus Maji, Anno Domini CIↃCCLXVII. *pag.* 1.

II.

Decreta Canonica, ab eodem GWIDONE Cardinali, Apoſtolico Legato, ex dicto Concilio Hungaris data. 22.

III.

Rationarium Auſtriæ & Styriæ ab HELUICO Thuringo OTTOCARI Regis Bohemiæ, Ducis Auſtriæ & Styriæ, & Marchionis Moraviæ Notario; partim ſub ipſo Rege OTTOCARO Anno CIↃCCLXV, & LXVII; partim autem poſt annum CIↃCCLXXIII. ſub Imp. RVDOLPHO I. compoſitum. 27.

IV.

Prima Statuta & Privilegia Inclytæ Academiæ Vindobonenſis. 42.

V.

Statuta & Privilegia Academiæ Vindobonenſis recentiora, ſive Sanctio Pragmatica FERDINANDI II. Imperatoris. 281.

VI.

Recenſio Statutorum & Privilegiorum Regiæ Academiæ Pariſinæ, cum integro alio eorundem monumentorum catalogo nunc primum edito. 307.

VII.

Recenſio quatuor & viginti manu exaratorum codicum Cæſareorum ad vitam & res geſtas CAROLI M. pertinentium; ex quibus a LAMBECIO vulgata fuerunt hæc: (1) Ex codice Pſalmorum juſſu CAROLI M. a DAGVLFO quodam ſcripto, quo B. HILDEGARDIS, CAROLI M. Conjux, uſa fuiſſe fertur, ampliſſima prolegomena cum Titulis Pſalmorum. *pag.* 345. 347. (2) S. GREGORII M. Benedictionale, a LAMBECIO pro inedito habitum, vulgatumque. *pag.* 415. (3) Antiqua formula confeſſionis auricularis Theotiſca, recentioris Teutonicæ dialecti verſione interpo-

terlineari a LAMBECIO explicata. *pag.* 446. (4) Anonymi, qui, ut ex Prologo intelligere licet, CCCLI. annis poſt obitum CAROLI M. tempore Imperatoris FRIDERICI I. circa annum CIↃCLX vixit Prologus tam generalis, quam cujusque libri ſingularis una cum capitum argumentis trium librorum de ſanctitate meritorum & gloria miraculorum S. Caroli M. *pag.* 469. (5) Duo ſupplementa Hiſtoriæ de geſtis Caroli M. vulgo Turpino, vel Tilpino Rhemenſium Archiepiſcopo, adſcriptæ. *pag.* 478. (6) Specimina Divini Officii & Miſſæ de S. Carolo M. *pag.* 489. (7) Annales Fuldenſes, ex Cæſareo codice a Lambecio fruſtra caſtigati, non inutili tamen ſupplemento expleti. *pag.* 500. (8) Eorumdem Annalium, a Frehero & Duchenio vulgatorum, lacuna ingens ex membranis Cæſareis, Lambecio ignotis, nunc primum expleta. *pag.* 523. (9) Breves Annales Francorum, pro ineditis a Lambecio habiti, re ipſa autem Pars prior Chronici Hildesheimenſis. *pag.* 549. (10) Fragmentum Annalium Francicorum ab anno IↃCCXCIV. uſque ad annum IↃCCCIII. Auctore non deſignato. *pag.* 571. (11) Specimen Poëmatis de Rebus geſtis CAROLI M. & RVLANDI, antiquis rhythmis Germanicis, quorum auctor, vel magis Inſtaurator, STRICHERVM ſe adpellat. *pag.* 587. (12) Breve ſupplementum Hiſtoriæ Thegani Chorepiſcopi Trevirenſis, de Rebus a Ludovico Pio Imp. geſtis. *pag.* 594. (13) Breve Chronicon Regum Francorum, a Cl. Muratorio in Annalibus Francicis Lambecianis omiſſum. *pag.* 600. (14) Anonymi, Carolo M. Synchroni, vel ut Lambecius opinatus eſt, EGINHARDI, Epitome Chronologica ab Adamo usque ad Annum Chriſti IↃCCCIX. *pag.* 602. (15) ALCVINI Poëmatia duo, unum hexametrum, elegiacum alterum, vetuſtiſſimo ſacrorum Bibliorum codici prætexta. *pag.* 617. (16) Excerpta quædam ad Vitam S. Vedaſti pertinentia. *pag.* 633. (17) Ex OTFRIDI WEISSENBVRGENSIS volumine Evangeliorum Excerpta. 643.

VIII.

Ex Hiſtoria Auſtriaca HENRICI GVNDELFINGII Pars tertia cum Appendice de Succeſſione Comitum Teriolenſium. 727.

IX.

Illuſtris Viri IO. IACOBI FVGGERI deſcriptio Germanica prælii Granſeenſis, a Lambecio in Latinum ſermonem converſa, in qua fit celebris mentio Cimeliorum Caroli Pugnacis, Ducis Burgundiæ. 825.

X.

Vetuſta monumenta quinque ad Hiſtoriam celeberrimi in Inferiori Auſtria Mellicenſis cœnobii Ordinis S. BENEDICTI pertinentia, videlicet: I. Hiſtoria Martyrii & miraculorum S. Colomanni. *pag.* 843. II. Hiſtoria de Beato Gothalmo. *pag.* 856. III. Hiſtoria de particula S. Crucis, quæ in cœnobio Mellicenſi adſervatur. *pag.* 860.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

* * * * * * * * *

860. IV. Hiſtoria Fundationis cœnobii Mellicenſis. *pag.* 871. V. Epitaphia Marchionum & Marchioniſſarum, quorum oſſa in cœnobio Mellicenſi quieſcunt. 882.

XI.

Theodorici Thuringi de vita, morte, miraculis S. ELISABETHÆ, Andreæ II. Hungariæ Regis filiæ, Ludovici Pii, Thuringiæ & Haſſiæ Landgravii, Conjugis. 885.

XII.

Vetuſtæ memoriæ, hiſtoriam monaſterii Cluniacenſis in Gallia, & Gemblacenſis in Brabantia, illuſtrantes, videlicet: I. Officium Eccleſiaſticum in honorem S. Morandi monachi Cluniacenſis; cui intexta eſt ejusdem Sancti vita, ab anonymo quodam, &, ut videtur, coætaneo ſcripta, in lectiones ſex diviſa. *pag.* 899. II. Narratio de elevatione corporis S. Guiberti, ſive Wiberti, fundatoris cœnobii Gemblacenſis, compoſita a Sigeberto, monacho Gemblacenſi: cui junguntur diplomata duo, Ottonis I. Imp. & Benedicti VII. Pontif. Max. de privilegiis monaſterii Gemblacenſis. *pag.* 917. III. Narratio incendii, quo Gemblacenſe monaſterium anno CIↃCXXXVII. conflagravit. 926.

XIII.

Vita S. Remigii, Archiepiſcopi Rotomagenſis. 934.

XIV.

Vita S. Firmini, Epiſcopi & Confeſſoris. 941.

XV.

Calendarium Romanum ethnicæ vetuſtatis, ſub Imperatore Conſtantio, Conſtantini M. filio, circa annum Chriſti CCCLIV. compoſitum, & Valentino cuipiam dicatum. 945.

XVI.

De Carnunto, deque priſcis ejus urbis reliquiis, a Lambecio detectis. 1013.

XVII.

Vetuſtiſſimum in re Diplomatica monumentum Italico-Gothicum, *Charta Ravennenſis* a Mabillonio adpellatum. 1027.

XVIII.

Clariſſimorum Virorum Augerii Busbeckii; Joannis Sambuci; Henrici Savilii ad Hugonem Blotium, Aug. Bibliothecæ Præfectum, Epiſtolæ quædam; quibus acceſſit una Cl. Viri J. A. Saraceni ad Jo. Sambucum de Dioſcoride Græce & Latine edendo, nunc primum edita. 1029.

XIX.

Clariſſ. Virorum Petri à Valle, Thuani, Scheilderi, Ducæi, Sirmondi, Savilii, Darimplii & Holſtenii ad Sebaſtianum Tengnagelium, Aug. Bibliothecæ Præfectum de Nicephori Calliſti Cæſareo codice manuſcripto epiſtolæ. 1039.

Ↄ Ↄ Ↄ Ↄ Ↄ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

* * * * * * *

XX.

Priſca quæpiam monumenta, ex quibus dilucet, illuſtriſſimam gentem Fürſtenbergicam Rudolpho I. Imperatori, Auguſtæque ejus Domui, cognatione jungi. 1113.

XXI.

Cl. Viri Lucæ Holſtenii, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, ad Petrum Lambecium, nepotem ſuum, epiſtolæ duæ & viginti. *pag.* 1123. Octavæ junguntur Libanii Sophiſtæ Epiſtolæ Græcæ duodecim, ex Codice Vaticano ab Holſtenio depromptæ. *pag.* 1140. Adjectæ ſunt ultimæ voluntatis Holſtenii Tabulæ, nunc primum in lucem prolatæ. 1191.

XXII.

Doctiſſimorum Virorum effigies & vitæ compendio exhibitæ, qui ſæculo Chriſti quinto decimo poſt captam a Turcis Conſtantinopolim literas Græcas Italiæ intulerunt. 1197.

XXIII.

Sinarum Scientia Politico-Moralis ex autographo exemplo, a Cl. & Rev. Viro Proſpero Intorcetta, Siculo, e Soc. Jeſu, partim apud Sinas, partim Goæ in India primum in lucem edito. 1212.

XXIV.

Specimina veſtitus Sinici virilis & muliebris. 1294.

XXV.

Singularia quædam ad Hiſtoriam Naturalem pertinentia, videlicet: Dentes, vulgo Gigantæi dicti, re ipſa, ut videtur, λιθώματα, ſive corpora alia, aut dentes animantium, in lapidem, majori mole, indurati. Frumentum miræ vetuſtatis. Pullus gallinaceus biceps. 1302.

XXVI.

Teſtamentum Corocottæ porcelli, ſcholiis Lambecii illuſtratum. 1318.

ANA-



ANALECTA MONUMENTORUM OMNIS ÆVI VINDOBONENSIA.

I.

Conſtitutiones fratris GWIDONIS, (tituli S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Legati) promulgatæ in Concilio Provinciali Vindobonenſi, ſive Viennenſi in Auſtria quarto Idus Maji Anno Domini CIↃCCLXVII. Pontificatus CLEMENTIS IV anno tertio.

MONITUM.

Præſentes Conſtitutiones *poſt* LAZIUM, CANISIUM, BINIUM *vulgarat* LAMBECIUS *Lib. Commentariorum ſecundo cap. III. a pag. 61. ex cauſa, quod urbs* VIENNÆ *in iis non per τὸ V ſed W occurrit ſcripta; unde facile intelligas, quam gravem ob rem, quamque opportuno in loco in lucem quarto fuerint protractæ. Eas ex hoc Lambecii exemplo edidit rurſum* HARDUINUS in Actis Conciliorum Pariſinis anni CIↃIↃCCXIV. Tom. VII. a pag. 597. Item NICOLAUS COLETIUS in Collectione Conciliorum Labbeiana, Venetiis anno CIↃIↃCCXXXI. excuſa, Tom. XIV. pag. 360. *Nos ſeptimo heic excudi fecimus, ſi quis* HARDUINI & COLETII *exempla recenſere vellet. Porro* LAMBECIUS *edendarum occaſionem, dicto ſuperius loco, quærebat hunc in modum:* (a)

Poſtea-

(a) *Primum hoc cum ſequenti monumentum Caput prius faciebat Libri Commentariorum Secundi tertium, inſcriptum his verbis. Caput III.* De Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo Codice membranaceo MSto quinquageſimo nono, quo inter alia continetur Concilium Provinciale, quod autoritate Summi Pontificis CLEMENTIS IV a Fratre GUIDONE Tituli S. LAURENTII in Lucina Cardinale Presbytero & Apoſtolicæ Sedis Legato, Vindobonæ ſive Viennæ Auſtriæ A. 1267, menſe Majo celebratum eſt. KOLLARII.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf



Posteaquam præcedentibus duobus capitibus abunde demonstravi, Augustissimam Bibliothecam Cæsaream, quæ *Viennæ in Austria* est, haud injuria VINDOBONENSEM a me cognominari, operæ prætium me deinceps facturum arbitror, si de nonnullis *Codicibus Manuscriptis*, qui ibidem adservantur, & ad probanda ea, quæ de vero nomine Urbis *Viennæ*, apud Romanos antiquitus usitato, jam memoratis duobus capitibus differui, obiter citati sunt, aliquanto accuratiorem mentionem hic subjunxero; & primum quidem de eo, qui inter Codices Theologicos Latinos est *quingentesimus nonus*. Membranaceus is est in 4to, & prioribus *novem* foliis complectitur *Canones Concilii Provincialis*, quod auctoritate Summi Pontificis *Clementis IV.* a Fratre *Guidone*, Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinale Presbytero & Apostolicæ Sedis Legato, VINDOBONÆ sive *Wiennæ Austriæ* A. 1267, Mense Majo, celebratum est. Meminit hujus Concilii *Henricus Stero*, qui sub Imp. Rudolpho I floruit, in Annalibus suis his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini M. CC. LXVII Dominus Gwido Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, VI Idus Maji apud WIENNAM Concilium celebravit, cui interfuerunt Joannes Pragensis, Petrus Patavienſis, Bruno Brixinensis, Chunradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Amalricus Laventinensis, Episcopi, & alii quam plures de ipsis Diœcesibus Prælati, Archidiaconi & Decani.* Hæc Stero. Idem confirmat anonymus Autor fragmenti cujusdam *Annalium Austriacorum* ab A. 1267. usque ad annum 1280, quod MStum extat in Augustissima Bibliotheca Cæsarea inter eos Codices MStos, qui nondum certis numeris notati sunt. *Anno*, inquit, *1267. Eclipsis Solis fit in festo B. Vrbani sub meridie, & duravit usque ad vesperas. Guido de Ordine Cistercienſi Cardinalis Tit. S. Laurentii in Lucina, Legatus a Domino Papa per Alemaniam directus in Wienna convocatis tam Episcopis, quam aliis Prælatis diversarum terrarum Concilium celebravit.* Ejusdem Concilii fit mentio in Constitutionibus *Concilii Salzburgensis*, A. 1274 celebrati, his verbis: *Sed & Constitutiones venerandæ memoriæ quondam Domini Gwidonis, tituli S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, in provincia Salzburgensi Apostolicæ Sedis Legati, quæ licet Ecclesiarum utilitatem contineant & salutem suadeant animarum, in desuetudinem transierunt, cum prædictis generalis Concilii (Lugdunensis I) ordinationibus & statutis, nec non & his, quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc provinciali Concilio apponentur a nobis, ad notitiam subditorum taliter deducantur, ne quenquam totius provinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excusare.* Wolfgangus quoque Lazius Rerum Wiennensium libro secundo, cap. 4, de Concilio hoc agit; sed perperam ibi scribit, celebratum illud esse sub Pontifice *Clemente tertio*, cum is revera *Clemens quartus* fuerit. Ipsa ejus verba hæc sunt: *Igitur cathedrali vetustissima Viennæ constituta religionis nostræ propagandæ sede ac diœcesi sub annum Domini 470, eadem aliquot inter-*

interlapſa ſeculis, a Friderico tertio Imperatore & Auſtriæ Archiduce in priſtinum reſtituta, celebrium deinceps actuum ſubinde, & Concilii locus unus maxime præter cæteros hic delectus eſt, cum ſub annum Salutis noſtræ 1267 Clemens tertius (leg. quartus) Pontifex Maximus, ruina rei eccleſiaſticæ exigente, Guidonem Cardinalem S. Laurentii in Lucina Presbyterum eo miſiſſet: qui Vngariam ingreſſus anno Domini 1267, ab Ottocaro Bohemiæ Rege & Auſtriæ tum Duce honorifice exceptus, mox accitis Metropolitanis & eorum Suffraganeis, cum his de communibus religionis noſtræ ſacroſanctæ rebus agere cœpit. Interfuere autem Metropolitani huic Concilio, Aquilejenſis, Salzburgenſis & Pragenſis: Suffraganei vero horum, Patavienſis, Friſingenſis, Ratiſponenſis, Brixienſis, Tridentinus, Olomucenſis, Vratislavienſis, & alii quidam; qui canones in iſto Concilio ultro citroque verſatos, concluſerunt. Hucuſque Lazius.

II. Ad hæc igitur jam citata *quatuor* de *Concilio Vindobonenſi* teſtimonia *primo* notandum eſt, Cardinalem *Guidonem*, qui Concilio iſti præfuit, fuiſſe *monachum Ordinis Ciſtercienſis*, nec tantum per *Auſtriam*, verum etiam per *alias Germaniæ regiones*, nec non per *Daniam* & *Suediam*, ſub Summo Pontifice *Clemente IV.* pro Sede Apoſtolica legationem obiiſſe: qua de re prolixe & accurate egi *libro ſecundo Rerum Hamburgenſium;* cui etiam inſerui (1) *ſex Diplomata* ejuſdem Cardinalis *Guidonis* nunquam ante edita.

A Horum *primo*, quod datum eſt *Hamburgi* XII. Kal. Januarii ſive d. 21. Decembris A. 1265, Pontificatus *Clementis IV.* anno *primo*, committit Cardinalis *Guido* Archiepiſcopo Magdeburgenſi *defenſionem quorumlibet*, ut ipſe loquitur, *hominum habitatorum & aliorum fidelium, ad partes iſtas, & Hamburgenſem civitatem de diverſis Mundi regionibus venientium, & exinde recedentium, qui pro tempore ob mirabiles elationes maris ſeu vehementes impulſus de navibus confugiunt ad portus ſub ſpe ſalutis, quam eis miſericordia divina indulſerit; ne hujuſmodi naufragi, vel ad littora pro ſalute corporum declinantes, jacturam in perſonis ſeu rebus perpetiantur.* Integrum hoc diploma extat libro ſecundo Rer. Hamburgenſium. pag. 170. 171. 172. *Secundo* ex jam memoratis *ſex* diplomatibus Cardinalis *Guidonis*, quod datum eſt *Hamburgi* anno Domini 1265, d. 23. Decembris, Indictione nona, anno Pontificatus *Clementis IV. primo*, continentur *depoſitiones teſtium productorum*, ut ipſis diplomatis verbis utar, *coram jam dicto Cardinale apud Hamburgum pro parte venerabilium Virorum Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ Hamburgenſis ſuper diſcordia quæ olim vertebatur inter ipſos Præpoſitum, Decanum & Capitulum ex una parte, & religioſos viros Priorem & fratres Ordinis Prædicatorum ejuſdem loci ex altera; ſuper eo videlicet, quod iidem Prior & fratres corpus cujuſdam mulieris defunctæ Womelis nomine ad eorum Eccleſiam (nem-*

(1) *Addenda ſunt hæc* ſex diplomata *Ampliſſimæ Conciliorum omnium collectioni, quæ Lutetiæ Pariſiorum XIV. aut XV. Tomis paratur. Nulla enim eorum fit mentio in Magni iſtius Syntagmatis Hiſtorica Synopſi ſive prima Delineatione, quam R. P.* Philippus Labbé *Societatis Jeſu Theologus, Lutetiæ, A. 1661 in quarto edidit. Vide ſis ibi pag. 216, ubi de Concilio* Wiennenſi *Cardinalis* Guidonis *agitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(nempe S. Joannis) ut illud in cœmeterio ſepelirent, aſportarunt, ſeu aſportari fecerunt, vel ratum habuerunt de Eccleſia S. Nicolai, cujus Parochialis eadem mulier exiſtebat; contradicente & reclamante Presbytero parochiali Eccleſiæ S. Nicolai prædictæ, & omnino prohibente, ne de ſua Eccleſia corpus aſportaretur defunctæ prædictæ ſub anno Domini MCCLXV, Indictione nona, Pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno primo. Integrum hoc diploma extat lib. 2. Rer. Hamburg. pag. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. *Tertio* jam memoratorum *ſex* diplomatum, quod datum eſt *Hamburgi* V. Kal. Januarii ſeu d. 24. Decembris A. 1265, anno Pontificatus *Clementis IV. primo*, declarat Cardinalis *Guido defenſionem naufragorum Archiepiſcopo Magdeburgenſi commiſſam, non de præteritis naufragiis, ſed tantum de futuris intelligendam eſſe.* Hanc enim declarationem *Thitardus*, Canonicus Eccleſiæ *S. Willebadi* Bremenſis, tanquam Procurator Archiepiſcopi *Bremenſis* a jam dicto Cardinale *Guidone* petierat. Integrum hoc diploma extat lib. 2. Rer. Hamburg. pag. 175 & 176. *Quarto* diplomate, quod datum eſt *Lubecæ* IV. Non. Januarii ſive d. 2. Januarii A. 1266, anno Pontificatus *Clementis IV. primo*, mandat Cardinalis *Guido* Archiepiſcopo Bremenſi, *ut defenſionem naufragorum Archiepiſcopo Magdeburgenſi commiſſam per totam Diœceſin ſuam publicet.* Integrum hoc diploma extat lib. 2. Rer. Hamburg. pag. 177. 178. 179. *Quinto* jam memoratorum *ſex* diplomatum, dato *Lubecæ* IV. Nonas Januarii ſive d. 2. Januar. A. 1266, anno Pontificatus *Clementis IV. primo*, mandat Cardinalis *Guido* Præpoſito Eccleſiæ Cathedralis Hamburgenſis, *ut poteſtatem defendendi naufragos, Archiepiſcopo Magdeburgenſi commiſſam, per totam regionem ſuæ jurisdictionis publicet.* Integrum hoc diploma extat lib. 2. Rer. Hamburg. pag. 179 & 180. *Sexto* denique jam memoratorum *ſex* diplomatum, dato *Lubecæ* ſecundo Non. Januar. ſive d. 4. Januar; A. 1266. anno Pontificatus *Clementis IV. primo*, confirmat Cardinalis *Guido privilegium, Hamburgenſibus ab Imp. Friderico I. Nuenburgi ſuper Danubium Anno Dominicæ Incarnationis 1189, Indictione tertia, Nonis Maji, conceſſum.* Integrum Imp. *Friderici I.* diploma extat libro primo Rer. Hamburg. pag. 83. 84. 85. 86. Confirmatio autem Cardinalis *Guidonis* extat lib. 2. Rer. Hamburg. pag. 180 & 181. Ex his itaque *ſex diplomatibus* apparet, Cardinalem *Guidonem* A. 1265, & 1266, uti Apoſtolicæ Sedis Legatum, viſitaſſe *Inferiorem Saxoniam*, & *Hamburgi* ac *Lubecæ* aliquamdiu commoratum eſſe. Inde autem tranſiit eodem anno 1266. in *Daniam*, ubi cum Regem *Ericum* cognomine *Glipping* & matrem ejus *Margaretam* excommunicaſſet, petiit porro *Suediam;* de qua Septentrionali Cardinalis *Guidonis* Legatione prolixius egi jam citato *libro ſecundo Rer. Hamburgenſium* pag. 181 & 182.

III. *Secundo* notandum eſt, *Fratrem Guidonem Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalem Presbyterum*, qui A. 1265 & 1266. *Saxoniam Inferiorem*, nec non *Daniam* & *Suediam*, ut Legatus Sedis Apoſtolicæ, inviſit, & A. 1267. *Concilium provinciale Vindobonæ* celebravit, ab *Alberto Crantzio* Wandaliæ lib. 7. cap. 33,

ut

ut & a *Joanne Iſacio Pontano* Hiſtoriæ Danicæ lib. 7, & *Joanne Meurſio* Hiſtoriæ Danicæ lib. 2, perperam confundi cum *Guidone Fulcodio, Cardinale Epiſcopo Sabinenſi* ſeu *Sabino*, qui ante Cardinalitiam dignitatem, ut *autor magni Chronici Belgici* loquitur, *miles fuit, uxorem habens & liberos, famoſiſque Advocatus & S. Ludovici Regis Franciæ Conſiliarius;* defuncta autem uxore primo Epiſcopus *Podienſis*, mox *Narbonenſis* Archiepiſcopus, deinde *Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis*, ac denique poſt mortem Pontificis *Urbani IV.* Summus Pontifex creatus, & *Clemens quartus* appellatus eſt: quem in Hiſtoria Eccleſiaſtica prorſus intolerabilem errorem *libro ſecundo Rerum Hamburgenſium* pag. 182, 183, 184, 185 & 186. evidentiſſimis argumentis ſolide refutavi. Si quis ergo plura hac de re ſcire deſideret, illum locum conſulat. Hic enim eadem repetere, abſurdum exiſtimo.

IV. *Tertio* notandum eſt, *Canones* jam memorati *Vindobonenſis Concilii* primo quidem a *Wolfgango Lazio* Rerum Viennenſium lib. 2. cap. 4, ſecundo autem ab *Henrico Caniſio* Tomo primo Antiquarum Lectionum, & ex eo a *Severino Binio* parte ſecunda Tomi tertii Conciliorum editos eſſe, ſed mutilos, interpolatos, & plurimis graviſſimiſque mendis adeo ſcatentes, ut pleriſque locis verus ac genuinus eorum ſenſus non poſſit percipi. Quare rem gratam me poſteritati facturum arbitror, ſi eoſdem *Canones* ex ſupra laudato *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* Codice MSto hic integros & emendatos exhibuero.

CONSTITUTIONES FRATRIS GWIDONIS,

(Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legati, promulgatæ in Concilio Provinciali Vindobonenſi ſive Viennenſi in Auſtria quarto Idus Maji) Anno Domini M. CC. ſexageſimo ſeptimo, Pontificatus Clementis IV. anno tertio.

Frater Gwido (1) *tituli S. Laurentii in Lucina miſeratione divina Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Poſtquam DEUS formavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & (2) in ætate virili, cum ipſo etiam jus naturale produxit. Juris enim naturalis origo a creaturæ rationalis cœpit exordio: quod quidem ad diſponendum omnem mundi naſcentis & temporis motum ſufficeret, ſi non ſibi mortem quam DEUS non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæſiviſſet. Hæc juris inſtituta primævi protinus juſtitia poſitiva ſubſequitur, ab eodem regulariter auctore procedens, qui ſub mortis interminatione morſum pomi noxialis prohibuit, qua prohibitione contempta, certa maledi-*

(1) *Quantum hæc editio* Canonum Concilii Vindobonenſis a Lazii, Caniſii & Binii *editionibus diſtet, primo intuitu quilibet videbit, ſi eas conferre haud gravabitur. Quod quidem idcirco moneo, quia ſuperfluum mihi videtur variantes lectiones* manifeſte vitioſas *ſingulatim in margine hic annotare.*

(2) *Locus ſingularis de Adami creatione in ætate virili. Vid. R. P. Benedicti Pererii Commentar. in Geneſ. cap. 2. v. 7.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ledictionis ſententia prodiit ab auctore, ut non ſolum ultio ferretur in auctores ſcelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc uſu hominum exigente, & rerum dominio introducto, quod juris primævi regula neſciebat, ex humanis neceſſitatibus quædam ſibi jura homines condiderunt. Traditæ ſunt a Domino per Moyſen juſtitiæ leges, cujus ſingulis pæne ſyllabis Chriſtus includitur. Deinde Prophetæ ſubſequuntur & Reges, qui Chriſti præconia evidentiori ſermone deſcribunt; donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate figuriſque ceſſantibus, Rex noſter in æternum jura manſura diſpoſuit. Datæ ſunt enim Petro claves perpetuæ, a quo totius juris Eccleſiaſtici pulchritudo manavit, quæ ad ſingulas provincias ob vindictam in nationibus & increpationes in populis faciendas, nunc per Summorum Pontificum, nunc per Sedis Apoſtolicæ Legatorum Statuta, tanquam per quoſdam rivulos derivatur; ut hominum quotidie creſcente malitia & effrænata cupiditate, quæ nova litigia quotidie generare non ceſſant, ſub diſtrictione jurium coarctati, diſcant honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere. Hinc eſt, quod, cum ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter Clemens Papa IV. ad (1) Salzburgenſem provinciam, & civitatem & diœceſin Pragenſem cum plenæ legationis officio nos duxerit transmittendos, officii noſtri debitum libenter exequimur, evellendo videlicet evellenda, plantando plantanda, recta regendo, & dirigendo ſalubriter indirecta.

Verum, quoniam expedit ad (profectum &) robur fidei Chriſtianæ, ut Sacramenta Eccleſiæ, in quibus, tanquam in vaſis medicinalibus, populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem miniſtrorum Eccleſiæ converſationem, univerſis Eccleſiaſticis perſonis provinciæ Salzburgenſis, & civitati & diœceſi Pragenſi (2) præcipimus, ut in victu, geſtu & aliis operibus ac circumſtantiis ſtatus ſui ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum inter laicos blaſphemetur: eiſdem (3) diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant Crucis Chriſti, ſicut illi, quorum DEUS venter eſt, qui terrena ſapiunt, (4) non divina. In conviviis ſuis modeſtiam (5) mediatricem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem devitent.

Item Prælati (6) a gravaminibus ſuorum abſtineant ſubditorum, & maxime, cum Eccleſias viſitant, moderentur expenſas, coerceant evectionum numerum, prout in generali Concilio extitit diffinitum.

Item

(1) *Ita recte in hoc Codice MSto ubivis ſcriptum legitur* Salzburgenſis, *non autem* Salisburgenſis. *Salzburgum enim a* Salza *fluvio ad quem urbs ſita eſt, nomen habet. Vocabatur is olim a Romanis* Juvavus; *unde & ipſa urbs* Juvavum, Juvavodurum & Colonia Hadriana Juvavia *ſive* Juvavenſis *appellabatur. Apud* Claudium Ptolemæum *Geographiæ libro ſecundo, cap. 14. pro* Ιευαυόδεϱον, Juvavodurum *corrupte legitur* Γαυανόδεϱον, Gavanodurum.

(2) *In altero MSto Cæſareo, cujus infra ſub finem hujus capitis fit mentio, additur* diſtricte.

(3) *In altero MSto Cæſ. additur* imprimis.

(4) *In alt. MSto Cæſ. additur* &

(5) *In alt. MSto Cæſ. legitur* modeſtiam & mediocritatem.

(6) *In alt. MSto Cæſ. legitur* Prælati vero a gravaminibus &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Item præſentis (1) *Concilii approbatione præcipimus, ut Clerici continenter & caſte vivere ſtudeant, quatenus puro corde & mundo corpore DEO poſſint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui vero de cætero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas, niſi infra menſem ſe ab eis & earum conſortio ſeparaverint, ita quod in eorum domibus* (2) *propriis aut aliis quibuscunque eis non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc omni beneficio Eccleſiaſtico ſint privati, & per eos, ad quos beneficiorum prædictorum ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur.*

Item, cum in quibusdam locis iniquitas quorundam invaluerit laicorum, quod in rebus Eccleſiæ furtum reputatur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo, Synodali judicio diffinimus, ut, qui bona Eccleſiarum ſcienter detinent occupata, niſi infra inſtans feſtum B. Joannis Baptiſtæ ea reſtituerint, & de damnis & injuriis ſatisfecerint competenter, ex tunc introitum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab Epiſcopis vel aliis Eccleſiarum Prælatis ad communionem Dominici Corporis admittantur. Qui vero obſtinata mente, dum vixerint, ſatisfacere non curaverint, nullus Clericus ſecularis vel regularis ſepulturæ eorum intereſſe præſumat: adjicientes, ut ſingulis annis in Synodo, illi, qui Clericos capiunt, verberant vel occidunt, aut alias in ipſos manus injiciunt violentas, excommunicati denuntientur, & nominatim illi, de quibus conſtiterit manifeſte. Quicunque vero perſonam Eccleſiaſticam enormiter vulneraverit, mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit, non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur; & ipſo facto, ſi quid tenebat ab Eccleſia, illud perdat, & in utilitatem Eccleſiæ convertatur. Adjicientes, quod in illa diœceſi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum capi vel captum detineri contigerit, uſque ad liberationem ipſius & exhibitionem debitæ ſatisfactionis ceſſetur generaliter a divinis. Similiter & in illa parochia, in qua res (3) *Clericorum violenter ablatas detineri, vel Clericos ipſos capi contigerit, uſque ad reſtitutionem* (4) *congruam ceſſetur a divinis.*

Item, cum detentores plurium perſonatuum vel dignitatum ſeu beneficiorum cum cura (ſine diſpenſatione) ſint ſacrorum Canonum tranſgreſſores, & fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dinoſcantur, præſenti decreto ſtatuimus, ut omnes, qui hujuſmodi dignitatum, perſonatuum (ſeu) beneficiorum cum cura pluralitatem detinent, illi qui ſunt de provincia Salzburgenſi, ſecum ſuper hoc diſpenſatum (5) *eſſe, coram venerabili Patre* (6) *DEI gratia Electo Salzburgenſi infra inſtans feſtum B. Joannis Baptiſtæ doceant manifeſte. Alioquin ex tunc ultimo recepto beneficio ſint con-*

(1) *In alt. MSto Cæſ. legitur* Præſentis igitur Concilii &c.
(2) *In alt. MS. Cæſ. additur* aut.
(3) *In alt. MS. Cæſ. legitur* Clericis.
(4) *In alt. MS. Cæſ. additur* & ſatisfactionem.
(5) *In alt. MS. Cæſ. legitur* fuiſſe.
(6) Vladislao *videlicet, Duce Poloniæ, qui Archiepiſcopus quidem Salzburgenſis electus eſt Anno 1265; ſacros autem ordines demum ſuſcepit anno 1267, quo facto, conſecratus & a Summo Pontifice* Clemente IV *pallio Archiepiſcopali honoratus eſt. Cæterum ex titulo* Electi Salzburgenſis, *qui* Vladislao *hic tribuitur, ſatis apparet,* Concilium *hoc* Vindobonenſe *celebratum eſſe ea parte anni 1267, quæ conſecrationem ipſius anteceſſit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contenti, & (1) alia, quæ prius habuerunt, per eos, ad quos dictorum beneficiorum (2) ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur. Si vero utrumque retinere contenderint, nos ipſos (3) primis & ultimis ex tunc decernimus manere privatos.

Item, cum Levitis (4) & perſonis Eccleſiaſticis jure divino decimæ debeantur, dolentes referimus, quod quorundam laicorum cupiditas jus hujuſcemodi, quod ſibi DEUS in ſignum generalis dominii retinuit, nititur abolere, & pro ſua voluntate de his, quæ ad ipſos non pertinent, aliter ordinare, imo potius deordinare præſumit, quaſi a ſe jugum divini ſervitii velint excutere, quod in baptiſmate ſunt profeſſi. Hujus igitur approbatione Concilii diſtricte præcipimus, ut juxta laudabilem conſuetudinem patriæ, decimæ tam antiquæ, quam etiam de novalibus, majores & minutæ plenarie perſolvantur: nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, (cujuſcunque dignitatis vel principatus exiſtat), (5) maxime de (minutis &) novalibus ſibi decimas uſurpare; alioquin, ſi contra fecerit, ab ingreſſu Eccleſiæ uſque ad ſatisfactionem condignam ſe noverit eſſe ſuſpenſum.

Item dolentes referimus, quod quidam ſalutis ſuæ immemores & prodigi famæ ſuæ, tam Clerici, quam laici, per Salzburgenſem provinciam conſtituti, uſuras & uſurarios contractus exercere præſumunt: ad quorum cupiditatem ſalubriter refrænandam ſtatuimus, ut ipſi (6) in hoc ſacro Concilio præmoniti a talibus abſtineant; alioquin nos ipſos excommunicamus in ſcriptis, & ter in anno, videlicet in Cœna Domini, in Aſſumptione B. Virginis, & in Nativitate Domini, per (7) Plebanos & Majores ſuos præcipimus in locis ſuis excommunicatos publice nuntiari. Clerici vero (beneficiati), qui per tempus trium menſium hujuſmodi excommunicationis ſententiam ſuſtinere præſumpſerint animo indurato, per ſuos diœceſanos ſuis beneficiis ſpolientur, & perſonis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum ſpectat collatio, conferantur, ſalvis aliis pœnis contra uſurarios editis ſecundum Canonicas Sanctiones.

Item ordinamus atque ſtatuimus, ut Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ, tam ſeculares, quam regulares, Prælatorum ſuorum correctiones legitimas cum debita humilitate ſuſcipiant: &, ſi qui ex eis hac occaſione contra correctores ſuos auxilium brachii ſecularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præſumpſerint, a ſuis beneficiis deponantur. Ipſis quoque Prælatis diſtrictius inhibemus, ne (8) parvis minoris ætatis (videlicet) XVIII annorum, dignitates, perſonatus ſeu beneficia, curam animarum habentia, conferre præſumant, vel ad ipſa recipere præſentatos, niſi ſuper hoc cum eis a Sede Apoſtolica vel ab ejus Legatis (9) extiterit diſpenſatum.

Item ad aures noſtras per clamoſam inſinuationem pervenit multorum, quod Pi-

(1) *In alt. MS. Cæſ. legitur* antea.
(2) *In alt. MS. Cæſ. legitur* pertinet.
(3) *In alt. MS. Cæſ. additur* &
(4) *In alt. MS. Cæſ. pro* & *legitur* ſeu.
(5) *In alt. MS. Cæſ. legitur* ſibi decimas, máxime de novalibus etiam minutis uſurpare.
(6) *In alt. MS. Cæſ. additur* ſuper hoc.
(7) Plebanus *barbare vocatur Eccleſiæ Paræcialis Rector, penes quem plebis paræcialis cura eſt. Vide Notas meas marginales ad lib. 2, Rer. Hamburgenſium Num. 444, 447, & 539.*
(8) *In alt. MSto Cæſ. legitur:* ne pueris minoris quam XVIII annorum, ætatis dignitates, &c.
(9) *In alt. MS. Cæſ. legitur* fuerit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Patroni Eccleſiarum tam Clerici, quam laici, Advocati, (1) *Judices & Præcones bona decedentium Clericorum occupant & uſurpant, volentes ſibi ab inteſtato decedere pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare provide duximus ſtatuendum, ut Patroni Eccleſiarum & alii ſupra dicti a talibus de cætero abſtineant, & niſi abſtinere voluerint, quouſque (ſic) ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur.*

Item diſtrictius inhibemus, ne aliquis Clericus Eccleſiam parochialem a laico Patrono recipere (2) *beneficium audeat, niſi ab* (3) *Epiſcopo vel Archidiacono fuerit inſtitutus, alioquin ab officio* (4) *& beneficio ſe noverit eſſe ſuſpenſum: & laicus, qui auctoritate propria Clericum inſtituere præſumpſerit, ipſo facto a jure cadat Patronatus. Adjicientes, ut nullus Patronus, Clericus vel laicus, dotem Eccleſiæ, in qua jus obtinet Patronatus, alienare præſumat: quod ſi contra fecerit, ipſo facto a jure cadat Patronatus, & res alienata ad jus & proprietatem Eccleſiæ revertatur.*

Item ordinamus atque ſtatuimus, ut Prælati & curam animarum habentes in ſuis Eccleſiis corporaliter reſideant, & ad hoc a ſuis Epiſcopis per ſubtractionem fructuum compellantur, niſi cauſa legitima ſe potuerint excuſare.

Item clamoſa inſinuatio noſtrum percuſſit animum & auditum, quod Abbates & monachi (5) *Ordinis S. Benedicti in quampluribus locis ab obſervantia ſuæ regulæ temere recedentes, vitam nimis diſſolutam ducere non verentur in ſuarum animarum periculum & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur, ut contra* (6) *hujus corruptelam ſalubre remedium apponatur, univerſis Epiſcopis Salisburgenſis provinciæ ac Epiſcopo Pragenſi (diſtricte) præcipimus, ut quilibet ipſorum (intra dimidium annum), aſſumptis ſecum duobus Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, omnia clauſtra nigrorum monachorum ſuæ diœceſis viſitet, corrigat & reformet tam in capite, quam in membris; illis* (7) *tamen exceptis, qui Romanæ Eccleſiæ nullo medio ſubeſſe noſcuntur, quos per nos vel (per) alios, a nobis ſpecialiter* (8) *deputandos intendimus viſitare. Probibemus etiam Abbatibus, ne calices vel patenas ſeu ſacras veſtes benedicere vel conſecrare, vel alia officia Epiſcopalia exercere præſumant, niſi ſuper hoc a Sede Apoſtolica privilegium habuerint ſpeciale.*

Item, (9) *cum in tantum inſolentiæ Judæorum excreverint, ut per eos in quampluribus Chriſtianis jam dicatur inſici* (10) *puritas Catholicæ ſanctitatis, non tam nova* (11) *condentes, quam Summorum Pontificum Statuta vetera renovantes, diſtricte præcipimus, ut Judæi, qui diſcerni debent in habitu a Chriſtianis,* (12) *CORNUTUM PILEUM, quem quidem*

(1) *In alt. MS. Cæſ. additur* &.
(2) *In alt. MS. Cæſ. deeſt* beneficium.
(3) *In alt. MS. Cæſ. additur* ipſo.
(4) *In alt. MS. Cæſ. pro* & *legitur* vel.
(5) *Locus ſingularis de Ordine S. Benedicti.*
(6) *In alt. MS. Cæſ. rectius legitur* hujuſmodi.
(7) *In alt. MS. Cæſ. legitur* tantum.
(8) *In alt. MS. Cæſ. additur* ad hoc.
(9) *Conſtitutio vere aurea contra* Judæos, *quæ utinam etiam nunc debito ſtudio obſervaretur.*
(10) *In alt. MS. Cæſ. legitur* juſtitia & puritas.
(11) *In alt. MS. Cæſ. pro* condentes *legitur* cudentes.
(12) *Locus ſingularis de* Judæorum pileo cornuto.

dem in istis partibus consueverunt deferre, & sua temeritate deponere præsumpserunt, resumant, ut a Christianis discerni valeant evidenter, sicut olim in Generali Concilio extitit diffinitum. Quicunque autem Judæus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, a Domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Adjicientes, ut Judæi Sacerdoti parochiali, infra cujus parochiæ terminos manserint, pro eo, quod loca, in quibus Christiani (1) *manere deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani omnes proventus loci,* (2) *quos, si ibidem manerent Christiani, Sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate persolvant. Prohibemus insuper, ne* (3) *stubas balnearesseu tabernas Christianorum frequentare seu intrare præsumant, nec servos,* (4) *nec ancillas aut nutrices, seu quæcunque Christiana mancipia die nocteve in suis domibus retinere præsumant, nec ad recipiendum teloneum, seu ad alia publica officia aliquatenus* (5) *admittantur. Si quis vero Judæus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoadusque decem marcas (argenti) ad minus pro emendatione solverit, districto carceri mancipetur, & mulier Christiana, quæ* (6) *tam damnosum coitum elegerit, per civitatem fustigata, de ipsa civitate sine spe redeundi penitus expellatur. Item omnibus Christianis istius Provinciæ & civitatis Pragensis, & ejusdem diœcesis sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne Judæos vel Judæas secum ad convivandum recipiant, vel cum eis manducare vel bibere audeant, aut etiam cum ipsis in suis nuptiis aut neomeniis vel ludis saltare, vel tripudiare præsumant: nec Christiani carnes venales aut alia cibaria a Judæis emant, ne forte per hoc Judæi Christianos, quos hostes reputant, fraudulenta machinatione venenent. Adjicientes, ut, si de cætero quocunque prætextu Judæi a Christianis graves seu immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satis fecerint competenter:* (7) *& Christiani, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur, ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem injungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Judæos studeant cohibere. Si vero Sacramentum Altaris ante domos Judæorum deferri contigerit, (ipsi) Judæi, audito sonitu prævio, intra domos (suas) se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant. Hoc etiam (in) quolibet die Parasceves per Prælatos Ecclesiarum facere compellantur. Ne præsumant de fide Catholica cum simplicibus disputare, nec filios & uxores Judæorum ad viam Christianorum venientes, invitos audeant detinere. Nec Christianos ad Judaismum alliciant, aut aliquo ausu temerario circumcidant. Nec Christianos* (8) *infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicinæ. Synagogas novas non erigant, & si quas*

(1) *In alt. MSto Cæs. pro* manere *legitur* habitare.
(2) *In alt. MS. Cæs. legitur:* quos a Christianis, si ibidem manerent, sacerdos perciperet.
(3) *In alt. MSto. Cæs. legitur:* ne stubas & balnea.
(4) *In alt. MS. Cæs. pro* nec *legitur* vel.
(5) *In alt. MS. Cæs. legitur* assumantur.
(6) *In alt. MS. Cæs. rectius legitur:* quæ damnatum coitum elegerit.
(7) *In alt. MS. Cæs. pro* & *legitur* unde.
(8) *Locus singularis de Judæis medicinam exercentibus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quas erexerint, eas removeant (1) *(aut deponant): vetuſtam, ſi opus fuerit, reficiant; non ampliorem, pretioſiorem faciant, ſeu etiam altiorem. Carnes in Quadrageſima, quando Chriſtiani a carnibus abſtinent & jejunant, aperte vel publice non deportent. Præcipimus autem Epiſcopis, ut ad hæc omnia obſervanda in ſingulis articulis Judæos per* (2) *abſtractionem communionis Chriſtianorum compellant. Ipſos quoque Principes ac Judices eorundem diſtrictius admonemus, ne Judæis, hujuſmodi Statuta (noſtra) ſervare nolentibus, alicujus* (3) *protectionis ſeu defenſionis favorem impendant, ſed ſi eis aliqua a Prælatis Eccleſiaſticis injungantur, ea fideliter exequantur; alioquin introitum Eccleſiæ & communionem divinorum officiorum ſibi noverint interdicta.*

Volumus etiam, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, ut Dominus Electus Salzburgenſis ejuſque Suffraganei, nec non & Epiſcopus Pragenſis has Conſtitutiones noſtras ſigillo noſtro ſigillatas habeant, eaſque (4) *ſingulis annis in Synodis Epiſcopalibus & in provinciali Concilio faciant recitari, & diligentius obſervari, & ea, quæ tangunt laicos, faciant per parochiales Eccleſias ſuarum diœceſium publicari. Acta ſunt hæc* (5) *WIENNÆ in Auſtria anno Domini M CC ſexageſimo ſeptimo, quarto Idus Maji, (Pontificatus Domini Clementis Papæ IV anno tertio).*

Hucuſque Canones Concilii Provincialis a Fratre *Guidone* Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinali Presbytero *Vindobonæ* five *Viennæ Auſtriæ* A. 1267 *celebrati.*

II.

Decreta Canonica, a fratre GWIDONE, tituli S. LAURENTII in Lucinia Presbytero Cardinali, ex Concilio Provinciali Viennenſi, anno CIↃCCLXVII. celebrato, Hungaris data.

MONITUM.

Hæc primus in lucem protulit LAMBECIUS *Lib. Commentar. II. Cap. III. a pag. 68. unde ſecundo* HARDUINUS *vulgavit, & ex hoc* COLETIUS *notis conciliorum* Collectionibus, *ultimus ex* HARDUINO *itidem exſcripſit* Cl. ac Rev. Vir CAROLUS PÉTERFY *e S. J.* In Provincialibus Conciliis Regni Hungariæ, Poſonii anno CIↃIↃCCXLII typo vulgatis, Parte I. a pag. 88. *Codex, ex quo Decreta hæc depromſit noſter, nunc inter Theologicos Latinos* CCCII. *eſt. Porro ſuperioribus ea* LAMBECIUS *jungit his verbis:*

Extant præterea in *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* antiquo quodam Codice membranaceo MSto in fol. inter Codices Theologicos Latinos MStos *vigeſimo tertio*, ejuſdem Cardinalis *Guidonis* (6) *Decreta Hun-*

(1) *In alt. MS. Cæſ. pro* aut *legitur* &.
(2) *In alt. MS. Cæſ. legitur* ſubtractionem.
(3) *In alt. MS. Cæſ. legitur* petitionis.
(4) *Locus ſingularis de* annuis Synodis Epiſcopalibus.
(5) *Ita recte legitur in Codice MSto, nempe* Wiennæ *per* W, *non autem* Viennæ *per* V.
(6) *Addenda ſunt hæc Decreta* Guidonis *ampliſſimæ Conciliorum omnium Collectioni, quæ Lutetiæ Pariſiorum XIV aut XV Tomis para-*

Hungarica, quæ cum hactenus, quod fciam, in lucem non prodierint, haud A inconveniens mihi videtur, Corollarii loco ea hic ſubjungere.

HÆC SVNT DECRETA HVNGARORVM.

Quæ de Gvidone Cardinale ſuſceperunt.

Nullum niſi Presbyterum aut Diaconum, &, qui uxorem non habeat, in Epiſcopum eligatis.

Nullum, qui duas uxores habuerit, aut qui unam concubinam, aut repudiatam, aut meretricem ſeu proſtitutam, vel qui aliam, quam virginem, eſt ſortitus uxorem, in Epiſcopum eligatis.

Nullum, quem ſacri canones ad ordines prohibent promoveri, in Epiſcopum eligatis. B

Nullum, qui ad ſacros ordines niſi per canonica intervalla promotus eſt, in Epiſcopum eligatis.

Nullum per occultam inſinuationem Regi factam, aut per ſeditionem aut per pecuniam, vel per ſpecialem gratiam, ſed ex communi conſilio & conſenſu pari, Epiſcopum faciatis.

Nullum Epiſcopum de ſede ad ſedem qualibet ex cauſa ſine Romani Pontificis ſpeciali licentia transferatis.

Nullum Epiſcopum ſine Romani Pontificis ſpeciali licentia deponatis, vel capi, niſi comprobato infidelitatis C *crimine, conſentiatis.*

Nullum in Archidiaconum ſeu Decanum, vel Archipresbyterum, vel Præpoſitum, ſeu Abbatem, niſi Presbyterum vel Diaconum, promoveatis.

Nullum in Abbatem niſi monachum aſſumatis.

Nullum Archidiaconum, vel Decanum, vel Archipresbyterum, vel Præpoſitum vel Abbatem de una dignitate ad aliam, vel de ipſa ad eandem in locum alium, niſi canonice, transferatis, & nullum ſupradictorum, niſi canonice, deponatis.

Nullum uxoratum in Presbyterum, vel Diaconum, vel Subdiaconum promoveatis, niſi qui ex conſenſu uxoris, ſe victurum caſte, firmiter promiſerit, & uxorem a cohabitatione removerit, & eidem neceſſaria, ſecundum facultatem ſuam, providerit.

Presbyterorum filios ad ſacros ordines accedere, nullatenus permittatis, niſi aut in cœnobiis, aut in monaſteriis.

Alienos clericos, quos ſine commendatitiis literis ſuſceptis, in Epiſcopatibus veſtris nullatenus toleretis; & de cætero nec eos, nec alios ſine formatis litteris admittatis; &, quos de his apoſtatas eſſe conſtiterit, excommunicatos habeatis, & Præpoſitis ſuis eos requirentibus reddatis.

Nullum Subdiaconum, vel Diaconum, vel Presbyterum niſi ad certum titulum ordinetis.

Nullum ſervum in Clericum ordinetis, niſi Dominus ejus eum manumittat, ut de cætero ex toto nihil in eo juris habeat.

Bigamos, viduarum vel repudiatarum, ſeu meretricum vel proſtitutarum maritos, ab omni eccleſiaſtica dignitate deponimus, & beneficiis eccleſiaſticis in æternum privamus.

Concubinarios publicos ab officio ſuo deponimus, & beneficia eis eccleſiaſtica interdicimus, hac tamen vobis poteſtate in-

tur. Nulla enim eorum fit mentio in Magni iſtius Syntagmatis Hiſtorica Synopſi ſive prima Delineatione, quam R. P. Philippus Labbè, *Soc. Jeſu Theologus, Lutetiæ A. 1661 in quarto edidit. Vide ſis ibi pag. 216 ubi de Cardinalis* Guidonis *Concilio* Vindobonenſi *ſive* Wiennenſi *agitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

indulta, ut, si condignam egerint pœnitentiam, & vobis videbitur, ministrare eos iterum faciatis.

Presbyteros vel Diaconos uxoratos, qui ante acceptos ordines vel postea uxores acceperunt, ab Altaris ministerio & Ecclesiastico beneficio sèparamus; (1) *attamen dispensationem de his vobis concedimus, ut bi, qui uxores ante jam dictos ordines acceperunt, quoniam legitimæ sunt, si uxoribus ultro & sine coactione continentiam voventibus, ipsi quoque vovebunt, & easdem uxores a cohabitatione removebunt, ad Altaris ministerium redeant, & beneficia ecclesiastica habeant.*

Illi vero, qui post sacros ordines aliquas sub matrimonii nomine duxerunt, quoniam hujusmodi conjunctio contra leges est facta, ac per hoc matrimonium non est, sive eas volentes, sive invitas dimiserint, & continentiam in ecclesiæ testimonio voverint, ecclesiastica officia sic ministrent, ut ultra ad relictas immunditias non declinent. Nam si legitimarum sive aliarum commixtione sè ipsos vel ultra fœdaverint, ab Altaris ministerio eosdem sequestramus, nisi aut ad canonicos regulares, aut ad ordinata monasteria transierint.

De Subdiaconis autem & Præpositis uxoratis id ipsum fieri decernimus, sed inducias vobis super hoc usque ad rescriptum Domini Papæ damus.

Hæc omnia observetis, promotosque Episcopos omnes, observaturos sè eadem, jurare faciatis.

Hucusque *Decreta Hungarorum*, quæ a Fratre *Guidone* Tituli S. Laurentii in Lucina Presbytero Cardinale & Apostolicæ Sedis Legato A. 1267 acceperunt.

A Quod supereſt, cum jam hæc scripsissem, reperi præter spem in Augustissima Bibliotheca Cæsarea *secundum* exemplar manuscriptum jam-memorati *Concilii Provincialis Vindobonensis;* & quidem in Codice membranaceo MSto in fol., inter MStos Codices Historicos Latinos *quadringentesimo quinto;* quo, ut non multo post accuratius indicabitur, præter alia varia antiqua *Chronica*, etiam continetur *Hermanni Contracti*, ex Veringensi Comite Monachi Augiæ Majoris, qui A. 1054 obiit, Chronicon cum continuatione usque ad A. 1347. Ibi itaque fit mentio jam memorati *Concilii* his verbis: *A. MCCLXVII missus est a latere Domini Clementis Papæ IV, Pontificatus ejusdem anno tertio, ad partes Daciæ & Alamanniæ Reverendus Pater Dominus Gwido, Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, ut ibidem Legationis officio fungeretur ad perpetuam rei memoriam. Qui ad Civitatem Wiennensem omnes Episcopos de Provincia Salzburgensi & Prælatos convocavit, ibique feria tertia post Festum S. Joannis ante Portam Latinam solenne Concilium celebravit, renovans Constitutiones diu abolitas.* Sequuntur deinde ipsi Canones ejusdem Concilii: *Postquam DEUS formavit hominem* &c. Variantes secundi hujus MSti lectiones, quæ conferenti mihi se obtulerunt, &, omissis manifeste vitiosis, notatu dignæ visæ sunt, apposui supra in margine editionis *primi* codicis.

Inveni insuper de eodem *Concilio Vindobonensi* aliud insigne testimonium in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ

(1) *In ipso Codice MS. pro* attamen *mendose legitur* nec tamen.

ſareæ antiquo Codice membranaceo MSto, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *quadringenteſimo nono*, quo præter *Honorii Auguſtodunenſis* de Mundo & Temporum ac Rerum uſque ad *Imp. Conradum III* ſive A. 1137 ſucceſſione *libros tres*, idem illud, cujus paulo ante facta eſt mentio, *Hermanni Contracti* continetur Chronicon, a variis uſque ad A. 1310 continuatum Autoribus. Horum nempe *unus*, qui celeberrimum *Cometam* anni 1264 propriis oculis ſe vidiſſe, nec ipſum tantum, ſed & ſubſecutas rerum viciſſitudines diligenter obſervaſſe teſtatur, *Concilii* iſtius *Vindobonenſis*, quod *tertio* poſt anno a Cardinale *Guidone* celebratum eſt, mentionem facit his verbis: *A. MCCLXVII Dominus Gwido Apoſtolicæ Sedis Legatus, Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Abbas Ciſtercienſis, magna fultus auctoritate venit WIENNAM; omnes Epiſcopos, Prælatos, Abbates, Præpoſitos, Decanos, in Salzburgenſi Epiſcopio conſtitutos, convocat; poſt Joannis ante Portam Latinam feria tertia in Parochiali Eccleſia WIENNÆ tribus diebus Concilium celebrat; cum jam dictis Prælatis de profectibus Sanctæ Eccleſiæ & utilitatibus, ſicuti Vir Apoſtolicus, pertractat; honorifice ſuæ Legationis Officium adimplendo, Sanctæ Eccleſiæ ſtuduit prodeſſe potius, quam præeſſe, juxta illud Sapientis:*

Quam mundi fugitivus honor, quam nomen inane!
Prælatus qui præeſſe cupit, prodeſſe recuſat.

Convenerant enim non pauca lucentia Sanctæ Matris Eccleſiæ Luminaria, inter quæ & Venerabilis Pragenſis Epiſcopus cum Prælatis quibuſdam ſui Epiſcopatus aderat; ita ut in numero decimus ſextus cum Infulis Pontificalibus in eodem Concilio reſideret. Hæc de Concilio illo Vindobonenſi anonymus iſte Autor coætaneus.

III.

Rationarium Auſtriæ & Styriæ ab HELWICO Thuringo, OTTOCARI, Regis Bohemiæ, Ducis Auſtriæ & Styriæ, & Marchionis Moraviæ Notario; partim ſub ipſo Rege OTTOCARO anno CIↃCCLXV, & LXVII, partim autem poſt annum CIↃCCLXXIII. ſub Imp. RUDOLPHO I. compoſitum. (a)

MONITUM.

Et in hoc Rationario *urbs noſtra per τὸ W non V ſcribitur; idcirco toto Libri ſecundi capite IV. eum recenſuit noſter: Is codex nuper in claſſe Hiſt. Prof.* IↃCLXXVIII *erat, nunc in ſanctiore Aug. Domus Tabulario cuſtoditur: Vide, ſi otium eſt, quæ adnoto* in Supplementis ad Lib. I. & ſecundum, *in*

(a) *Erat in priori editione Libri Commentar. ſecundi Caput IV hac ſub epigraphe:* De Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo Codice membranaceo MSto in 4to, inter Codices MStos Hiſtoricos Latinos CXCVII. quo inter alia continetur (α) Rationarium Auſtriæ & Styriæ ab HELWICO Thuringo, OTTOCARI Regis Bohemiæ Ducis Auſtriæ & Styriæ & Marchionis Moraviæ Notario, partim ſub ipſo Rege OTTOCARO anno CIↃCCLXV & VII partim autem poſt annum CIↃCCLXXIII. ſub Imp. RUDOLPHO I. compoſitum, cujus in ſuperiori Diſſertatione de antiquo nomine urbis Wiennæ facta eſt mentio. KOL.

(α) *Vide Libri ſecundi Caput primum, Segmento I.*

in crisi syntagmatis Rer. Germanicarum, a LAMBECIO *promissi, n. 14. utriusque hujus* Rationarii *auctorem* HELWICUM *Lambecius asserit:* sed quemadmodum *ut recte observat* Cl. GENTILOTTUS, de illo nullus dubitandi locus est, ita de hoc affirmandi nullum nobis, hunc codicem diligenter tractantibus, occurrit argumentum. Utriusque publicationem tam ipse, quam Cl. NESSELIUS receperunt, & sane dignus est, qui ad non modicam illustrationem tam chorographiæ utriusque principatus, quam familiarum, consuetudinum, monetæ, judiciorum, aliarumque antiquitatum istarum regionum in dias luminis oras aliquando emittatur. *De hoc vero ita præfatur noster:*

Inter eximia incomparabilis prudentiæ & industriæ exempla quæ *Imp. Augustus* in administrando Imperio Romano edidit, præcipuum semper mihi visum est, quod *Tacitus* refert, libellum ab eo fuisse compositum & *propria manu* scriptum, quo opes publicæ continerentur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones. Ipsa *Taciti* verba Annal. lib. 1 cap. 11, ubi de morte ejus & successione *Tiberii* agit, ea de re hæc sunt: *Cæterum sepultura more perfecta, templum & cælestes religiones decernuntur. Versæ inde ad Tiberium preces; & ille varie differebat, de magnitudine Imperii, sua modestia: solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ, regendi cuncta onus: proinde in civitate tot illustribus Viris subnixa, non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia Reipublicæ sociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat. Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, seu adsuetudine, suspensa semper & obscura verba; tunc vero, nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At Patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lachrymas, vota effundi; ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere: cum proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur: quantum civium sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus, addideratque consilium coërcendi intra terminos Imperii; incertum metu, an per invidiam.* Hæc *Tacitus.* Ejusdem libelli, ab *Imp. Augusto* compositi, & propria ejusdem manu scripti, meminit etiam *Suetonius* in Vita ipsius cap. 28, ubi eum nomine convenientissimo vocat *Rationarium Imperii*, quod videlicet Rationes publicæ eo continerentur. Verba ejus hæc sunt: *De reddenda Republica bis cogitavit: primo post oppressum statim Antonium, memor objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur; ac rursus tædio diuturnæ valetudinis, cum etiam Magistratibus ac Senatu domum accitis, Rationarium Imperii tradidit.* Hæc *Suetonius* capite *vigesimo octavo.* At capite *centesimo primo* sive ultimo eundem *Imp. Augusti* libellum is appellat *Breviarium totius Imperii. De tribus*, inquit, *voluminibus, uno, mandata de funere suo complexus est: altero,*

ro, Indicem rerum a ſe geſtarum; quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mauſoleum ſtatuerentur: tertio, Breviarium totius Imperii; quantum militum ſub ſignis ubique eſſent, quantum pecuniæ in ærario & Fiſcis, & vectigaliorum reſiduis. Adjecit & libertorum ſervorumque nomina, a quibus ratio exigi poſſet. Hucuſque Suetonius. Hæc igitur *Taciti* & *Suetonii* jam citata loca quotieſcunque conſidero, dubium mihi videtur, prudentiane *Imp. Auguſti*, qua componendi iſtius *Rationarii* cœpit conſilium, an induſtria, qua illud propria manu deſcripſit, an ſolicitudo, qua a miniſtris ſuis, qui publicam tractaſſent pecuniam, rationes exigi mandavit, majorem admirationem & laudem mereatur. Hac enim ratione effecit prudentiſſimus Imperator, ut ipſe quidem Imperii ſui vires & veram potentiam ſuam penitus ſeu, ut *Perſius* loqui amat, *intus & incute noſſet*, nec plus erogaret ac profunderet, quam ferendo eſſet Reſpublica; miniſtri autem, quorum fidei exactio & erogatio pecuniæ publicæ concredita eſſet, a peculatu aliiſque malis artibus abſterrerentur, cum ſe ſcirent rationibus reddendis eſſe obnoxios.

SCHOLION.

II. *Plura de* Imp. Auguſti Rationario *ſive* Breviario Imperii *vide apud* Julium Cæſarem Bulengerum *libri ſecundi de Imperatore & Imperio Romano capite duodecimo; ut & apud* Arnoldum Clapmarium *de Arcanis Rerumpublicarum lib. 5. cap. 14,* & Jacobum Gutherium *lib. 1. de Officiis Domus Auguſtæ Publicæ & Privatæ cap. 2. conſulendus inſuper eſt graviſſimus ſimul atque ingenioſiſſimus Autor* (1) *libelli, brevitate quidem ſua exigui, ſed amplitudine materiæ paucis verbis comprehenſæ maximi, qui* Princeps in Compendio *inſcribitur,* & Vindobonæ *ſive* Wiennæ Auſtriæ *typis* Gregorii Gelbhaar *A. 1632 in 16to impreſſus eſt, capite quinto vere aureo cujus lemma,* de Oeconomia & liberalitate Principis: *ubi* Imp. Auguſti Rationario Imperii, *inter exempla Oeconomiæ boni Principis, principem locum tribuit. Cæterum quandoquidem minime dubito, quin doctis Viris, qui eum libellum non viderunt, qualiscunque ejus guſtatio gratiſſima futura ſit, ſpeciminis loco jam citatum caput quintum hic ſubjungo, ut tanquam ex ungue de leone fiat judicium.*

De Oeconomia et Liberalitate Principis.

Sit quoque Princeps bonus oeconomus, & diligentem curam circa redituum ſumptuumque ſuorum diſpenſationem habeat: & licet omnes Principes ſuas, ut vocant, cameras habere ſoleant, & in illis multos viros expertos in œconomicis negotiis; Præſidem quoque, qui conſilio illi præſit; quæ omnia ad hoc tantum valent, ut res œconomicæ bene dirigantur, & reditus modo bono adminiſtrentur: hæc tamen omnia non ſufficere autumo, ſed ipſe Princeps invigilet.

Tacitus lib. 1. Annal de Auguſto.

Libello, quem ſua manu ſcripſerat, opes publicæ continebantur, quantum civium ſociorumque in armis: quot Claſſes, Regna, Provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitates, & largitiones.

Ipſe

(1) *Libelli hujus exemplar, quo, cum hæc ſcriberem, uſus ſum, donavit* S. Cæſ. Majeſtas *mihi propria manu die 18. Auguſti A. 1664.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ipſe ſit Præſes Præſidis Cameræ, Ipſe rationes inſpiciat & inſtituat, quantum tempus & negotia patientur.

Plinius in Panegyr. Trajano dicto:

Aſſueſcat Imperator cum Imperio calculum ponere; ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus; edicat, quid abſumpſerit.

Maxime autem ad hoc attendat, ut, qui ad curanda Principis bona, ad exigendos reditus, telonia, &c. conſtituti ſunt, non proprium, ſed Principis commodum quærant; atque ideo in electione talium perſonarum diligenti examine primo utatur, & deinde, quo pacto in commiſſo officio verſentur, ſæpius a non intereſſatis inquirat. Cum enim hoc fiet, & Conſiliarios attentiores diligentioresque, & miniſtros fideliores, & bono Principis magis invigilantes reddet, occaſioneſque decipiendi ſubtrahet & meliorem œconomiam inſtituet. Sed ad hoc maxime etiam attendat, ut ſemper bonam pecuniæ ſummam in paratis, & in theſauro ſuo reconditam habeat; ſic enim ſuis reddet ſe amabilem, & hoſtibus formidabilem. Non tamen tam ſtrictus & diligens œconomus ſit, ut liberalitatem ſepoſuiſſe & proſcripſiſſe quaſi videatur: hæc enim virtus Principem quemvis maxime decet.

Jovian. Pontan. de Principe:

Qui imperare cupiunt, duo ſibi imprimis proponere debent; unum, ut ſint liberales; alterum, ut clementes. Princeps enim, qui liberalitatem exercuerit, ex hoſtibus amicos, ex alienis ſuos, ex infidis fidos faciet: peregrinos etiam, & in extremis terris agentes, ad ſeſe amandum alliciet. Utraque autem Princeps Deo maxime ſimilis efficitur, cujus proprium eſt benefacere omnibus, parcere delinquentibus.

Cum moderatione tamen illa utendum erit, ne profuſio dicatur. Non det aliis tantum, ut ſibi ipſi auferat: atque ante omnia prius debita exſolvat, quam munera, ſuo ſtatui non neceſſaria, largiatur.

Theodoricus Gothor. Rex apud Caſſiodor.

Munificentiam noſtram nulli volumus extare damnoſam, ne, quod alteri tribuitur, alterius diſpendiis applicetur.

S. Auguſtinus etiam prohibet, ne quid ipſi Eccleſiæ detur ante ſolutionem debitorum: nam plerumque pauperes opifices, viduæ, orphani, quibus debetur, & qui ſæpe nihil aliud habent, unde panem manducent, cum, quod ſibi debetur, aliis donari vident, in Cœlum voces ſuas extollunt, & ultionem divinam implorant. Unde graviſſimæ ſæpius pœnæ divinitus immittuntur.

S. Jacobus in Epiſt. cap. 5. verſ. 4.

Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.

Hucuſque Caput quintum *aurei iſtius libelli, qui* PRINCEPS IN COMPENDIO *inſcribitur, & propter incredibilem præſtantiam ſuam (quia in hoc ſcribendi genere nullum, mea ſententia, brevius ſimul & perfectius opuſculum in lucem unquam prodiit) digniſſimus eſt, ut ab omnibus Principibus Chriſtianis a verbo ad verbum mandetur memoriæ, & tanquam certiſſima*

bene regendi regula in omnibus negotiis consulatur. (a)

III. Recte igitur alii quoque Principes, quibus sua subditorumque suorum salus præ cæteris curæ & cordi fuit, laudabile illud *Imp. Augusti* exemplum studiosissime imitati, præcipuum boni regiminis & publicæ ac privatæ felicitatis fundamentum crediderunt, si, compositis ditionum suarum accuratis notitiis ac Rationariis, ipsi quam maxime exploratum haberent, quo usque vera amplitudo sua & potentia se extenderet. Exemplum ejus rei haud aspernandum præbet nobis *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* antiquus codex membranaceus MStus in 4to, inter Codices Historicos Latinos MStos *centesimus nonagesimus septimus*, quo continetur *Rationarium Austriæ & Styriæ* ab *Helwico Thuringo Ottocari* Regis Bohemiæ, Ducis Austriæ & Styriæ ac Marchionis Moraviæ *Notario*, partim sub ipso Rege *Ottocaro* anno *millesimo ducentesimo sexagesimo quinto* & *sexagesimo septimo*, partim autem post annum *millesimum ducentesimum septuagesimum tertium* sub *Imp. Rudolpho I* compositum, cujus in superiori Dissertatione de antiquo nomine urbis *Viennæ* facta est mentio. Quandoquidem igitur *Chorographia Austriæ* & *Styriæ*, & earundem antiqua gubernatio, beneficio veteris istius *Rationarii* plurimum illustrari potest, integrum illud inseram *Syntagmati-Antiquitatum Austriacarum*, quod ex Augustissima Bibliotheca Cæsarea posthac, volente DEO, editurus sum. Interim nunc hæc pauca loco speciminis in antecessum præmitto.

IV. Principium *Rationarii Styriæ* hoc est:

In nomine Domini Amen.

Anno Domini M. CC. LXV regnante Domino Ottachero, inclyto Boemorum Rege, Duce Austriæ & Styriæ ac Moraviæ Marchione feliciter & potenter, ex mandato venerabilis Patris & Domini Brunonis Olomucensis Episcopi, ejusdem Domini Regis per Styriam vicem tunc gerentis, ego Helwicus Notarius de terra Thuringiæ nationis trahens originem, rimatis diligenter & examinatis omnibus prædictæ terræ Styriæ officiis principatui attinentibus, omnes proventus eorum in hoc volumine studui compilare: primo ponendo nummales; postea nomina villarum & numerum prædiorum; qualitatem & quantitatem redditum eorundem plenius exprimendo. Postmodum vero anno Domini M. CC. LXVII, mense Januario, existente Domino Rege apud Grætz, locata sunt Officia Styriæ, denarios solventia, per prædictum Dominum Brunonem Olomucensem Episcopum & Domini Regis Consiliarios in hunc modum, & posita in puncta, quo vix altius trahi possunt.

Primo Moneta, & (1) *Muta, & Judicium intra muros oppidi Grætzensis,*

(a) *In Appendice Libri Comment. Secundi Addit. III. adnotarat noster ad hunc locum, quæ adscripsi:* Libellus hic vere aureus compositus est a Glorioſissimo Imp. FERDINANDO III, symbolam conferente Serenissimo ipsius Fratre LEOPOLDO WILHELMO, & quoniam exemplaria primæ editionis erant rarissima, clementissime, prudentissimeque placuit Sacratissimo Imperatori LEOPOLDO I, ut eximium hoc absolutissimumque Sapientiæ Hegemonicæ (α) Enchiridion secundum imprimeretur. Prodiit secunda hæc editio in lucem anno 1668. Vindobonæ sive Viennæ Austriæ typis Matthæi Cosmerovi in 16to. KOL.

(α) *Hoc est* Imperatoriæ *sive* bene imperandi.

(1) Mutæ *vocabulum latino-barbarum pro* telonio *sive* mensa publicanorum, *ubi* vectigal *exigi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſis, & judicium provinciale ultra Muram, Muta in Vinſtritz, Muta in Willebrechtesdorf & Judicium in Ærtzperch cum omni jure Montis ejusdem pro duobus millibus (1) Marcarum & ſexcentis Marcis denariorum.

Item Judicium in Vbelpach pro XXXII marcis denariorum.

Item Judicium in Hartperch pro L talentis denariorum Wiennenſium.

Item Officium in Furſtenvelde cum judicio & Muta ejuſdem loci & judicio in Vellenpach & duobus judiciis provincialibus ſupra Rabam & circa Furſtenvelde pro CXXX Marcis denariorum.

Item judicium juxta Rabam, quod vocare cœpit ab illo de Orte pro XXXII Marcis denariorum.

Item Officium in Ratgerspurch cum judiciis fori & provinciæ pro CXXX Marcis denariorum.

Item judicium & Muta in Bettowe ſolventia CLXX Marcas cum prædiis, decimis & areis eidem loco attinentibus deputata ſunt fratribus domus Theutonicæ pro cuſtodia Caſtri ejuſdem in plena æſtimatione CC Marcarum denariorum.

Item Officium prædiorum circa Marpurch cum judicio provinciali pro C Marcis denariorum.

Item judicium ejuſdem Oppidi & Muta pro CCC Marcis denariorum.

Item Officium in Tyver pro LXXX Marcis denariorum.

Item judicium in Sachſenvelde pro XL Marcis denariorum.

Hæc autem cum univerſis proventibus Tyver attinentibus, victualibus & aliis, quocunque nomine cenſeantur, ſunt Domino Theodorico, dicto Stange, deputata pro cuſtodia quatuor Caſtrorum, videlicet Sibenekke, Freudenekke, Rukenſtaine & Sachſenwarte ad unius anni ſpatium in æſtimatione CC Marcarum.

Item Muta ſub Moutenberch CXX Marcarum & Officium & judicium provinciale circa Ybanſwalde deputata ſunt Dapifero de Fulmenſtein pro cuſtodia ejuſdem Caſtri Moutenberch ad æſtimationem CL Marcarum denariorum.

Item judicium provinciale in Wildonia & judicium fori cum cæteris proventibus deputata ſunt pro cuſtodia majoris Caſtri Wildonenſis ad æſtimationem L Marcarum.

Item Officium in Witsperch, & Muta, & Judicium provinciale pro CC Marcis denariorum.

Item judicium in Judenburch, & Muta ibidem, & Judicium provinciale, & judicium in Chnutelvelde cum ſuis attinentiis, & Muta, quæ vacare cœpit a Domino Dietmaro de Offenberch, pro CCCL Marcis denariorum.

Item Officium, & Judicium, & Muta in Grazlup cum Advocatiis & aliis ſuis pertinentiis pro CLX Marcis denariorum.

Item judicium & Officium in valle Anaſi pro C Marcis denariorum.

Item Salina in Auſſe pro mille & CC Marcis denariorum.

Item

tur: vulgo eine Maut. *Hinc* ein Mautner *pro* Publicano *ſive* exactore vectigalis, & vermauten *pro* vectigal pendere.

(1) *De differentia inter* Marcam Denariorum *vulgo* eine Marck Pfenninge, & Marcam argenti, *vulgo* eine Marck Silbers, *vide libr.* ſecundum *Hiſtoriæ meæ* Hamburgenſis *pag. 3, 28, 34, 93 & 301 in margine. Conſule etiam* Wehneri *Practicas Obſervationes &* Voſſii *Gloſſarium in explicatione vocis* Marca.

Item judicium fori & Muta in Rotenmanne pro mille Marcis denariorum.

Item judicium & Muta in Leuben, Muta in Prukke, & Officium in Chimneberg, & in Chrueglach & in Murzuslage pro quadringentis L Marcis denariorum.

Item in Pirchvelde habentur annuatim de Steura XL talenta novorum Wiennenſium in feſto beati Jacobi.

Summa vero præſcriptorum totalis VII millia Marcarum & CCC & XXXIV Marcarum, præter Officia prædiorum.

Ex his autem tollit Domina Ducisſa CCCC Marcas denariorum.

Item Capitaneus Styriæ tollit pro ſuo ſalario & cuſtodia Caſtrorum in Grætz, præter turrim in medio poſitam, quingentas Marcas denariorum.

Item Runenſes quinquaginta Marcas denariorum.

Item Cartuſienſes pro ferro X Marcas denariorum.

Item Dominus Wigandus de Mæſſenberch XL Marcas denariorum.

Item in penſione currente de Judenburch infeodatæ ſunt Militibus LX Marcæ denariorum, quas tollunt annuatim.

Inſuper hæc cedunt pro cuſtodiis Caſtrorum; videlicet in Bettowe CC Marcas: in Tyver CC Marcas: in Moutenberch CL Marcas: in Wildona L Marcas: in valle Anaſi ad caſtrum Vlinſperch L Marcas: item ad Novum caſtrum ibidem X Marcas: item ad caſtrum in Rotenmanne VIII Marcas: item ad turrim in Pyrn X Marcas: item ad caſtrum in Grazlup XX Marcas: item vigilibus ibidem & janitoribus X Marcas: item ad caſtrum in Judenburch XVI Marcas denariorum: item ad caſtrum Offenberch XX Marcas: item ad caſtrum Primarſpurch XV Marcas: ad caſtrum inferius Witſperch X Marcas: ad caſtrum ſuperius ibidem XL Marcas: ad Waltſtein VI Marcas: ad Geſtnich XVI Marcas: ad Rutgerſpurch VI Marcas & tres modios frumenti: Ultra Trabam duabus communitionibus, quæ dicuntur Meidenberch, providetur in victualibus: Item ad Turrim in medio Grætz VIII Marcas: item ad caſtrum in Canalibus LII Marcas argenti.

Summa horum mille DCCCC Marcæ & LXIX Marcæ denariorum.

Et ſic remanebunt, his defalcatis, Domino Regi ad uſus ſuos V Millia Marcarum & CCCC Marcæ & LXIII Marcæ præter victualia, quæ in ſubſcriptis per rationes prædiorum oſtenduntur.

Hucuſque principium Rationarii Styriæ.

Rationarii autem Auſtriæ principium hoc eſt:

V. *Hic notantur reditus Ducis Auſtriæ quomodo, qualiter & undecunque habeant provenire. Et notandum quod primo ponenda ſunt officia magna, videlicet Moneta, Mutæ & Judicia civitatum per terram Auſtriæ.*

Moneta per Auſtriam debet ſingulis annis circa feſtum Beati Joannis Baptiſtæ in Wienna, in Nova-civitate & in Anaſo renovari, Curſus Monetæ major eſt circa quatuordecim millia talentorum, & hoc, quando terra eſt in ſtatu pacifico & quieto una cum aliis terris adjacentibus.

Item Muta magna in Lintza, quando eſt in bono curſu, poteſt ſolvere quinque millia talentorum.

Item

Ita Muta in Gmundem, quando habet bonum curſum, poteſt ſolvere mille quadraginta talenta.

Item Muta in Wælſa cum judicio poteſt ſolvere quadraginta talenta.

Item Muta in Mouthouſen in bono curſu poteſt ſolvere quingenta talenta.

Ita Muta in Medlico & in Emarsdorf poteſt ſolvere ducenta talenta.

Item Muta parva in Stain poteſt ſolvere mille quingenta talenta, aliquando plus aliquando minus.

Hinc notantur Judicia.

Judicium in Wienna locatur pro mille talentis.

Item Judicium Novæ Civitatis locatur pro mille talentis.

Judicium in Prukka poteſt locari pro trecentis talentis.

Judicium in Hamburga aliquando locatum eſt pro quingentis talentis.

Judicium in Marchekke poteſt locari pro centum quinquaginta talentis.

Judicium in Niunburga aliquando locatum eſt pro mille talentis.

Judicium de Laa poteſt locari pro quadringentis talentis.

Judicium in Egenburch poteſt locari pro centum L. talentis.

Judicium in Chrems & in Stain locatum eſt pro mille talentis.

Judicium in Trebenſe eſt in poteſtate Patavienſis Epiſcopi; ſed aliquando locatum eſt pro centum talentis.

Judicium in Ibſa locatur pro quadringentis talentis.

Judicium Anaſo poteſt ſolvere ducenta talenta & plus.

Judicium in Lintza locatur pro ſexcentis talentis.

Judicium in Vreynſtat poteſt locari pro centum L. talentis in bono ſtatu.

Judicium in Mouthouſen poteſt locari pro triginta talentis.

Judicium in Perge poteſt locari pro quadraginta talentis.

Judicia in Hitting & in Achlant poſſunt locari pro viginti talentis.

Judicium in Strenberch poteſt locari pro viginti quinque talentis. Hucusque principium *Rationarii Auſtriæ*; quod ut ſupra jam promiſi, una cum altero illo æque antiquo *Rationario Styriæ*, Syntagmati *Antiquitatum Auſtriacarum*, ex variis *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* Codicibus manuſcriptis poſthac edendo, integrum inferam.

IV.

Statuta & Privilegia Inclytæ Academiæ Vindobonenſis. (a)

MONITUM.

His etiam a Lambecio *ἀκάιρως editis eadem illa ratio, quam repetere piget. Legebantur Libro Commentariorum ſecundo cap. V. pag. 79, edita ex duobus manu exaratis codicibus Cæſ. olim inter codices mss. Hiſtoricos Latinos* CCCCLVIII & LIX, *nunc ex collatione* Cl. Gentilotti *in claſſe Juris Civilis* CXCIII & CCLXXII. *Privilegia hæc & ſtatuta duplicis ſunt generis: illa, Pon-*

(a) *Quæ heic ſub n. IV. V. VI. VII. habentur pleraque Libri Commentar. Secundi Capite quinto legebantur ſic inſcripta:* Caput V. de Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ (α) duobus antiquis Codicibus MStis, inter Codices MStos Hiſtoricos Latinos 458vo & 459no, quibus ſtatuta & Privilegia Inclytæ Academiæ Vindobonenſis continentur.

(α) Vide Libri ſecundi Caput primum, ſegmento I.

Pontificia, & Cæſarea; hæc Generalia & Particularia. Privilegia utraque cum Statutis Generalibus ex hoc Lambecii *exemplo typis ſecundum excuſa ſunt Viennæ* Johannis Thomæ Trattner *anno* CIↃIↃCCLIII, *hac ſub epigraphe:* Chronologia diplomatica celeberrimæ & antiquiſſimæ Univerſitatis Vindobonenſis, quam Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis &c. in xenium obtulit Josephus Joannes Schlikenrieder, Pedellus Juratus. *Sunt autem ea privilegia noſtris copioſiora, ornata præterea ſigillis, æri eleganter inciſis; eaque omnia,* Friderici II. Alberti I. & Generalia, *uti dixi Univerſitatis* ſtatuta *ſi demas,* ſumma, *ut editor ait,* accuratione ex archetypis ipſis ita excerpta, ut etiam ſcribendi ſimul ac loquendi modus obſervetur: *Statuta particularia ejuſdem* Trattneri *typis excuſa ſunt* CIↃIↃCCLV, *& iiſdem* R.R. & Ill. *in xenium oblata a* Jacobo Zeisl, Pedello Jurato; *cum adnotationibus* Lambecii & Antonii Steyreri *S. J. ſive potius centonibus, rudi prorſus & verſandis libris parum adſueta manu conſarcinatis. Denique* Particularia *illa* Statuta *tertium recuſa ſunt Viennæ* CIↃIↃCCLIX, *ſed privatos in uſus, nec pluribus quam viginti exemplis. Vide quæ adnoto* in Supplementis meis ad Librum Comment. primum & ſecundum, *in criſi* Sciagraphiæ Magni Corporis Hiſtorici, a Nesselio promiſſi, *n. 59. Sed jam* Lambecium *audi:*

Inclyta *Academia Vindobonenſis* ſive *Wiennenſis*, cujus antiqua *Statuta & Privilegia MSta* Capite primo hujus libri a me citata ſunt, perperam vulgo creditur primam fundationis ſuæ originem debere *Imp. Friderico II*, qui, cum A. MCCXXXVII Ducem Auſtriæ *Fridericum II*, vulgari quidem cognomine *Bellicoſum*, ſed revera *Rixoſum* & *Contumacem*, jure ac merito proſcripſiſſet, primariam Auſtriæ Vrbem *Vindobonam* in *Suam* & (1) *Imperii recepit ditionem*, variiſque prærogativis & immunitatibus insignivit ac condecoravit; uti ex ſubjuncto Diplomatis ipſius exemplo videre eſt.

FRIDERICUS, Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Romanum Imperium ad tuitionem fidei & diverſarum gentium moderamina, per eum, qui cæleſtia ſimul & terreſtria moderatur, Filium Summi Regis, qui condidit Regna, & firmat Imperia ſummæ diſpenſationis munere conſtitutum, ex diſpenſatione divina robur & regimen ſuæ dignitatis accipit, ut ſubjectos ſibi populos in opulentia pacis & favore juſtitiæ foveat, fidem provehat, perfidiam perſequatur, humiles protegat, ſublimes humiliet, oppreſſiones relevet ſubditorum, ab improbis & ingratis Dominis, quos exceſſuum commiſſorum enormitas indignos imperio repræſentat, materiam bonorum ſubtrahat. Et noverit propterea præſens ætas, & futura poſteritas, quod Nos attendentes quam feliciter & devote Cives Wiennenses *fideles noſtri univerſi & ſinguli, magni & parvi, noſtrum & Imperii Dominium ſunt amplexi, jugum oppreſſionis & injuſtitiæ*

(1) *Hac civitatis* Imperialis *dignitate vix integros* tres *annos* Vindobona *tunc gaviſa eſt. Anno enim 1240 graviſſima obſidione eam cinxit proſcriptus Auſtriæ Dux* Fridericus, *coegitque ad deditionem, ac cum reliqua tota* Auſtria *victorioſe recuperavit, uſus ad hoc præcipue auxilio Regis Bohemiæ* Wenceslai, *cui* Auſtriam Trans-Danubianam *præmii loco promiſerat.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tiæ declinando. Considerantes insuper qualiter iidem Cives WIENNENSES *devotione promptissima & fide sincera se Nobis & Imperio indissolubiliter alligarunt: & quod nostra interest, commissum Nobis populum, utpote qui pro ejus salute, ac de commissa Nobis Reipublicæ cura & universitatis regimine generali tenemur Summo Regi reddere rationem, potentis dextræ subsidio relevare, dictam Civitatem & Cives in Nostram & Imperii perpetuo recipimus ditionem, ut amodo in nostris Regum & Imperatorum Successorum nostrorum manibus teneantur. Et quod nunquam per concessionem alicujus beneficii de nostra & Imperii transeant potestate, quin potius speciali nostro & Imperii munimine in munificentiæ nostræ privilegiis, libertatum & bonarum approbatione consuetudinum, quasi perfidiæ eorum pignore, veluti in nostrorum propugnaculis muniantur. Statuimus igitur, & præsentis Privilegii autoritate sancimus, ut annuo in eadem Civitate Judex singulis annis per Nos & Reges & Imperatores Successores nostros, communicato ad hoc, si necesse fuerit, civium consilio, statui debeat, qui pro honore & fidelitate nostra sufficiens & idoneus videatur, ad idem officium exercendum: præsenti prohibentes edicto, quatenus Judex nullus a Nobis, vel a rege, si ab aliquo Successorum nostrorum pro tempore constitutus, nostra vel alicujus Successoris nostri, vel sua præsumat authoritate, (1) taliamque seu precariam in prædictos Cives facere, nec eos impetere sive cogere ad aliquid, seu Nobis, seu nostris Successoribus exhibendum, nisi quod & quantum dare voluerint de spontanea voluntate. Præterea ex abundantia gratiæ indulgemus, ut nemini liceat prænotatos Cives ad aliquod servitium pro ultra progredi probibere, quin eo die, quo clara luce de domibus suis exierint, cum splendore solis regredi permittantur. (2) Adhæc Catholici Principis partes fideliter exsequentes, ab Officiorum Præfectura Judæos excipimus, nec sub prætextu Præfecturæ opprimant Christianos, cum Imperialis auctoritas a priscis temporibus, ad perpetuam Judaici sceleris ultionem, eisdem Judæis induxerit perpetuam servitutem. Declaramus insuper & observare censemus, ut, si quando contra quemque civium civilis vel criminalis actio intentetur, secundum viam & approbatas consuetudines Civitatis ejusdem a civibus judicetur: læsæ Majestatis crimine, vel prodendæ civitatis excessu, cum extat, exceptis. In quorum animadversione, velut detestabilium criminum, licite cives & exteros mandamus admitti. De duello vero si quis civis impetitur, si septima manu honestarum personarum expurgare se poterit, eum ab impetitione duelli decernimus absolutum. Volentes & commodo studio provideri, per quod prudentia docetur in populis, & rudis ætas instruitur parvorum, potestatem damus plenariam Magistro, qui*

WIEN-

(1) Talia *seu potius* Tallia *latino-barbare vocatur genus aliquod exactionis populo impositum: uti Italice* taglia *& Gallice* taille. *Hinc* talliare *pro exactione gravare seu mulctare.* Talia *autem sive* Tallia *corrupte dicitur pro* Talea: *quæ vox apud Catonem, Varronem & Plinium proprie quidem significat* furculum a planta aliqua recisum; *metaphorice autem sumitur pro* tributo, *quod a bonis subditorum quasi* reciditur. *A* Talea *porro fit* taleare, *pro quo Itali & Galli depravate dicunt* tagliare *&* tailler, *hoc est,* incidere *vel* recidere.

(2) *Locus insignis contra* Judæos.

WIENNÆ per Nos & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios (1) *doctores in Facultatibus ſubſtituat, de conſilio virorum prudentium Civitatis ejuſdem, qui habeantur ſufficientes & idonei circa ſuorum ſtudium auditorum. Cæterum, ut ſub Auguſtalis felicitate Dominii continuum eadem recipiat noſtra civitas incrementum, ſtatuimus, ut omnes incolæ & advenæ ibidem inhabitare volentes, in Noſtra & Imperii* (2) *donatione, ſub tuta & libera ab omni ſervili conditione, liberi vitam agant; qui videlicet annum & diem ſine alicujus impetitione ſe pro civibus temuerint, ſecundum jura & approbatas conſuetudines civitatis. Deſtinata quoque Clementia Sedis noſtræ, quæ pacem & Juſtitiam comitatur in Principe decernimus & mandamus, ut quandocunque aliquis WIENNENSIUM civium naufragium incurrerit, res ſuas, quas ab impetu torrentis manus hominis aſportavit, libere poſſit repetere & habere a quolibet detentore, cum indignum penitus cenſeamus miſericorditer reliquias naufragii detineri per hominem, quibus rapacis fluminis ſæviens unda pepercit. Statuimus itaque, & præſentis auctoritate Privilegii prohibemus, quatenus nullus Dux, Marchio, Comes, Advocatus, Scultetus, vel aliqua perſona Eccleſiaſtica, vel mundana, humilis vel ſublimis, contra præſcriptæ gratiæ & conceſſionis noſtræ tenorem venire præſumat. Quod qui præſumpſerit, in vindictam temeritatis ſuæ centum libras auri ſe compoſiturum agnoſcat; medietatem videlicet Cameræ noſtræ, & reliquum paſſis injuriam perſolvendum. Ad quorum omnium prædictorum memoriam, & robur perpetuo valiturum, præſens Privilegium fieri fecimus, & Bulla aurea tympano Majeſtatis noſtræ impreſſa juſſimus inſigniri. Teſtes hujus rei ſunt, Venerabilis Sifridus Moguntinus, & alii multi nobiles fide digni. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M.CCXXXVII, menſe Aprili, decima indictione, imperante Domino noſtro Friderico ſecundo, DEI gratia, glorioſiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto.*

Hucuſque *Imp. Friderici II* Diploma, uti illud *Wolfgangus Lazius* libri *ſecundi* Rerum Wiennenſium capiti *quinto* inſeruit. Manuſcriptum enim ejus exemplar, quod in *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* MStis Codicibus Hiſtoricis Latinis N. 410, 411, 412, 414, 418, 419, 424, 427 & 429 inter *Lazianas* ſchedas, ad Hiſtoriam *Auſtriacam* pertinentes, ſumma quæſivi diligentia, nondum reperi. Quamvis igitur ex hoc diplomate certo conſtet, Vrbem *Vindobonam* jam memorato A. 1237 *aperiendæ Scholæ licentiam* ab Imperatoria Majeſtate impetraſſe, verba tamen ipſa, quibus ea licentia comprehenditur, adeo obſcura & ambigua ſunt, ut non ſolum *Wolfgango Lazio*, ſed & *Georgio Edero*, qui, cum Anno 1559 Academiæ

(1) *Locus obſcurus, ambiguus, & ſine dubio mendoſus, cujus* emendationem & veram explicationem *vide proxime ſequenti hujus Capitis Segmento. Legendum nempe eſt ſimpliciter:* ut alios doctores ſubſtituat; *deleto falſo illo gloſſemate* in Facultatibus.

(2) *Locus hic ſine dubio mendoſus eſt. Nam pro* donatione *certo legi debet* ditione; *uti ſupra in eodem Diplomate legitur:* dictam Civitatem & Cives in Noſtram & Imperii perpetuo recipimus ditionem. *Cætera autem hujus loci verba, ne vel mutila, vel ſuperflua videantur, corrigenda & præcedentibus annectenda ſunt hoc modo:* Statuimus, ut omnes incolæ & advenæ, ibidem inhabitare volentes, in Noſtra & Imperii ditione tutam & liberam ab omni ſervili conditione vitam agant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

miæ Vindobonenſis *Rector* eſſet, *Catalogum Rectorum*, aliorumque Illuſtrium ejuſdem Academiæ Virorum, typis *Raphaelis Hofhalteri* in 4to,(1) primus edidit, errandi anſam præbuerint. *Lazius* enim ea verba ſic interpretatur, quaſi intelligenda ſint de tali aliqua Schola, quæ ſtatim ex illo tempore cœperit habere *Doctores in Facultatibus prælegentes; Ederus* autem ulterius progreditur, & *creationem* quoque *Doctorum* jam tunc ſimul permiſſam fuiſſe exiſtimat. Sed utrumque falſum eſſe manifeſte liquet ex *diplomatibus* Summorum Pontificum *Vrbani V*, & *Vrbani VI*, quæ antiquis ejuſdem Academiæ *Statutis* MStis præfixa ſunt, & paulo poſt integre exhibebuntur. Quin etiam ipſe *Imp. Fridericus II.* pravæiſti verborum ſuorum explicationi reclamat, dum expreſſe teſtatur, ſe non *generale* aliquod *Studium omnium Facultatum* intelligi velle, ſed tale tantum, *quo rudis ætas inſtruitur parvorum, & prudentia docetur in populis;* hoc eſt, ut ego interpretor, quo (2) *humaniores* tantum *literæ* & *diſciplinæ Philoſophicæ* comprehenduntur. De *Theologia* autem & *Jurisprudentia*, & *Medicina* altum ibi eſt ſilentium, ac multo etiam magis de *creatione Doctorum* in hiſce Facultatibus; nec aliud ex jam citatis *Imp. Friderici II.* verbis colligi poteſt, quam quod electionem quidem *primarii Magiſtri* iſtius Scholæ Ipſa Imperatoria Majeſtas ſibi reſervaverit, de cætero tamen permiſerit, ut Magiſter ille præcipuus *de conſilio Virorum prudentium ejusdem Civitatis alios ſibi ſubſtituere poſſet doctores* ſive *præceptores*, qui in erudienda numeroſa juventute *vicariam* ſibi navarent operam. Veriſimillimum itaque mihi videtur, in ipſo authentico *Imp. Friderici II.* diplomate ſcriptum fuiſſe: *Poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Viennæ per Nos & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios doctores ſubſtituat &c.;* a *Lazio* autem, vel a quodam alio, ſeu ex ignorantia genuini ſenſus eorum verborum, ſeu ex nimio erga Academiam Vindobonenſem affectu, tanquam *vetuſtatis* ejus augendæ gratia, gloſſema illud *in Facultatibus* eſſe additum. Certe, quod ad *Lazium* attinet, is in editione ſæpe memorati Diplomatis, & quidem in illa ipſa Paragrapho, ubi de *Schola* iſta *Vindobonenſi* agitur, ipſe ſibi non conſtat. Nam capite *quinto*, pag. 67, legitur: *Poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Viennæ per Nos & Principes noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, &c.*, at ſequenti capite *ſexto*, pag. 70, ubi eadem verba repetuntur, rectius (3) legitur: *per Nos & Succeſſores noſtros.* Huc accedunt varii errores ab eodem *Lazio* in jam citato capite *ſexto* commiſſi, ex quibus apparet, quam negligens is fuerit in deſcribendis originibus Inclytæ Academiæ Vindobonenſis, cujus ipſe Re-

(1) *Idem* Catalogus *ſecundo impreſſus eſt Viennæ in 4to typis* Matthæi Rictii *A. 1645 cum* Auctario *Rectorum aliorum ejuſdem Academiæ illuſtrium Virorum ab A. 1559 uſque ad A. 1644 incluſive.*

(2) *Tale olim fuit principium* Academiæ Pariſinæ *ideoque* Facultas Artium *etiam nunc tantam ibi obtinet prærogativam, ut nec ex* Theologica, *nec* Juridica, *nec* Medica *Facultate, ſed ex ea ſola ſemper creetur* Rector, *qui in cæteras omnes Facultates totamque Academiam habet imperium.*

(3) *Forſan etiam conjunctim ſcriptum fuit,* per Principes Succeſſores noſtros; *uti ſupra in eodem diplomate:* per Imperatores Succeſſores noſtros.

(1) *Rector fuit & Superintendens Cæſareus.* Fundationem enim ejus per Ducem Auſtriæ *Rudolphum*, qui (2) vulgo *Quartus* cognominatur, falſo refert ad annum 1366; utpote cum ex *Henrici Gundelfingenſis* & *Alberti de Bonſtetten* hactenus ineditis Chronicis Auſtriacis, nec non ex Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ antiquo *Codice*, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos 226, quo inter alia *Principum* quoque *Auſtriacorum obitus ab Imp. Rudolpho I. uſque ad Imp. Fridericum* vulgo *III*, revera *V*, continentur, certo conſtet, Ducem illum *Rudolphum* obiiſſe A. 1365, & quidem *dominica proxima poſt Feſtum S. Jacobi*, h. e. die ultimo Julii. Sed ſi quis forte crediderit mendum hoc eſſe typographicum, quomodo excuſabitur, quod idem *Lazius* eodem capite ſtatim ſubjungit, confirmationem Academiæ Vindobonenſis FILIUM Ducis *Rudolphi IV Albertum* hoc nomine *Tertium*, cognomine *cum Trica*, ab *Vrbano* Summo Pontifice Romano impetraſſe? Quis enim in Hiſtoria Auſtriaca vel mediocriter verſatus ignorat, Ducem Auſtriæ *Albertum III*, cognomine *cum Trica*, ſupra memorati Ducis *Rudolphi fratrem*, non autem *filium* fuiſſe? Nonne etiam manifeſte hic confunduntur *duo* Summi Pontifices *Vrbanus V* & *Vrbanus VI;* quorum prior Vrbi Vindobonæ primus omnium A. 1365. Generale Studium conceſſit tam in Juris Canonici & Civilis, quam in alia qualibet licita Facultate, *præterquam Theologica;* poſterior autem A. 1384 cæteris Facultatibus etiam addidit *Theologicam*, quæ prius excepta fuerat. Per *Scholam* igitur illam, cujus Imp. *Fridericus II* in Diplomate ſuo meminit, non eſt intelligenda Academia ſive Univerſitas Studii Generalis Vindobonenſis, ſed *Schola Eccleſiæ Cathedralis S. Stephani*, quæ in jam memoratæ Academiæ Privilegiis, A. 1384 promulgatis & confirmatis, vocatur *Antiqua Schola ad S. Stephanum*, & Scholas alias minores *ad S. Michaëlem* & *in Hoſpitali* ſub cura & diſpoſitione ſua habuit; ut teſtatur jam citatorum Privilegiorum Academicorum Rubrica *trigeſima octava*, ubi de publica *Artium liberalium* lectione in ea olim uſitata, ut & de electione & ſalario *Rectoris* ac reliquorum *trium Magiſtrorum* ipſius, aliiſque ejuſdem Scholæ juribus & conſuetudinibus ſpeciatim agitur. Quod ſupereſt, ut tandem aliquando *Inclytæ Academiæ Vindobonenſis*, quam ego, licet non *ipſius*, ſed *Aulæ Cæſareæ* membrum ſim, propter communia tamen ſtudia debito amore & reverentia proſequor, vera innoteſcat fundatio, operæ pretium me facturum arbitror, ſi ipſa illa ſupra citata Summorum Pontificum *Vrbani V* & *Vrbani VI Diplomata*, quæ in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo Codice MSto, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos 458vo, jam memoratæ Inclytæ Academiæ *Statutis* præfixa ſunt, ut & nonnulla alia ad ejuſdem argumenti illuſtrationem pertinentia monumenta antiqua hic inſeruero.

DE

(1) *Vide* Epitaphium *ejus, quod libro* primo *horum Commentariorum, inſerui.*

(2) *Revera enim* Quintus *ejus nominis eſt, ſi ratio habeatur filii Imp. Rudolphi I, nomine* Rudolphi, *qui duodecim annorum puer obiit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DE FUNDATIONE INCLYTÆ ACADEMIÆ VINDOBONENSIS DIPLOMA SVMMI PONTIFICIS VRBANI QVINTI, DATVM AVENIONE XIII KAL. JVLII, PONTIFICATVS IPSIVS ANNO TERTIO, HOC EST, D. XIX JVNII A. M CCC LXV.

Villæ Wiennensi conceditur generale Studium omnium Facultatum licitarum, præterquam Theologiæ.

VRBANVS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In supremæ dignitatis Apostolicæ specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, ad universas fidelium Regiones, eorumque profectus & commoda, tanquam universalis Gregis Dominici Pastor, commissæ nobis speculationis aciem, quantum Nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quærenda literarum studia, per quæ Divini Nominis, suæque fidei Catholicæ cultus protenditur, Justitia colitur, tam publica, quam* A *privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cum itaque, sicut nuper ex parte dilecti filii, Nobilis Viri Rudolphi, Ducis Austriæ, fuit propositum in Consistorio coram Nobis, ipse Dux, non solum ad utilitatem & prosperitatem hujusmodi Reipublicæ & incolarum Ducatus sui Austriæ, sed etiam aliarum partium vicinarum* B *laudabiliter intendens, in Villa sua Wiennensi, Pataviensis Diœcesis, in Ducatu prædicto consistente, tanquam insigniori & magis ad hoc accommoda & idonea, plurimum desideret fieri & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita Facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas servetur, judicii crescat ratio, & intellectus hominum augeatur: Nos præmissa, ac etiam eximiam fidei & devotionis sinceritatem, quam tam ipse Dux, quam Progenitores sui Duces Austriæ ad Sanctam Romanam Ecclesiam gesserunt, prout ipse Dux gerere dinoscitur, attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Ducatus & Villa prædicta scientiarum muneribus amplientur, ut viros producant consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum Facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui documentis. His igitur omnibus & præsertim idoneitate dictæ Villæ, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina & germina salutaria producenda magis congrua & accommoda inter alias Villas Ducatus prædicti fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsorum Ducatus & Villæ, sed etiam Regionum* C *circumjacentium incolarum commodum & profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica statuimus & etiam ordinamus, ut in dicta Villa de cætero sit Studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Juris Canonici & Civilis, quam in alia qualibet licita, præterquam*

quam Theologica, Facultate, & quod legentes & ſtudentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus & immunitatibus, conceſſis Doctoribus legentibus & ſtudentibus, commorantibus in Studio generali, gaudeant & utantur; quodque, qui proceſſu temporis bravium meruerint in illa Facultate, in qua ſtuduerint, obtinere, ſibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Doctoratus ſeu Magiſterii honorem petierint, elargiri, per Doctores ſeu Doctolem, ac Magiſtros ſeu Magiſtrum illius Facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Præpoſito Eccleſiæ omnium Sanctorum dictæ Villæ, qui pro tempore fuerit, vel Præpoſitura ipſius Eccleſiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, deputatus fuerit, præſèntentur. Idem quoque Præpoſitus, aut Deputatus, ut præfertur, Doctoribus & Magiſtris, in eadem Facultate actu inibi regentibus, convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Doctoratus ſeu Magiſterii honorem requiruntur, per ſe vel per alium juxta modum & conſuetudinem, qui ſuper talibus in generalibus Studiis obſervantur, examinare ſtudeat diligenter, eiſque, ſi ad hoc ſufficientes & idonei reperti fuerint, hujuſmodi licentiam tribuat, & Doctoratus ſeu Magiſterii conferat honorem. Illi vero, qui in eodem Studio dictæ Villæ examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam & honorem hujuſmodi obtinuerint, ut eſt dictum, ex tunc, abſque examine & approbatione alia, regendi & docendi tam in Villa prædicta, quam ſingulis aliis Studiis generalibus, in quibus voluerint regere & docere, Statutis & conſuetudinibus quibuſcunque contrariis, Apoſtolica vel alia quacunque firmitate vallatis, nequaquam obſtantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinion XIII Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno tertio.

IV. Hucuſque Summi Pontificis *Vrbani V.* Diploma de fundatione Inclytæ Academiæ Vindobonenſis. Sequuntur nunc neceſſariæ quædam Annotationes.

Primo videlicet notandum eſt, Imperatoriam Archiducatus Auſtriæ Metropolin Vindobonam in hoc Diplomate appellari *Villam*, non per contemptum, quaſi *ſimplex* aliquod *prædium ruſticum*, (vulgo **ein Mayerhoff**,) vel *exiguum ac Vrbis nomine indignum pagum*, (vulgo **ein Dorff oder Flecken**,) ſed potius per excellentiam, veluti *primariam Principis Sedem*, ſive, ut vulgo loquuntur, *Reſidentiam.* Teſtatur enim hoc ipſe Pontifex *Vrbanus V*, dum in eodem Diplomate expreſſe refert, Ducem Auſtriæ *Rudolphum* eam ob cauſam *Vindobonæ* potius, quam in ullo alio *Ducatus Auſtriæ* Oppido *Generale Studium* ſive *Academiam* fieri deſideraſſe, quod ille locus cæteris omnibus eſſet inſignior, ideoque magis ad hoc idoneus. Similiter paſſim apud mediæ ætatis Hiſtoricos Latinos *Villa Regia* ſignificat non ſolum ipſam *Aulam Regiam*, ſed & *Vrbem*, in qua ea commoratur, cujus rei multa extant exempla in *Henrici Spelmanni*, Equitis Anglo-Britanni, *Gloſſario Archæologico*, ubi

de

de varia significatione vocis *Villa* satis prolixe agitur. Hinc itaque etiam nunc apud *Gallos* quæcunque Urbs seu Civitas appellatur *une Ville*; & in Ducis Austriæ *Alberti III* Præfatione, *Privilegiis Academiæ Vindobonensis* præfixa, conjunctim legitur *in Oppido seu Villa nostra Wiennensi*, hoc est, **in vnser Residentz-Stadt Wienn.**

Secundo notandum est, Ecclesiam *Omnium Sanctorum*, cujus in jam citato Pontificis *Vrbani V* Diplomate fit mentio, eandem esse, quæ vulgo nunc tantum vocatur *S. Stephani*. Utrumque nomen conjunctim ei tribuitur in Privilegiis Academiæ, a Duce Austriæ *Alberto III* A. 1384 promulgatis, & quidem Rubrica XXXVII, his verbis: *Ordinamus, quod deinceps de octo Canonicatibus & Præbendis Collegii nostræ fundationis in Ecclesia Omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani, Wiennensi, proxime vacaturus* &c. Quam autem illa Ecclesia habuerit originem, quomodo, & sub quibus Principibus creverit, & per quam varias fortunæ vicissitudines paulatim ad præsentem magnificentiam ac Episcopalis Cathedræ dignitatem pervenerit, ex variis *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* antiquis & fide dignissimis monumentis MStis posthac commodiori loco in hisce Commentariis proferetur in lucem, & varii a *Wolfgango Lazio* ac nonnullis aliis circa hoc argumentum commissi errores solide refutabuntur.

Tertio notandum est, Diploma hoc a Summo Pontifice *Vrbano V* datum esse die *decimo nono Junii* anni *tertii A. MCCCLXV.* Electus enim is est in Summum Pontificem d. *XXVIII*, vel secundum alios, die *ultimo Octobris A. MCCCLXII*, coronatus autem d. *VI Novembris* ejusdem anni. Dies itaque *decimus nonus Junii* anni *tertii* Pontificatus ipsius non potest ad alium referri Æræ Christianæ annum, quam ad supra memoratum *millesimum trecentesimum sexagesimum quintum.* Eodem etiam anno 1365, & quidem *Dominica proxima post Festum S. Jacobi*, h. e. *die ultimo Julii*, obiit Archidux Austriæ *Rudolphus IV*, qui fundandæ Academiæ Vindobonensis causa supra insertum Diploma a Summo Pontifice *Vrbano V* impetraverat. Testatur hoc *Henricus Gundelfingensis* in hactenus inedito *Chronico Austriaco* his verbis: *Primus Alberti Contracti filius Rudolfus primogenitus, Ecclesiæ Wiennensis S. Stephani Præposituram fundans, miroque opere turris structuram incipiens, sine liberis decessit A. MCCCLXV, Dominica proxima post Jacobi, ac in eadem Ecclesia sepelitur.* Idem confirmat *Albertus de Bonstetten* in hactenus inedita *Historia Austriaca* his verbis: *Rudolfus, Dux Austriæ, filius Alberti Ducis, cognomine Contracti fundans Præposituram Wiennensem, Ecclesiam eandem ampliavit, & Mediolani sine liberis A. MCCCLXV obiit, ejusque ossa apud S. Stephanum Wiennæ sepulta sunt.* Item Anonymus Chronographus in MS. codice Historico Latino N. 226 his verbis **A. MCCCLXV am Sontag nach Sand Jacobs tag starb der Durchleuchste Fürst-Hertzog Ruedolff von Osterich der Vierd ze Mailandt. Der het ein Gemahel, die was Kaiser Karl tochter deß vierden, genant Katherina. Der obgenant Hertzog Ruedolff hat herzupracht die Graffschafft zuo Tirol. Der hat**

auch geſtifft den Brobſt und dy Chor-Herren ze Wiene zuo Sand Stephan, vnd hueb auch an das new paw ze Wien zuo Sand Stephan, vnd iſt daſelbs pegraben.

Hæc de tempore *obitus* Archiducis *Rudolphi IV* eam ob rem de induſtria A monui, ut recentiorum nonnullorum autorum detegatur error, quorum alii *mortem* jam memorati Principis ad A. 1366, alii vero ad annum quidem 1365, ſed ad diem *vigeſimum quartum Julii*, qui Feſtum *S. Jacobi* proxime *antecedit*, falſo referunt.

DE FVNDATIONE INCLYTÆ ACADEMIÆ VINDOBONENSIS DIPLOMA SVMMI PONTIFICIS VRBANI VI, DATVM NEAPOLI X KAL. MARTII, PONTIFICATVS IPSIVS ANNO SEXTO, HOC EST, D. XXI. FEBRVARII A. MCCC LXXXIV.

Villæ Wiennenſi conceditur generale Studium in Theologica Facultate.

V. *VRBANVS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dum generoſos palmites & fructus uberes, quos in domo Domini vitis abundans & arbor fertilis, Vniverſitas videlicet Doctorum, Magiſtrorum & Scholarium Studii Villæ Wiennenſis, Patavienſis Diœceſis, retroactis temporibus, ad decus & præſidium ſingulare Eccleſiæ millitantis & Reipublicæ, ſedulo & amœne produxit & continue producit, volvimus attenta meditatione & grata memoria recenſemus, exiſtimamus profecto Nos non immerito debitores, ut Vniverſitatem eandem, ſicut indeſinenter de bono in melius propagatur, ita præcipuis gratiarum impendiis & honoribus ſpecialibus decoremus, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod quanto Vniverſitas ipſa pretioſioribus monilibus ſe contexerit venuſtam, tanto plures & excellentiores propagines producere ac ſuaviores fructus conabitur enutrire. Dudum ſiquidem, pro parte quondam Rudolfi Ducis Auſtriæ, expoſito felicis recordationis Vrbano Papæ Quinto, Prædeceſſori noſtro,* B *quod ipſe Dux non ſolum ad utilitatem & poſteritatem Reipublicæ & Incolarum Ducatus ſui Auſtriæ, ſed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens in dicta Villa Wiennenſi, in eodem Ducatu conſiſtente, tanquam inſigniori & magis adhoc accomoda & idonea, plurimum deſiderabat fieri & ordinari per Sedem Apoſtolicam Studium generale in qualibet licita Facultate, ut ibidem fides Catholica dilataretur, erudirentur ſimplices, æquitas ſervaretur, Judicii creſceret ratio & intellectus hominum augeretur. Idem Prædeceſſor præmiſſa, ac etiam* C *eximiæ fidei & devotionis ſinceritatem, quam tam ipſe Dux, quam Progenitores ſui Duces Auſtriæ ad Sanctam Romanam Eccleſiam geſſerant, prout idem Dux gerebat, attente conſiderans, & ferventer affectans, quod Ducatus & Villa prædicti ſcientiarum muneribus ampliarentur, ut viros producerent conſilii maturitate conſpicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diverſarum Facultatum dogmatibus eruditos, eſſetque ibi ſcientiarum fons irriguus,*

de

de cujus plenitudine haurirent universi, literarum cupientes imbui documentis; bis atque aliis diligenti examinatione penſatis, de Fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, Auctoritate Apoſtolica conſtituit & etiam ordinavit, ut in dicta Villa decætero eſſet Studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeret, tam in Juris Canonici & Civilis, quam in alia qualibet licita, præterquam in Theologica Facultate, & quod legentes & ſtudentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus & immunitatibus, conceſſis Doctoribus legentibus & Studentibus, in quovis Studio generali, gauderent & potirentur; quodque illi, qui proceſſu temporis bravium meruiſſent, in illa Facultate, in qua ſtuduiſſent, obtinere, ſibique licentiam docendi, ut alios erudire valerent, ac Doctoratus ſeu Magiſterii honorem petiviſſent, elargiri, per Doctores ſeu Doctorem, ac Magiſtros ſeu Magiſtrum illius Facultatis, in qua examinatio fuiſſet facienda, Præpoſito Eccleſiæ Omnium Sanctorum ſæpedictæ Villæ, qui eſſet pro tempore, vel Præpoſitura ipſius Eccleſiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, deputatus foret, præſentarentur. Idemque Præpoſitus aut deputatus, ut præfertur, Doctoribus & Magiſtris in eadem Facultate, actu inibi regentibus, convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Doctoratus ſeu Magiſterii honorem requiruntur, per ſe vel per alium juxta modum & conſuetudinem, qui in talibus Generalibus Studiis obſervantur, examinaret diligenter, eisque, ſi adhoc ſufficientes & idonei reperti forent, hujuſmodi licentiam tribueret, ac Doctoratus ſeu Magiſterii conferret honorem. Illi vero, qui in eodem Studio dictæ Villæ examinati & approbati fuiſſent, ac docendi licentiam & honorem obtinuiſſent, hujuſmodi, ut eſt dictum, extunc, abſque examine vel approbatione alia, regendi & docendi, tam in Villa prædicta, quam in quibuslibet aliis Studiis generalibus, in quibus vellent regere & docere, Statutis & conſuetudinibus quibuſcunque contrariis, Apoſtolica vel quacunque firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, plenam haberent & liberam facultatem; prout in dicti Prædeceſſoris literis inde confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii, Nobilis Viri, Alberti Ducis Auſtriæ, Germani dicti Rudolphi Ducis, petitio continebat, poſt ſtatutum & ordinationem hujuſmodi ipſius Prædeceſſoris Studium generale in prædictis Facultatibus in eadem Villa introductum, per Dei gratiam felicibus ſucceſſibus uſque ad moderna tempora ſemper de bono in melius perſeverans, multipliciter auctum ſit, adeo quod retroactis temporibus multi eximii in eiſdem Facultatibus profecti inde prodierunt & prodeunt cotidie ad magnum decus & præſidium Vniverſalis Eccleſiæ & Reipublicæ, ac ad præſens ſolenne & frequens exiſtat, pro parte ipſius Alberti Ducis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc, quod Studium ipſum juxta ipſius Alberti Ducis & ſuorum fidelium in hac parte deſiderium peramplius & perfectius decoretur, quod in eodem Studio Theologia publice legi poſſit, & ibidem in eadem Theologia ſtudentes diſputare, & alios actus ſcholaſticos exercere, ac Baccalariatus & Licentiæ ac Magiſterii honores & gradus alios in ipſa Theologia recipere,

& ad illos promoveri poſſint, prout in Bononienſi, vel Pariſienſi, aut Cantabrigiæ, vel Oxonienſi Studiis generalibus in ſimilibus eſt fieri conſuetum, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ſtudium Sacrarum Literarum, per quas fides Catholica roboratur & augetur, & rudes ac indocti perducuntur ad agnitionem veri Dei, accreſcere temporibus noſtris ferventer appetimus, hujuſmodi ipſius Alberti Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & etiam ordinamus, quod de cætero in Villa prædicta in eadem Theologia ſit Studium generale, & quod ſtudentes & legentes ibidem in Theologia prædicta omnibus & ſingulis gratiis, immunitatibus, prærogativis, libertatibus & privilegiis, conceſſis Magiſtris, Licentiatis, Baccalariis ac legentibus & ſtudentibus in dicta Theologia commorantibus in Bononienſi, vel Pariſienſi, aut prædictis aliis Studiis generalibus, in quibus, quod hujuſmodi Theologia legi poſſit, a Sede Apoſtolica eſt indultum, gaudeant & utantur; quodque illi, qui proceſſu temporis Baccalariatus, ſeu Licentiæ, aut Magiſterii vel alium gradum ſeu honorem in dicta Theologia meruerint, voluerint & petierint ſibi elargiri, per Magiſtros ſeu Magiſtrum Facultatis ejuſdem præfato Præpoſito vel Deputato hujuſmodi præſententur; Ipſeque Præpoſitus vel Deputatus, Magiſtris in eadem Facultate actu inibi regentibus ſeu alias commorantibus, convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Magiſterii, ſeu Licentiæ, vel Baccalariatus, ſeu alium honorem & gradum in dicta Theologia requiruntur, per ſe vel per alium juxta modum & conſuetudinem, qui ſuper talibus in prædictis Bononienſi ſeu Pariſienſi, vel aliis Generalibus Studiis obſervantur, examinare ſtudeat diligenter, eiſque, ſi ad hoc ſufficientes & idonei reperti fuerint, hujuſmodi Baccalariatus, ſeu Licentiæ, vel Magiſterii, aut alium honorem vel gradum largiatur. Illi autem, qui in eodem Studio dictæ Villæ examinati & approbati fuerint, & docendi Licentiam & honorem ſeu gradum alium hujuſmodi obtinuerint, ut eſt dictum, ex tunc, abſque examine & approbatione alia, regendi & docendi, tam in Villa prædicta, quam in quibuſvis aliis Generalibus Studiis, in quibus voluerint regere & docere, Statutis & conſuetudinibus quibuſcunque contrariis, Apoſtolica vel alia quavis firmitate vallatis, nequaquam obſtantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Neapoli apud Majorem Eccleſiam Neapolitanenſem X Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Hucuſque Summi Pontificis *Vrbani VI.* Diploma de Inclytæ *Academiæ Vindobonenſis* incremento per acceſſionem *Facultatis Theologicæ*, quæ antea a Summo Pontifice *Vrbano V.* nominatim excepta fuerat. Errat autem *Georgius Ederus* in ſupra citato Magnificorum Rectorum Catalogo, dum hoc Diploma Pontificis *Vrbani VI.* refert ad annum *milleſimum trecenteſimum octogeſimum quintum.* Cum enim certo conſtet, *Vrbanum*

VI

VI electum esse die VII vel VIII Aprilis A. MCCCLXXVIII, coronatum autem die XVIII ejusdem mensis, non potest dies *vigesimus primus Februarii* anni *sexti* Pontificatus ipsius ad alium referri Æræ Christianæ annum, quam ad *millesimum trecentesimum octogesimum quartum.* Tum primum igitur Vindobonensis illa Academia revera cœpit esse *Studium generale*, eodemque anno MCCCLXXXIV a Gloriosissimo Austriæ Duce *Alberto III*, cognomine *cum Trica*, non solum *Statuta* ejus promulgata, verum etiam (1) *Privilegia* confirmata sunt. *Primum* sive *Ducale* jam memoratorum *Statutorum* Procœmium, quod in supra memorato Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ MSto Codice Historico Latino N. 458vo extat, hoc est:

VI. *ALBERTUS Dei gratia Dux Austriæ, Styriæ, Karinthiæ & Carniolæ, Comes Tyrolensis, &c. venerabilibus sincere Nobis dilectis Rectori & Universitati Magistrorum & Scholarium nostri Studii WIENNENSIS salutem & sincerum in Domino animum complacendi. Cupientes fundatione Studii literarum apud nos lucernam coruscantium doctrinarum atque morum laudabilium in salutem omnibus semper adaugeri profectum, intelligimus hoc ipsum minime posse fieri sine decentibus & rationabilibus Statutis & legibus circa modum docendi & vivendi studere volentium. Eapropter desideranter exhortamur, & consulte volumus, ac mandando ordinamus, quod, quicquid rite decreverit circa præfati Nostri Studii dispositionem & ordinationem in prædictis Congregatio Doctorum, Magistrorum graduatorum, Procuratorum & aliorum Virorum discretorum, quos ultra prædictos Rector causa consilii decreverit ad Congregationem vocandos, censeatur nomine Universitatis factum, & vigorem habere Statuti, ab omnibus de Universitate inviolabiliter observandi, sub pœna Nostræ indignationis atque publicæ resectionis a Nostra Universitate talium transgressorum. Et idem volumus, de statuendis a qualibet Facultate cum ejus Decano respectu suppositorum cujusvis determinatæ Facultatis: adjicientes, ut singulæ Facultates majori stringantur nexu, & solidiora earum habeantur Statuta & statuenda, quod ipsa dictum Universitatis Consilium habeat approbare. Datum WIENNÆ quinta die mensis Octobris Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto.*

VII. Hucusque Præfatio Ducis *Alberti III.* Sequitur deinde *secundum* sive *ipsius Universitatis* Procœmium his verbis:

Igitur Nos (2) CHOLMANNVS Rector dictæ Universitatis, Doctores, Magistri, cæterique, ut præscribitur, tam sanctum & salubre votum Illustrissimi Principis ac Domini nostri, Domini Alberti (3) Tertii, Ducis Austriæ, Styriæ, Carinthiæ &c. diligenter impleri studentes, ordinatione ejusdem providentissima sic commoniti & exhortati, attendere cœpimus studiose, quomodo in omni re, ut duret & invalescat, præcipue aggre-

(1) *Vide infra Privilegiorum Academiæ Rubricam* trigesimam tertiam.

(2) *In Ederiano Magnificorum Rectorum Catalogo vocatur* M. Colomannus Kolb.

(3) *Sic expresse vocatur* Tertius *infra in principio Privilegiorum ejusdem Academiæ.*

gregatione vel continuatione, unam esse oportet formam, ordinem & congruam partium habitudinem, sine quibus nec decor nec valor est in rebus. Ideoque non potest Politia vel quæcunque Collegialis hominum Societas exlex, vel malis legibus aut consuetudinibus subjecta crescere & durare, dum ipsius mala ordinatio & intraneos expellit, & extraneos adire prohibet. E contra autem Communitas, optimis disposita legibus & statutis, prosperatur & invalescit, suos incolas fixe retinens, ac undique alliciens exteriores. Et ante omnia est opus firmis & certis legibus in Politiis ac congregationibus, quæ ex hominibus diversarum Regionum, conditionum & consuetudinum subsistunt, qualis maxime est quælibet Universitas studii literarum. Et rursus in verba sapientis intuitum dirigentes, invenimus: Quod in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Obnubilat etenim vitiorum squalor & caligo aciem intellectualis oculi, & luscum reddit suo modo & cæcutientem, ut subtiliter verum discernere nequeat; &, si in hoc statu quoquo modo scientiarum apices apprehenderet, erunt in arma sævæ iniquitatis, & non adminicula adipiscendæ Virtutis. Ubi ergo debent esse Generales Scholæ eruditionis scientialis, necesse est, ut & ibi sit rigorosa disciplina moralis. Quale lucrum erit sanctæ nostræ Ecclesiæ ex studio literarum, si plures in eo corrumpantur & excæcentur vitiis, quam illuminentur doctrinis, cum majus malum sit unius animæ perditio finalis, quam sit bonum infinitarum animarum scientialis illustratio? Etiam, quid aliud sunt Scholæ generales Scientiarum sine correctione & disciplinis morum, quam prostibula innocentium animarum, in quibus etsi quidam luce aliqua irradientur doctrinæ ad cognitionem veritatis, plurimi tamen tenebris deturpantur vitiorum ad perditionem salutis. Et certe ob hoc melius censetur, Juvenes innocentes & puros in suis partibus manere nescios, quam tales visitare scholas, vitiis corrumpendos. Magni utique periculi res est, ut juvenis, cui jam parentalis correctionis frænum laxatur, in loco studii literarum nullis disciplinæ loris stringatur. Certum ergo sit, quod ibi non prosperabitur, nec crescit literarum studium, ubi non sunt scholæ virtutum. Summe ergo & ante omnia necessaria est ibi oportuna ordinatio morum, ubi esse debet concursus generalis scholarium; & quia tanti mali, ut præmittitur, participes fieri contremiscimus, conamur, quantum Nobis possibile est, morum institutis & honestatis regulis providentes, ut, sicut in nostro Studio florere debet literalis eruditio, simul floreat in studentibus laudabilis conversatio, & servetur in cunctis ordo legitimus, & ratio prævaleat æquitatis. Eapropter gravi solicitudine & maturo ac diuturno ratiocinationis disputationisque libramine præviis, juxta Serenissimi Principis providum & laudabile desiderium, Universitatem Wiennensem, per eundem nuper (1) magnifice exaltatam, curavimus diligenter pro temporis & rerum qualitate statutis laudabilibus & ordinationibus decentibus per omnia ordinare, & rectis legibus ordinate sub scripto disponere & regulare.

ADDI-

(1) *Nempe A. 1384, quo permissu Summi Pontificis* Vrbani VI *cæteris Academiæ* Facultatibus *primum accessit* Theologica.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ADDITAMENTUM. (a)

Quamvis ad refutandum *Wolgangi Lazii, Georgii Ederi,* (1) *Jacobi Middendorpii* aliorumque vulgarem & inveteratum errorem de *fundatione Inclytæ Academiæ Vindobonenſis* per *Imp. Fridericum II* abunde ſufficiant *Diplomata* illa *duo Summorum Pontificum Vrbani Vti & Vrbani VIti*, quæ Libri *ſecundi* horum Commentariorum Capiti quinto una cum *antiquis ejuſdem Academiæ Statutis & Privilegiis* inſerta ſunt, ſuperpondii tamen inſtar exhibeo hic de eadem re inſigne teſtimonium *Æneæ Sylvii* ſive *Papæ Pii ſecundi*, deſumptum ex *Epiſtola* ejus *centeſima ſexageſima quinta*, quæ pars eſt *Hiſtoriæ ipſius Auſtriacæ imperfectæ & hactenus ineditæ*, cujus *Exemplaria duo autographa* in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* etiam nunc adſervantur. Illud igitur in Operum *Æneæ Sylvii* editione Baſileenſi, typis Henricpetrinis A. 1571 in folio impreſſa, pag. 713 legitur hoc modo: *Schola quoque hic eſt liberalium Artium ac Theologiæ & Juris Pontificii, NOVA tamen & ab VRBANO* (2) *SEXTO PAPA conceſſa. Magnus ſtudentium numerus eo* (3) *perfluit ex Vngaria & Almaniæ partibus ſuperioribus. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos, Henricum de Haſſia, qui Pariſiis edoctus, huc in principio Vniverſitatis advolavit, primuſque Cathedram rexit, ac plurima Volumina notatu digna conſcripſit. Alter fuit Nicolaus de Dinkelſpühel Suevus, vita bona & doctrina multa clarus, cujus Sermones hodie avide a doctis leguntur. Eſt & (4) ille hodie Thomas Haſelbach non incelebratus Theologus, quem ſcribere Hiſtorias non inutiles ajunt; cujus ego doctrinam laudarem, niſi duos & viginti annos Eſaiæ primum capitulum legiſſet, neque adhuc ad calcem veniſſet. Maximum autem hujus Gymnaſii vitium eſt, quod nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui Magiſterii Artium titulo decorantur, hac una in Arte maxime examinantur. Cæterum neque Muſicæ, neque Rhetoricæ, neque* (5) *Arithmeticæ curam gerunt; quamvis metra quædam & epiſtolas ab aliis editas imperite* (6) *exhibentem Magiſtrandum compellant. Oratoria & Poetica apud eos penitus incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt vaniſque cavillationibus; ſolidi haudquaquam multum. Qui libros Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum habeant, raros invenies; Commentariis ple-*

(a) *Scriptum a Lambecio hujus loci gratia Libro Comment. IV. Addit. IV. inſcriptumque his verbis:* Additamentum IV. pertinens ad Libri ſecundi pag. 79. 82. 83. 84. & 88, ubi agitur de Fundatione Inclytæ Academiæ Vindobonenſis ſive Wiennenſis, per Summos Pontifices URBANUM V & URBANUM VI. KOL.

(1) *Libro* quinto *de Academiis celebribus univerſi terrarum Orbis, pag. 299 editionis Colonienſis apud Goſuinum Cholinum 1602 in octavo.*

(2) *Ille enim* per conceſſionem Generalis Studii Theologicæ Facultatis *implevit, quod* Papa Vrbanus Quintus *inchoaverat* per conceſſionem Generalis Studii omnium Facultatum licitarum præterquam Theologiæ. *Vide Librum* ſecundum *horum Commentariorum pag. 84 & 88.*

(3) Perfluit *pro* confluit.

(4) *In ipſo* Æneæ Sylvii *autographo pro* ille *legitur* illic.

(5) *Ibidem pro* Arithmeticæ *legitur* Artis metricæ.

(6) *Ibidem pro* exhibentem *legitur* recitare.

plerumque utuntur. Cæterum ſtudentes ipſi voluptati operam præbent, vini cibique avidi. Pauci emergunt docti, neque ſub cenſura tenentur; die noctuque vagantur, magnaſque civibus moleſtias inferunt. Adhæc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Hæc ibi *de Academiæ Vindobonenſis fundatione & ſtatu Æneas Sylvius.* Idem *Æneæ Sylvii* locus iiſdem verbis & cum eadem *Papæ Vrbani Sexti* expreſſa mentione exſtat etiam in *Alberti de Bonſtetten hactenus inedita Hiſtoria Auſtriaca*, A. C. 1491 compoſita, cujus autographum exemplar adſervatur in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea.* Cæterum quandoquidem jam citatus locus in ſupra memoratæ *Hiſtoriæ Auſtriacæ imperfectæ duobus Exemplaribus Cæſareis*, propria ipſius *Æneæ Sylvii* manu exaratis, non mediocriter variat, ſubjungo hic *Lectiones utriuſque Exemplaris*, ſibi invicem e regione collocatas, una cum *Lectionibus in utroque Exemplari* ab ipſo *Æneæ Sylvio*, ut inter componendum fieri ſolet, *inductis* & *deletis*; quæ ad differentiam aliarum hic repræſentantur non ſolum *diverſo charactere*, ſed & *ſignis parentheſeos*, five duobus ſemicirculis ſibi invicem oppoſitis, a reliquo contextu ſeparatæ.

Lectio Exemplaris primæ compoſitionis.

Schola quoque hic eſt liberalium Artium ac Theologiæ & Juris Pontificii, nova tamen & (1) poſt Colonienſem

Lectio Exemplaris ſecundæ compoſitionis.

Schola quoque hic eſt liberalium Artium ac Theologiæ & Juris Pontificii, nova tamen & ab (2) --- Papa conceſſa.

(1) *Errat hoc loco* Æneas Sylvius, *dum ſcribit*, Academiam Vindobonenſem *ſive* Wiennenſem *inſtitutam eſſe poſt* Academiam Colonienſem. *Contrarium enim exſtat apud* Jacobum Middendorpium, *Academiæ Colonienſis Procancellarium, Libri quinti de Academiis celebribus univerſi terrarum Orbis pag. 141 & 142, utpote ubi is ea de re ſic ſcribit:* Tandem Vrbanus Sextus, Pontifex Maximus, A. 1388, XI Kal. Julii, ut Coloniæ publicam omnium doctrinarum Academiam, qualis Lutetiæ Pariſiorum exſtabat, habere, honorumque ſcholaſticorum gradus conferre liceret, pro ſuo erga eam veterem florentemque Rempublicam, & adeo præclaram Populi Romani Coloniam amore, non ſolum libenter permiſit, ſed eadem quoque Privilegia, quæ Mater ipſius Lutetiæ Pariſiorum habebat, indulſit, ut ex ipſius Reſcripto aperte colligitur, quo difertis verbis ſignificat, cupere ſe illam Vrbem, quæ multis præclariſſimis ornamentis referta erat, ſapientia etiam cæteris Vrbibus prælucere, & longe quam hactenus celebriorem ſtudiis liberalibus fieri. Decernit etiam, ut & vetera illa ſtudia amplificentur, & publica poſthac omnium diſciplinarum Academia cenſeatur. Quocirca anno Domini 1389 in profeſto Epiphaniæ in Domo Capitulari Eccleſiæ Metropolitanæ, præſente Clero & Senatu, Gerhardus Calcarienſis primo omnium prælegit Caput ſexageſimum Eſaiæ Prophetæ: Surge, illuminare Hieruſalem. In Annalibus Colonienſibus ſcriptum reperitur, quod anno Domini 1388 pro impetranda Academia ad Vrbanum Papam Sextum miſſi fuerint monachi quatuor Ordinum mendicantium, quodque prima lectio fuerit habita in Sacra Theologia per Theologum Pragenſem in Domo Capitulari Eccleſiæ Majoris; quod etiam Cancellarius Vniverſitatis fuerit deſignatus Præpoſitus Colonienſis; primum vero Academiæ Rectorem crearint Hertlinum de Marca. *Hucuſque* Middendorpius. *Hinc igitur manifeſte apparet*, Academiam Colonienſem *ſine ulla controverſia juniorem eſſe* Academia Vindobonenſi *ſive* Wiennenſi, *quippe quæ partim a* Papa Vrbano Quinto *A.C.* 1365, *partim autem & præcipue a* Papa Vrbano Sexto *A. C.* 1384 *fundata & inſtituta eſt.*

(2) *Ita ibi hic locus ab ipſo* Ænea Sylvio *tribus punctis notatus, & nomen* Papæ Vrbani Sexti, *quaſi de eo tunc temporis illi nondum ſatis conſtiterit, de induſtria omiſſum eſt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pragenſemque inſtituta. Magnus eo ſtudentium numerus confluit ex Hungaria, Bohemia, Theutonia. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos, (1) *Henricum de Haſſia, qui apud* (2) *Pariſios edoctus, primus in hac Schola cathedram rexit, ac plurima volumina edidit; vir ſanctus ævo ſuo habitus: alter fuit Johannes* (3) *Tinghebſpullius, natione Suevus, vita bona & doctrina multa clarus, cujus ſcripta a doctis hodie avide leguntur. Fuit quoque ætate noſtra Thomas* (4) *Aſſelbachius, non incelebratus Theologus, quem vivere adhuc ferunt, hiſtoriaſque non inutiles ſcribere. Cujus & nos doctrinam laudaremus, niſi duos & viginti annos in exponendo commentandoque Iſaiæ primo capitulo abſumpſiſſet, neque veniſſet ad calcem. In Jure autem Pontificio excelluit apud eam Scholam* (5) *Johannes Aich, qui poſtea ad Eiſtetenſem Eccleſiam aſſumptus eſt. Maximum vero vitium hujus* (6) *Gymnaſii eſt, quod nimiam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui Magiſterium in Artibus aſſequuntur, hac una in Arte potiſſimum examen ſubeunt, quaſi, qui eam norit, omnes norit;* (cæterum) *neque Rhetoricæ, neque Muſicæ, neque Artis metricæ curam gerunt: Poeticam vero prorſus oderunt; quamvis metra quædam & epiſtolas ab aliis compoſitas*

A *ceſſa. Magnus ſtudentium numerus eo confluit ex Hungaria & Alamaniæ partibus ſuperioribus. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos,* (1) *Henricum de Haſſia, qui* (2) *Pariſius edoctus, huc in primordio Vniverſitatis advolavit, primuſque cathedram rexit,* (ſcripſitque) *ac plurima volumina notatu digna conſcripſit; alter fuit Johannes* (3) *Tinghebſpul Suevus, vita bona & doctrina* (gravi) *multa clarus, cujus Sermones hodie avide a doctis leguntur. Eſt &*

B *illic hodie Thomas* (4) *Aſſelbach non incelebratus Theologus, quem ſcribere hiſtorias non inutiles ajunt. Cujus ego doctrinam laudarem, niſi duos & viginti annos* (Iſaiæ primum capitulum legiſſet) *in Iſaiæ primo capitulo lectitando conſumpſiſſet, neque adhuc ad calcem veniſſet. Maximum autem hujus* (6) *Gymnaſii vitium eſt, quod nimis diutinam operam in Dialectica* (ponunt) *nimiumque temporis in re non magni fructus* (ponunt) *terunt.*

C *Qui Magiſterii Artium titulo decorantur, hac una in Arte maxime examinantur. Cæterum neque Muſicæ, neque Rhetoricæ, neque Artis metricæ curam gerunt; quamvis metra quædam & epiſtolas, ab aliis* (non perite) *editas, imperite recitare Magiſtrandum compellant. Oratoria & Poetica apud eos penitus incognita* (eſt), *quibus omne ſtudium in elenchis eſt vaniſ-*

(1) *Tempus mortis* Henrici de Haſſia *& Epitaphium vide infra in nota marginali ad proœmium ſtatutorum Facultatis Theologicæ.*

(2) Pariſius *indeclinabile pro* Pariſiis. *Vide Indicem.*

(3) Tinghefpullius & Tingefpul *pro* de Dinckelsbühel vel Dinkelſpühel.

(4) Aſſelbachius & Aſſelbach *pro* de Haſelbach.

(5) Hic eſt ille Joannes ab Aich, *quinquageſimus Epiſcopus* Eichſtetenſis, *qui A. C. 1464 obiit, & poſt mortem a* Papa Pio *II* Aurea corporis Eccleſiæ Columna *appellatus eſt. Vide etiam ejuſdem* Æneæ Sylvii *ſive* Papæ Pii Secundi *Librum de moribus Germaniæ, pag. 1041 & 1042 ſupra citatæ editionis Baſileenſis, ubi ejuſdem* Joannis ab Aich *æque honorifica fit mentio.*

(6) *In utroque* Æneæ Sylvii *autographo pro* Gymnaſii *perperam legitur* Gignaſii.

recitare eum compellunt, cui Magiſtri nomen tradituri ſunt. Omne hujus Scholæ ſtudium in elenchis eſt vaniſque cavillationibus; ſolidi haudquaquam multum. Libros Ariſtotelis aliorumque Philoſophorum apud raros ſcholares invenies; Commentariis ferme omnes utuntur. Cæterum ſtudentes ipſi voluptati inſervientes, vini cibique avidi, pauci emergunt docti; die noctuque vagantur, magnaſque civibus moleſtias inferunt: cum quibus ſæpe levibus de cauſis contendentes, ad arma prorumpunt, (juſtique belli faciem) *ac velut in juſto bello aciem dirigunt. Ad quam rem plurimum eos inſtigat mulierum procacitas,* (quarum libertas) *quibus &* (dicendi) *loquendi quæ velint, & eundi quo velint, libertas eſt; neque adeo pudicæ ſunt quam formoſæ. Senatum* &c.

A *niſque cavillationibus, ſolidi haudquaquam multum. Qui* (textus) *Libros Ariſtotelis aliorumque Philoſophorum habeant, raros invenies. Commentariis plerumque utuntur. Cæterum ſtudentes ipſi voluptati operam præbent; vini cibique avidi, pauci emergunt docti. Neque ſub cenſura tenentur; die noctuque vagantur, magnaſque civibus moleſtias inferunt. Adhæc mulierum procacitas mentes*

B *eorum alienat.* (In Civitate magnus eſt populus) *Civitatis populus* &c.

Finito *ſecundo* ſive *Academico* Proœmio ſequuntur porro ipſa

STATUTA GENERALIA,

Ad *totam* Vniverſitatem & *omnes* Facultates ſimul pertinentia.

TITVLVS I.

De his, quæ morum ſunt & Divini cultus.

§ 1. ET *in primis oculum habentes ad ea, quæ morum ſunt & Divini cultus, ſtatuimus & ordinamus ſub pœna retardationis a gradu, vel excluſionis a privilegiis per certum tempus juxta arbitrium Rectoris, & quatuor Decanorum, quod quilibet Scholaris incedat in veſtimentis Clericalibus, non inciſis, non irreverenter accurtatis aut diſpoſitis, non in caligis bipertitis, non in veſtibus ſtragulatis, non in caputiis inciſis, nec cum torquetibus aut ornamentis colli more* (1)

C *Militum, aut amatorum indecenter; nec portent Scholares, ſine urgente cauſa Rectori & Decano ſuæ Facultatis exponenda, arma aut gladios; non portentur poſt eos per eorum famulos vel ſodales ſub pœna præmiſſa.*

§ 2. *Item Scholares non vacent magis tabernæ, dimicaturæ, aut* (2) *quinternæ, quam Phyſicæ aut Logicæ, ſeu ſuæ facultati; nec ducant publice in vico choream; & maxime ad prædicta Magiſtri & Doctores obligentur, qui dare debent Scholaribus non ſolum fluen-*

(1) *Per* Milites *hic intelliguntur Viri dignitate Ordinis Equeſtris præditi. Qua de re vide plura in Annotationibus marginalibus ad Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis librum ſecundum.*

(2) Quinterna *eſt inſtrumentum Muſicum, quinque ordinibus chordarum conſtans, quod ab Italis corrupte dicitur* una Chitarra. *Hinc verbum latino-barbarum* Quinternizare.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fluenta doctrinæ, ſed etiam exempla bonæ vitæ.

§ 3. Conſequenter ſtatuimus, quod Scholares (1) brigoſi, luxurioſi, ebrioſi, (2) diſculi, noctivagi cum Inſtrumentis Muſicis, vel alias otioſi, lenocinantes, fures, & præcipue Civium offenſores, taxillorum luſores, ſi non deſtiterint, debite præmoniti, juxta facti qualitatem, ſalvis pœnis a jure Communi pro hujuſmodi criminibus inſtitutis, ſint a Privilegiis, & ab Intitulationibus Honorum excluſi, & omnino oſtiorum fractores huic pœnæ ſubjiciantur.

§ 4. Item, quod, ſi Scholaris vel Magiſter Civem vel Caſtrenſem vulneraverit, aut alias enormiter læſerit, emendet ad Judicium Rectoris & duorum Decanorum, quos iſti de Conſilio oppidi Wiennenſis duxerint nominandos.

§ 5. Item quod nullus Magiſtrorum unius Facultatis detrahat alteri Facultati publice aut private, ſed ſit mutuus amor & favor inter quatuor Facultates & Nationes; & augmentabitur Vniverſitas & proſperabitur, quæ ex odio, dividente Facultates & Nationes, diſſolveretur. Si autem aliqui diſcordiarum aut partialitatum Autores, vel in prædictis offenſores reperti fuerint, pœnæ ſubjaceant viginti librarum, excludendi a Privilegiis Vniverſitatis ad gratiam ejuſdem.

§ 6. Item quod nullus præſumat ſupervenientes (3) novos, quos (4) Beanos vocant, indebitis exactionibus quibuſcunque gravare, aut alias injuriis aut contumeliis moleſtare.

§ 7. Item ſtatuimus, quod nullus Magiſtrorum detrahat alteri publice coram Scholaribus vel aliis perſonis, ſed Magiſtri ad invicem amicabiliter & caritative ſine præjudiciis converſentur.

§ 8. Item quod in Diſputationibus publicis ſeu collationibus Scholaſticis non agitentur Baccalarii aut Magiſtri proterviis aut convitiis, nec in invicem immorigeratis verbis aut geſtibus ſe exprobrent & offendant.

§ 9. Item, ſi contigerit aliquem de Doctoribus, Magiſtris vel Licentiatis, actu legentibus, mori, aut aliquem de Decanis aut Procuratoribus, quod tota Vniverſitas interſit ejus exſequiis, & ante prandium die, qua Miſſa, & poſt prandium die, qua Vigiliæ fuerint, non legatur. Dum vero aliquis alius in Vniverſitate moritur, exequias ejus Natio ſua peragat; quæ, ſi defecerit in ſuppoſitis, ſupplicet ſuppoſitis aliarum Nationum juxta honeſtatem funeris, ut interſint exequiis.

§ 10. Item quod in omni feſtivitate

(1) Brigoſus *pro* litigioſus *a vocabulo latino-barbaro* Briga, *quod ſignificat* litem, *& apud* Albertum Argentinenſem *alioſque ætatis mediæ ſcriptores Latinos paſſim occurrit.*

(2) *An forte legendum* dyſcoli, *hoc eſt,* moroſi, moleſti, die leichtlich und gern Händel anfangen? *Hoc enim ſignificat græcum* δύσκολος.

(3) *Huc pertinet paragraphus* nona *Conſtitutionis Juſtinianeæ de ſtudio Juris ad Anteceſſores, qua* cum ſumma interminatione edicitur, ut nemo audeat indignos & peſſimos, immo magis ſerviles, & quorum effectus injuria eſt, ludos exercere in ſocios ſuos, & maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt. *Talis ludus eſt* Pennaliſmus *Academiarum Germanicarum Lutheranarum.*

(4) Beani *definitio latitat in ipſa nominis ſui acroſtichide:* Beanus Eſt Animal Neſciens Vitam Studioſorum. *Nonnulli derivant vocem* Beanus *a Gallico vocabulo* Bejaune *quaſi* Bec jaune, *Germanice* Gelbſchnabel *vel* Rothſchnabel, *pro avicula, quæ adhuc in nido hæret & nuſquam evolavit. Sed forſan quoque* Beanus *dicitur a voce* be, *hoc eſt, a balatu* ovino *vel* vitulino, *quia novelli Studioſi haud immerito comparantur tenellis ovibus, vel petulantibus vitulis.*

tate Virginis Glorioſæ fiat Miſſa ſolemnis cum Offertorio, præſente Rectore cum tota Vniverſitate. Prima fiat in feſto Purificationis in Eccleſia Sancti Stephani, ſi fieri poteſt convenienter: Secunda in Annunciatione apud Fratres Prædicatores: In Aſſumptione vero apud Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo: In Nativitate in Monaſterio Scotorum: In Conceptione in Capella Beatæ Virginis in littore; & in Vigiliis eorundem feſtorum Vniverſitas conveniat ſolemniter ad Officium Veſperarum.

§ 11. Item quod quolibet anno in Commemoratione animarum fiat Miſſa in domo Prædicatorum, vel in Sancto Stephano, ſi convenienter fieri poteſt.

§ 12. Item quod Facultas Theologiæ de certis ſermonibus ad Clerum Vniverſitatis per annum fiendis diſponat & ordinet, quantum ad loca, perſonas, prædicaturas & dies, prout magis ad Dei honorem & profectum Studii judicaverit expedire.

§ 13. Item quod quilibet Decanus, ut ſimul vigeat Diſciplina & Correctio morum, ubi eſſe debet Generale Studium literarum, viſitet ſemel in dimidio anno omnes domos Scholarium ſuæ Facultatis, exhortando, ut ſint ſtudioſi & in moribus compoſiti, caventes inſolentias, & ante omnia offenſiones civium & popularium oppidi Viennenſis, ſub pœnis ſuper talibus exceſſibus in ſtatutis Vniverſitatis expreſſis.

TITVLVS II.

Sequuntur Statuta Vniverſitatis de Officialibus ſuis & perſonis ad eos pertinentibus.

§ 1. Primo quod non fiant conſpirationes vel partialitates Magiſtrorum, nec colluſiones aut conventiones, cum eligendus eſt aliquis ad hoc vel illud Officium in Vniverſitate, vel in quacunque Facultate; nec aliquis vocem ſuam vendat, nec ante promittat; & qui inſtare ambitioſe, præcedente practica & colluſione, repertus fuerit, inhabilis habeatur ad Officium, pro quo occulte laborabat.

§ 2. Item quod nemo ſit ſimul Decanus & Procurator, niſi defectus hoc exigat ſpecialis ſuppoſitorum.

§ 3. Item quod Procuratores maneant ſolum per medium annum, habeatque quilibet Procurator in deliberationibus vocem duntaxat perſonæ ſingularis, & ſimiliter quilibet Decanus; & ipſo die electionis Rectoris præeligantur Procuratores, qui electi ſtatim intrent ad eligendum Rectorem.

§ 4. Item quod quælibet Natio eligat Procuratorem de ſuis ſuppoſitis, cujuſcunque fuerit Facultatis. Itaque non ſemper ſint Procuratores unius Facultatis, ſed plurium, prout expedit, & procedatur in hac electione hoc modo: Prima Natio eligat de ſuis Procuratorem, qui ſit de Facultate Theologiæ: Secunda eligat unum, qui ſit de Facultate Decretiſtarum: Tertia de Facultate Medicinæ: Quarta de Facultate Artium. Et in ſequenti electione Procuratorum ſecunda Natio eligat Theologum, & in hunc modum circumeat electio Procuratorum per omnes Nationes & Facultates, prout fieri poteſt. Si vero Natio debens ſecundum dictum ordinem eligere

Pro-

Procuratorem de Facultate certa, deficiat forte in ſuppoſitis illius Facultatis, ex toto vel idoneis, eligat de alia Natione, vel eligat de ſuis unum, qui ſit de Facultate, quam habet; & alia Natio, quæ abundat in Facultate, qua iſta caret, eligat de iſta Facultate, & ita conſequenter. Si vero una Natio vel Facultas ex toto deficeret, Superior Natio eligat de Natione viciniori unum Procuratorem nomine Nationis deficientis, & ſimili modo fiat in defectu unius Facultatis. Itaque ſemper ſint quatuor Procuratores quatuor Nationum & quatuor Facultatum, vel ſaltem earum nomine, prout convenientius fieri poteſt.

§ 5. Item quilibet Procurator, noviter electus, juret in manus Procuratoris præcedentis, quod cum diligentia & fidelitate ſuum, prout in ordinationibus deſcribitur, officium exercebit.

§ 6. Item quod Procuratores antequam intrent Conclave ad eligendum, jurent Rectori, quod nullam Facultatem ſpernant, aut alteri præponant, aut aliquam quacunque affectione excludant, ſed eligant ſecundum ſuas conſcientias unum ſuppoſitum, cujuſcunque fuerit Facultatis, quod ipſis pro tunc ad (1) Rectoriam magis idoneum videbitur, ita ordinantes, quod Rectoria non ſemper maneat in una Facultate, ſed quod alternatim tranſeat ad Suppoſita diverſarum Facultatum, ſi reperiantur idonea, prout judicaverint expedire.

§ 7. Item officium Procuratorum ſit Congregationem ſuæ Nationis facere, & propoſita in ſua Natione proponere, & ſuper his ad deliberandum inducere, & Rectori in cauſis Vniverſitatis pro ſua Natione aſſidere, & in his fideliter conſilium dare, & acta notabilia tempore ſuæ Procurationis in libro Nationis ad hoc ordinato conſcribere, & conſcripta in reſignatione ſui officii coram Natione ſua recitare, atque honorem & utilitatem ſuæ Nationis ubilibet pro poſſe ſuo procurare.

§ 8. Item quod in Congregationibus, Judiciis & aliis publicis actibus Vniverſitatis, Decani ſedeant primi poſt Rectorem, conſequenter quatuor Procuratores ſecundum ordinem ſuarum Nationum. Similiter in actibus publicis, ut in Diſputationibus, hujuſmodi Officiales ſpecialiter honorentur.

§ 9. Item, ne fiat negligentia in executione negotiorum Vniverſitatis, Procuratores & Decani, Deputati, (2) Bedelli, Notarii, quibus Rector pro tempore & qualitate negotiorum indiget, vocati per eundem, abſque dilatione compareant, per ſe vel per ſuos ſubſtitutos idoneos ſub pœna, arbitrio Rectoris & Deputatorum, qui comparuerint, reſervata.

§ 10. Item quod, cum Rector aliquod Deliberatum per Vniverſitatem exequi habet, quælibet Facultas det Deputatum vel Deputatos, prout negotium expoſcit. Prima vero Facultas, ſcilicet Theologiæ, aſſignet de Suppoſitis ſuis unum aptum, qui rem proponat; ſi non poteſt vel non habet talem, Facultas Decretorum proponentem det, & ſic conſequenter. Etſi forte hoc modo proponens aptus haberi non poterit, quem Rector cum quatuor Deca-

(1) Rectoria *pro* Rectoratu *ſive* Regimine.

(2) Pedellus, *non autem* Bedellus *vel* Bidellus *ſcribendum eſt. Ita enim dicitur quaſi* Pedarius *ſive* pedaneus, *quia Rectori Academiæ, tanquam apparitor ipſius & viator, eſt* a pedibus. *Alii derivant hoc nomen a* pedo *ſive baculo paſtorali, cujus loco Pedellus Academiæ Rectori* Sceptrum *præfert.*

Decanis quatuor Facultatum elegerit, sit proponens sub pœna exclusionis a Congregatione Vniversitatis per annum, vel suspensionis Regentiæ per sex menses.

§ 11. Item quod non sigillentur Promotoriæ, Recommendatoriæ, Testimoniales Promotionum, & hujusmodi Literæ notabiles, nisi (1) minutæ earum signatæ fuerint sigillo Correctoris literarum Vniversitatis, qui sit ordinarie legens in Facultate Decretorum.

TITVLVS III.

Sequuntur statuta de Rectore & pertinentibus ad ipsum.

§ 1. Primum, si quis in Rectorem electus fuerit, & renuerit non assignata causa acceptata vel acceptabili ab Vniversitate, pœnam incurrat decem librarum.

§ 2. Item Rector noviter electus juret in manus Rectoris præcedentis, quod fideliter & diligenter exercebit Officium suum, prout descriptum est in statutis & ordinationibus Vniversitatis, quod eidem pro tunc distincte prælegetur.

§ 3. Item Officium Rectoris sit, Congregationes facere, Articulos in Congregationibus per se distincte proponere, & deliberationibus majoris partis quid agendum concludere, & conclusum juxta consilium Deputatorum una cum eis personaliter exequi, prout res exigit. Rursum Rectoris sit tueri & conservare Privilegia & Statuta Vniversitatis, & juxta ipsa judicare, & singulorum querelas, parvi sicut magni, pauperis sicut divitis, absque personarum acceptione, aut alia quacunque pervertente judicium affectione, coram se admittere, & plene audire, & celeriter atque gratis justitiam facere; abusores Privilegiorum & transgressores Statutorum per Consilium Vniversitatis corrigere, literas Privilegiales & testimoniales, & hujusmodi, Magistris & Scholaribus, nec non Servitoribus Vniversitatis gratis, vel juxta ordinationem Vniversitatis sigillare. Generaliter, Rectoris sit curam & sollicitudinem habere de omnibus, quæ faciunt ad augmentum Studii & profectum Doctrinæ, ut ista diligenter procuret, & contraria excludat.

§ 4. Item, quod Rector Studii in habitu honesto, decenti & Clericali, & cum honesta Comitiva incedat per vicos, præcedentibus Bedellis Vniversitatis cum Virgulis, & specialiter dum agit negotia communia Vniversitatis; & tunc etiam indutus sit habitu solemniori, secundum negotiorum qualitatem, donec Vniversitas circa singularem & proprium habitum Rectoris duxerit specialiter ordinandum.

§ 5. Item quod Rector, tempore Rectoriæ suæ transacto, infra mensem computum faciat de omnibus receptis & expositis coram Rectore novo, quatuor Decanis & quatuor Procuratoribus, & aliis Regentibus, quibus interesse placuerit, quodque illi, qui ante hanc ordinationem Rectores fuerunt, computent prædicto modo infra mensem a tempore editionis seu sanctionis hujus Statuti, & in quo obligatus remanet, infra eundem mensem persolvat.

§ 6.

(1) Minutæ *significant hic schedas primas & imperfectas, unde quid postea elegantius & accuratius exscribitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§ 6. Item quod Rector Congregationem facturus mittat per Bedellos in die præcedenti Articulos omnes, super quibus erit Congregatio, inscriptis, cuilibet Decano Facultatum quatuor, ut ita provida deliberatio fieri possit.

§ 7. Item quod in deliberationibus Vniversitatis Rector accedat ad suam Facultatem, si deliberatio fit secundum Facultates, vel ad suam Nationem, si secundum Nationes fiat, habiturus vocem unius duntaxat singularis Supposiți.

§ 8. Item quod Congregationes fiant in locis quietis, patulis & honestis; ut in Monasteriis, Ecclesiis & Collegiis, ad quæ loca quilibet Rector B *Congregationem facturus se determinet, prout expedientius visum fuerit & honestius pro Vniversitate.*

§ 9. Item ad vitandam Confusionem in Consilio Vniversitatis, Rector vocet ad Congregationem generalem omnes Doctores, Magistros, Decanos, Procuratores, Baccalarios ac actu legentes in qualibet quatuor Facultatum, cum earum Decanis, & ista ordinatio duret, donec Magistri & Doctores sufficienter mnltiplicentur, & sufficiant Congregationem Vniversitatis, ut tandem fiat hic, velut Parisiis, ubi solum Doctores & Magistri intrant C *Congregationem.*

§ 10. Item neminem ad deliberandum in Congregatione Vniversitatis Rector admittat, nisi prius ad manus ejusdem juraverit, quod fideliter ad bonum & honorem Vniversitatis deliberet, atque secreta, aut per Vniversitatem deliberata, celanda non revelet. Magistri vero, qui noviter incœperunt, aut qui aliunde supervenerunt, in primo introitu ad Congregationem Vniversitatis jurent immediate prædicta, & quod servabunt Privilegia, Liber- A *tates, Consuetudines laudabiles, Statuta, Jura Vniversitatis ad quemcunque statum devenerint, & quod obediant Vniversitati & Rectori in licitis & honestis.*

§ 11. Item ne fiant conventiculæ Vniversitatis & Congregationes partiales in præjudicium alicujus vel aliquorum, rector teneatur sub pœna depositionis, quoties facit Congregationem Vniversitatis, vocare per Bedellos omnes indifferenter pertinentes ad Congregationem Vniversitatis.

§ 12. Item quod Rector non multiplicet Congregationes Vniversitatis, & nunquam convocari faciat ad Congregationem per juramentum, nisi hoc habeat ex consilio quatuor Decanorum; nec aliquam Congregationem faciat, nisi super Articulis notabilibus, consultis de omni Congregatione facienda quatuor Procuratoribus, nisi urgens necessitas ad contrarium compulerit; nec in his, quæ statum universalem Vniversitatis concernunt, quidquam præsumat aut attentet, quatuor Procuratoribus aut Decanis non consentientibus, aut eorum majori parte, nec lectiones impediat, nisi eo modo de consensu eorundem habeat, aut ex deliberatione Vniversitatis.

§ 13. Item quod, dum Rector præest judicio, utatur deliberationibus quatuor Procuratorum, aliis præter Decanos, & eos, quos causa consilii contigerit vocari, ad assidendum non admissis.

§ 14. Consequenter, cum forma & dispositio habitus exterioris, sit speculum hominis interioris, & quasi character singularis potestatis, atque indicium hujus vel illius exercendæ virtutis, de habitibus exterioribus ordinamus, quod quælibet Facultas secun-

dum conditionem ſuam de honeſtis habitibus diſponat, in quibus exerceri debent actus ſub eadem.

§ 15. Item quod quælibet Facultas diſponat de horis lectionum atque actuum ſuorum modo convenientiori, quo fieri poteſt, ſine præjudicio aliarum Facultatum, vel alterius Facultatis.

§ 16. Item quod ſolum fiat una diſputatio Magiſtralis in die in una Facultate, niſi cum diſpenſatione Rectoris & Decani ejuſdem Facultatis & incipiat debitis & convenientibus horis.

§ 17. Item quod in diebus Dominicis & aliis Feſtivitatibus non fiant actus ſcholaſtici per Doctores aut Magiſtros, ut publicæ diſputationes, determinationes, repetitiones & hujuſmodi.

§ 18. Item quod in die Cinerum non legatur, nec a die Palmarum Septimanæ Pœnoſæ uſque ad craſtinum Quaſi modo ordinarie legatur.

§ 19. Item a die Pentecoſtes uſque ad Octavam non legatur.

§ 20. Item in die Sancti Cholmanni non legatur ordinarie; item poſt diem Sancti Thomæ uſque ad craſtinum Epiphaniæ non legatur ordinarie, nec diſputetur.

§ 21. Item in diebus, in quibus populus hujus Civitatis, communiter celebrat, non legatur ordinarie; nec in feſto Cathedræ Sancti Petri legatur. Similiter in feſto quatuor Doctorum Eccleſiæ, & in Vigiliis Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sacramenti & Omnium Sanctorum, & feſtorum quatuor Beatæ Mariæ Virginis poſt meridiem non legatur.

§ 22. Item tempore Congregationis Vniverſitatis & Sermonis ad Vniverſitatem non legatur ab aliquo.

§ 23. Item ordinamus, quod Statuta Vniverſitatis, concernentia diſciplinam & mores Doctorum, Magiſtrorum & Scholarium, ſemel in anno legantur publice, tota Vniverſitate convocata, & hoc in principio magni Ordinarii, qui incipit in craſtino Sancti Cholmanni.

TITVLVS IV.

De modo deliberandi in Congregatione Vniverſitatis ſeorſum per quatuor Facultates.

§ 1. Item Notarius Vniverſitatis juret ſe fideliter & diligenter exerciturum ſuum officium, abſque extorſione illicita, ad bonum & honorem Vniverſitatis ac ejus Suppoſitorum.

§ 2. Item officium (1) Bedellorum ſit, ſecundum quod Rector injunxerit, fideliter Congregationes intimare, indilate mandatis Rectoris parere, & feſta per ſcholas ordinarie legentium proclamare; Rectorem cum Virgis honeſte conducere, & ipſum omni die, ſemel ad minus, viſitare, ſi indigeat forte eorum miniſterio, & alia, prout talia in Studiis generalibus ſunt conſueta.

§ 3. Item jurent in manus Rectoris officium prædictum, fideliter obſervare, & ſecreta Vniverſitatis, ſi audierint, & Magiſtrorum non revelare, atque in eiſdem, prout decet, honorem ubique impendere.

§ 4. Item Librarii jurent in manus Rectoris in præſentia Vniverſitatis,

(1) *De Etymologia nominis* Pedelli *vide ſupra Annotationem marginalem.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tis, quod in emendis & vendendis, aut taxandis libris juſte & legaliter ſe habeant erga ſuppoſita Vniverſitatis, omni dolo & fraude excluſis, ſecundum tenorem Privilegiorum Vniverſitatis.

§ 5. Item ſtatuimus, quod modus deliberandi in Vniverſitate Wiennenſi, ſit iſte; videlicet, quod propoſitis, modo conſueto, articulis per Rectorem, quatuor Facultates trahant ſe ad partes ſeorſum deliberaturæ, & quælibet Facultas ſuam deliberationem per ejus Decanum, vel locum tenentem, referat in communi coram Rectore & aliis Facultatibus recollectis, incipiendo a Facultate Artium; his tamen moderationibus adjectis, quod „ſi in una Facultate quacunque nemo fuerit, vel non comparuerit, niſi unus Doctor ſeu Magiſter, & nullum aliud ſuppoſitum ejuſdem Facultatis, tunc jungat ſe iſte in deliberando alteri Facultati, cui placet. Idem faciat aliud vel alia ſuppoſita, quæ non repræſentant Facultatem ſecundum infraſcripta; ſive duo Doctores, vel duo Licentiati, vel unus Doctor & unus Licenciatus, aut Doctor cum Decano vel Baccalario ſuæ Facultatis, vel vicem Doctoris ordinarie legentis tenens cum Baccalario vel Decano. Idem intelligimus de Licentiato ad minus cum uno talium. Si vero in aliqua Congregatione fuerint ſuppoſita vel ſuppoſitum, ſecundum Statuta Vniverſitatis, vocanda, quæ non repræſentant Facultatem ſecundum prædicta, illa vel illud, ſi forte aliquem articulum ſenſerint proponi manifeſte præjudicialem ſuæ Facultati, habeant reclamare & Rectorem admonere de non proſequendo articulum illum vice illa, & Rector illum non concludat, donec comparuerint in illa Facultate tales, qui Facultatem repræſentare poſſint. Nolumus tamen ratione hujus ordinationis vel ſtatuti, quod aliquis cujuſcunque conditionis exiſtat.

VIII. Hucuſque antiqua illa *Statuta generalia*, ad totam Vniverſitatem & omnes Facultates ſimul pertinentia. Privilegia autem ejusdem *Academiæ*, quæ eodem (1) anno 1384 a ſupra memorato Duce Auſtriæ *Alberto III*, cognomine *cum Trica*, promulgata, nec ſolum ab ipſo, verum etiam a fratre ejus Duce *Leopoldo III*; cognomine (2) *Probo, a Pilgrino* ſive *Peregrino* Archiepiſcopo Salzburgenſi, a *Joanne* Epiſcopo Patavienſi, ut & a *Proceribus Auſtriæ*, Senatuque ac *Communi* Civitatis *Vindobonenſis* ſive *Wiennenſis* approbata & confirmata ſunt, extant in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ MSto Codice Hiſtorico Latino N. 459no hoc modo.

RVBRICA I. (3)
INCIPIVNT PRIVILEGIA VNIVERSITATIS WIENNENSIS.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

ALBER-

(1) *Vide infra Privilegiorum Academiæ Rubricam* trigeſimam tertiam.

(2) *Cognomen* Probus *non eſt hic, ut vulgo perperam fit, Germanice vertendum* der Fromme, *ſed* der Ritterliche *vel* der Streitbahre; *uti apud Italos* il prode, *& apud Gallos* le preu. *Qua de re vide plura poſt* finem *ſubſequentium Academiæ* Privilegiorum.

(3) *Lemmata Segmentorum, in quæ Privilegia hæc diviſa ſunt, ideo appello* Rubricas, *quia in MSto Codice, unde ea deprompſi,* rubrica *vel* minio *exarata ſunt. De qua vetuſtiſ-*

ALBERTVS TERTIVS (1) *Dei gratia Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ ac Portus Naonis, Comes in Habſpurg, Tyrolis, Ferretis & in Kyburch, Marchio Burgoviæ ac Landgravius Alſatiæ, omnibus Chriſti fidelibus, præſentium auditoribus ſeu lectoribus, nunc & temporibus in futurum ſalutem in Domino cum notitia perpetua ſubſcriptorum.*

RVBRICA II.
Exordium ſive Procœmium.

Sancti Spiritus ammonitione in memoriam revocato, quod (2) dudum alias in annis minoribus conſtitui, una cum Sereniſſimo quondam Principe, Germano noſtro dilectiſſimo, Domino RVDOLPHO, celebris memoriæ, Duce Auſtriæ &c., tunc ſuperſtite, ſancta & ſalubri cogitatione maturaque deliberatione ac conſilio diligenti prævиis, adhibitis etiam circa id verborum, operum & geſtuum ſolemnitatibus conſuetis & debitis, ad hoc quomodolibet opportunis, de gratia quoque, conceſſione & indulto ſpecialibus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri VRBANI QVINTI, Sacroſanctæ Romanæ ac Vniverſalis Eccleſiæ Summi Pontificis, noſtro ac omnium noſtrorum Hæredum & Succeſſorum in perpetuum nomine, felici auſpicio ereximus & dotavimus rite & legitime publicas & privilegiatas (3) Scholas, & Studium generale in oppido ſeu (4) Villa noſtra WIENNENSI, Patavienſis Diæceſis, indignum arbitramur & incongruum, Nos Divina clementia tot Principatuum, tot Dominiorum titulis ſublimatos, tantiſque prærogativis Imperialibus inſignitos, rem hanc grandem & altam, qua Creatoris Clementia laudabiliter in cælis, ejuſque fides orthodoxa dilatabitur in terris, augebitur ratio, creſcet Reſpublica, & in ſubjectis Nobis populis lux fulgebit Juſtitiæ & Veritatis, per incuriam aut ignaviam negligere, ſed potius Divinalium beneficiorum gratos Receptores rem hujuſmodi ſummo fervore proſequi, & pro viribus liberaliter & magnifice ad perfectum uſque deducere complementum.

RVBRICA III.
Præmittitur generalis Confirmatio Studii Wiennenſis.

Cupientes igitur apud Nos præfatas literarum Scholas generales incrementis ſemper felicibus proſperari, & tanquam lucernas in domo Domini accendi lucifluas, caliginem tenebrarum excœcantium ignorantiæ & malitiæ a finibus Vniverſalis Eccleſiæ claro lumine proſcripturas, volumus, ſtatuimus & decernimus privilegia, libertates, gratias & ordinationes ſingulas, rationi conſonas, quibus tempore prædicti quondam fratris noſtri Ducis Rudolphi, videlicet anno Nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, præfatum Studium noſtrum notorie authenticis noſtris literis dotavimus & diſpoſuimus, valere & obtinere perpetui roboris

ſima conſuetudine vide Iſaaci Caſauboni *annotationem ad hos Satyræ quintæ* Perſianæ *verſus:*
Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto, ſi quid Maſuri rubrica vetavit.

(1) *Cognomine* cum Trica.

(2) *Nempe Anno 1365. Vide Rubricam proximе ſequentem.*

(3) Scholas *dicit* plurali numero, *quia Studium generale* quatuor *conſtat primariis Scholis pro numero totidem* Facultatum.

(4) *Quo ſenſu nomen* Villæ *hic accipiendum ſit, vide ſupra 56 57.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

boris firmitatem; ſingulariter quoque prout ea & eas in præſenti pagina, ſuperfluis reſectis, & ambagibus ſuccisis, emucleatius ponimus, ac moderando brevius perſtringimus in hac forma. Inprimis videlicet confirmantes ordinationem, qua alias juxta ordinationes & conſuetudines Venerabilis Studii (1) *Pariſienſis voluimus in Villa noſtra Wiennenſi prædicta diſponi & eſſe Studium generale literarum, Nobis, ſicut præmittitur, a Sancta Sede Apoſtolica indultum, quatenus rivulum aliquem, doctrinæ fontem pariturum, in noſtra Regione ſuſcipiamus de præclaro fonte ſapientiæ, qui olim apud Græcos Athenis erupit, poſt auctus Romæ ſcaturiit, & demum Pariſiis receptus, excrevit in ſtagnum abundantium aquarum fluentis doctrinæ, orbem irrigantium univerſum.*

RVBRICA IV.
Diviſio Vniverſitatis in quatuor Nationes.

Item ordinabamus ac nunc ordinamus & volumus, totum dictæ Vniverſitatis noſtræ Clerum, ad inſtar (2) *Pariſienſis Studii in quatuor partes dividi, quas ſolitum eſt Nationes vocari, eaſque Nationum diſtinctiones ordinamus & diſtinguimus in hunc modum.*

RVBRICA V.
Prima Natio Auſtralium.

Quod omnes Magiſtri & Scholares, de noſtris terris & Dominiis exiſtentes, annumerentur ſub una Natione, una cum ſibi adjunctis Provinciis, ſcilicet Patriarchatu Aquilegienſi, Diœceſi Tridentina, tota Italia, ac cum aliis Provinciis & diſtrictibus Vltramontanis, quam vocari volumus Nationem Auſtriæ, & eam inter cæteras eſſe priorem.

RVBRICA VI.
Secunda Natio Rhenenſis.

Conſequenter omnes Bavaros, Suevos, Alſaticos, qui non cadunt ſub Dominiorum noſtrorum aliquo, nec non etiam Rhenenſes omnes ab origine Rheni uſque ad locum ſui caſus in mare, volumus eſſe de una Natione, quibus addimus pariter & Francones, & Haſſones, ſi qui fuerint de Provinciis inter Franconiam & Bavariam aliiſque ſuperius nominatis; omnia quoque Regna & provincias verſus occidentem & meridiem; ut ſunt Francia, Arragonia, Hiſpania, Navarra, Hollandria, & Brabantia. Hanc quoque vocari ſtatuimus Nationem Rhenenſium & inter cæteras eſſe ſecundam.

RVBRICA VII.
Tertia Natio Vngariæ.

Item omnes Vngaros, Bohemos, Polonos, Moravos, Sclavos, cum omnibus ſibi annexis in idiomatibus, Græcos quoque, eſſe volumus de una Natione, & hanc Vngariæ appellari, & inter cæteras tertiam collocari.

RV-

(1) *De* duobus *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codicibus MStis, quibus* Privilegia & Statuta *Inclytæ Academiæ* Pariſienſis *continentur, vide infra peculiarem Annotationem in fine hujus Capitis.*

(2) *Academia* Pariſienſis *in* quatuor *diviſa eſt* Nationes, *quarum prima eſt* Francica *proprie dicta, ſecunda* Picardica, *tertia* Normanica, *quarta* Germanica. *Plura vide hac de re apud* Petrum Bonfons, *Antiquitatum Pariſienſium capite decimo tertio, & apud* Paulum Merulam *Coſmographiæ Parte ſecunda, lib. 3 cap. 21.*

RVBRICA VIII.

Quarta Natio Saxonum.

Item omnes Saxones, Weſtphalos, Friſones, Turingos, Miſnenſes, Brandenburgenſes, Prutenos, Livonienſes, Luſatienſes, Pomeranos, cum Regnis aliis Ultramarinis, ſcilicet Anglia, Ybernia, Scotia, Suecia, Norvegia & Dacia, ad unam Nationem ſtatuimus, & hanc inter cæteras eſſe quartam.

RVBRICA IX.

De quatuor Procuratoribus eligendis.

Præterea volumus quód earundem quatuor Nationum, quælibet unum de ſuis, & pro ſe Procuratorem eligat, virum literatum, ad hoc habilem & idoneum, de Vniverſitatis gremio exiſtentem.

RVBRICA X.

De Rectore eligendo.

Antedicti etiam quatuor Procuratores totius Vniverſitatis Rectorem eligere habeant ſcholarem, qui ipſis ad hoc aptus videbitur, ſive Artium ſive alterius Facultatis Profeſſor, aut alias membrum Vniverſitatis fuerit, & idoneus ad id officium gubernandum; idemque Rector ſit abſque inveſtitura alia confirmandus, ac in Rectoria eadem per anni medietatem permanſurus. In caſu vero diſcordiæ Procuratorum in electione, & diviſionis eorum in partes æquales, cui parti Rector, qui eſt pro tempore, vocem dederit, Rector ſit.

RVBRICA XI.

De Decanis quatuor Facultatum.

Illi vero, qui præſunt in quatuor Facultatibus, vel electione, vel ex antiquitate, Decani vocentur, quemadmodum in Pariſienſi Studio antedicto.

RVBRICA XII.

De ſtatu Rectoris.

Denique ſtatum Rectoris hujuſmodi proſequentes, decernimus & ſtatuimus per præſentes, Ipſum, cum Divinæ Majeſtatis, cujus res agitur, tum etiam noſtræ conſiderationis reſpectu, ab omnibus & ſingulis Prælatis & Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Civibus, aliiſque tam ſpiritualibus, quam temporalibus Principatuum ſeu Dominiorum noſtrorum incolis quibuſcunque, digne, reverenter, atque gratanter recipi ac tractari, quotieſcunque aliquid pro Vniverſitate, vel ejus ſuppoſitis coram Nobis, aut ipſis tractare habuerit, indilate admitti una cum comitiva ſua, honeſteque & decenter recipi, patienter audiri, celeriter expediri. Præcipimus nihilominus ſub obtentu Gratiæ noſtræ, diſtricte & firmiter fidelibus noſtris dilectis Conſulibus & Communi ſupradictæ Villæ noſtræ Wiennenſis, aliiſque univerſis & ſingulis noſtris, vel noſtrorum Judicibus, Adminiſtratoribus, Officiariis, Conſulibus, ac quibuſcunque noſtris ſubjectis, quatenus, ſi judicii vel cujuſcunque alterius emergentis vel emergendi negotii prætextu, ipſum Rectorem eorum auxilio ſeu juvamine indigere contigerit, ſibi communiter & diviſim toto poſſe ſuo ſuccurrant fideliter, & aſſiſtant efficaciter per ſe, & per ſuos ſervitores & nuntios abſque dilatione qualibet pro qualitate negotii, & quando & quoties opportunum fuerit, & ſuper eo per ipſum, vel ejus locum tenentem, fuerint requiſiti.

RV-

RVBRICA XIII.

De Sigillis Vniverſitatis & eorum conſervatione.

Ordinamus etiam, quod dicta Vniverſitas Studii noſtri, pro ſuis cauſis & negotiis, magnum Sigillum habeat; & parvum atque ſignetum ſemper in Rectoris eſſe volumus poteſtate, quibus ipſe perſonaliter, vel coram ſe præſentialiter, literas ſigillari faciat vel ſignari. Magnum vero Sigillum una cum Vniverſitatis literis & privilegiis reponendum & conſervandum fore decernimus in arca vel ſcrinio, quatuor clavibus obſerato; quas quidem claves cuſtodiri & teneri volumus a quatuor Facultatibus, ſcilicet Theologiæ, Juris, Medicinæ & Artium liberalium, illo modo, quod Rector habeat unam clavem ſuæ Facultatis, alias vero tres claves cuſtodiant Decani aliarum tantum Facultatum. Verum ſi cujuſvis prædictarum quatuor Facultatum Decanus omnimode haberi non poſſet pro tempore, tunc clavis ejuſdem Facultatis Procuratori Nationis Auſtriæ præſentetur.

RVBRICA XIV.

De efficacia Sigillorum Vniverſitatis.

Statuimus quoque & volumus, quod viſis literis Rectoris præhibiti, Vniverſitatis Sigillo magno aut parvo vel ipſius ſigneto ſigillatis, teſtificantibus earum præſentatores veros eſſe Magiſtros vel Scholares Vniverſitatis Studii Wiennenſis, vel eorum ſervitores, omnes & ſinguli noſtrorum Teloniorum, Mutarum aliorumve reddituum aut proventuum collectores, cæterique officiales & ſubditi, quibuſcunque nominibus nuncupentur, fidem adhibeant pariter & obediant in ipſorum Magiſtrorum & Scholarium exemptionibus, eoſque præſentatores, ſine requiſitione alterius teſtimonii, expediant indilate.

RVBRICA XV.

De Exemptionibus ac cæteris emunitatibus perſonarum Vniverſitatis.

Cæterum in exemptione Studii liberaliorum veſtigia Principum ſequi volentes, ne fortaſſis de exiguo avaritiæ arguamur, aut hujuſmodi Studium ſuſpicemur pecuniarum acquirendarum animo erexiſſe, idcirco modico illo, quod per exemptionem Scholarium noſtris proventibus ſubtrahi poterit, pro nihilo reputato, cum idipſum aliunde in ſpiritualibus, immo utriſque bonis, Nobis & noſtris multipliciter recompenſari minime dubitemus, liberaliter confirmamus Statutum, quo & nunc omnes Magiſtros, Doctores, Baccalareos & Scholares dicti noſtri Studii, eorumque veros ſervitores & Bedellos, abſolvimus atque eximimus, ex certa ſcientia & tenore præſentium, ab omnibus, ſteura, (1) mutuo, contributionibus, ſeu quibuſvis aliis exactionibus omnibus, aut ſervitiis oppidanorum Villæ noſtræ Wiennenſis præfatæ, ac aliorum omnium Nobis in noſtris territoriis ſubjectorum: quodque nullus eorundem Magiſtrorum vel Scholarium, pro quacunque cauſa, corpus, bonorem vel res ipſius concernente, quolibet impeti vel in jus trahi debeat ſeu valeat coram judice ſeculari.

RV-

(1) *Vulgo* darleihen.

RVBRICA XVI.

Pœna occidentis Studentem, vel in ejus mortem temere machinantis.

Si, quod avertat Deus Omnipotens, aliquem noſtræ ditionis laicum, Comitem, Baronem, Nobilem, Civem, Burgenſem, Oppidanum vel Curialem, divitem vel pauperem, cujuſcunque conditionis exiſtat, intra noſtrarum terrarum terminos ullum Magiſtrum vel Studentem dictæ Vniverſitatis, vel ad ipſum Studium accedentium vel recedentium, ab eo occidere, vel ad ejus mortem temere machinari contigerit, de perſona illius judex, in cujus diſtrictu homicidium tale perpetratum fuerit, habet & debet ibidem per ſententiam & decretum ſecularis judicii judicare. Ejus vero bona, ſi profugus fuerit, immobilia, quæ feudalia fuerint, proprietatis cedant Domino; prædia ac propria mobilia & immobilia, quocunque nomine cenſeantur, dimidium ad Nos, & dimidium ad Vniverſitatem præhibitam ad Gratiam noſtram devolvantur.

RVBRICA XVII.

De punitione lædentium membra Vniverſitatis.

Quibus addentes irrefragabiliter obſervari præcipimus Privilegium alias per Nos dicto Studio noſtro traditum, ſuper punitione lædentium aliquem de Magiſtris vel Studentibus, aut eorum ſervitoribus; cujus quidem Privilegii tenor erat talis.

RVBRICA XVIII.

Pœna mutilantis ſeu membro privantis Studentem.

Si autem quis laicorum ſpecificatorum ſuperius aliquem Magiſtrum

A *vel Studentem dictæ Vniverſitatis mutilaverit, ſeu manu, pede, brachio, crure, oculo, aure, naſo vel aliquo aliorum membrorum ſuorum privaverit, idem pro eo deprehenſus, membro (1) conſimili, quo privavit Magiſtrum vel Studentem, hujuſmodi eſt truncandus, niſi idipſum membrum centum marcis argenti Wiennenſis ponderis redimat; quarum medietas læſo tribuatur, reliqua vero medietas inter Nos & dictam Vniverſitatem æqualiter dividatur. Vbi vero mutilator vel truncator membri præhibitus,*

B *bona habens immobilia, aufugiendo evaſerit, prædia illius & propria Nobis & dictæ Vniverſitati in parte cedant dimidia, & læſo reliqua tribuatur medietas ad Gratiam noſtram, ut præfertur: idemque ob prænotatum exceſſum proſcriptus & deportatus ab omnibus noſtris & noſtrorum terris & diſtrictibus eſſe debet, abſque ſpe ulla redeundi, niſi prius gratiam noſtram, & læſi, ac Vniverſitatis prædictæ favorem &*

C *licentiam obtinuerit ſuper eo. Dicti vero exceſſus perpetrator, ſi leno vel (2) ribaldus, vel alius vagus, nullam habens certam reſidentiam, fuerit, debet pœnæ proſcriptionis ſeu excluſionis a noſtris & noſtrorum terris abſque omni gratia perpetuo ſubjacere, privandus membro ſimili abſque omni redemptionis ope, quo Vniverſitatis deſtituit Clericum, ſi poſt exceſſum hujuſmodi in noſtris vel noſtrorum terris aut diſtrictibus fuerit deprehenſus.*

RV-

(1) *Jure* talionis *ſecundum Legem duodecim Tabularum; de qua vide Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 20. cap. 1.*

(2) *In antiquo Vocabulario Latino-Germanico, Auguſtæ Vindelicorum typis Joannis Kelleri Anno 1478 impreſſo in folio* Ribaldus *latine vertitur* Vir inutilis, vanis dictis & factis inſiſtens. *Germanica verſio non additur alia, quam* Ribald. *Itali dicunt* Ribaldo & Rubaldo; *Galli* Ribault; *Belgæ* Rabaut.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

RVBRICA XIX.

Pœna vulnerantis aut officio membri privantis aliquem de Studentibus.

Sed in casu, quo ullus Magistrorum vel Studentium dictæ Vniversitatis ab aliquo hominum, ut prædicitur, vulneratus, vel violenta manuum vel pedum injectione, tam graviter læsus fuerit, quod ex eo alicujus sui membri officio orbaretur, tunc reo vel reis violentiæ hujusmodi deprehensis, sunt membra similia amputanda, nisi eorum quilibet suum membrum redimat sexaginta marcis argenti dicti ponderis ad gratiam nostram dividendis ordine præ- B *libato: aufugientium vero seu evadentis bona infiscata distribuantur, quemadmodum est præmissum. Egentes autem & inopes a nostris terris & districtibus exulent perpetuo, & in eis deprehensi truncentur manibus, prout superius est expressum.*

RVBRICA XX.

Pœna sauciantis vel offendentis aliquem de Studentibus, sic tamen quod membrorum officio non privetur.

Insuper, quo supra nomine, statuimus, quod, si quis Magistrorum vel Stu- C *dentium ab ullo sauciatus, vel ex violenta manuum vel pedum incussione tali læsus fuerit, quod tamen ex eo membrorum suorum officia non amittat, eidem læsori pro eo deprehenso, debet manus pugione transfigi, nisi id redimat quadraginta marcis argenti dicti ponderis, ut præmittitur, dividendis; &, si idem aufugiendo judicium evaserit, omnia ejus bona infiscare debebimus, & infiscata tenere, quousque Nostram gratiam obtinuerit, ac ipsi læso, & Vniversitati reconciliatus fuerit super eo. Nos tamen de eisdem bonis læso, pro læsionis qualitate, ad judicium dicti Rectoris, debebimus de congruæ subventionis remedio subvenire. Tali vero læsori, cui rerum deest possessio, nostræ terræ & Dominia sunt perpetue interdicta, & deprehenso manus cultello, ut prædicitur, absque Gratia transfigatur.*

RVBRICA XXI.

Mandatum generale, quatenus Vniversitatis personis nulla penitus injuria seu molestia inferatur.

Et adjicientes volumus & mandamus, quatenus omnes nostri Prin- B *cipes & Prælati, Comites, Barones, Clerici & Laici, Religiosi & Seculares, Milites, Armigeri, Cives, Burgenses ac cæteri omnes & singuli, intra nostræ Dominationis terminos existentes, exquisitissima diligentia observent & custodiant, ne dictæ Vniversitatis Magistris & Studentibus, aliisque ipsius suppositis, ulla penitus verbalis seu realis injuria, offensa seu molestia, per se, vel alios, undecunque seu quomodolibet inferatur, sub nostræ indignationis incursu, nec non & pœna, quam procul dubio irrogabimus molestatoribus, quamprimum ad Nos super hujusmodi deducta fuerit querela.*

RVBRICA XXII.

Præstatur Securitas rerum & corporum accedentium ad Studium, vel ab eo recedentium.

Rursum de præmissis adjecimus, quod & nunc confirmamus, ut, si qui sub Magistrorum vel Studentium titulis dictum Studium accesserint docendi vel discendi animo, vel ab eo recesserint, tales, vel eorum servitores aut famuli in accessu vel recessu hujusmodi intra metas nostrorum Principa-

tuum, Dominiorum & Terrarum, Di-
ſtrictuum & Territoriorum, quoſquos
& quæ nunc poſſidemus, & in futurum
poſſidebimus, plena ſecuritate rerum &
corporum debent perfrui & gaudere.

RVBRICA XXIII.

Quod Studentibus, ad Studium accedentibus res, ſi quas in noſtris diſtrictibus perdiderunt, ſolvi ſeu refundi debeant, dummodo conductum petierint.

Promittentes, quo ſupra nomine, quod, ſi de prænotatis perſonis quiſpiam intra metas terrarum noſtræ ditionis libros, aurum, argentum (1) *Jocalia, pecuniam, veſtes, vel alterius generis res quaſcunque, ſpoliatus perderet, eidem rem prædictam ſolvere ſeu refundere debemus & volumus integraliter, omnis dilationis & contradictionis diffugio poſttergato; adhibito tamen moderamine & adjecto, quod iidem Clerici, Magiſtri vel Studentes ſeu Scholares, eorundemque ſervitores, famuli, nuntii, cum ad locum dicti Studii accedentes, metas terrarum noſtrarum attigerint, conductum poſtulare debeant, & exigere a noſtris Principibus Eccleſiaſticis vel Secularibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, Miniſterialibus, Militibus vel cæteris Nobilibus, vel ab eorum Adminiſtratoribus, Caſtellanis, Judicibus ſeu aliis Officialibus vel a noſtris Capitaneis, Caſtellanis judicibus vel Officialibus, quibuſcunque nominibus cenſeantur, proximioribus Terrarum noſtrarum metis circa* (2) *ſtratam illam, per quam ad ipſum Studium proceſſerint prænotati.*

RVBRICA XXIV.

Quod Domini & Officiales Studentes, ad Studium accedentes, pro conductu hujuſmodi non gravent expenſis vel propinis.

Nec prædicti Domini & Officiales ipſos Magiſtros vel Scholares pro conductu hujuſmodi ullis gravent propinis vel ſumptibus, ſed tam gratioſe cum eis in hoc agant & favorabiliter, quod exinde Nobis querimoniæ nullæ fiant, cum eaſdem, ubi fierent, velimus ſtrictiſſime proſequi, & ſine pœnis nullatenus præterire.

RVBRICA XXV.

Quod Scholaribus advenientibus damnum ſeu ſumptus, ſi quos pro obtinendo conductu notabiles inciderint, effectualiter refundentur.

Si quis vero Magiſtrorum vel Scholarium advenientium, ob dilationem præſentandi ſibi conductum, dammum incurreret notabile, vel pro obtinendo ipſo conductu, daret invitus munera vel propinas irrationabiles, ipſa vel ipſas damna, propinas ſeu munera ſibi de noſtra Camera effectualiter refundemus.

RV-

(1) Jocalia *latino-barbare vocantur monilia, gemmæ, vaſa, aliaque ejus generis vel materiæ, vel formæ reſpectu, vel utroque pretioſa, & luxui potiſſimum inſervientia ac* joco, *hoc eſt, inani voluptati & oblectamento. Hinc enim alias etiam* Cleinodia *appellantur, quaſi* Kleinnot, *quia* exiguæ neceſſitatis *& parvi uſus ſunt. Ex latino-barbaro* Jocale *trahit originem Gallicum ejuſdem ſignificationis vocabulum* Joyau, *quemadmodum* Joye *ex latina voce* Jocus. *Vti porro ex* Jocale *latino-barbare fit* Jocalarius, *qui gemmas aliaſque ejuſmodi res pretioſas vendit, ita Gallice ex* Joyau *fit* Joyallier. *Itali eodem ſenſu pro* Jocale & Jocalarius *corrupte dicunt* Gioja, Giojello, Giojellero. *Ejuſdem originis & ſignificationis ſunt vocabula Belgica* Juweel & Juwelier; *quorum poſterius prava Germaniæ Superioris pronuntiatio mutavit in* Jubilierer.

(2) Strata *ſubſtantive pro* Via ſtrata; *qua loquendi formula utitur* Livius *libro octavo.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

RVBRICA XXVI.

Quod veſtes, panni, lectiſternia ſeu libri Studentium adduci poſſint ſine mutis &c. libere, & reduci.

Et in amplius liberalitatem noſtram dignantes extendere, volumus & ſtatuimus, quatenus, ſi pro membris Vniverſitatis præbibiti Studii, ibidem præſentialiter inſiſtentibus, aut eorum famulis, veſtes, ſeu alii panni non integri, ſed inciſi, in veſtes conſuti, vel lectiſternia aut hujuſmodi, ad ipſorum perſonas & uſum proprium pertinentia, aut libri quicunque adducti fuerint, illi abſque ſolutione mutarum ſeu teloniorum noſtrorum, aut cæterorum ſub noſtro Dominio conſiſtentium, nec non ſine impedimento quolibet per noſtras Terras, Civitates & Oppida adduci valeant libere & reduci. Si quis præterea de hujuſmodi rebus quaſcunque exactiones recipere vel quodvis aliud eis in gravamen præſumpſerit, ſciat ſe indignationem noſtram graviter incidiſſe, pœnaque deſtitutionis ab officio, aut reſtitutionis dupli juxta Rectoris æſtimationem firmiter puniendum.

RVBRICA XXVII.

Quod contra invaſores Scholarium quilibet videns accurrat.

His quoque addimus diſtricte præcipiendo, mandantes omnibus Nobis ſubjectis cujuſcunque conditionis exiſtant, quod, ſi quis aliquem de Magiſtris vel Studentibus dictæ Vniverſitatis violenter & armata manu invaſerit, ad hoc intercipiendum quilibet videns accurrat celeriter, & ad capiendum invaſorem eundem det operam, & juvamen, idemque captus indilate ſuo Judici præſentetur, ibidem de dicta violentia juſtitiam recepturus. Si quis

A *vero præſentium ſine ſui periculo notabili hujuſmodi operam dare potuerit & neglexerit, ultionem offenſionis noſtræ ſciat ſe nullatenus evaſurum.*

RVBRICA XXVIII.

Quod occiſores, læſores vel invaſores Studentium nullis gaudeant aſyli emunitatibus.

Nec occiſores, læſores ſeu violenti invaſores Magiſtrorum vel Studentium dictæ Vniverſitatis aliquo gaudere debeant aſylo, vel defendendi emunitate, privilegio ſeu libertate, per Nos, Noſtros Progenitores ſeu Anteceſſores Inclytos, conceſſis Monaſteriis,
B *Eccleſiis vel locis cæteris alicujus Principis Eccleſiaſtici vel Secularis, Prælati, Comitis, Baronis ſeu alterius hominis ſecularis, nobilis vel ignobilis cujuſcunque, verum confugientes ad loca capi, teneri & condigna pœna plecti debent, non obſtantibus emunitatibus, privilegiis ſeu libertatibus ſupradictis; quas & quæ Ducali noſtra Auctoritate, quo ſupra nomine, quo ad hunc caſum, tollimus & totaliter annullamus, volentes, quantum in Nobis eſt, omnem cauſam & occaſionem extirpare & tol-*
C *lere, quibus dicta Vniverſitas lædi poſſit quomodolibet vel turbari.*

RVBRICA XXIX.

Quod Vniverſitatis membra cauſas ſuas probare habeant duobus vel tribus teſtibus idoneis, quodque reorum judex ipſis juſtitiam indilate facere debeat.

Si dictorum etiam Magiſtrorum ſeu Studentium quiſpiam aliquem habet impetere ſuper memoratis exceſſibus vel violentiis, ſeu ſuper debitis & cauſis pecuniariis, ſeu aliis quibuſcunque, exceptis duntaxat cauſis mortis

& juribus infamiæ, illum debet coram ſuo judice convenire, ubique cauſam juxta Divini & poſitivi juris traditionem, duobus vel tribus, non ſuſpectis, qui vel auditu cum eo deponant, vel per alia legitima teſtimonia evincere & probare; quibus etiam Magiſtris vel Studentibus reorum Judices ſuper ſuis actionibus in terminis debitis indilatam facere debent juſtitiam juxta privilegiorum, alias & nunc per Nos conceſſorum Vniverſitati, continentiam ſine dolo.

RVBRICA XXX.

Quod nemo libros emat vel impignoret niſi de Rectoris licentia ſpeciali.

Inſuper inhibemus præſentibus, quod nullus Clericus vel Laicus, Religioſus vel ſecularis, Chriſtianus vel Judæus, ſeu alterius conditionis homines utriuſque ſexus, libros, cujuſcunque Facultatis exiſtant, a quo Magiſtro vel Scholare dictæ Vniverſitatis, vel a quovis alio homine de Vniverſitate non exiſtente, Religioſo vel ſeculari, quocunque cenſeatur nomine, emat vel impignoret, niſi de dicti Rectoris, vel Commiſſarii per eum ad hoc deputati, ſcitu & licentia ſpeciali; & ſi quis librum aliquem ſibi ſecus vendicare præſumpſerit, eundem dicto Rectori in pœnam abſque gratia aſſignabit.

RVBRICA XXXI.

Quod liber furtive ſubtractus, penes quemcunque repertus fuerit, gratis reſtituatur.

Si vero aliquis Magiſtrorum vel Studentium dictæ Vniverſitatis librum, ſibi furtive ſubtractum, penes aliquem Religioſum vel Secularem, cujuscunque ſtatus exiſtat, invenerit, quem ſuum fuiſſe teſtibus idoneis vel aliis documentis legitimis, ut præmittitur, probare valeat, ille, penes quem inventus fuerit, eidem Magiſtro vel Studenti librum ipſum abſque qualibet contradictione debet reſtituere, etiamſi liber ſubtractus ad eundem emptionis, inpignorationis, ſeu quovis alio titulo ſit perductus.

RVBRICA XXXII.

Qualiter diſponi debeat de bonis derelictis per Studentem dictæ Vniverſitatis inteſtatum decedentem.

Providere etiam ſalubriter cupientes, ne rerum Dominia ſub incerto maneant & vagentur, ſtatuimus, quod, ſi quis Magiſtrorum vel Studentium dictæ Vniverſitatis inteſtatus decedens, bona mobilia vel immobilia reliquerit, eadem per Rectorem Vniverſitatis, ſeu alium vel alios, vel quos Vniverſitas ad hoc eligendum vel eligendos duxerit, illæſa, integraliter & abſque diminutione qualibet teneantur, ita tamen, quod bona ſive res, quæ ſervando ſalvari non poſſunt, per præmiſſos ſeu præmiſſorum aliquem habita & poſſeſſa, ad conſilium quatuor Procuratorum proinde commutentur. Si quis vero hæredum ab inteſtato ſuccedentium comparuerit, qui legitime docere poſſit, ſe ipſius defuncti proximum & legitimum eſſe hæredem, eidem, ſi Laicus erat defunctus, beneficio Eccleſiaſtico carens, ceſſante dilatione qualibet, aſſignentur. Si vero defunctus erat Clericus, adminiſtrationem habens ſeu curarum beneficium, tunc bona ſingula, ut præmittitur, penes præmiſſos maneant, & ſerventur, donec peritorum conſilio ſummarie declaretur, an hæredibus, vel Eccleſiæ, aut alteri, de jure veniant aſſignanda; proviſo tamen quod de bonis ipſis, ut præmittitur, a decedentibus relictis, Creditoribus, in Studio noſtro

noſtro vel extra manentibus, tam Cle-
A *ricis, quam Laicis, dummodo de debi-*
tis liquere poſſit, congrue ſatisfaciat.
Volumus inſuper & ordinamus, quod
libri ipſorum decendentium ante diffi-
nitionem præmiſſorum remaneant apud
Librarium ſuæ Facultatis.

RVBRICA XXXIII.

Præſcriptis Ordinationibus antiquis confirmatis, nova Privilegia adjiciuntur & gratiæ, domuſque circa Prædicatores aſſignatur.

Libertatibus igitur, Privilegiis, exemptionibus & ordinationibus præſcriptis, alias præfato noſtro ſtudio authentice conceſſis & traditis, præſentium vigore innovatis, & cum ſuis additionibus & determinationibus, prout ſupra deſcribitur, approbatis, prædictarum quatuor Facultatum, videlicet Theologiæ, Juris Canonici & Civilis, Medicinæ & Septem Artium Magiſtris & Studentibus, eorumque ſervitoribus perpetuo valituris, eidem nihilominus Univerſitati Studii noſtri præſenti anno, videlicet a Nativitate Domini 1384, de ſpeciali liberalitate, domum circa clauſtrum Fratrum Prædicatorum ſituatam, proprio noſtro pretio per Nos comparatam & ſolutam, atque in Collegium, certis dotatum reditibus, redactam, deputamus, aſſignamus ac pro Nobis omnibuſque Hæredibus noſtris & Succeſſoribus irrevocabili dono tradimus diſtribuendam pro duodecim Magiſtris Artium, quorum unus ſit Baccalarius in Theologia, atque pro uno aut duobus Doctoribus in eadem Facultate; volentes quod ſupradicti in Collegio præfato, prout decet, vivant ordinate & inter ſe converſentur honeſte.

RVBRICA XXXIV.

Quod vacante loco Collegii, Magiſtri ipſius eligere habeant alium idoneum ſubſtituendum.

Et ne inpoſterum violenta partium inſtantia, aut corrupta hominum affectio intrudere poſſit dicto noſtro Collegio perſonas inutiles, ordinamus, ut quoties ibi locus vacaverit, Theologi, ſi ibi fuerint, & omnes Magiſtri conveniant, & tunc Magiſter Artium, in quem major eorum pars conſerit, recipiatur.

RVBRICA XXXV.

B De Capella in eadem domo fundanda.

Item ad Dei laudem præcipue, nec non noſtræ adminiculum ſalutis inſtituimus in prædicto Collegio Capellam, in qua Miſſæ dicantur a Studentibus & Magiſtris Presbyteris, commorantibus ibidem.

RVBRICA XXXVI.

Platea dictæ conjuncta domui Scholaribus pro ambulatorio aſſignatur.

Rurſum plateam eidem conjunctam domui, omnemque ſtationem ſeu negotiationem hactenus in ea ſolitam
C *fieri, abinde decætero removemus; ipſum ſpatium ex nunc ab omni tumultu liberum, Scholaribus pro deambulatorio deputantes.*

RVBRICA XXXVII.

De octo Canonicatibus & Præbendis in Eccleſia Sancti Stephani, reſervatis pro Magiſtris dicti Collegii.

Cæterum cogitantes de impletione ſancti deſiderii pro ſalute Anteceſſorum noſtrorum & noſtra, quatenus quoque viri ſcientiis & doctrinis altis præditi, ſaltem ſpe alicujus certæ pro-

motionis allecti, amplius provocentur dictum Vniverſitatis noſtræ Studium accedere, ibique ad eruditionem fidelium laborare, ordinamus, quod deinceps de octo Canonicatibus & Præbendis Collegii noſtræ fundationis in Eccleſia (1) *Omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani, Wiennenſi proxime vacaturis, & tunc, & iterum perpetuo, totiens quotiens eaſdem vacare contigerit, diſponi & provideri per Nos & Succeſſores noſtros debeant ſolummodo pro Regentibus Magiſtris ſupradicti noſtri Collegii Facultatis Artium, juxta tenorem & formam literarum, quas ipſis ſuper hoc aſſignavimus ſpeciales; & adjicimus, ut Magiſtro Artium aliquo ad Canonicatum & Præbendam cum plenaria perceptione fructuum in dicta Eccleſia promoto, ſuum vacet ſtipendium. Nolumus etiam quemquam Magiſtrorum Artium in pluribus Collegiis aut locis ſtipendia poſſidere.*

RVBRICA XXXVIII.

Qualiter Scholæ ad Sanctum Stephanum & aliæ regi debeant.

Amplius quoque in (2) *antiquis Scholis ad Sanctum Stephanum Artes liberales etiam publice legi ſtatuimus per quatuor præcipue Magiſtros Artium alios a prædictis, eorumque unum ibidem eſſe Rectorem puerorum; ipſos etiam quatuor ſalariari perpetuo per Oppidanos ac Communitatem dictæ noſtræ Villæ Wiennenſis; ſic videlicet, quod illi, qui Rector puerorum fuerit, annuatim triginta duæ libræ, præter accidentia Chori Sancti Stephani, reliquis vero tribus, ſingulis ſedecim libræ denariorum Wiennenſium perſolvantur. Præterea idem Rector Scholarium Sancti Stephani gaudeat nihilominus Juribus & Conſuetudinibus præſentandi aut conſtituendi Rectorem Scholarium ad Sanctum Michaelem, & in Hoſpitali, nec non & quibuſcunque aliis, eo modo, quo alias id fieri eſt conſuetum, dummodo paci & honori Vniverſitatis non derogent prælibatæ. Idem quoque Rector, nec non aliorumque Scholarium Grammaticalium Regentes, & Scholares omnes & ſinguli, qui de Vniverſitatis gremio eſſe voluerint, juxta modum infra tactum, Regiſtro inſcribi teneantur, & ita noſtris gaudeant Libertatibus & Privilegiis hic deſcriptis. Cæterum, ne ſupradictis quoque quatuor Magiſtris, ſtipendia Civitatis recipientibus, per importunas forte preces, aut alias quomodolibet intrudi valeant futuris temporibus perſonæ inutiles, ſic diſponimus, ut quando unus eorum defecerit,* (3) *Magiſter Civium ac Conſules Rectoris aut aliorum quatuor Seniorum de quatuor Nationibus, vel quatuor Procuratorum conſilio utantur de Magiſtro in locum vacantem ſubrogando, & qui prædictis Magiſtro Civium & Conſulibus, conſilio præhabito, placuerit, iſte debet absque contradictione aſſumi.*

RVBRI-

(1) *Vide ſupra Segmentum hujus Capitis* quartum, *Col. 57.*

(2) *Vid. ſupra Segmentum hujus Capitis* ſecundum *Col. 52. Hæc videlicet eſt* antiqua *illa* Schola ad S. Stephanum, *cujus aperiendæ licentiam Imp.* Fridericus II. *Civitati Vindobonenſi conceſſit Anno 1237.* Antiqua *autem cognominatur reſpectu* Academiæ *ejuſdem Vrbis, quippe quæ fundari cœpit A. 1365.*

(3) *Germanice vertendum eſt* Burgermaiſter und Rath. Conſulatus *enim apud mediæ ætatis ſcriptores Latinos ſignificat* Senatum; *ut pluribus jam pridem monui libro* ſecundo *Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis a pag. 9. uſque ad pag. 16.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

RVBRICA XXXIX.

Quod nulla nova Schola erigatur.

Hoc etiam addimus, quod ſine ſcitu & licentia dicti Rectoris nulla nova Schola erigatur, aut aliquis Oppidanorum ſcholas privatas in domo ſua teneat, quod ſub pœna triginta marcarum argenti præſentibus inhibemus.

RVBRICA XL.

Quod Scholares ſeu Magiſtri, venientes ad Studium, ſe præſentare debeant Rectori, & jurare, & adſcribi (1) Regiſtro Studii.

Et ne occaſione abutentium ſupradictis libertatibus ſæpius forſitan turbentur Studentes præbibiti, aut multis proexinde cauſis emergentibus vexari Congregationibus Magiſtros contingat ordinamus, quod quilibet Scholaris, Magiſter vel Baccalarius, ad prædictum Studium veniens, ipſiuſque membrum fieri, & ejus libertatibus perfrui cupiens, præſentet ſe infra menſem primum Rectori Vniverſitatis juraturus atque Regiſtro Studii adſcribendus, nec bujuſmodi adſcriptio ſufficiat, quod aliquis talium ſit Scholaris aut membrum ipſius Studii, ſed oportet quod audiat continue aliquem Magiſtrum, Baccalarium, vel alium legentem in ipſis Scholis publicis, a Facultate admiſſum, vel ab eadem admiſſus, ipſemet legat; alioquin noſtris non gaudeat Privilegiis, veris duntaxat Scholaribus, nec non, aliis, prout ſupra deſcribitur, traditis & conceſſis.

RVBRICA XLI.

De Proceſſionibus Cleri ſolennibus.

Ordinamus inſuper quod Proceſſionibus Cleri ſolennibus, videlicet in feſto Corporis Chriſti, nec non funeralibus aut ſuſceptionibus Principum, Rector Vniverſitatis una cum omnibus Magiſtris, Doctoribus & Scholaribus præſentialiter debeant intereſſe hoc modo, quod Vniverſitas cæteris non miſceatur, ſed a latere dextro Collegii Omnium Sanctorum ordinate procedat, ſic quod Rector ex æquo correſpondeat Præpoſito dicti Collegii, & conjunctim ſuo ordine incedant Magiſtri & Baccalarii ſingularum Facultatum, prout & (2) Pariſiis, obſervatur. In aliis autem Proceſſionibus Rector Sancti Stephani loco & ordine debitis & conſuetis.

RVBRICA XLII.

Rectori Vniverſitatis traditur autoritas conſtituendi ſibi proprium Judicem pro civilibus cauſis, emergentibus circa perſonas Studii.

Conſequenter quoque in favorem Studii noſtri ordinamus, quod, qui-

(1) Regiſtrum Studii *hic ſignificat codicem ſive librum, in quem referuntur nomina omnium Academica fruentium libertate. Appellaturis alias* Matricula; *quæ vox etiam pro quolibet nominum Indice uſurpatur. Sic apud mediæ ætatis ſcriptores legitur* Matricula Militum, Matricula pauperum, Matricula baptizatorum, Matricula fidelium, *hoc eſt, eorum, qui Sacra Synaxi haberentur digni; unde delebantur, quibus impoſita eſſet pœnitentia publica. Hinc etiam vocantur* Matricularii, *qui matriculæ inſcripti ſunt.*

(2) *Tanta eſt* Pariſinæ Academiæ *dignitas, ut repræſentet* Regis Galliæ filiam natu maximam, *ideoque nulli, niſi ſolis* Pontificibus Imperatoribuſque Romanis, *ac* Regibus, *Vrbem Pariſinam intrantibus,* extra portam Vrbis *procedit obviam: & tam in nuptiis, quam funeribus Regum Galliæ peculiarem ſeſſionis & inceſſus ſui locum obtinet. In actibus autem Academicis non ſolum* Pares Franciæ *& quorumcunque Principum* Legatos *honoris cauſa præcedit, verum etiam* Nuncios *Summi Pontificis & Cardinales; uti teſtatur Petrus Bonfons Antiquitatum Pariſienſium capite 13.*

quicunque Rector Vniverſitatis fuerit, poteſtatem habeat judiciariam ſuper Scholaribus, atque aſſumendi & conſtituendi ſub ſe unum Judicem in cauſis Civilibus & caſibus emergentibus circa perſonas Laicales, ſervientes Vniverſitati & ejus ſuppoſitis, ut ſunt famuli, Bedelli, Notarii, Nuntii, Librarii, Scriptores, cæterique hujuſmodi Servitores; adhibito, quod idem Judex aſſumendus, ut prædicitur, etiam Nobis aut noſtris Succeſſoribus ſit ad id placibilis & acceptus.

A

RVBRICA XLIII.

Quod nemo Judicum, pro quocumque malefactorum inſequendo, alicujus Magiſtri vel Baccalarii domum intrare præſumat.

B

Statuimus etiam, quieti Studentium conſulere cupientes, quod nullus Juſtitiarii ſive Officialis ſervus publicus, ſive præco, domum Magiſtri, Doctoris vel Scholaris, malefactorem quemlibet fori ſecularis inſequendo, vel quovis modo quærendo, intrare præſumat, ſed malefactorem talem a Judice ſcholari, qui pro tempore fuit Vniverſitati deputatus, ſibi extra domum præſentandum poſtulet & requirat.

RVBRICA XLIV.

Qualiter procedendum ſit cum Scholare vel Studente, ſi quem fortaſſis capi contingat.

C

Item favorem noſtrum Magiſtris & Studentibus ampliare volentes, mandamus & volumus, ſi quem fortaſſis Magiſtrum, Baccalarium vel Scholarem noſtræ Vniverſitatis, in terris noſtris quocunque loco capi contingat, quod talis honeſte ducatur & collocetur, & indilate ſignificetur Rectori hunc captum Studentem dictæ Vniverſitatis exiſtere, Judex eum immediate gratis omnino & ſine exactione pecuniæ, aut quacunque occaſione alia tranſmittat Judici ſuo ordinario & aſſignet. Si vero capientibus alias, & ſine dicto teſtimonio conſtiterit, captum eſſe unum de eiſdem noſtris Studentibus, tunc abſque mora eotenus debebunt ipſum, ut dictum eſt, Judici ſuo ordinario motu proprio præſentare.

RVBRICA XLV.

Qualiter Wiennenſi Scholari de debitis pecuniariis debeat ſatisfieri.

Si quis etiam Magiſter aut Scholaris dictæ Vniverſitatis oppidanum Villæ Wiennenſis quemcunque ſuper debitis pecuniariis habebit inpetere, ſtatuimus, quod actori eidem de ipſis debitis, quas reus confeſſus fuerit, vel ipſe actor probaverit, per pecunias legitime ſatisfiat, quodque actor idem ad acceptandum quaſcunque res alias in ſolutionem ejuſdem debiti pecuniarii nullatenus teneatur: non obſtantibus, ſi prædicti oppidani quibuſcunque privilegiis aut conſuetudinibus ſive ſtatutis contrarium ſonantibus ſint muniti.

RVBRICA XLVI.

Quod Dux in novis Creationibus Conſulum Civitatis Studentes ipſis recommendet.

Inſuper promittimus, Noſque & Succeſſores noſtros omnes & ſingulos perpetuo obligamus, quod in ſingulis alternationibus, ſive novis creationibus Magiſtri Civium, Judicis ac Conſulum Juratorum Wiennenſis Oppidi, aut eorum ſingulorum, juramentis ipſorum volumus & debebimus in præſentia Rectoris, vel ejus locum tenentis, inſerere, quatenus dictam Vniverſitatem Studii & ejus membra ſingula fideliter recom-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recommissos habeant, ipsorumque privilegia, libertates, exemptiones, ordinationes & prærogativas, sibi a Nobis & nostris Successoribus concessas & concedendas, conservent firmiter & defendant.

RVBRICA XLVII.

Quod Vniversitas, unum ex illis duobus, quos Dux in Consilium Oppidanorum Wiennensium solet ponere, eligere habeat pro Conservatore pariter & Executore Libertatum & Privilegiorum suorum.

Rursum quia frustra leges conduntur, nisi sit, qui earum defensionem & transgressoris justis plectendi animadversionibus habeat potestatem, ideo statuimus & volumus, ut semper unus, quem Vniversitas elegerit ex illis duobus, quos in Consilium dictæ Villæ nostræ ponimus, vel qui a Nostris Successoribus positi fuerint, Conservator pariter & Executor Privilegiorum seu Libertatum omnium, prædicto Studio nostro concessorum aut concedendorum a Nobis seu nostris Hæredibus succeſſuris.

RVBRICA XLVIII.

Dux obligat se & Successores suos ad ratihabitionem perpetuam præmissorum Privilegiorum, spondens ea ampliare, si pro tempore fuerit opportunum.

Nos itaque Albertus, Dux Austriæ, supradictus, recognoscentes expresse, Nos Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Bertoldi Frisingensis Episcopi, nostri Cancellarii, ac Baronum Ministerialium, Consiliariorum nostrorum, maturo præhibito consilio concessisse & indulsisse dictæ Vniversitati Jura, Gratias, Libertates & Privilegia prænotata, promisimus ac per præsentes promittimus bona fide ac vigore nostræ Ducalis dignitatis, pro Nobis & nostris Hæredibus & Successoribus universis, quos obligamus & astringimus firmiter ad eorum ratihabitionem & observantiam inviolabilem, ea omnia & singula, prout sunt specificata superius & posita, rata & grata, firma & inconvulsa habere & perpetuo servare: quodque Nos ipsi Vniversitati & Studio eadem nostra Privilegia & Gratias, juxta ipsius necessitatem, pro temporum & negotiorum qualitatibus, meliorare, extendere & ampliare volumus ad ipsius Vniversitatis consilium, quoties ipsa ex causis rationabilibus & legitimis Nos requisierit & petierit super eo.

RVBRICA XLIX.

Quod quilibet Dux novus in ejus primo ingressu affirmare debet se Studium in suis ordinationibus & cæteris defensurum.

Porro cum naturale fœdus atque legalis ordinis ratio, approbante consuetudine, hoc jubeat, ut filiorum Posteritas gratum habeat, in eoque complaceat, quod religiose disposuit Progenitorum probitas imitanda, neque deceat Principum Successores legitimos a suorum Prædecessorum bonis Institutionibus aversos ullatenus claudicare, sed gaudentes de hujusmodi, ad Patrum atque propriam salutem & honorem eas custodire carius, pariter & augmentare, verentes, quod lex & natura filios exclamant ignobiles & degeneres, ea prævaricantes, quæ strenui tradidere Patres. Igitur Dux novus Austriæ quilibet ex nostris Hæredibus superveniens, in primo ejusdem Principatus sui ingressu, ab Vniversi-

tate Studii Wiennensis solemniter, ut decet, aditus & susceptus ipsam Universitatem gratanter habet recipere, affirmaturus Se velle Studium præfatum in omnibus Privilegiis & ordinationibus Prædecessorum suorum tueri & fovere firmiter, atque loco & tempore opportunis & congruis, prout occursura exegerint, Gratiis novis eam honorare & Prærogativis ac Privilegiis ampliare.

RVBRICA L.

Dux astringit omnes Ecclesiasticos & Seculares in suis Dominiis constitutos ad observationem, nec non & executionem ordinationum omnium præscriptorum.

Cæterum tenore præsentium affectuosè requirimus sub obtentu Nostræ gratiæ omnes & singulos, præsentes & futuros, infra nostræ Dominationis terminos constitutos, Prælatos, Abbates, Præpositos, Priores & Plebanos, obligamus quoque & astringimus districte & firmiter Comites, Barones & Milites, nec non Vasallos, Provinciales, Mareschalcos, Administratores, Capitaneos, Vicedominos, Castellaneos, Rectores, Mutarios, vel Teloniarios, cæterosque terrarum nostrarum Præsides vel Officiales, insuper omnes Magistros Civium, Judices, Ministros, Consules atque Cives omnes alios & singulos omnium terrarum, Civitatum, oppidorum, villarum & districtuum nostrorum Incolis cujuscunque eminentiæ, conditionis aut status existant, quatenus memoratas nostras Ordinationes, Constitutiones, Mandata & Inhibitiones in singulis suis punctis & articulis perpetuo observent, exequantur & impleant efficaciter & expedite; eos vero, qui ausu temerario præmissis contraire præsumpserint, indignationem Nostram gravissimam dignoscimus incurrisse, puniendos graviter in rebus vel corpore, secundum quod delicti qualitas exegerit, juxta ordinationum continentiam præscriptarum.

RVBRICA LI.

Conclusio Ducis Alberti (1) Fundatoris.

In præmissorum itaque omnium & singulorum testimonium & robur in perpetuum valiturum, Nos suprascriptus Albertus, Dux Austriæ, cujus Principatum & administrationem cum autoritate seu potestate plenaria dominationis, Deo auctore, feliciter possidemus & gerimus, præsentem paginam, summam Privilegiorum omnium a Nobis prædicto Nostro Studio concessorum hactenus continentem, majoris nostri Ducalis Sigilli appensione pro Nobis ac Illustri Principe Domino (2) Alberto, Duce Austriæ, Nato nostro carissimo, aliisque omnibus & singulis nostris Hæredibus & Successoribus duximus roborandum.

RVBRICA LII.

Consensus & approbatio Ducis (3) Leupoldi.

Nos quoque Leupoldus Dei gratia, Dux & Dominus terrarum & Prin-

(1) *Notandum est, Ducem Austriæ* Albertum III *cognomine* cum Trica, *hic vocari Academiæ Vindobonensis* Fundatorem, *quoniam sub illo revera ibi cœpit esse* Studium Generale, *postea-quam A. 1384* Facultatibns *cæteris accessit* Theologica. *Qua de re vide plura infra Segm. X & XI.*

(2) *Is est* Albertus quartus *ejus nominis Austriæ Dux & pater* Imp. Alberti.

(3) *Is est* Leopoldus tertius *ejus nominis Dux Austriæ, cognomine* Probus, *qui Anno 1386 apud* Sempach *in prælio contra Helvetios occubuit. De vera interpretatione cognominis* Probi, *uti hic usurpatur, vide quod sequi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Principatuum prædictorum, Fraterque (1) *uterinus Sereniſſimi Principis, Domini Alberti, Ducis præſcripti, Noſtri Majoris in annis, attendentes, quod ex fundatione & erectione hujus Studii, nedum altiſſimo Creatori honor & gloria, ſed etiam Nobis & noſtris ſubditis animarum ſalus pariter, & profectus rerum & corporum poterunt multipliciter provenire, eidem fundationi, certa ſuper eo cum noſtris Conſiliariis deliberatione præhabita, conſenſum, immo beneplacitum noſtrum, favorabiliter adhibentes, ipſam, pro Nobis ac omnibus Noſtris Hæredibus & Poſteris, cum appenſione noſtri Sigilli majoris perpetuo approbamus.*

RVBRICA LIII.
Approbatio Metropolitani & Ordinarii.

Cæterum & Nos (2) *Pilgrinus, Dei Gratia Salzburgenſis Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, loci Wiennenſis præbibiti Metropolitanus, &* (3) *Johannes eadem Gratia Patavienſis Epiſcopus, ejuſdem loci Ordinarius, plantationem hujuſmodi Studii multipliciter in Domino commendantes, approbamus pro Nobis noſtriſque Succeſſoribus univerſis, volentes ejus Magiſtris & Studentibus omnem, quam poterimus impendere benevolentiam, atque juxta præſcriptorum Privilegiorum continentiam, defenſionem pro viribus procurare. In cujus & omnium præſcriptorum teſtimonium Sigilla noſtra duximus præſentibus appendenda.*

RVBRICA LIV.
Approbatio Baronum Auſtriæ.

Denique & Nos Burghardus & Johannes fratres, Burgravii Megdburgenſes, Comites in Hardeck, & Henricus Comes de Schawemberg; item Rudolphus de Walſſe, pro nunc Provincialis Marſchalcus, Joannes de Liechtinſtain; de Nicolſpurg, Magiſter Curiæ; Marquardus de Tyrnſtain, Judex Curiæ; item Conradus de Meyſſaw, Supremus Dapifer, Johannes de Meyſſaw, Supremus Pincerna; (4) De Eberſdorff, Supremus Came-

Capitis Segmentum nonum. *De vera autem Etymologia ſive originatione nominis* Leopoldi, *pro quo in antiquis Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ monumentis ante trecentos, vel quadringentos, vel quingentos, vel ſexcentos annos ſcriptis,* Luitpoldus, Lutpoldus, Liupoldus, Liupaldus & Leupoldus *legitur, infra commodiori loco in his agetur Commentariis.*

(1) *Frater* uterinus *pro fratre* germano.

(2) *Is eſt* Pilgrinus, *cognomine* de Puechaim, *qui in Archiepiſcopum Salzburgenſem electus eſt A. 1365 & A. 1396 obiit. In Wigulei Hundii Metropoli Salzburgenſi, pag. 24, pro Anno 1365 perperam legitur A. 1366.*

(3) *Is eſt* Joannes *cognomine* de Scherffenberg, *ſeu, ut vulgo corrupta promuntiatur* Schaftenberg, *qui creatus eſt Epiſcopus Patavienſis A. 1381, & A. 1387. obiit. Wiguleus Hundius in Metropoli Salzburgenſi, pag. 144, ubi de hoc Epiſcopo* Joanne *agitur, falſo tradit, celeberrimam* Academiam Wiennenſem, *cujus Privilegia a jam memorato Patavienſi Epiſcopo* Joanne *una cum* Pilgrino *ſeu potius* Peregrino *Archiepiſcopo Salzburgenſi confirmata ſunt, erectam eſſe A. 1362 ab Auſtriæ Ducibus* Alberto Contracto, *ac* Rudolpho Ingenioſo. *Triplex enim hic committitur error:* primo *videlicet, dum Auſtriæ Dux* Albertus II, *cognomine* Contractus, *perperam confunditur cum* filio ſuo *Duce* Alberto III, *cognomine* cum Trica; ſecundo, *dum prima fundationis Academiæ origo, quæ revera in annum 1365 incidit, perperam refertur ad annum 1362:* tertio, *dum* origo *fundationis Academiæ ſub Duce Rudolpho IV perperam confunditur cum inchoatæ fundationis* conſummatione *ſub Duce* Alberto III, *cognomine* cum Trica; *quippe quo procurante, cæteris Facultatibus A. 1384 acceſſit etiam* Theologica.

(4) *Prænomen deeſt hic.*

Camerarius; Reynhardus de Webinghen, Supremus Magiſter Janitorum; (1) de Kreuſpach Supremus Magiſter Venatorum; item Henricus de Rawenſtain, Cadoldus de Ekertzaw, Henricus de Walſſe, Conradus de (2) Pontendorff, Seyfridus de Cunringhen, Eberhardus de Capellen, Georgius de Meyſſaw, Albertus Schuchſo, Joannes de Stadech, & Joannes de Tyrnavia, Magiſter (3) Gubarum, Auſtriæ Barones, Miniſteriales & Vaſalli Principatus Auſtriæ, profitemur præſentibus, prælibato Studio, per Sereniſſimum Principem, Dominum noſtrum naturalem, Dominum Albertum Ducem Auſtriæ ſupradictum tam egregio (4) erecto, omnibuſque Libertatibus & Privilegiis ſibi & omnibus ſuis membris ſeu Profeſſoribus conceſſis, ut ſuperius deſcribitur, maturo prævio conſilio, aſſenſum noſtrum expreſſum & benevolum acceſſiſſe: ſperantes per hoc totam noſtram Patriam erga Deum & homines in gloriæ titulis exaltari. Promittimus quoque pro Nobis ac noſtris Hæredibus & Succeſſoribus univerſis ipſius Studii perſonas ſingulari affectione proſequi, ac juxta præmiſſas Ordinationes poſſetenus defenſare; præſentes ſinguli Sigillorum noſtrorum appenſione in prædictorum evidentiam roborantes.

RVBRICA LV.

Approbatio & Roboratio Oppidanorum Wiennenſium.

Nos etiam (5) Magiſter Civium, Judex, Conſules jurati totaque Communitas Oppidi ſupradicti, ſcientes divinum eſſe & optimum boni communis extendere ambitum, & præſtare ſemper augendæ Reipublicæ juvamentum, doctique probabiliter ex præhibitis id fieri per erectionem & ſtabilitionem Generalis literarum Studii antedicti, attendentes Illuſtriſſimum Principem Dominum Albertum, Ducem Auſtriæ ſupraſcriptum, noſtrum Dominum naturalem, Sancti Spiritus adſpirante gratia attentum tam fervide, quod ex ipſo Studio tota Patria tanquam lucerna ſapientiæ extollatur, volumus ac ratione cogente debere nos recognoſcimus Vniverſitatem ipſius Studii ac membrorum ejus quodlibet ſincero affectu proſequi, defendere, ac tueri omnes ejus Libertates, Privilegia, Ordinationes, Exemptiones, & Gratias, per jam dictum Gratioſum Dominum noſtrum Ducem in præſenti litera traditas & conſcriptas, quorum notitiam nos habere præſentibus proteſtamur; ſpondemus dictæ Communitatis nomine pro nobis & omnibus noſtris Succeſſoribus & Hæredibus, promittentes eas ſervare inviolabiliter cuncto tempore, nec non pro toto poſſe noſtro firmi-

(1) *Prænomen deeſt.*

(2) *Ita legitur hic in MSto, non autem* Pottendorf. *De familia Baronum Auſtriacorum* de Pottendorf, *quæ jam prorſus defecit, vide* Joannis Cuſpiniani Auſtriam pag. 632, *ubi agitur de interitu Ducis Auſtriæ* Friderici II, *cognomine* Bellicoſi, *qui a Barone quodam* de Pottendorf, *freno ſeu capiſtro equi ſui ſtrangulatus eſſe creditur.*

(3) Huba & Hoba *Latino-barbare dicitur pro* villa *ſive* prædio; *Germanice* ein Hof oder Mayerhof. *Interdum etiam ſignificat* Huba *certam aliquam agri portionem; quæ dialecto Saxoniæ inferioris vocatur* ein Huve Landes. *Vide* Henrici Spelmanni, & Gerardi Joannis Voſſii *Gloſſaria Latino-Barbara.*

(4) *Notabile eſt erectionem Academiæ Vindobonenſis hic attribui Duci Auſtriæ* Alberto III, *cognomine* cum Trica, *ſine ulla mentione fratris ipſius natu majoris Ducis* Rudolphi IV; *nempe quoniam ſub hoc inchoata quidem eſt fundatio ejus, ſed ſub illo conſummata.*

(5) *Germanice* Burgermeiſter, Stadtrichter, Rath und Gemeine.

firmiter conſervare. In cujus teſtimonium majus Sigillum noſtræ Communitatis Wiennenſis præſentibus duximus appendendum.

Vſque huc antiqua illa Academiæ Vindobonenſis ſive Wiennenſis *Privilegia*, quæ A. 1384 a Duce Auſtriæ *Alberto III* cognomine cum *Trica*, promulgata, nec ſolum ab ipſo, verum etiam a *Fratre* ejus Duce Auſtriæ *Leopoldo III*, cognomine *Probo*, a *Pilgrino* Archiepiſcopo Salzburgenſi, a *Joanne* Epiſcopo Patavienſi, ut & a *Proceribus Auſtriæ, Senatuque ac Communi Civitatis Vindobonenſis* ſive *Wiennenſis* approbata & confirmata ſunt. Cæterum, quoniam Ducis Auſtriæ *Leopoldi Probi* jam facta eſt mentio, non poſſum, quin obiter hic moneam, cognomen *Probus* non eſſe, ut vulgo perperam fit, germanice interpretandum **der Fromme**, ſed **der Ritterliche** vel **der Streitbahre**, uti apud Italos *il Prode*, & apud Gallos *le Preu;* quæ duo corrupta vocabula fine dubio a latino *Probus* trahunt originem. In Vocabulario Italico Academiæ *Furfureæ*, vulgo *della Cruſca*, *il prode* idem eſt atque *il valoroſo:* in Gallicæ autem Linguæ Theſauro *Joannis Nicot preu* ſignificat *chevallereux, vaillant & de grand effort aux armes.* Initio videlicet ex voce latina *probus* per apocopen ſive ablationem ultimæ ſyllabæ factum eſt *prò*, quemadmodum in his *Boccacii* verbis: *Giovane e bello, e prò della perſona;* item in his: *Voi ſiete divenuto un prò Cavaliere, poſciach' io non vi vidi*, Galli autem more ſuo craſſum illud *O* Latinum mutarunt in *eu*, & ex *pro* fecerunt *preu*, uti ex ovum *euf* ſive *œuf*, ex opere *euvre* ſive *œuvre*, ex *paucus*, quod Italis eſt *poco*, *peu*. Euphoniæ demum cauſa adjecta eſt litera *d*, & conjunctim dici cœpit *un prod-huomo* & *un preud-homme;* item *preud-hommie* & *prodezza*, pro quo Hiſpani, omiſſa litera *d*, dicunt *proeza*. Quo ſenſu igitur jam memoratæ voces ab Italis, Hiſpanis & Gallis uſurpantur, eodem ſignificatu apud mediæ ætatis ſcriptores Latinos paſſim occurrunt vocabula *probus* & *probitas*, nec aliter quoque Ducis Auſtriæ *Leopoldi Probi* cognomen interpretandum eſt. Hinc enim idem Dux ab *Alberto de Bonſtetten* in hactenus inedita *Hiſtoria Auſtriaca*, tanquam per periphraſin, recte appellatur *Princeps Armipotens & admodum magnanimus*. Eadem ratione explicandus eſt *probi Viri* titulus in *Chronico Auſtriaco Zwethalenſi*, ubi de *Domino de Sumerawe* ſive *Sumerau* agitur his verbis: *A. 1297 Dux Auſtriæ Albertus expulit de terris & confinibus probum Virum ac ſolennem Miniſterialem* (1) *Dominum de Sumerawe, confractis Caſtris & deſtructis munitionibus ſuis.* Similiter etiam *in Concilii Provincialis Vindobonenſis* ſive *Wiennenſis* Conſtitutionibus, quæ capiti tertio hujus Libri ſecundi inſertæ ſunt,

(1) *Hic eſt* Conradus de Sumerau, *qui ab ipſo Imp.* Alberto I, *tanquam adhuc Duce tantum Auſtriæ & Styriæ, memoratur inter* teſtes *Confirmationis ſuæ Privilegiorum Ducatus* Styriæ, *promulgatæ Friſaci Anno 1292. Extat hæc Confirmatio* in der Landhandveſte des Hertzogthums Steyr, *impreſſa Auguſtæ Vindelicorum typis Michaelis Mangeri A. 1583. in folio. In duobus Chronicis* Auſtralibus, *quæ* Marquardus Freherus *Tomo primo Scriptorum Rerum Germanicarum non ſolum imperfecte, ſed & vitioſiſſime edidit, pag. 326 & 339 pro* de Sumerau *ſive* Sumerawe *perperam legitur* de Suinawe & Swainawe.

sunt, *probitas* significat Heroicum aliquod factum Equestri Ordini conveniens. Ipsa Concilii verba hæc sunt; *Item cum in quibusdam locis iniquitas quorundam invaluerit laicorum, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo*, &c. Hic nempe, *rapina reputatur probitas* non est vertendum: **Die Rauberey wird gehalten für Frommigkeit;** sed **die Rauberey wird gehalten für Ritterlichkeit, oder für eine ritterliche That.** Persuasissimum etiam habeo, consuetudinem hanc tribuendi *Equestris Ordinis Viris*, & quidem præcipue illis, qui præ cæteris in re militari & armorum usu exercitatissimi paratissimique essent, antonomastice sive per excellentiam titulum *Proborum Hominum*, hinc potissimum ortam esse, quia institutionis omnium Ordinum Equestrium primarium fundamentum est probos adversus improbos justis armis tueri & propugnare. Si ergo, ut *Sextus Pompejus Festus* in Opere de Verborum significationibus docet, *Probus* a *probibendo* dicitur veluti *Prohibus*, quia is probus censetur, *qui se & alios a delinquendo prohibet*; summo jure hic *Probitatis* titulus *Equestri Ordini*, tanquam improbitatis prohibitionem armata manu exequenti, quam maxime competit. Et hæc quidem obiter.

Quod porro autem ad particularia *Statuta singularum Facultatum* supra memoratæ inclytæ *Academiæ Vindobonensis* sive *Wiennensis* attinet, ea extant in altero illo supra memorato MSto Codice Historico Latino quadringentesimo quinquagesimo octavo, & quidem ita, uti anno demum *millesimo trecentesimo octogesimo nono* ab *omnibus Facultatibus* conjunctim confirmata sunt. Quamvis autem ea satis sint prolixa, quia tamen hactenus in lucem nondum prodierunt, & multa continent, quibus non solum Historia literaria illorum temporum valde possit illustrari, sed & tam nostrum ævum, quam sera posteritas plurimum erudiri, integra ecce illa hic subjungo, fretus simul ac munitus recta intentione mea, si quis forte, ut judicia hominum diversa sunt, in malam partem id interpretabitur.

(1) PRINCIPIVM STATVTORVM FACVLTATIS THEOLOGICÆ STVDII WIENNENSIS.

PROOEMIVM SIVE EXORDIVM.

Cum ab irriguæ fœcunditatis scientiarum diluvio almæ Matris Universitatis Studii Parisiensis, nova in agro Ecclesiæ plantata Universitas litterarum Wiennensis in hac mundi vespera (qua Deus scientiarum Dominus decrevit rivum aliquem fontis sapientiæ in Germanos divertendum, ut fluminis impetu lætificet Civitatem Dei hausti bus aquæ sapientiæ de fontibus Salvatoris,) dinoscatur profluxisse, quam proinde Illustrissimus Princeps Dominus Dux Albertus Tertius, Fundator præcipuus & erector ejusdem Vni-

(1) *Horum Facultatis Theologicæ Statutorum aliud etiam reperi exemplar manuscriptum membranaceum in eadem Augustissima Bibliotheca Cæsarea inter MStos Codices Latinos, nullis adhuc certis numeris notatos; ideoque variantes ejus lectiones, quæ conferenti mihi se obtulerunt, & omissis manifeste vitiosis, notatu dignæ visæ sunt, in margine hic apposui.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vniverſitatis, in ſuis Ducalibus Privilegiis & Ordinationibus, in quantum novitas Studii, qualitas morum, ſtatus patriæ & conditionis hominum commode ſufferunt, quantumcunque propinquius fieri poterit, in Statutis & laudabilibus Conſuetudinibus ſingularum Facultatum, juxta Pariſienſis Studii ritum, diſpoſuit ordinandum: ideoque in præfata Pariſienſi Vniverſitate Sacra Facultas Theologica cæteris Facultatibus ut Lucifer præfertur æthereus, &, ut ſidus præfulgidum in firmamento Eccleſiæ, cœleſti candore præradiat, cujuſque ſplendor diffuſis radiis mundum illuminat, & virtutum germine orbem fœcundat univerſum. Eapropter dictæ almæ Vniverſitatis ac Facultatis Theologicæ Pariſienſis veſtigia inſequentes, Nos Magiſter Henricus de (1) Oytta Decanus ejuſdem Facultatis in Studio Wiennenſi, ſingulique Doctores ejuſdem Facultatis, Magiſter Leonhardus de Carinthia ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Magiſter Cunradus de Ebraco Ordinis Ciſtertienſis, (2) Henricus Langenſtein dictus de Haſſia, Gerhardus de Kalkar, Fridericus de Nüremberga ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Dei-Genitricis de Carmelo, Magiſter Franciſcus de Retz ordinis Prædicatorum, ad honorem Omnipotentis Dei & ad ſalubrem futurum ſtatum dictæ Facultatis noſtræ Theologicæ concorditer ordinamus ea, quæ ſequuntur.

TITULUS I.

Titulus de his, quæ ad Dei laudem & cultum pertinent immediate.

§ 1. Igitur inprimis de his, quæ ad Dei laudem & cultum pertinent immediate, ut ſunt Sermones & Miſſæ, ſoliciti a cultu Divinitatis incipimus, ad quem Theologica Facultas immediate ordinatur, diſponentes, quod omni anno in die Sancti Joannis Evangeliſtæ, in Collegio Sancti Bernhardi ordinis Ciſtertienſis, cantetur de eodem Miſſa ſolemniter, ad quam ſinguli Doctores in Theologia, Baccalarii, Curſores, cæterique Graduati, cum copioſa multitudine Studentium ſuorum conveniant; Doctores quidem & omnes Baccalarii in Cappis ſuis, vel aliis habitibus honeſtis; & completo Evangelio, vel poſt prandium, vel alia hora competenti, fiat Sermo devotus de illo altiſſimæ ſpeculationis Theologo, introducendo commendationem Sacræ Scripturæ, & depurationem conſcientiarum debentium in Sacra Pagina ſtudere, legere, vel docere.

§ 2. Item ordinamus, quod Decanus Facultatis Theologicæ ſit unus de Magiſtris in Theologia in hoc Studio regentibus, qui per electionem majoris partis Facultatis habeatur per medietatem anni permanſurus: cujus officium eſt Congregationes Facultatis facere, & alia, quæ pertinent ad Decanos, juxta

(1) *In altero MSto legitur* Oytha.

(2) *Hujus* Henrici *de* Haſſia *varii extant in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Tractatus Theologici MSti aliaque varia Opuſcula MSta, quorum uni, quod MSto Codici Juridico Latino* centeſimo ſecundo *inſertum eſt, hæc de tempore* mortis *ipſius ſubſcripta leguntur:* Explicit Epiſtola de Contractibus emptionis & venditionis ad Conſules Wiennenſes, edita a Venerabili Viro, Magiſtro Henrico de Haſſia, Sacræ Theologiæ Profeſſore egregio, qui felicis recordationis anni milleſimi trecenteſimi nonageſimi ſeptimi, undecima die menſis Februarii, diem ſuum clauſit extremum, ſcripta per Petrum Lewin, ejus familiarem. Orate pro eo Chriſti fideles. *Sequitur deinde hoc Epitaphium:*

Mortales cuncti, moveat vos tumba ſepulti
Haſſonis Henrici vermibus expoſiti:
Mors eſt a tergo; ſapiens homo ſe paret ergo.

juxta Statuta Vniverſitatis. Nolumus tamen per ipſum ad Congregationem Facultatis vocari Baccalarios vel Scholares, niſi in caſu paucitatis vel alterius neceſſitatis Facultas decreverit aliquos tales vocandos.

§ 3. Item ordinamus, quod diſponente Decano cum Facultate de perſonis, & locis, & temporibus, cum debita fiant, prout decet, diligentia, Sermones vel Collationes ad Clerum Vniverſitatis Wiennenſis.

§ 4. Item ordinamus, quod prædicaturus, vel collationem aliquam pro principio, vel alias facturus, pro themate accipiat de Biblia aliquam perfecti & pertinentis ſenſus orationem, & non dictionem unam aut ſyllabam, perfectæ orationi expreſſe non æquivalentem. Vitari etiam volumus in talibus verborum fictiones inconſuetorum, atque rhythmorum ſterilium coacervationes vanas & curioſas, ad rem non pertinentes, allegarique diſponimus in Sermonibus authoritates & concordantias de Biblia reales & non ſolum vocales, quæ nec probant, nec provocant, ſed magis ſua impertinentia prædicantem vituperant, & audientium aures turbant, cum audiunt allegari aut diſtorte exponi aliquid: verbi gratia de Chriſto quod notum eſt, de Diabolo dici, aut ſimilia.

TITULUS II.

De moribus in generali Suppoſitorum Theologicæ Facultatis.

Cum Sacræ Scripturæ intelligentia & ſcientia, ad quam ſtudio & exercitio Theologicæ Facultatis pervenitur, ſit regula morum & totius veræ honeſtatis forma, indecorum valde & indecentiſſimum judicamus, eos, A qui huic ſtudent Facultati, præ cæteris virtutum ornatibus non decorari. Nec poteſt hujus Scientiæ objecta digniſſima intueri niſi intellectualis oculus a vitiis purgatiſſimus atque mundiſſimus, ipſa dicente: Solum mundi corde Deum videbunt; Et alibi: Quod in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Hinc eſt, ut eorum, qui in hac Scientia laborant, converſatio & vita demonſtrent, quod ſint vere & realiter de Theologica Schola, & conditionem ſpiritualis ſcientiæ exprimat diſpoſitio religioſæ vitæ. Ordinamus, quod Theologicæ Facultatis Doctores & diſcipuli præ omnibus morum B præfulgeant inſigniis, & ubique clareant virtutum indiciis & habitu religioſitatis. Igitur deponentes (1) omnium vitiorum deformitatem, ſint graves & modeſti in verbis, ſint compoſiti in geſtu corporis, ſint ubique in veſtimentis honeſti & religioſi, non bibuli, non fornicarii, non brigoſi inter ſe, aut ad alios declinent vagitantes, vitent malas ſocietates, caveant loca ſuſpecta, non currant paſſim ad vana ſpectacula. Volumus autem ante omnia Graduatos & Graduandos his non eſſe notatos vitiis, atque eos, qui in Scholis legunt, aut opponunt, aut reſpondent, optimis & exemplaribus agi moribus in verbo, in geſtu & in omni actu, ut Scholæ Theologorum, ſicut dignum eſt, non tantum ſint ſcholæ ſcientiarum, C ſed magis ſcholæ virtutum & laudabilium morum. Volumus ergo Scholares noſtræ Facultatis præcipue pacificos & morigeratos eſſe in audiendis lectionibus, diſputationibus & ſermonibus, & omnino non diſſolutos. Scholarium aut Baccalariorum clamores aut ſtre-

(1) *In altero MSto legitur* omnem.

ſtrepitus, riſus & cachinnos in noſtris ſcholis & actibus audiri nolumus.

TITULUS III.

Titulus de diſpoſitione lectionum, & actuum, & de modis legendi & horis.

§ 1. In primis ordinamus ſeu diſponimus, quod lectiones & actus Magiſtrorum & Baccalariorum per totum annum diſponi & ordinari habeant juxta deliberationem Decani & Facultatis, ſingulariter autem quod Facultas, juxta merita & ſufficientias perſonarum & ſtatuum earundem ex fama & aliis poſſibilibus, prout conſtare poterunt, deliberata juxta qualitatem temporis, utilitatem Scholæ & Studii, & honorem Facultatis & totius Vniverſitatis, Libros vel paſſus Scripturæ pro curſibus aſſignare habeat, pro certis temporibus legendos, & complendos, & lectiones quantificare, atque ſermones Baccalariis diſtribuere.

§ 2. Item ordinamus, quod omnes, ſcilicet magiſtri, Baccalarii & Curſores de horis principiandi, legendi atque de modis legendi, ſpecialiter in caſu diſcordiæ, ſtabunt ordinationi ſuæ Facultatis.

§ 3. Item ordinamus, quod omni die legibili mane poſt ortum ſolis, prout tempori magis congruit, fiat ab aliquo Stipendiato, vel Stipendiatis, pro Theologiæ Doctoribus lectio doctrinalis ſolennis in eadem; quæ quidem lectio ordinaria vocetur ſolis Doctoribus deputata, ita quod nulli pro ea quemquam ſubſtituere liceat, niſi ſacræ Theologiæ Doctorem. Doctores vero novi hic facti, vel ab aliis Vniverſitatibus recepti, legant ſecundum diſpoſitionem Facultatis, prout horis & locis convenientius viſum fuerit eidem.

§ 4. Item ordinamus, quod Magiſter in diſputatione præſidens, diſtribuat ſecundum prioritatem Gradus vel ætatem loca ordinarie in Theologicis Scholis opponere vel arguere debentibus, qui ſunt Baccalarii formati & Sententiarii, & Curſores ſeu Biblici. Si vero Rectori Vniverſitatis, vel Doctori Juris, vel Medicinæ, vel Licentiato in Jure Canonico, vel Medicinæ, vel Decano Facultatis Artium, vel alii honeſti ſtatus Viro, in noſtris Scholis quandoque arguere placeat, Magiſter præſidens honorare poterit eos, præponendo, vel interponendo, vel poſtponendo noſtris, prout decentius fieri poterit.

§ 5. Item habeat Facultas Sigillum, habeat & Regiſtrum, in quo ſcribendi ſint omnes, qui in hac Facultate intitulantur; habeat & ciſtam vel ſcrinium quoddam, duabus clavibus ſeratum, quarum unam teneat Decanus, aliam ſenior Regens. In hoc ſcrinio ponantur Sigillum, Regiſtrum & pecuniæ Facultatis communes, & alia ſi quæ fuerint. Liber vero ſtatutorum Facultatis, cum clave ad arcam Vniverſitatis eidem concatenata, ſemper ſit apud eum, qui Decanus fuerit; qui & pecunias ad ciſtam Facultatis ponendas recipere habeat a Graduandis, & de receptis in reſignatione ſui Officii reddere computum Facultati.

§ 6. Item in ſermonibus prolixitatem vitari volumus, decernentes horam vel horam cum dimidia ſufficere debere, ad maximum autem duas horas, quas nemini liceat excedere.

§ 7. Item, ut ſimus conformes aliis Facultatibus tribus hujus Vniverſitatis in ordine Doctorum ſeu Magiſtrorum, ordinamus, quod inter Doctores noſtræ Facultatis ſit ordo ſecundum antiquitatem promotionis vel receptionis eorum in hac Vniverſitate, non prohiben-

hibentes eos, qui alios quacunque causâ, sine aliorum præjudicio, sibi præbonorare voluerint. Volumus nihilominus, Doctores nostræ Facultatis præbonorari ob prærogativas speciales, quoties & (1) quando Facultas hoc expedire decreverit.

§ 8. Item, quod vacationes magnæ æstivales, quantum ad lectiones ordinarias Doctorum, sint juxta ritum Parisiensis Studii a Vigilia Apostolorum Petri & Pauli usque ad crastinum exaltationis S. Crucis inclusive; & sequenti die resumant Magistri lectiones suas, & lectionibus suis primis Magistrorum factis, faciant immediate, vel prout facultas de tempore inceptionis disposuerit, sua principia solemniter in horis suis, primo Sententiarii (2) horis Primarum, consequenter ordinarii Biblici eadem hora, & dies istorum principiorum vacent a lectionibus. Volentes tamen quacunque causa in dictis vacationibus legere, non intendimus prohibere. Dies vero alii, in quibus in hac Facultate specialiter legendum non est, ultra dies, in quibus Statuta primitiva Universitatis legere prohibent, sunt isti; dies Sancti Lucæ Evangelistæ, item dies Sancti Thomæ de Aquino, item dies Sancti Bernhardi.

§ 9. Item, in quocunque die fiet sermo ad Clerum Vniversitatis ex dispositione Facultatis Theologicæ, eo tempore non legatur, secundum tenorem Statuti Vniversitatis, de hoc mentionem facientis.

§ 10. Item, quod in decisione quæstionum in disputationibus, & in principiis Sententiarum, ac in aliis actibus publicis, (3) in aula præmitti debeant protestationes laudabiles, quibus protestentur dictos actus facturi, quod non intendunt dicere, imo intendunt non dicere aliquid, quod sit contra fidem, contra determinationem Sanctæ Matris Ecclesiæ, aut quod cedat in favorem articulorum, Parisiis, aut hic condemnatorum, aut quod sit contra doctrinam sanam, contra bonos mores, aut quovis modo offendat pias aures, &, si aliquod istorum contingeret lapsu linguæ aut inadvertentia, aut alia quacunque occasione seu causa, quod dicent, se ex illo nunc pro tunc revocare, retractare, exponere, declarare velle ad ordinationem Facultatis Theologicæ hujus Studii Wiennensis.

§ 11. Item quod Scholares noviter incipientes audire Theologiam, si ad Gradus tendant, in primis quatuor annis portent vel portari faciant ad Scholas textus Sententiarum & Bibliæ, prout lectiones requirunt.

§ 12. Item ordinamus, quod Magister disputaturus post prandium, legat ante prandium, prout Parisiis consuetum est. Disputaturus vero ante prandium, vel citius legere incipiat, seu breviorem lectionem faciat, vel solum lectionem incipiat, & quæstionem proponat, prout judicaverit expedire.

§ 13. Item volumus ad profectum Scholarium, & probationem Baccalariorum omnes Baccalarios arguere in disputationibus Magistralibus, similiter & vacationum, utpote Collegiatum, contra Collegiatum, & Fratrem Religiosum contra Fratrem, nisi quandoque causa vitandæ prolixitatis, vel alia, a Præsidente decernatur, de quorundam argumentis supersedendum, sicut maxime in vesperiis & resumptis fieri solet.

§ 14.

(1) *In alt. Cod. MSto legitur* quomodo.
(2) *In alt. MS. legitur* hora.
(3) *In alt. MSto legitur* actibus publicis ut in aula.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§ 14. Item, ſcandalis & levitatibus Theologico decoratui indecentibus occurſuri, nolumus Doctores in Theologia in ſuis lectionibus, ſermonibus, aut determinationibus, contra ſe invehi, aut mutuo ſe pungere, aut publice reprobare, hortantes noſtros Doctores & Lectores, ut ſint in omnibus ſuis actibus ſic graves, maturi & circumſpecti, ut ex eorum verbis, nutibus & factis nullus ſcandalizetur, exceptis collationibus aulæ, & novorum Magiſtrorum in primis eorum lectionibus, & excepto, ſi quis Doctorum publice Catholicæ fidei diſſonam undecunque ſeminare, quod abſit, inciperet doctrinam, contra quem juſto Catholicæ doctrinæ Zelo omnes ſe opponere debebunt.

§ 15. Item ordinamus, quod quæſtiones, in Theologica Facultate publice diſputandæ, ſint rationabiles & ſerioſe utiles, materias practicas vel ſpeculativas tangentes, & quod earum tituli ſint clari, breves, decenter formati, ſine ſuperfluis rhythmis & verbis fictis ſeu peregrinis inepte inculcatis. Idem de concluſionibus intelligimus quæſtionum deciſivis, quas ternarium numerum in publicis diſputationibus excedere non permittimus.

TITULUS IV.

Titulus de promotionibus & temporibus Graduandorum, & qualitate eorum: Et primo de Curſoribus Ordinationes.

§ 1. Vbi inprimis ordinamus, quod promovendi ad Gradus in Theologica Facultate ad minus ſint Acoluthi, & infra annum aut biennium Subdiaconi, niſi interveniente ſpeciali diſpenſatione Facultatis.

§ 2. Item quod Curſores per ſex annos audierint Theologiam ſecundum modum infra in juramentis ſpecificatum, ſalvis Privilegiis Religioſorum, quibus non intendimus derogare.

§ 3. Item, quod quilibet de novo Curſum incipiens, eligere habeat Magiſtrum in Theologia in Studio Viennenſi regentem, ſub quo incipiat primum Curſum, ac alios actus conſequenter, ſi eum continuare contingat ejusdem conſilio mediante; eligatque Baccalarius Magiſtrum ſecularem, vel religioſum, prout habere voluerit, & habere de Studio potuerit, actu tamen regentem, ut præmittitur.

§ 4. Item attendentes, quod ad Gradus in Theologia Pariſiis non admittantur, niſi de legitimo thoro procreati, & non turpiter corpore vitiati, idem intendimus in hoc Studio obſervare.

§ 3. Item, quod volentes incipere Curſus in Theologia, habeant ſe præſentare Facultati, ſupplicaturi, ut per eandem Cancellario præſententur. Idem intelligimus de Sententiariis & ſecundum formam Bullæ Papalis.

§ 6. Item quod nec Magiſter, nec Magiſtri promoveant aliquem ad Gradum Baccalariatus vel Licentiæ in Theologia, niſi a tota Facultate, ſuper promovendis talibus congregata, fuerit concorditer ab omnibus judicatus ad talem Gradum promovendus, & pro eodem a quolibet Magiſtrorum dignus & ſufficiens in ſcientia, moribus & ſingulis, ad talem Gradum requiſitis, habitus; veruntamen ne quiſquam irrationabiliter ab aliquo impediatur, ordinamus, quod ſi aliquis, vel aliqui de Magiſtris, contradixerit, vel contradixerint promovendo, aliis pluribus pro ipſo deponentibus, cauſam aſſignare debent, & ſtare, quoad diſcuſſionem cauſæ illius, dictamini Facultatis.

§ 7. *Item, quod Curſores ſeculares in principiis & lecturis ſuis, aut in reſponſionibus propriis faciendis, utantur Cappis ſecundum modum Pariſienſem. In aliis vero actibus Vniverſitatis & ſuæ Facultatis, præſertim Magiſtralibus, etiam Cappis utantur Sententiarii ſemper: Curſores vero utantur aut Cappis aut Caphardis honeſtis.*

§ 8. *Item ordinamus, quod nullus recipiatur a Facultate pro Baccalario, niſi conſtet Facultati, ipſum legiſſe debite in aliquo Studio generali ea, quæ ad talem Gradum pertinent, vel talia lecturus ſit in Facultate Theologica iſtius Vniverſitatis, ſecundum modum de lecturis Baccalariorum præexpreſſis.*

§ 9. *Item, quod Curſor pro quolibet Curſu facere habeat collationem præambulam ſine quæſtione, ad recommendationem Sacræ Scripturæ; principians vero in quemcunque Librum Sententiarum collatione brevi præmiſſa, ſubjungere habet quæſtionem, in qua conferre habet & debet cum aliis Sententias legentibus, virtuoſe & honeſte, ſine verbis quocunque modo ſociorum ſuorum offenſivis, & in ultima lectione quilibet pulchre & honeſte recommendet ſocios ſuos more Studii Pariſienſis.*

§ 10. *Item ordinamus, quod Biblicus ordinarie legens in principio Studii poſt Sententiarios incipiat, & lectiones uſque ad Vigiliam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis continuet. Idem volumus de his, qui duos libros Sententiarum legunt alternis diebus. Alii vero, quorum quilibet quotidie legit, finire habent in Vigilia Beatorum Petri & Pauli duos libros, ita quod regulariter tres lectiones fiant in die, ſcilicet Magiſtralis, Sententiarum; & lectio Biblici Ordinarii poſt prandium immediate, vel hora Veſperarum, prout elegere voluerit, una horarum illarum reſervata pro his, qui habent Curſus ſuos legere. Hoc intelligimus ſi Lectores idonei haberi poſſint.*

§ 11. *Item volumus; quod ſemper paſſus Bibliæ prius non lecti aſſignentur Biblicis & Curſoribus, donec Biblia ſit in hoc Studio tota lecta.*

§ 12. *Item ordinamus, quod, poſtquam in Studio Wiennenſi lectum eſt tanto tempore, quantum requiritur ad Gradum Curſoris vel Sententiarii, cum nullo de tempore audientiæ amplius diſpenſetur, niſi talis cauſa interveniat, propter quam Facultas tota judicaverit eſſe merito diſpenſandum. Nolumus etiam quantumcunque tempus ſufficere pro Gradu in Theologica Facultate, niſi ſubſit ſufficiens ſcientia: nec quantumcunque ſcientiam ſufficere ad Gradus in hac Facultate volumus, ſi perverſis moribus aut notis vitiorum maculis diffamata fuerit.*

§ 13. *Item ordinamus, quod nemo promoveatur ad Gradum in dicta Facultate, niſi ſit ſufficiens Magiſter in Artibus, vel ſaltem quomodocunque ita edoctus, quod ſufficienter ſciat in Theologicis Scholis & opponere & reſpondere; quod ſi ante ejus promotionem non conſtet Facultati, debet pro examine reſponſionem publicam facere uni Magiſtro, quem Facultas ad hoc deputaverit, recepto juramento, quod de hoc fidele teſtimonium perhibeat.*

§ 14. *Item Baccalarii Biblici & Curſores, legendo Curſus ſuos ſeu Bibliam, inter alia ordinate & ſolide textum exponant, & gloſſas notabiles declarent, ſecundum modum curſorie legendi Pariſiis obſervatum.*

§ 15. *Item ordinamus, quod, qui reperti & judicati fuerint a Facultate tranſgreſſores Ordinationum ejus, vel*

alias

alias inobedientes, aut contra Magistros aut Magistrum protervi aut superbi, non promoveantur, nisi emendaverint ad beneplacitum Facultatis.

§ 16. Item ordinamus, quod in disputationibus & aliis actibus Scholæ Theologicæ, Baccalarii sedeant in scamnis Graduatorum secundum ordinem suum; utpote Cursores in tertio scamno, Sententiarii in secundo, in primo vero, quod est ad pulpitum, Licentiandi, vel eodem anno habentes tempus pro Licentia. Nemo ergo Scholarium Theologiæ, nisi sit Rector Vniversitatis, vel Prælatus, vel Illustris, aut Doctor in Jure Canonico, vel in Medicina, sedeat in Theologicis Scholis in scamnis Graduatorum, nisi sit ex speciali licentia & dispositione Magistri Præsidentis.

§ 17. Item ordinamus, quod omnes Baccalarii, Cursores, & qui legunt & legerunt Sententias, intersint disputationi cujuslibet Magistri, nisi rationabilem causam absentiæ habeant, quam Magistro disputaturo significare teneantur, vel Decano Facultatis. Idem intelligimus de Sermonibus Magistralibus, & de Vesperiis & aulis.

§ 18. Item, quod Baccalarii non procurent directe vel indirecte, ut tali vel tali die non legant.

§ 19. Item, si forte quandoque petitiones Principum vel quorumcunque pro non meritorum promotione fuerint porrectæ, allegationes fiant Statutorum & Juramentorum præstitorum de eisdem servandis. Etiam nolumus eos, qui ante legerunt, postergare, & juniores proponere ad preces importunas.

§ 20. Item ordinamus, quod Baccalarii & Licentiati suas positiones, determinationes, collationes & sermones ostendant Magistro suo vel Decano Facultatis, & stent ejus consilio & moderationi. Nec volumus quemquam de Licentiatis, Baccalariis aut Scholaribus in nostra Facultate publicum actum facere de prædictis, nisi ea, quæ dicturus est, prius examinata fuerint per aliquem de Magistris nostris regentibus.

§ 21. Item ordinamus, quod nemo recipiatur in Magistrum, Licentiatum vel Baccalarium Facultatis Theologicæ, nisi prius constiterit ipsum esse in Registro Vniversitatis & eidem juratum.

TITULUS V.

De Sententiariis Ordinationes.

§ 1. Vbi inprimis ordinamus, quod incæpturi Sententias in congregatione Facultatis petant promoveri ad Gradum Sententiariorum post Cursus suos, aut post ordinariam Bibliæ lecturam in Studio Wiennensi, aut alio Studio generali Facultatis Theologicæ, pro Gradu Licentiæ & Magisterii debite peractos.

§ 2. Item, si non elegerunt Magistrum vel careant electo, in Studio isto eligere habeant Magistrum regentem, ut de Cursoribus præscriptum est; sub quo, si contingat eos continuare usque ad Licentiam & Magisterium, incipere habeant & facta sua peragere, & non sub alio, nisi de licentia prioris Magistri fuerit, vel nisi ipse prior Magister fuerit absens, ut infra tempus congruum haberi non possit.

§ 3. Item, quod ante præsentationem ad Sententias ad minus bis responderint in Scholis Studii hujus, aut semel uni Doctorum regentium in Theologia ibidem, & semel in vacationibus in Collegio Domini Ducis, Priore præsidente, secundum ritum

Collegii (1) *Sorbonæ Pariſiis. In qua diſputatione ſpecialiter volumus Baccalarios omnes permanere uſque ad finem, niſi urgens neceſſitas naturæ vel alia cogat abire; qua ceſſante redire habent in idipſum: & idem intelligimus de diſputationibus, in quibus aliquis Doctorum in Theologia præſederit.*

§ 4. Item, quod unum vel plures Sermones vel collationes fecerint ad Clerum Vniverſitatis Wiennenſis pro exercitio ſermocinandi, antequam ad lecturam Sententiarum admittantur, niſi in præmiſſis Facultas ex certis cauſis aliter, diſpenſando vel differendo, duxerit circa hoc ordinandum.

§ 5. Item, quod in quolibet librorum quatuor Sententiarum faciant ſolemne principium, præmiſſa pro themate de Biblia recommendatione Sacræ Scripturæ. In quæſtionibus vero, quæ ſubjunguntur in eiſdem principiis, cum ſuis Collegentibus honeſte conferant, ſine verbis offenſivis, honorem ſibi mutuo deferentes more Studii Pariſienſis.

§ 6. Item quantum ad Religioſos, Studio Wiennenſi incorporatos, de præſentatione eorum legitime facta per eorum ordines, de talium admiſſione ſe conformet Facultas Theologica Studii Wiennenſis Facultati Theologicæ Studii Pariſienſis, ut ſcilicet, antequam aliquis talis admittatur ad lecturam Curſuum Bibliæ, ſemel reſpondere habeat uni Magiſtrorum publice; bis vero ante Sententias, niſi aliunde informatione legitima de ejus ſufficientia conſtet Facultati. Idem volumus de omnibus Religioſis, qui in forma Curſorum, ſeu ad legendum Curſus admittentur. Idem volumus de ſuppoſitis Religiorum non incorporatis, quæ, habita licentia a ſuo Ordine, petierint in Studio Wiennenſi admitti, & ad Gradus promoveri.

§ 7. Item ordinamus, quod facto tertio principio, legens Sententias, Baccalarius formatus habeatur & ſit. Si vero finitis duobus libris, in eo non ſteterit, quod tertium principium non fecit, ut in caſu ſuſpenſionis lectionum ab Vniverſitate cauſa injuriæ vel alias, Baccalarius formatus habeatur, etiamſi ſuſpenſio duret per totum reſiduum tempus, per quod legere debuit, nec tenebitur poſtea iſtud tempus ſupplere, niſi cauſa exercitii hoc facere voluerit.

§ 8. Item, quod nullus ſuam lecturam Sententiarum publicet aut communicet tradendo ſtationariis, aut publice pronunciari faciat, niſi per Facultatem examinata & approbata fuerit.

§ 9. Item diſponimus, quod illi, qui Sententias legerunt, antequam ordinarie & de rigore tempus præſentandi ad Licentiam habeant, per tres annos ad minus teneantur in Studio Wiennenſi ſe exercere, in opponendo & reſpondendo & ſermocinando, atque diſputationes & lectiones Magiſtrorum & Baccalariorum, & principia viſitando, prout tales actus ex diſpoſitione Facultatis requirunt, ut earum ſcientia & mores certius comprobentur. Et poſt, qui idonei comperti fuerint, communi judicio Facultatis ad Gradum Licentiæ præſentari poterint obtinendum, niſi ex

(1) *De origine celeberrimi hujus* Collegii Sorbonæ *conſulendi ſunt* Stephanus Paſquier *in Diſquiſitionibus rerum Gallicarum, vulgo* Recherches de la France, *lib. 3, cap. 23, &* Petrus Bonfons *Antiquitatum Pariſienſium capite 14, cui inſertum eſt* S. Ludovici *Regis Galliæ Privilegium primum & antiquiſſimum, quod fundatori ejus* Roberto de Sorbona *conceſſit Anno 1250. Appellatur is ibi* Magiſter Robertus de Sorbona, Canonicus Cameracenſis. *Errat igitur ſupra citatus* Paſquierius, *vocando eum pag. 408.* un ſimple valet de chambre du Roy. *Veriſimilius autem eſt, eum S. Ludovico fuiſſe* ab Eleemoſyna, & ſacris Confeſſionibus, *uti ſupra citato loco refert Bonfonſius.*

ex ſpecialibus meritis Facultas duxerit ſuper dicto tempore diſpenſandum.

§ 10. Item, quilibet Baccalarius Biblicus vel Sententiarius, quolibet anno Baccalariatus uſque ad Licentiam ſuam, ſemel reſpondere teneatur uni Magiſtro actu regenti in hoc Studio, vel tempore vacationum in Collegio Domini Ducis, ſecundum conſuetudinem Pariſienſem. Etiam quilibet legens Sententias infra lecturam teneatur ſemel reſpondere ad quodlibet ſub Magiſtro ſuo vel alio, ſecundum conſuetudinem Pariſienſis Studii.

§ 11. Item, ſi quando Baccalarius, in hac Vniverſitate ignotus, & in alia Vniverſitate formatus, petierit ſe admitti, videantur literæ teſtimoniales, & quomodo receſſerit de ſua Vniverſitate, & quare. Nolumus etiam propter talem, aliquem de Baccalariis, qui hic legerunt, poſttergari. Hoc idem intelligimus de Baccalariis, ſi quos de gratia Domini noſtri Papæ tempore vacationum legere contigerit, ita quod illi, qui per gratiam ſic erunt introducti, ſtudeant, abſque alicujus ordinarii Baccalarii præpeditivo; ad Magiſterii licentiam convolare.

§ 12. Item ordinamus, quod legentes Sententias omnes lectiones, omiſſas quacunque occaſione, ſive infirmitatis ſive abſentiæ, ſuppleant poſt ſuum ordinarium completum, niſi in caſu ceſſationis Vniverſitatis a lectionibus propter aliquam cauſam injuriarum, & niſi Facultas quandoque ex cauſa certa ipſis gratiam fecerit, quod rariſſime fieri debet.

TITULUS VI.

De Licentiandis Ordinationes.

§ 1. Ordinamus igitur inprimis, quod nemo ad Licentiam præſentetur, niſi quater reſponderit in iſto Studio, bis ante Sententias, & bis poſt, maxime ſemel in aula Magiſterii, ſi locum habere potuerit, & ſemel in Collegio Domini Ducis, ut prætactum eſt.

§ 2. Item, qui Gradum Licentiæ in Theologia, contra præſentes Ordinationes ejuſdem Facultatis, fuerit adeptus, non recipietur in conſortium Facultatis.

§ 3. Item decrevimus neminem promovendum eſſe ad Gradum Licentiæ vel Magiſterii in Theologica Facultate in Studio Wiennenſi, niſi quatuor libros Sententiarum ibidem, aut alibi in Vniverſitate privilegiati Studii compleverit pro forma.

§ 4. Item ordinamus, quod tempore, quo aliquis examinatur ad Licentiam, non fiat aliqua ſolemnitas, aut conventus Magiſtrorum, aut quorumcunque ad domum Cancellarii, nec fiat ibidem, finito examine, aliqua potatio in communi; ſed habito ſigneto, conſuetum eſt Pariſiis, ut Licentiandus, jam de recipienda Licentia certificatus, det de vino & (1) ſpeciebus amicis & ſociis ſuis, venientibus ad congratulandum ſibi in domo ſua.

§ 5. Item ordinamus, quod Licentiatus determinationem ſuam, quam in Veſperiis facere habet, non legat per (2) quaternum, ſed ex corde prompte

ad

(1) Species *ſignificant hic non ſolum ipſa* aromata, *ſpeciebus ſuis diſtincta, quemadmodum Germanice dicitur* Specerey, *verum etiam* confecturas *eſculentorum aromatibus conditas, quæ ſervantur in vaſis, dedita opera ad hoc præparatis. Antiqui autores Latini vocant hujuſmodi confecturas* Salgama *Vid. Cœl. Rhodigin. Lect. Antiqu. lib. 16. cap. 37 & Martinii Lexicon Philologicum v.* Salgamum.

(2) Ein Bogen Papier in *quart.*

ad profectum audientium & honorem Facultatis pronuntiet. Potest nihilominus propter memoriæ labilitatem & facti prolixitatem, quaternum pro memoriali coram sè in publico retinere.

§ 6. Item, quod in Licentia, & Vesperiis, & in Doctoratu conforment se in actibus Scholasticis Facultati Theologicæ Studii Parisiensis secundum formam infra scriptam.

TITULUS VII.

De Juramentis & exhortationibus (1) Graduandorum & Juramenta specialia Cursorum, antequam promoveantur.

§ 1. Ubi primo juxta ritum Studii Parisiensis ordinamus, quod Cursores per sex annos audierint Theologiam in Studio vel Studiis generalibus. Hoc intelligimus, quod sine fraude audierint Magistrum Sententiarum & Biblicum per majorem partem Ordinarii, nisi rationabili de causa super istis fuerit per Facultatem dispensatum, injuncto tempore adhuc audiendi, vel aliquo in recompensam auditionis neglectæ.

§ 2. Item, quod servent honorem & reverentiam Facultatis Theologicæ ac Magistrorum ejusdem, ad quemcumque statum pervenerint.

§ 3. Item, quod, si contingat ipsos Gradum adipisci Baccalarii, Cursoris seu Biblici, incipiant lecturam suam infra tempus a Facultate sibi assignandum, & quod duos cursus de Biblia quilibet eorum legat infra annum secundum assignationem librorum vel passuum a Facultate faciendam, vel ordinarie Bibliam secundum ritum Parisiensem.

§ 4. Item, quod Cursores seculares aut religiosi ad majus unum Capitulum legant pro una lectione. Ordinarii vero Biblici per annum, aut amplius continuantes Bibliam, secundum formam Parisiensem aut ordinationem Facultatis, quantificent suas lectiones.

§ 5. Item, quod, si contingat eos ad deliberationem Facultatis vocari, deliberabunt ad honorem Dei & suæ Facultatis, personas deliberantes in casibus odiosis, aut alia quæcunque secreta Facultatis suæ nullatenus revelando.

TITULUS VIII.

Juramenta Communia Cursoribus & Sententiariis, antequam promoveantur.

§ 1. Primo jurent reverentiam & honorem & bonum Universitatis & Facultatis Decani singulorumque Doctorum Facultatis Theologiæ Studii Wiennensis, & quod jura, libertates, ordinationes, consuetudines laudabiles Facultatis suæ defendent & servabunt, ad quemcunque statum pervenerint.

§ 2. Item, quod attigerint, ad vicesimum quintum annum suæ ætatis.

§ 3. Item, quod pacem & tranquillitatem inter Seculares & Religiosos & inter Facultates & Nationes conservent & procurent.

§ 4. Item, quod doctrinas suspectas, aut ab Ecclesia prohibitas, aut contra bonos mores, aut piarum aurium offensivas, non dogmatizabunt, & si quas audierint, tales infra decem dies Decano revelabunt.

§ 5. Item, quod, si contingat aliquem eorum dicere aliqua, in scholis aut aliis actibus publicis, contra determinationes Ecclesiæ, aut alias suspecta, aut

(1) *In alt. MSto legitur* Graduandorum & Graduatorum *juramenta specialia, antequam promoveantur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut piarum aurium offensiva, quod in retractando, revocando, exponendo, stabunt rationabili ordinationi Facultatis.

TITULUS IX.

Juramenta Sententiariorum specialia, antequam promoveantur, Facultati præstanda.

§ 1. Primum *quod audierint Theologiam octo annis, nisi per Facultatem de tempore dispensetur, sufficienter in scientia & moribus tempus recompensante, salvis semper Privilegiis Religiosorum, ut præscribitur.*

§ 2. Item, quod, si contingat ipsos Gradum adipisci Sententiariorum, incipient lecturas suas Sententiarum infra tempus a Facultate eorum cuilibet assignandum, & quod infra annum aut duos, prout Facultas cum eorum quolibet disposuerit, finient quatuor libros Sententiarum, cum quatuor consuetis principiis & collationibus; & non faciat aliquis secundum, vel tertium, vel quartum principium, nisi librum præcedentem ordinate legendo finierit, ita quod, qui prius fecit primum principium, prius faciat secundum &c.: quod si neglexerit, sequens poterit, principiare.

§ 3. Item, quod lecturas suas Sententiarum non communicabunt publice transscribendas, antequam per Facultatem examinatæ fuerint & approbatæ.

§ 4. Item, si eos audire contingat in Sermonibus, in lectionibus aut aliis actibus Vniversitatis aliqua ab aliquo, cujuscunque status vel Facultatis, quæ sonent contra fidem, contra bonos mores, contra determinationem Ecclesiæ, aut aliqua suspecta vel male sonantia, quod illa ac illum secrete infra decem dies Facultati aut Decano ejusdem revelare habeant. Si quis vero Lecturarum Sententias in statu Cursoris prædicta juramenta communia Cursoribus & Sententiariis, & observationem ordinationum Facultatis non juraverit, jurare habet omnia, quæ ipsi juraverunt in Theologia (1) in aliis Vniversitatibus supervenientibus.

§ 5. Item saluti animarum providentes, declaramus, quod transgressores ordinationum Facultatis, si ex contemptu aliqui fecerint, aut moniti restiterint, perjurii rei & non alias habeantur, sed alias pœnas juxta dispositionem Facultatis cum indignatione ejusdem incurrant.

TITULUS X.

Exhortationes communes Cursoribus & Sententiariis legendæ post juramenta.

§ 1. Primum, *quod fideliter & honeste legere habeant Cursus seu Sententias suas ad honorem Omnipotentis Dei & utilitatem Scholæ & honorem Facultatis, nec tractent materias Philosophicas seu Logicales Theologiæ impertinentes. Possunt tamen uti Philosophia & Logica & aliis Artibus, prout Theologicæ difficultates loco & tempore requirunt.*

§ 2. Item, quod de cætero vita, moribus, statu, conversatione honestius, gravius & maturius se gerant, secundum exigentiam sui Gradus & Theologicæ Facultatis.

§ 3. Item, quod, si in lecturis suis schedulis memorialibus uti contingat, tam discrete & honeste eis utantur, quod Facultas aut audientes inde non patian-

(1) *In alt. MSto legitur* de aliis.

patiantur ſcandalum, aut communis Schola detrimentum.

§ 4. Item, quia in Theologia eſt totius Religionis fundamentum, volumus, quod Graduati in illa, religioſius cæteris, incedere habeant ubique in habitu ſuo Statui, Gradui & honori Facultatis decenti, maxime eundo per Villam & ad Scholas, Eccleſias & Sermones.

TITULUS XI.

Juramenta præſtanda Facultati ante præſentationem ad Licentiam.

§ 1. Primum, quod ultra unam libram Wiennenſem aut valorem non dabunt pro Signeto vocationis ad Licentiam.

§ 2. Item, quod in hoc Studio Wiennenſi Facultatem Theologicam ibidem incipient infra certum tempus per Facultatem aſſignandum & ſub Magiſtris, quos elegerunt, niſi per diſpenſationem Facultatis aliud obtinuerint.

TITULUS XII.

Juramenta Licentiandorum præſtanda ante receptionem Licentiæ coram Cancellario.

§ 1. Primum, quod Cancellario Studii Vniverſitatis Wiennenſis, & Magiſtris ſingulis Theologicæ Facultatis reverentiam & honorem deferetis condecentem, atque (1) promotionem Facultatis ejuſdem ibidem, ad quemcunque ſtatum deveneritis, fideliter intendatis.

§ 2. Item jurabitis, quod ſervabitis pacem & tranquillitatem prædictæ Vniverſitatis, & præcipue unionem inter quatuor Facultates & Nationes & Religioſos & Seculares.

§ 3. Item jurabitis, quod Gradum Licentiæ hic receptum, alibi non reiterabitis neque reſumetis.

§ 4. Item jurabitis, quod Cancellario prædicti Studii, qui fuerit pro tempore, fidele teſtimonium perhibebitis de Baccalariis in Theologica Facultate promovendis, quando debite ſuper hoc pro tempore apto per eundem fueritis requiſiti.

§ 5. Item jurabitis, quod ætatem triginta annorum ad minus compleveritis.

§ 6. Item jurabitis, quod in Aula veſtra, ſeu in Feſto Magiſterii Theologicæ Facultatis, non expendetis ultra tria millia Thuronenſium argenteorum juxta Decretalis tenorem in Clementinis, de hoc juramento mentionem facientis.

§ 7. Item jurabitis, quod non niſi in hac Vniverſitate incipietis actus Magiſtrales Theologicos cum receptione inſigniorum Magiſtralium, & quod poſt receptionem per unum annum in hac eadem Vniverſitate manebitis regens, exercendo Magiſtrales actus, niſi ex cauſa legitima per Dominum Cancellarium & Facultatem Theologicam fuerit ſuper hoc vobiſcum diſpenſatum.

§ 8. Si quis indigeat de diſpenſatione de aliquo præmiſſorum, dicat antequam juret, & Dominus Cancellarius & Decanus Facultatis, ſi viſum ſibi fuerit, diſpenſabunt hæc in propria forma. Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto juravit Magiſter Andreas de Sancta Cruce in Eccleſia Sancti Stephani, in qua Licentiatus fuit, & poſtmodum Magiſter Franciſcus Ordinis fratrum Prædicatorum A. MCCCLXXXVIII.

TITU-

(1) *In alt. MSto legitur* promotioni.

TITULUS XIII.

Juramenta Magiſtrorum Facultati præſtanda.

§ 1. *Primum quod non recipiatur aliquis Magiſter alterius Vniverſitatis ad Facultatem Theologiæ Studii Wiennenſis, niſi juret ſe ſervaturum Statuta dictæ Facultatis, ibidem publice in congregatione Magiſtrorum in Theologia legenda.*

§ 2. *Item, quilibet novus Magiſter, vel qui hoc alias non juravit, in primo introitu Facultatis habet jurare quatuor: primo reverentiam, honorem & bonum Vniverſitatis & Facultatis; ſecundo, quod, ſi contingat ipſum audire a quocunque aliquid, quod ſit contra ſanam doctrinam & bonos mores, referre debeat infra decem dies Decano, vel locum ejus tenenti; tertio, quod fideliter deliberet & conſulat ſecundum bonam conſcientiam in factis ſuæ Facultatis, & ſecreta ejuſdem, quæ proponuntur celanda, non revelet, nec deliberantes prodat.*

§. 3. *Item, quod quilibet novus Magiſter, facta prima lectione ejus, poſt aulam teneatur diſputare de reſumpta, antequam diſputet ordinarie.*

TITULUS XIV.

De his, quæ ſolvi debent a promovendis in Facultate Theologica.

§ 1. *Primum quod pro quolibet Curſu quilibet Curſor pro ſcholare cujuslibet Magiſtri actu regentis in Theologia, non ſufficienter ſtipendiati, dare habeat duodecim denarios Wiennenſes, Sententiarius vero viginti quatuor denarios ejuſdem.*

§ 2. *Item, ut ſolvenda Facultati fideliter ſolvant pro funeralibus ac aliis opportunitatibus communibus exponenda & idem de ſalario Bedelli vel Bedellorum Facultatis ordinamus ſub pæna a Facultate infligenda, ſi fraus fuerit comperta. Ad idem teneantur Sententiarii & Curſores, qui hic non incœperunt, ſed ab alia Vniverſitate ſupervenerint, ſi recipi voluerint a Facultate, & eos recipere placuerit Facultati, ita videlicet, quod Curſor pro quolibet Curſu ſuo ſolvat dimidium florenum Facultati & dimidium Bedello ejusdem; Sententiarius vero florenum Facultati & florenum Bedello; Licentiatus autem in Theologica Facultate ſolvat duos florenos, Bedellum vero honeſte veſtiat, dum incœperit ſecundum Facultatem ſuam, vel alias ſecum concordet.*

§ 3. *In ſupradictis vero Statutis noſtræ Facultatis reſervamus poteſtatem abſque requiſitione Vniverſitatis ex cauſis rationabilibus, ubi opportunum eidem concorditer diſpenſandum videbitur. Si autem ex circumſtantiis rerum & varietate temporum in prædictis Statutis quidquam variandum viſum fuerit, aut eiſdem aliquid de novo addendum, Facultas circa hujuſmodi ordinare & ſtatuere habeat, prout ſibi expediens videbitur: ita tamen quod ea, quæ in additionibus, diminutionibus ſeu quibuſcunque variationibus per Facultatem decreta fuerint, non habeant vigorem Statutorum, niſi per Vniverſitatem ſint approbata.*

§ 4. *Item ſtatuimus & ordinamus, quod, qui præter vel contra tenorem Statutorum Facultatis Theologicæ, in hoc Studio approbatorum, ad aliquem Gradum dictæ Facultatis promotus fuerit, pro tali Gradu ad actus Theologicos publicos, nec ad conſilia Vniverſitatis vel Facultatis, vel tanquam membrum Theologicæ Facultatis nullatenus ab Vniverſitate Wiennenſi admittatur.*

§ 5. *Item, dum fiunt Doctores in Jure Canonico vel Civili, vel in Medi-*

cina, teneatur Bedellus noſter eos honorare & cum virga præcedere, & per totum eorum feſtum præſens intereſſe & ſervire, niſi in factis Facultatis de juſſu Decani in aliis fuerit impeditus.

TITULUS XV.

Titulus de modo procedendi ad Licentiam in Theologica Facultate, & deinceps ad Magiſterium.

§ 1. *Iſte eſt ergo Proceſſus in promotione ad Gradum Licentiæ in Facultate Theologica Studii Wiennenſis. Primo Licentiandus accedat congregationem Facultatis, ſupplicans, ut de voluntate Magiſtrorum ſit, quod præſentetur Cancellario pro Gradu Licentiæ examinandus, quo facto, ſi Magiſtri decreverint ipſum præſentandum, tunc, præſtitis juramentis præſcriptis, præſentetur Cancellario per Magiſtrum ſuum, rogantem, ut aſſignet Cancellarius diem examinis, qua aſſignata Cancellarius habet committere uni de Magiſtris in Theologia, ut proponat ſibi puncta, id eſt, ſecundum modum Studii Bononienſis, ſecundum quem eſt Bulla noſtra, duas diſtinctiones de duobus libris Sententiarum. Veniente ergo die examinis, convocatis per Cancellarium omnibus Magiſtris regentibus Facultatis, proponantur coram Cancellario & eis, omnibus aliis excluſis, examinando puncta a Magiſtro, qui habet ea proponere, & lecta diſtinctione una a Licentiando, moveat Magiſter proponens quæſtionem circa materiam diſtinctionis, & arguat ad utramque partem, & reſponſione facta ad iſta per Licentiandum, arguat Magiſter proponens contra poſitionem ſuam, & teneat ipſum quamdiu voluerit. Conſequenter arguat Decanus Facultatis, deinde alii Magiſtri ſecundum ſenium ſuum. Et ſic expedito primo puncto, ſimili modo procedatur in puncto ſecundo, quo peracto cedat foras examinatus, & ſtatim eadem hora Cancellarius audiat depoſitionem cujuslibet Magiſtri ad partem ſuper quatuor punctis examinis, quæ ſunt Vita, Scientia, Eloquentia & Spes proficiendi. Hoc facto ſupplicet Magiſter examinati Cancellario, quod, ſi invenerit depoſitiones Magiſtrorum pro ipſo, velit in aliquo die convenienti ſibi mittere Signetum, cujus tenor eſt: Magiſter vel frater Nicolae veniatis die craſtina hora primarum ad Eccleſiam Sancti Stephani ad recipiendum Licentiam in Facultate Theologica. Deinceps die & horis per Dominum Cancellarium deputatis pro Licentia conveniant idem Dominus Cancellarius, Magiſtri & Licentiandus vel Licentiandi, cæterique Domini Baccalarii & Scholares ſolemniter ad locum pro Licentia aſſignatum, ubi facta collatione recommendatoria per Cancellarium, vel unum de Magiſtris in Theologia, cui Cancellarius commiſit, & receptis a Licentiando vel Licentiandis præſcriptis juramentis, Dominus Cancellarius per ſe, vel per Magiſtrum, qui collationem fecit, ipſi, vel ipſis, ob reverentiam Dei & Sedis Apoſtolicæ genu flectentibus, det Licentiam in hac forma: Ego autoritate Dei Omnipotentis & Apoſtolorum Petri & Pauli, & Apoſtolicæ Sedis, qua fungor in hac parte, do tibi, vel vobis, Licentiam in Theologica Facultate legendi, regendi, diſputandi & prædicandi, atque alios omnes actus Magiſtrales in eadem Facultate exercendi hic & ubique terrarum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Hoc modo fuit proceſſum ad Licentiam Magiſtri Andreæ de Sancta*

Cruce

Cruce Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto, & ſimiliter Magiſtri Franciſci ordinis Prædicatorum Anno octuageſimo octavo.

TITULUS XVI.
De Veſperiis.

§ 1. *Poſthæc Veſperiæ Licentiati ſecundum modum Pariſiis conſuetum, quem hic recipimus, ſic fiant, quod per aliquot dies ante, ſcilicet decem vel circa, Licentiatus Veſperiandus in cappa vadit una cum Bedellis per domos omnium Magiſtrorum & Baccalariorum formatorum, portando eis titulos quæſtionum quatuor, quarum duæ diſputandæ ſunt in Veſperiis, & duæ in aula, & tunc petit etiam unum de ſenioribus Magiſtris, qui quæſtionem ſuam ſibi proponat in Veſperiis, & etiam arguat contra eum.*

§ 2. *In Veſperiis vero Magiſter, ſub quo Veſperiandus incipiet, primo diſputet quæſtionem ſuam, ad quam reſpondet unus Curſor vel Baccalarius, & poſt Magiſtrum arguunt omnes Baccalarii conſequenter, ſed tantum ad argumentum primi Baccalarii reſpondetur ſine replicatione, & iterum Magiſtri in Theologia ibidem congregantur. Deinde Senior Magiſter proponit quæſtionem ſecundam Veſperiando, & declarat terminos in titulo poſitos, & arguit ad partes. De hinc Veſperiandus reſumit quæſtionem ſuam cum argumentis hinc inde factis, & per longam determinationem plurium articulorum & concluſionum ad eam reſpondet. Deinde idem Magiſter contra eum arguit & replicat pluries. Et eodem modo alius Magiſter de Senioribus primum ſequens arguit & replicat, & Veſperiandus reſpondet. Quo facto Magiſter præſidens facit collationem pro recommendatione Veſperiandi; & ſic eſt finis iſtius actus.*

TITULUS XVII.
Rubrica de Aula.

§ 1. *Die vero Aulæ omnibus congregatis, Cancellarius vel Magiſter, ſub quo Veſperiatus incipit, Birretum ſibi imponit, in ſignum Magiſtralis Status & honoris, dicens ei: Incipiatis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen; ipſeque novellus Doctor ſtatim, quoad primum actum Magiſtralem, collationem facit, recommendando Scripturam Sacram, & poſt hoc proponitur prima quæſtio per ipſum diſputanda, ad quam reſpondet unus Baccalarius formatus, contra quem primo arguit Magiſter incipiens, ſecundo Magiſter ſub quo incipit; tertio Cancellarius. Poſt hoc unus de ſenioribus Magiſtris proponit quæſtionem ſecundam, cujus terminos declarat, dans intellectum quæſtionis & arguit ad partes; ad quam reſpondet Magiſter ſimpliciter. Junior inter omnes etiam Magiſter proponens contra eum arguit & replicat. Poſt hoc iterum alius de ſenioribus eandem quæſtionem proponit, declarans alio modo terminos ejus, & improbans declarationes datas a priori, quantum poteſt, ad quam reſpondet penultimus Magiſter, quo ad juniores, qui etiam contradicit dictis prioris Magiſtri reſpondentis, quantum poteſt, vel aſſertive vel arguitive, & contra eum non inſtatur, ſed poſtquam ipſe (1) propoſuit quæſtiones ſuas, totus actus eſt finitus. Sequenti vero die immediate vel mediate novus Magiſter legit pri-*

(1) *In altero MSto legitur:* ipſe poſuit Concluſiones ſuas.

primam lectionem ſuam, & tunc aſſumpto priori themate, iterum recommendat Scripturam Sacram, poſt hoc iterum proponit quæſtionem, ad quam ipſe reſpondet in Veſperiis, &, ſi reſtant aliquæ rationes ſolvendæ, factæ per aliquem vel aliquos præcedentes vel ſequentes, illas ſolvit, & contra eas replicat ſua dicta confirmando. Poſt hoc Deo & toti Curiæ cæleſti, omnibuſque ſuis benefactoribus vivis & defunctis refert gratiarum actiones. Debinc poſt principium Studii ſequentis anni, vel quandoque prius, diſputat de reſumpta, & tunc ad eandem quæſtionem, quam in aula diſputavit, ſibi reſpondet unus Curſor vel Baccalarius, contra quem poſt eum arguunt omnes Baccalarii formati, ſed tantum primo reſpondetur. Poſt hoc iterum ipſemet Magiſter eandem quæſtionem per concluſiones & corollaria determinat, & ſolvit objectiones aliorum ſecum concurrentium, ſi quæ reſtant, & ſic eſt finis. Expliciunt ſtatuta Facultatis Theologicæ Studii Wiennenſis.

INCIPIVNT STATVTA FACVLTATIS JVRIS CANONICI ET CIVILIS.

PROOEMIVM SIVE EXORDIVM.

Sacræ utriuſque Juris Sapientiæ Venerabilem Facultatem, tanto magis præ cæteris providis legum convenit moderare Statutis, quanto magis majori cum dedecore opportunis carent legibus, quorum quotidiana converſatio circa Leges. Indignum namque eſt juſtitiæ matrem illam, cujus ſacratiſſimis Conſtitutionum Oraculis diſponitur totus Orbis in ſpiritualibus pariter & terrenis, deficere ſibi ipſi, & aliis Facultatibus congruis Statutorum regulis bene rectis, ipſam, pro libito cujuſcunque, non ſine quam plurimis diſpendiis rerum hactenus experientia demonſtrante, ſub incerto vagari, quibus ſalubribus Sanctionum antidotis mederi poterit & ſuccurri. Quapropter ad gloriam & honorem Omnipotentis Dei Sanctæque matris Eccleſiæ ad profectum, nec non ad ipſius Facultatis juge incrementum, bonum regimen atque ſtatum, totiuſque Vniverſitatis ſtabile fundamentum, volentes inſuper hoc Sereniſſimi Principis Domini noſtri Ducis Alberti obtemperare piis deſideriis & ardentiſſimis votis, ac poſteris noſtris tempora proſpicere, tam norma regendi decora, quam pace tranquilla venuſta, Nos &c. Decanus Facultatis ipſius cæterique Doctores & Licentiati, actu legentes in ea, perpenſa deliberatione, votis ac vocibus concrepantes, ſtatuimus & irrefragabiliter ordinamus, maturo approbante Vniverſitatis Conſilio Studii Wiennenſis, ad hoc ſpecialiter congregato, Capitula, quæ ſequuntur. Quæ nihilominus, ut in ſingulis ipſius Facultatis actibus attentius frequententur, jubariſque ſui lucidiſſimos radios in æternitatis tempora multiplicent & diffundant, ſingula volumus in modum cujuſdam opuſculi ſub congruis ſuis Titulis collocari, ne paulatim & obreptione latenti, aſſiduo perſonarum fluxu, quo ſtudiorum omnium conditio fontini ad inſtar gurgitis inceſſabiliter decurrit, valeat rei tam bene decentis, induci neſcientia, qua poterat erudire.

TITU-

TITULUS I.

De his, quæ ad Cultum Divinum ſpectant.

§ 1. *Inprimis igitur in Dei nomine ordinamus, quod in quolibet anno in principio Ordinarii, videlicet Sancti Cholmanni, ſtatim poſt principium lecturæ decretum, fiat Miſſa ſolemnis Facultatis de Spiritu Sancto apud Prædicatores pro bono initio Studii & conſervatione Facultatis, cui intereſſe & offerre teneantur per juramenta ſua omnes Doctores, Nobiles, Licentiati, Baccalarii & Scholares Facultatis ipſius, & uſque ad finem in ea manſuri.*

§ 2. *Item, quod omni anno in craſtino commemorationis Animarum ſtatim poſt lectionem ordinariam, quæ eo brevior tunc legatur, Facultas Miſſam faciat decantari apud Prædicatores, ſpecialiter pro defunctis Facultatis ipſius Studii Wiennenſis, cui intereſſe teneantur per juramenta ſua & offerre omnes Doctores, Nobiles, Licentiati, Baccalarii & Scholares.*

§ 3. *Item, quod non licet quacunque occaſione Doctoribus vel Licentiatis regentibus aliquod Feſtum repentinum, vel Vacationes indicere, ſed contenti ſint Feſtis & Vacationibus in Statutis Vniverſitatis vel Facultatis deſcriptis; alias autem continue legere teneantur.*

§ 4. *Item, quod Doctores fideliter obſervent dies Dominicos & feſtivos, quos Vniverſitas & populus Civitatis ad honorem Dei & Sanctorum celebrare conſuevit, ne in ipſis diſputent, repetant, ſive legant, quemadmodum & hoc ſpecialiter ſtatuit Vniverſitas de Doctoribus & Magiſtris; Licentiatis vero loco Doctorum non legentibus, Baccalariis & Studentibus non interdicitur in diebus feſtivis, præterquam in ſummis Feſtis, exercitare, ſeu repetendo vel legendo devoto ex propoſito & juſta de cauſa, puta ſi non pateant eis aliis diebus tempus & hora; quod ipſorum committimus arbitrio & diſcretioni: proviſo tamen quod eadem die Miſſarum ſolemniis interfuiſſe ſinguli teneantur.*

§ 5. *Item, quod omnes Doctores, Nobiles, Licentiati, Baccalarii & Scholares fideliter viſitent Miſſas, Veſperas, Sermones Vniverſitatis ſub pœna eis a Rectore vel Decano indicenda. Similiter Proceſſiones Vniverſitatis, maxime in die Benedicti Corporis Chriſti, & Principum exequiis & receptionibus; in quibus teneantur ſtare contenti de locis ſibi aſſignatis in eundo, ſecundum formam Statuti Vniverſitatis ſuper hoc facti, ſub pœna prædicta permanſuri in eiſdem ad finem. Rebelles vero & turbationes in ipſis Proceſſionibus facientes, teneantur pœnam ſubire, quam eis Facultas duxerit infligendam.*

§ 6. *Item, ſi aliquem Doctorem, Nobilem, Licentiatum, Baccalarium vel Scholarem rebus eximi contingat humanis, ſinguli de Facultate funus ejuſdem teneantur ad Eccleſiam comitari, & ad oblationem accedere, & uſque ad finem exequiis intereſſe; provideat etiam Facultas, ut tempore ſuo pannos habeat & cereos, per quos Suppoſitis ipſius in exequiis honor debitus impendatur.*

TITULUS II.

De Moribus Rubrica.

§ 1. *Quoniam vero Scholaſtici in locis Generalium Studiorum non minus debent in moribus proficere,*

ficere, quam in ſcientiis, hi præſertim, qui in Scientia Morum ſtudent, Juris videlicet Canonici & Civilis, idcirco ſtatuimus, quod omnes Baccalarii & Scholares in audiendis lectionibus, repetitionibus & aliis actibus ſcholaſticis compoſiti ſint; in Scholis ſint pacifici ſine clamoribus vel ululationibus inboneneſtis, ſine indecentibus ſibilis, riſibus & cachinnis, ſine ſtrepitibus, lectionibus & pulſibus inordinatis, intrantes & exeuntes; maxime alienos & novitios non inclament, & omnino contra aliarum Facultatum Suppoſita, Scholas noſtras honoris cauſa viſitantia, talia non committant ſub pœna per Facultatem tranſgreſſoribus infligenda. In aliis vero locis, verbis & geſtu, habitu & inceſſu Moralis Scientiæ didaſcalos ſe oſtendant, vitent malas ſocietates & præſertim infamium perſonarum, dimicatorum & taxillatorum ſcholas, loca turpia & ſuſpecta, choreas publicas neque aſpiciant neque ducant, aliiſve ſpectaculis publicis non interſint, nec incedant phalerati, cingulos vel zonas etiam ſimplices in collo portantes, nec gladios vel arma portent, vel poſt ſe portari faciant, ſine Rectoris & Decani ſui licentia ex cauſa urgente, prout in Statutis Vniverſitatis habetur. Non vadant de nocte poſt pulſum campanæ ſine lumine, præſertim cum Muſicis inſtrumentis, nec Cives vel (1) Curiales offendant ſub pœnis in Statutis Vniverſitatis latius comprehenſis.

§ 2. *Item ſtatuimus, quod nullus Baccalarius vel Scholaris ſchedulam diffamatoriam, irritativam vel turpem, vel aliquid, quod ſit inboneſtum, vel aliquid, quod ſit contra bonos mores, continentem ponat, vel poni faciat ad Cathedram Doctori, vel cuicunque legenti, vel diſputanti, vel etiam repetenti. Sed ſcholaſtica dubia quilibet in ſchedulis petere poſſit, maxime circa materiam lectionum, quas audit. Si quis autem ſecus fuerit feciſſe convictus, pœnis ſubjaceat a Facultate dictandis.*

§ 3. *Item, quod nullus diſputans, repetens, ſive legens alteri detrahat palam vel occulte, nec aliorum legentium, repetentium vel diſputantium dicta vel opiniones injurioſe vel mordaciter reprehendat.*

§ 4. *Item, quod quiſcunque Doctor alienæ Vniverſitatis ſuperveniens, & regere vel legere volens, ſine contradictione aliqua cum omni benevolentia admittatur, poſtquam tamen unum actum repetitorium fecerit, & de Doctoratu ſuo fidem fecerit, ſi oporteat, intitulatuſque fuerit per Rectorem & Decanum, &, ut præmittitur, debitum præſtiterit juramentum; ſitque ſibi licitum ex tunc quemcunque librum legere, vel cum quocunque concurrere. Non idem de Licentiatis ſupervenientibus volumus obſervari, qui cum Doctoribus concurrere non debebunt.*

§ 5. *Item, quod quiſcunque Doctor, Licentiatus vel Baccalarius ſuperveniens de novo, locum habeat & ordinem inter Doctores, Licentiatos & Baccalarios ſecundum antiquitatem & tempus receptionis ejus in hoc Studio, tam in Congregatione Vniverſitatis, Facultatis Rotulo, & Proceſſione.*

§ 6. *Item, quod nullus Doctorum in lectionibus ſuis in eadem compilatione concurrentium viſitet per ſe, vel per alium*

(1) *Per* Curiales *hic intelliguntur Aulici, vulgo* Hofbediente. *Sic enim etiam* Joannes Saresberienſis *quingentis ab hinc annis* Policraticum *ſuum, in octo libros diviſum, latine inſcripſit* De Nugis Curialium; *eodemque ſenſu* Æneas Sylvius *peculiari cuidam de Vita Aulica Epiſtolæ ſeu potius Tractatui, titulum indidit* De Miſeriis Curialium.

alium nomine ſuo, quempiam Nobilem, Baccalariun vel Scholarem novitium ad Studium venientem, antequam Nobilis ipſe, Baccalarius, vel Scholaris ſuas vel alterius Doctoris ſecum concurrentis Scholas intraverit, nec alias attrabat, ſubtrabat vel alliciat Scholares vel Baccalarios alterius palam vel occulte.

TITULUS III.
De Scholaribus Rubrica.

§ 1. *Statuimus, quod Scholaris non habens librum in Scholis, qui legitur, vel non ſolvens Doctoribus, vel Licentiatis loco Doctorum legentibus, collecturas ſuas audiendo non recipiat tempus ſuum de quo infra, videlicet per quod audiviſſe tenetur, antequam ad Gradum aliquem admittatur.*

§ 2. *Item, quod teneatur Doctoribus, & Licentiatis loco Doctorum legentibus, & Bedellis fideliter collecturas ſuas ſolvere ſecundum formam deſcriptam infra, ſub Titulo de expenſis.*

§ 3. *Item, quod, ſi Scholaris vel Baccalarius recedat a Studio ſine licentia Decani per menſem, præſens vero, ſi non viſitet Scholas infra quindecim dies, excepta evidenti cauſa infirmitatis vel alia, loca eorundem in Scholis per Decanum aliis valeant aſſignari.*

§ 4. *Item, quod in caſu diſcordiæ ſuper locis teneantur ſtare dictamini Facultatis.*

§ 5. *Item, quod nullus Scholaris vel Baccalarius in Proceſſione vel aliis actibus Vniverſitatis vel Facultatis Doctores vel Regentes Facultatis ſuæ præcedat, demptis Comitibus & magnis Baronibus, ſtatum Nobilitatis in Studio tenentibus, quibus honor deferri debebit.*

§ 6. *Item, quod nullus Scholaris vel Baccalarius ſuperbe erigat cervicem contra Doctorem aliquem ſuæ Facultatis ſub pœna retardationis a Gradu, nec aliquod malum alicujus ipſorum procuret, ſed ſint humiles erga Doctores ſuos, prout diſcipulorum ſtatus & conditio exigit & requirit.*

§ 7. *Item, quod nullus Nobilis, Scholaris, Baccalarius ſive Doctor conducat domum in qua moratur alius Doctor, Nobilis, Baccalarius vel Scholaris Juridicæ Facultatis, niſi ſibi conſtiterit, quod inhabitans, eam non velit pro anno futuro tenere, vel niſi infra decem dies ante finem termini, quo tempus inhabitantis exſpirat.*

§ 8. *Item, quod, ſi aliquod ſuppoſitum Facultatis noſtræ ad tempus ſe contigerit abſentare legitima duntaxat de cauſa, fortaſſis propter Epidemiam urgentem, vel propter beneficium ſibi collatum, vel altera, reputetur præſens quoad inſcriptionem Rotuli, ſi quem interim ad Sedem Apoſtolicam deſtinari contingat, dummodo libros ſuos & ſuppellectilem ſuam hic dimittat, & recedat animo revertendi, quanto citius potuerit, ceſſante Epidemia, vel negotiis ſuis expeditis, dummodo etiam antequam recedat, præſentet ſe Decano Facultatis præſtito juramento, quod aliqua neceſſaria vel multum utili ſibi cauſa, ſine fraude & dolo, recedat, quodque habeat animum, quanto potuerit citius revertendi, vel ſaltem Procuratorem idoneum dimittat, qui in animam ſuam mox poſt ejus receſſum Decano prædictum præſtare habeat juramentum.*

TITULUS IV.
De Baccalariis Rubrica.

§ 1. *Statuimus, quod quilibet Baccalarius intendens ad ſuperio-*

riores Gradus promoveri, in anno ſemel teneatur Doctori, ſi locum habuerit, reſpondere, vel ex diſpenſatione Collegii Doctorum, loco reſponſionis ipſius in anno ſemel repetere; alias ad ſuperiores Gradus, etiamſi curſus temporum ſuorum compleverit, aſcendere minime permittatur.

§ 2. *Item, quod Baccalarii, qui intendunt ad Gradus ulteriores promoveri, non ſolum ſtudeant vel maneant in domibus ſuis, poſtquam Baccalarii ſunt effecti, ſed etiam continue frequentent lectiones Doctorum, repetitiones, & alios actus ſcholaſticos, oſtenſuri & exercitaturi ſe; alias nequaquam ad ulteriores Gradus aſcendere permittantur; teneanturque legere Rubricas extraordinarias, ipſis per Facultatem injunctas.*

§ 3. *Item, quod quilibet Baccalarius teneatur repetitionibus & diſputationibus Doctorum intereſſe, & uſque ad finem manere & arguere ſub pœna retardationis a Gradu & decem groſſorum, ſine remiſſione Facultati omnimode ſolvendorum, niſi legitima cauſa ipſum excuſet per Facultatem accepta; & de hoc patet, quod, quod in repetitionibus & diſputationibus Doctorum arguerit, fidem, ſi neceſſe fuerit, facere teneatur, antequam ad Gradus ulteriores aſcendat.*

§ 4. *Item, quod Baccalarii in repetitionibus & lectionibus ſuis congruum honorem deferant Doctoribus & Magiſtris.*

§ 5. *Item, inter Baccalarios ſit ordo ſecundum antiquitates eorum in hoc Studio, niſi Nobilitas vel Dignitas aliquem ex eis cæteris efficiat præponendum.*

TITULUS V.

De Doctoribus Rubrica.

§ 1. *Statuimus ut Doctores, & alii loco Doctorum legentes, fideliter legere teneantur, & Gloſſas ordinarias nullo modo omittere debeant, ſed eas clare, doctrinaliter & expedite pro omnibus, tam pro juvenibus, quam profectis intrent, recitent & exponant; dicta Doctorum ſecundum capacitatem audientium non omittant, & in omnibus ſint ſoliciti & attenti, ut audientibus ſecundum Deum & bonam conſcientiam proficiant; diligenter lectiones ſuas ſtudeant & laborent, nec ipſas nimium abbrevient vel decurtent; proceſſum bonum, prout materia requirit, faciant, fideliter continuando; interrogati ſuper dubiis Scholaribus libenter & læte reſpondeant; præſertim lectione finita: & generaliter, de omnibus lecturam reſpicientibus nil omittant, Baccalarios incœpturos Scholaribus recommendent, & omnes inſolentias & clamores in Scholis probibeant ſerioſe.*

§ 2. *Item, quod Doctores, præſertim de mane legentes, non mittant ſchedulas ad Scholas ſe cras vel hoc die non lecturos, quia hoc in Facultate juris nullibi eſt conſuetum, nec ſine magno præjudicio multorum fieri poteſt, & præſertim ſine turpi dedecore Facultatis; ſed contenti ſint diebus feſtivis, diebus Jovis, & aliis vacationibus Vniverſitatis & Facultatis.*

§ 3. *Item, quod non liceat Doctoribus & legentibus diem Jovis prævenire, dum integra fiat ſeptimana, ſed tunc iſta & non alia die ceſſent. Si vero ipſos die alia impediri contingat, legant per Subſtitutum, ſi poſſit haberi, ne ullo modo auditores lectionibus defraudentur, & ſua ſe fruſtra expendere conquerantur.*

§ 4.

§ 4. *Item, quod Doctor, ordinarie de mane legens, extraordinarie in Vigiliis Festorum & dierum celebrium, vel vacantium legere teneatur, nisi aliud Statutum Vniversitatis vel Facultatis impediat aliqua die legi: si tamen ipsum aliqua rationabili de causa impediri contingat, eandem lecturam extraordinariam, illa vice alicui Licentiato vel valenti Baccalario committere teneatur.*

§ 5. *Item, quod quilibet Doctor regere seu legere volens, tenebitur ad minus in anno semel repetere, & semel disputare, vel loco disputationis adhuc semel repetere. Alii vero stipendiati legentes loco disputationis præmissæ semel repetant, ordinaria tamen sua repetitione non omissa; teneanturque singuli, ordinarie disputantes & repetentes quæstiones & repetitiones ipsas Pedello Facultatis tradere infra mensem.*

§ 6. *Item, quod nullus Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico vel Civili repetat vel legat Legem vel Canonem eodem anno ab alio Doctore vel Licentiato in hac Alma Vniversitate repetitam vel repetitum. Similiter nec disputet quæstionem eodem anno per Doctorem aliquem deputatam.*

§ 7. *Item, quod Doctores vel legentes de Scholaribus & auditoribus suis teneantur fidele testimonium perhibere tam Rectori, quam Decano suæ Facultatis, sive literas testimoniales petant, sive fuerint promovendi.*

§ 8. *Item volumus & ordinamus, quod ad solos Doctores, & non ad alios spectet, præsentare & præsentatos accipere, examinare, approbare vel reprobare ad Gradus Baccalariatus vel Licentiæ promovendos, Baccalarios creare, & cum Baccalariis, ut loco respon-*

sionis repetant, vel super quocunque alio impedimento promotionis eorum, si opus fuerit, dispensare, in casibus ubi non est dispensatio interdicta.

§ 9. *Item statuimus, quod omnes Doctores & Licentiati tam Juris Canonici, quam Civilis, unam faciant Facultatem, sitque unum Collegium Doctorum tam Juris Canonici, quam Civilis; nec liceat per se Canonistis, nec per se Legistis, specialem & divisam facere Facultatem, cum hoc obviet Privilegiis Serenissimi Principis Domini nostri Ducis, de quatuor Facultatibus facientibus mentionem, ita quod ad examen in Legibus promovendis admittantur Doctores Decretorum, & econtra: & in omnibus inter eos sit conjunctio, unitas, mutua dilectio & pietas æqualis, nec efferant se loco vel ordine Legistæ super Canonistis vel econtra, sed secundum antiquitates suas permixtim unam faciant, ut præmittitur, Facultatem.*

§ 10. *Item, quod Doctores & Licentiati, in quantum possunt, obvient monopoliis Scholarium, nec aliquis cum eis constituat se in hoc participem, vel caput eorum, caveantque divisiones & schismata inter eos.*

§ 11. *Item, quod Facultas habeat speciale Sigillum, ut possit dare literas testimoniales Studentibus & Graduatis, & recommendatorias ad Papam, Cardinales Principes vel Prælatos.*

§ 12. *Item, quod in omnibus actibus scholasticis, lectionibus, repetitionibus, disputationibus & cæteris quibuscunque, Doctores & Licentiati habitu utantur honesto.*

§ 13. *Item quod ordinarie mane legens in Facultate Decretorum, corrigere & visitare habeat, suoque sigillo signare minutas literarum quarumcun-*

que notabilium, ſigillandarum per Vniverſitatem vel Rectorem, ſicut in Statutis Vniverſitatis habetur.

TITULUS VI.
De Decano Rubrica.

§ 1. *Volentes monſtra & dedecorationes tollere, aliorum præjudicia ſubmovere, maturo providoque regimini tam Vniverſitatis quam Facultatis conſulere, & inſuper Nos ad majorem Vniverſitatis decorem, unionem & pacem, cæteris, ut tenemur, Facultatibus conformare, cum turpis ſit pars, quæ ſuo non congruit univerſo, a quibus etiam ſecundum ſancita Sereniſſimi Principis Domini noſtri Ducis dividi non debemus, quemadmodum & ad hoc ſinguli promovendi juramenti vinculo ſunt adſtricti, etiam ſtatuimus & ordinamus, quod tantum Doctores & Licentiati in Jure Canonico vel Civili, Facultati incorporati, & non Baccalarii vel Scholares, decætero, regant atque faciant Facultatem Juris Canonici & Civilis; Ipſique Doctores & Licentiati duntaxat cenſeantur nomine Facultatis, & apud eos decætero maneat Officium Decanatus. Cum enim ſecundum Statuta Vniverſitatis Decanus primum debeat habere locum in Congregationibus, Seſſionibus, Proceſſionibus & Rotulis, quam turpe monſtrum eſt, & quantæ ambitionis exemplar, Scholares Doctoribus anteferri & in regendo præeſſe? Quam etiam inviſum eſt, ut, etſi Nos ipſos contra vos humiliemus, & Scholaribus ſubmittamus, ſaltem præferamus eoſdem aliarum venerabilium Facultatum Doctoribus & Magiſtris, & nonnunquam tales, qui neque ſciunt, neque poſſunt regere Officium Decanatus in magnum præjudicium tam Facultatis, quam Vniverſitatis, ut pluries eſt expertum? Sint ergo inantea & maneant Officium Decanatus & Regimen Facultatis apud Doctores & Licentiatos, & absque electione inter ipſos Officii ipſius viciſſitudo ſervetur. Sit ex nunc Decanus Doctor in hac Facultate ſenior uſque ad electionem futuri Rectoris. Deinde electo Rectore, quando ſingula Officia in Vniverſitate ſecundum ipſius Statuta mutantur, eodem momento ſit, & eſſe incipiat ipſo facto, Decanus Doctor ſenior ſequens illum, deinde ſenior ſequens iſtum, & ſic deinceps. Poſtquam autem Doctores omnes Decanatum ſic per viciſſitudinem habuerunt, ſit deinde Decanus ſenior Licentiatus, deinde ſequens & ſic deinceps, quouſque per gyrum per omnes Doctores & Licentiatos ſecundum ordines ſuos tranſeat Decanatus, & iterum revertatur ad primum, tranſiturus per gyrum ſicut prius, ſic ut quilibet, quem tangit ordo, ſtatim facta electione Rectoris, Decanatum recipiat miniſtrare, teneaturque Officium ſuum ipſum regere & ſubire, omni contradictione vel excuſatione ceſſante. Sicque hac ordinatione ſtante, nunquam vacare poterit Decanatus, vel aliqua circa ipſum difficultas oriri.*

§ 2. *Ad Officium autem Decani ſpectat Doctores & Licentiatos, pro factis Facultatis & ejus bono regimine, omnes & ſingulos fideliter convocare, facta & neceſſitates proponere, & ſecundum majoris partis deliberationem concludere, & concluſa fideliter executioni mandare, ſuper articulis, in Congregatione Vniverſitatis propoſitis, per Rectorem a ſingulis in Facultate inducere & in eadem concludere, & deliberationem Facultatis in Vniverſitate ſuo ordine in communi ſolemniter publicare;*

care; clavem Facultatis ad arcam Vniverſitatis habere, niſi Rector fuerit Suppoſitum Facultatis, ſecundum quod in Statutis Ducalibus; tenetur tempore ſui Decanatus ſemel Burſas & domos Suppoſitorum & Scholarium Facultatis ſuæ fideliter viſitare, ſicut in Statutis Vniverſitatis habetur; ad conſilium ſeu vocationem Rectoris, quando opus & neceſſitas exegerit, cum Decanis cæteris convenire; recipere etiam habet & conſervare pecunias Facultatis, de receptis nihilominus pecuniis rationem reddere officio ſuo finito, & reſidua aſſignare Decano futuro; ad promovendum in Facultate, an & ſub quo Rectore ſint intitulati in Vniverſitatis matricula, poſtulare; pœnas exigere in Statutis & præceptis comprehenſas, loca in Scholis diſtribuere, vel alii diſtribuenda committere, habeatque dirimere contentionem diſceptantium Scholarium ſuper locis in Scholis; ſervet etiam librum Statutorum Facultatis, etiam & Sigillum Facultatis, ad perhibendum teſtimonium Baccalariis & Scholaribus de Gradibus & de ipſorum in Studio reſidentia corporali, ſic tamen ut nulli concedat literas teſtimoniales niſi per Doctorem Scholaris petentis eaſdem fuerit certificatus, quod verus ille ſuus Scholaris exiſtat; ſpectet etiam ad ejus Officium, Bedellum, dum negligens fuerit, emendare, & proviſionem facere de conſenſu Facultatis contra clamantes, ludentes vel impedientes in Scholis cum adjutorio quandoque brachii Spiritualis, ſcilicet excommunicationis, ſi viſum fuerit expedire.

§ 3. *Item in anno ſemel, ſcilicet quarta vel quinta lectione circa principium Ordinarii, publice per Scholas legi faciat Statuta Facultatis reſpicientia Baccalarios & Scholares; ordinet etiam & diſponat de Miſſis Facultatis, & mandatis veniendi ad eas per Scholas publicandis, prout deſcribitur in Statutis. Rurſum Decani ſit tueri & conſervare Statuta Facultatis, quantum in eo fuerit, & eorum tranſgreſſores punire ſecundum Conſilium Facultatis, & generaliter curam habere ſolertem de omnibus, quæ ſpectant ad augmentum, profectum, bonum ſtatum & quietum regimen Facultatis.*

§ 4. *Item, quod, ſi contingat Decanum tempore ſui Officii abſentem eſſe, infirmum, vel alias rationabiliter impeditum, vel in Congregatione Vniverſitatis minime comparere, vices ſuas uni ex Doctoribus vel Licentiatis, & non alteri, committere teneatur. Si vero, quod abeſſe debet, per negligentiam vel incuriam hoc omittat, ſuppleat interim & ſupplere teneatur pro tunc ejus Officium Doctor vel Licentiatus in ordine ſequens ipſum, futurus videlicet Succeſſor ipſius; ſi nec ille ſit præſens, iterum alius ſequens illum, & ſic deinceps juxta modum ſuperius expreſſum.*

§ 5. *Item ſtatuimus, quod Decanus habeat in Facultate vocem deliberandi ſicut cæteri Doctores & Licentiati, ita tamen, ut in caſu parilitatis & æqualitatis vocum, vox ejus valeat duas voces, ſic, ut, ſi comparentibus quatuor, computato Decano, in Congregatione Facultatis, numero pari diſcordent, prævaleat, quod per Decanum & ſuam partem fuerit diffinitum.*

§ 6. *Item, quod nulla vacatio, nullumve præceptum Decani obliget ſub debito juramento, niſi de hoc mentionem faciat ſpecialem.*

TITULUS VII.

De modis, temporibus, locis & horis legendi.

§ 1. *Statuimus, ut in craſtino ſancti Cholmanni legens Decretum, principium facere teneatur, ad quod omnes Doctores, Nobiles, Licentiati, Baccalarii & Scholares convenire tenentur; die vero ſequenti incipiant omnes alii legentes ſeu regentes.*

§ 2. *Item, quod Doctores & alii legentes prius ponant fideliter caſum pro juvenibus, antequam textum legant, deinde deſcendant ad textum, & caſum reſumant, ſi oporteat; deinde notabilia eliciant, contraria & quæſtiones forment ex dictis propriis vel Doctorum, ſecundum exigentiam materiæ, auditorum capacitatem & ipſorum diſcretionem; poſtremo deſcendant ad Gloſſas, niſi hunc ordinem vel modum duxerint pro informatione pleniori vel clariori quandoque mutandum.*

§ 3. *Item, quod Doctor ordinarie de mane legens incipiat ſatis mane, videlicet in pulſu primarum apud Sanctum Stephanum, ſicut in aliis Studiis eſt conſuetum, vel ſaltem tam mane, poſt ejus lectionem competens tempus remaneat ante prandium ad aliam lectionem pro Baccalariis, vel aliis, ante prandium volentibus legere vel ſe exercitare.*

§ 4. *Item, quod repetitiones & diſputationes Doctorum vel Licentiatorum fiant diebus Jovis, quibus non legetur, integris videlicet ſeptimanis, niſi volens repetere vel diſputare aliam diem ex cauſa rationabili obtineat a Decano.*

§ 5. *Item, quod, ſi contentio ſit inter Doctores vel legentes de horis vel Scholis legendi, teneantur ſuper*
A *bis ſtare dictamini Facultatis; quod ſi major pars totius Facultatis non potuerit concordare, teneatur junior cedere ſeniori, & Licentiatus Doctori, & Baccalarius Licentiato, & Scholaris Baccalario.*

§ 6. *Item, quod nullus Baccalarius vel Scholaris legere volens, concurrere poſſit cum Doctore vel Licentiato in hora vel in libro nec Licentiatus cum Doctore, præſertim ordinarie de mane legente; Doctoribus autem liceat concurrere cum quocunque.*

§ 7. *Item, quod Sextus & Clementinæ non legantur hora ordinaria*
B *de mane, Decretales autem & Decretum legi valeant quandocunque.*

§ 8. *Item, quod ordinarie de mane legens, in principio ſtudii non incipiat legere tertium, quartum vel quintum librum Decretalium, ſed uno anno incipiatur a primo, alio anno a ſecundo, quibus finitis legantur alii libri ſecundum diſcretionem ipſius vel audientium voluntatem.*

§ 9. *Item, quod ordinarie de mane legens infra biennium teneatur Decretales finire, legens vero Jura nova, omni anno teneatur finire Sextum & Clementinas; legens autem Decre-*
C *tum ad minus in anno tertiam ejus partem finire teneatur.*

§ 10. *Item, quod vacationes æſtivales Facultatis incipiant in die Beatæ Margaretæ, & durent uſque ad craſtinum Aſſumptionis Beatæ Virginis, per quas de rigore nullus ordinarie legentium legere teneatur, niſi ſibi placeat, vel Scholaribus hoc petentibus ſe conformet. Providere tamen debet Facultas, ut Baccalarii per dictum tempus lectiones indicant, ne interim Scholares diſtrahi, vel attædiari contingat, vel ut alii actus ſcholaſtici fiant,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fiant, ita quod Scholares non vacent omnino. In vacationibus etiam hyemalibus circa festum Natalis Domini, vel Paschalibus, vel Pentecostalibus, licitum sit omnibus extraordinarie legere, non tamen repetere vel disputare ordinarie, seu pro forma.

§ 11. *Item, quod nullus repetens legat ex quaterno, sed ipsum pro memoriali possit habere.*

§ 12. *Item, quod non sit licitum alicui legere in domo, vel in alio loco, præterquam in Scholis, nisi ex speciali dispensatione Facultatis.*

§ 13. *Item, quod hora, qua Doctor vel Licentiatus repetit vel disputat, nullas in hac Facultate legat, repetat vel disputet, cedatque junior seniori.*

§ 14. *Item, quod Facultas Baccalariis & Scholaribus legere & lectiones suas continuare volentibus, horas & loca deputare omnimode teneatur.*

§ 15. *Item, quod Facultas provideat singulis annis solemniter legi in Scholis Facultatis in crastino Palmarum c. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remiss.; in crastino sancti Thomæ Apostoli c. Firmiter, de Summa Trinitate & fide Catholica; feria quinta post Pentecosten c. Cum Marthæ. de celebr. Missar. vel c. Majores. de Bapt.; ad quas lectiones singuli de Facultate convenire teneantur, & nihilominus lectiones illæ in aliarum Facultatum lectionibus ordinariis retinentur; valeat autem Facultas disponere & ordinare de dictis Capitulis per aliquem ex Doctoribus in Theologia legendum, præsertim de c. Firmiter, nisi potius velit, quod aliquis ex Doctoribus vel Licentiatis Facultatis ipsius ipsum legendi onus habeat & honorem.*

TITULUS VIII.

De temporibus & qualitatibus Graduandorum.

§ 1. *Volumus, quod ad Baccalariatus Gradum nullus admittatur, nisi sit idoneus, & in quarto anno auditionis suæ existat, teneaturque sine fraude illo tempore integre audivisse & omnes libros Decretalium, Sextum, etiam Clementinas, insuper & Decretum ad minus per annum, nisi in hoc secum per Doctores fuerit dispensatum; super tempore autem auditionis Decretalium, Sexti & Clementinarum, super libris ipsis vel ipsorum aliquo non auditis, omnis sit penitus dispensatio interdicta. Si vero Scholaris studuerit in Legibus annis duobus, & deinde in Canonibus duobus, possit ad prædictum Gradum promoveri, & econtra Canonista in Legibus pari modo. Nec concedatur ei Gradus, nisi prius solemniter repetat, & unam Rubricam in Decretalibus, Sexti, vel unam causam in Decreto prius legat, vel loco istorum prius respondeat uni Doctori disputanti.*

§ 2. *Ad Licentiam autem nullus valeat præsentari, nisi prius in hoc Studio vel aliis Studiis generalibus per septem annos integre & complete studuerit, libros suos omnes audiverit a Doctore, vel loco Doctorum legente pro forma, & Decretum saltem per unum annum audiverit, omni dispensatione remota, nisi sit Baccalarius in Jure Civili, quem sufficiat per quatuor annos audivisse jura Canonica, vel Licentiatus in jure Civili, quem sufficit per tres annos jura Canonica audivisse, & de prædicto tempore faciat fidem. Sique fuerit Baccalarius hujus Universitatis vel alterius, non admittatur, nisi*

nisi a tempore Confirmationis Statutorum istorum omni anno, quo in hac Vniversitate mansit, semel repetierit, vel loco repetitionis Doctori disputanti responderit, & legerit Rubricam extraordinariam per Doctores sibi injunctam. Si vero sit Baccalarius superveniens aliunde, statim desiderans expediri, & fidem fecerit, saltem per juramentum suum de tempore suo alibi completo, teneatur prius, antequam ad Licentiam præsentetur, solemniter repetere in præsentia Doctorum, & opponentibus respondere, & Rubricam unam legere in Decretalibus, Sexto vel Clementinis, vel unam Causam in Decreto, etiamsi alibi legerit, vel repetierit; alias nullatenus admittatur, omni dispensatione penitus interdicta.

§ 3. *Item, quod nullus ad Licentiam præsentetur, nisi prius fuerit hujus vel alterius Vniversitatis Baccalarius, vel super hoc per Doctores secum fuerit dispensatum.*

§ 4. *Item, quod nullus promoveatur in Baccalarium vel Licentiatum, nec alibi promotus hic in eodem Gradu admittatur, nisi fuerit in Matricula Vniversitatis intitulatus, & juratus, & de hoc constet.*

§ 5. *Item, quod nullum tempus sufficiat promovendo, nisi adsit scientia, nec sufficiat scientia, nisi bona fama ac eidem mores laudabiles suffragentur. Præterea cum inter cæteras Facultates nostra teneatur præcipue Matrimonii Sacramento favere, utputa plus tractans de eodem, & omnem illicitum concubitum detestari, cui utrumque Jus multipliciter refragatur; cum etiam Doctoratus Dignitas existat, & omnes aliæ Facultates etiam inferiores idem Statutum habeant atque servent; in magnum honorem earum statuimus, quod nullus illegitime natus, Spurius, servus vel libertus, ad Doctoratum vel Licentiam admittatur.*

§ 6. *Item, quiqui reperti fuerint offensores vel injuriatores alicujus Doctoris, vel alias superbi, protervi vel rebelles erga Doctores eorum, non promoveantur ad aliquem Gradum, nisi prius emendaverint ad judicium seu beneplacitum Facultatis.*

§ 7. *Item statuimus, quod nullus creetur in Baccalarium, nisi fuerit prius Collegio Doctorum sive Solemnitati singulariter præsentatus & per ipsum admissus, examinatus & sufficiens reputatus, faciatque ibidem fidem de tempore auditionis suæ, quodque, cum libros audiverit, & collecturas suas solverit Doctoribus & Bedello, juretque alia de quibus infra cavetur.*

§ 8. *Forma autem conferendi Gradum Baccalariatus erit ista. Baccalariandus namque repetet unam Decretalium opponentibus respondendo, vel Doctori disputandi respondebit; facta autem repetitione vel disputatione, in continenti Doctor ipsius brevi (1) arenga præmissa ipsius Baccalarii recommendatoria, dicet: Et ego auctoritate Apostolica & autoritate nihilominus ex antiqua consuetudine Doctoribus competente, do vobis Gradum Baccalariatus in Jure Canonico, & potestatem exercendi omnes actus, ad Gradum illum pertinentes, hic & ubique locorum. In nomine Patris &c.*

§ 9. *Statuimus & mandamus, ut examinandus pro Licentia præsentare se habeat Collegio Doctorum petiturus admit-*

(1) Arenga *latino-barbare usurpatur vel pro qualibet Oratione sive Declamatione, vel, uti hic, pro Præfatione, quæ captandæ benevolentiæ causa actui cuidam solenni præmittitur. Eodem sensu Galli dicunt* Harangue & Haranguer.

admitti; deinde Doctor ipsius ipsum habeat Domino Cancellario præsentare, brevi arenga præmissa, paucis & non multis ad hoc vocatis; qua præsentatione facta Dominus Cancellarius diem & horam pro punctis capiendis & examinatione facienda debebit Doctoribus legentibus in Facultate Juris utriusque hujus Studii assignare. Illa autem die de mane ante lectionem in Decretalibus, Doctores, qui debebunt examini interesse, teneantur convenire in loco ipsis assignato, & ibidem, aliis præsentibus, senior Doctor, dummodo tamen non fuerit ipsum examinandum præsentans, vel ex præsentantibus ipsum, omni dolo, fraude, odio, gratia vel favore exclusis, puncta casualiter assignabit, sed quod librorum dederit apertura; videlicet in Decretalibus unum & alium in Decretis, ita tamen quod, si Doctor ipse projecerit ad materiam sterilem, liceat sibi & ante & post tria folia vertere absque dolo & fraude, ut tamen nullus in distinctionibus punctuetur.

§ 10. Proviso, quod super punctis de mane datis, examen in crastinum nullatenus differatur, &, si ex causa illa die fuerit dilatum examen, nullo modo examinetur die sequenti vel alia, nisi illa die, qua fuerit examinandus, de novo præsentetur de mane, ut superius est expressum. Super his autem punctis examinandus hora sibi signata ad locum sibi assignatum redire debebit, lecturus eadem cum continuantibus Causarum & Rubricarum, cum divisionibus in omnibus notabilibus Glossis & sententiis Glossarum, Causæ & Quæstionis; materias autem Doctorum non debebit intrare, quibus locis unicuique Doctorum respondere habeat ad objecta, similiter & petita, quousque Doctor ipse arguens sive petens, de ipso contentus existat, omnibus tamen postpositis rancore, odio, gratia vel favore. Examinatione vero completa, fiat collatio præsente Notario ad hoc juramento, & quem Licentiandum major pars approbaverit, Dominus Cancellarius accipere teneatur; approbatus vero per minorem partem, nullatenus recipi teneatur. In examine vero Dominus Cancellarius personaliter sit præsens, vel per alium Doctorem vel Licentiatum, quem duxerit eligendum.

§ 11. Statuimus, quod tempore, quo aliquis pro Licentia fuerit examinandus, non fiat aliqua solemnitas, aut conventus Doctorum, vel aliorum ad domum Cancellarii, nec fiat ibidem facto examine aliqua potatio in communi, nec expectatio concomitantium, quasi examinandus jam de Licentia sit securus, nec fiat in continenti Licentia post examen, sed sequenti, vel die alia, quando Domino Concellario idem placuerit.

TITULUS IX.

Forma vero Doctorandi, seu Conventus sive Convenientia hujus loci erit talis.

§ 1. Doctores namque omnes, Nobiles, Licentiati Baccalarii & Scholares, completo secundo pulsu campanæ majoris Sancti Stephani, quæ ob reverentiam ipsius Doctorandi pulsari debebit, convenient ad domum Doctorandi, & ipsum solemniter associabunt ad locum ubi fieri debet actus; in quo loco Cathedra Doctoralis pro Doctorando, & sedes ad latera ipsius, pro Domino Cancellario & Doctoribus collocari debebunt; quam Cathedram ipse Doctorandus, præmissa brevi arenga per Dominum Cancellarium vel alium Doctorem Facultatis, cui hoc Dominus

nus Cancellarius duxerit committendum, auctoritate Domini Cancellarii ascendat.

A

§ 2. *In qua statim faciat pulchram & decentem arengam recommendatoriam Facultatis ipsius, petatque decenter sigillatim insignia Doctoralis honoris sibi per Doctorem suum conferri, videlicet Birretum, annulum, librum clausum & apertum, osculum & benedictionem Magistralem; deinde ascendat Cathedram eandem Magister seu Doctor ipsius, &, præmissa arenga recommendatoria ipsius Doctorandi, ipsa insignia per ordinem aptis ad hoc verbis concedat eidem. Quibus habitis incipiat mox & in continenti ipse Doctor novellus uti sibi tradita potestate; legat, seu breviter repetat unum Canonem in Decretis, audiendo opponentes unum vel duos Baccalarios vel Scholares, respondendo eisdem. Quo facto Doctor ipsius referre debebit actiones gratiarum; & hic modus servetur donec Doctores in tantum excreverint, & multiplicati fuerint, quod convenienter & decenter fieri valeat publicum examen, sicut in Bononia, vel inter ipsos quæstio disputari, sicut Parisiis observatur. Ex tunc enim, si ipsis placuerit & visum fuerit expedire, prædictum modum poterunt immutare.*

B

C

§ 3. *Item statuimus & ordinamus, quod, qui contra tenorem Statutorum Facultatis Juris Canonici & Civilis in hoc Studio per Vniversitatem approbatorum ad aliquem Gradum dictæ Facultatis promotus fuerit, ad publicos actus Magistrales vel Scholasticos nostræ Facultatis, aut ad Consilia Vniversitatis vel Facultatis, tanquam membrum ejusdem nostræ Facultatis, nullatenus admittatur.*

TITULUS X.

De Juramentis.

§ 1. *Doctores & Licentiati supervenientes, qui ad Facultatem recipi voluerint, jurare debent in Congregatione Facultatis fideliter & pro bono ipsius deliberare, ejus secreta & personas deliberantes nemini revelare, Statuta & statuenda Facultatis custodire, & omne ipsius bonum fideliter procurare, Decano Doctoribusque singulis reverentiam & honorem exhibere.*

§ 2. *Baccalariandus habeat jurare in præsentia Facultatis, quod sit in quarto anno auditionis suæ, & quod audiverit publice in Scholis a Doctore vel loco Doctoris pro forma legente in Studio generali tribus annis complete, quodque audiverit quinque libros Decretalium, item Sextum & Clementinas, & quod audiverit Decretum per annum ad minus, nisi in hoc ultimo secum per Doctores fuit dispensatum; quodque, si contigerit ipsum ad deliberationem Facultatis vocari, deliberabit fideliter ad honorem Dei & suæ Facultatis, personas deliberantes & secreta Facultatis nemini revelando.*

§ 3. *Præsentandus ad Licentiam in præsentia Facultatis habeat jurare, quod in hoc vel alio Studio generali complete ad minus septem annis studuerit, & audiverit jura Canonica vel Civilia, legerit & repetierit, secundum ordinationem Statuti in Titulo de temporibus & qualitatibus Graduatorum positi, quod sibi pro tunc expresse legatur.*

§ 4. *Recepturus vero Licentiam jurare habeat honorem & reverentiam Cancellario & Cancellariæ Studii Wiennensis, Doctoribus singulis Facultа-*

cultatis ipſius reverentiam condecentem, atque fideliter intendere promotioni Facultatis illius in Studio Wiennenſi, ad quemcunque Statum eum pervenire contingat; quodque pro promotione ſua nihil dabit vel dederit, promittet vel promiſit, niſi in quantum jura & Statuta permittunt, & quod Gradum illum alibi non reſumet, nec inſignia Doctoratus alibi recipiat, quam in hac alma Vniverſitate. Si tamen in ea aliquis Doctor regat, & ſi contingat ipſum ipſa inſignia recipere velle, & Doctor ejus ſub quo Licentiatus eſt, ſit præſens in Studio, vel ſi ſit abſens, & infra tres dietas vulgares exiſtens requiſitus veniat infra decem dies, inſignia Doctoratus recipiat ſub eodem, nec tunc exponet ultra ſummam in Generali Concilio conſtitutam; quodque ſervabit pacem, tranquillitatem & unionem inter quatuor Facultates & Nationes Studii Wiennenſis, & inter Seculares & Religioſos. (1)

§ 5. *Doctorandus vero, dum incipit, jurare habeat, quod Gradum illum alibi non reſumet, & quod requiſitus debite & apto tempore per Cancellarium vel Facultatem de promovendis ſecundum ſuam conſcientiam fidele teſtimonium perhibebit.*

§ 6. *Pedellus jurare habeat, Decano & cæteris regentibus parere in licitis & honeſtis, reverentiam inſuper & honorem; quodque ſecreta Facultatis & perſonas deliberantes, ſi audierit, minime revelabit & Officium ſuum ſtudioſe & fideliter exercebit, omni fraude remota.*

§ 7. *Item, quod nullum Statutum, ſupra vel infra poſitum, nullumve præceptum vel mandatum Decani reſtringat ad perjurium, niſi de juramento in Statuto vel in ipſo juramento dicatur expreſſe.*

TITULUS XI.

Rubrica de expenſis.

§ 1. *Statuimus, quod pro collecta ſinguli Doctoris, vel legentis loco Doctoris, quilibet ipſius Baccalarius vel Scholaris ſolvere teneatur unum florenum ad minus in anno. Nobiles vero, vel loca Nobilium tenentes, ſecundum quod eorum liberalitati viſum fuerit, largiantur.*

§ 2. *Item, quod quilibet Nobilis, vel ſtatum Nobilium tenens, pro qualibet collecta ſingulis vicibus de rigore ad minus medium florenum teneatur præſtare Pedello; Baccalarii vero tres groſſos; alii vero Scholares duos groſſos. Recipiat etiam ipſe Pedellus a quolibet Nobili, vel ſtatum Nobilium tenere volente, pro jucundo primo introitu ad Scholas ad minus medium florenum, a Baccalariis vero tres groſſos, ab aliis Scholaribus duos groſſos. Omnes tamen hortamur, & maxime Nobiles, ſeu ſtatum Nobilitatis tenere volentes, quatenus ultra rigorem prædictum oſtendant ſe Pedello in ſingulis collectis magis munificos atque largos.*

§ 3.

(1) *Forma licentiandi, quæ in Codice MSto extat in margine, hæc eſt:* Auctoritate igitur Apoſtolica nobis in hac parte conceſſa Nos Cancellarius almæ hujus Vniverſitatis Vobis-talitanquam benemerito ac in Venerabili Facultate Decretorum & Legum diligenti examinatione idoneo & ſufficiente comperto, ad honorem Dei & Vniverſitatis hujus, damus licentiam & auctoritatem plenariam in ipſa Facultate legendi, regendi, diſputandi, determinandi, repetendi, ac quoslibet alios actus ſcholaſticos exercendi hic & ubique locorum; in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

§ 3. *Item, quod nullus Baccalariandus Doctori, ſub quo Gradum Baccalariatus recipere debebit, teneatur ultra duos aureos dare vel offerre, nec Doctor ultra exigere debeat, neque poſſit; hos autem Baccalariandus ipſe ad mimus & de rigore ſolvere teneatur: item Facultati medium florenum, & medium florenum Pedello; alios autem ſumptus facere non tenetur; imo ſingulos requirimus & hortamur, ut deſiſtant & temperent ſe ab aliis expenſis, & ſumptibus quibuſcunque.*

§ 4. *Item, quod nullus pro Licentia examini ſe ſubmittens ultra ſex florenos Doctoribus omnibus ſimul quotcunque pro examine ſolvere teneatur, neque debeant neque poſſint Doctores ipſi aliquid exigere ultra ſummam prædictam. Nullas autem (1) confectiones, neque aliquod vinum ſolvere Doctoribus teneatur, niſi ipſos ultra præmiſſa in vino & confectionibus voluerit ſpecialiter & ex gratia honorare; die autem Licentiæ ſuæ comitantes eum in vino & confectionibus, prout voluerit, poterit honorare. Teneatur præterea unum florenum Pedello, & unum florenum ſolvere Facultati.*

§ 5. *Item, quod nullus Doctorandus Doctori ipſum præſentanti (2) varium vel aliquas (3) ſufferraturas ſolvere teneatur, nec ultra quatuordecim ulnas panni menſuræ Wiennenſis, quas tamen omnino ſolvere teneatur, unam videlicet pretii duorum florenorum; nec ipſe Doctor plus ab eodem exigere debeat neque poſſit; Bedello vero duntaxat teneatur ad ulnas ſex, ulnam pro uno floreno; Facultati ad unum florenum; cuilibet Doctori regenti ad unum florenum cum confectionibus atque vino. Ad alias vero quaſcunque expenſas non tenebitur de rigore, niſi ut ſe decenter veſtiat, & in quantum eas facere voluerit, ut tamen formam Wiennenſis Conſilii non excedat.*

§ 6. *Item, quod in factis arduis cogentibus Facultatem, ſi deſit pecunia communis, quilibet Doctor, Nobilis, Licentiatus, Baccalarius vel Scholaris juxta moderationem, per Facultatem faciendam juxta ſtatus & conditiones perſonarum, per juramentum ſuum de proprio contribuere teneatur.*

TITULUS XII.
De domo Facultatis.

§ 1. *Cum domus, ubi Scholæ Juris exiſtunt, ex munifica donatione Sereniſſimi Principis Domini noſtri Ducis, ſit propria Facultatis, ſtatuimus, ut ad eam recipi debeat quicunque Stipendiatus ad legendum in Jure, ſi ipſam ſibi placuerit inhabitare, ita quod, æqua facta per Facultatem diviſione camerarum quarundam & locorum ipſius, in electione ſenior, & deinde ſenior præferatur.*

TITULUS XIII.
De Pedello.

§ 1. *Statuimus, ut Facultas Pedellum habeat ſpecialem, per ipſam, dum Officium ſuum vacaverit, aſſumen-*

(1) *Vide ſupra Statut. Facult. Theolog. Tit. VI. § 4 ubi iſtæ confectiones vocantur* Species.

(2) Varium *videtur hic accipiendum eſſe pro panno vario vel pelle varia, hoc eſt, diverſi ſeu multiplicis coloris, quo vel qua utimur ad alias veſtes ornatus cauſa ſuffulciendas & duplicandas.*

(3) Sufferrare *latino-barbare uſurpatur pro ferreas ſoleas jumentis ſubdere. Minime igitur dubito, quin pro* Sufferratura *hic legendum ſit* Subsoderatura; *uti germanice dicitur* Unterfutter & Futterwerck. *Apud mediæ enim ætatis ſcriptores latino-barbaros* foderare *paſſim occurrit pro veſtem ſuffulcire & duplicare.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mendum; qui, dum assumptus fuerit, juret secundum quod de ipso supra in Titulo de Juramentis specialiter continetur. Qui etiam Pedellus habeat Rectori per Facultatem præsentari, juraturus eidem & Vniversitati, prout in Statutis Vniversitatis habetur; sitque ejus Officium perpetuum, nisi de dolo notatus fuerit, vel gravi culpa seu notabili negligentia repertus fuerit laborare. Si vero ipsum ægritudine vel alio impedimento perpetuo teneri contingat, per substitutum eidem Facultati gratum, sic, ut præmittitur, juraturum, suum debebit Officium exercere.

A

§ 2. *Officium vero Pedelli sit, Decanorum obedire mandatis, libros Doctorum & Scholarium in Scholis diligenti studio conservare, Festa & Vigilias, quibus non legitur, vacationes, Sermones, Missas Vniversitatis & Facultatis, schedulasque sibi traditas per Scholas publicare, nisi ex ipsis schedulis præjudicium vel discordiam oriri verisimiliter senserit: tunc eas prius Decano ostendere teneatur. Congregationes Vniversitatis & Facultatis Doctoribus & Licentiatis omnibus sigillatim & fideliter intimare, citationes Rectoris exequi diligenter, Scholas aperire, claudere & purgare scamna, sedes, fenestras & fenestralia visitare, mundare & simptibus Facultatis reficere; post mensem a repetente vel disputante Doctore vel Licentiato repetitionem vel quæstionem ejus ordinariam petere, & aliis scribendam communicare; ita quod ab illo, cui communicat, de una repetitione vel quæstione non recipiat ultra grossum. Obediens sit, humilis, pacificus & servilis, maxime Doctoribus & Nobilibus, ac aliis Facultatis Suppositis reverendis: visitet etiam frequenter Doctores & Legentes, obtemperaturus mandatis eorum; curet etiam Officium suum Statuta & alia respicientia bene scire, tam personas Facultatis, quam alias Vniversitatis, noscere, ut eas, dum ad Scholas nostras, causa præsertim honoris venerint, valeat honorare in locis honestis, ad quos etiam invitas reverenter trahere teneatur. Diligenter etiam respiciat, ut Doctores, Nobiles, Licentiatos & Baccalarios, & alia honoranda nostræ Suppositæ Facultatis, in Missis & Sermonibus Facultatis trahat atque ducat ad sedes debitas & ad sedilia honesta: Magistrum etiam, Licentiatum, Baccalarium & Scholarem repetentem vel disputantem conducat & reducat ad actus singulos, ut est moris. Et generaliter ad Officium ejus spectet omne bonum, & omnem laborem Facultatis fideliter procurare, singulosque defectus, quos in Facultate cognoscit, Decani auribus intimare.*

B

§ 3. *Præterea statuimus, quod, si per incuriam, dolum vel culpam Pedelli liber fuerit in Scholis amissus, illum ad moderamen Facultatis solvere teneatur, proviso tamen, quod inter dolum, culpam, casum & negligentiam æqua distinctio habeatur.*

C

§ 4. *Placet etiam, quod Pedellus per se habeat duas duntaxat in anno collectas, unam circa festum Sancti Martini, aliam circa festum Sancti Georgii, præter collectam pro paleis & membranis, quarum collectarum quantitas & mensura descripta est sub Titulo de expensis.*

§ 5. *Item, dum fiunt Magistri in Theologia vel in Medicina teneatur eos honorare, & cum Virga præcedere, & per totum eorum Festum præsens interesse & servire, nisi in factis*

Facultatis de jussu Decani in aliis fuerit impeditus.

§ 6. *Item, quod Librarius vel Pedellus Facultatis nullum librum in hoc loco Wiennensi per se emat, & carius eum vendat, quodque vendentes non angariabit, nec ab ementibus pro proxenetico vel labore suo ultra quadragesimum denarium extorquebit.*

§ 7. *Item, quod nullos libros nostræ Facultatis clam vendat vel occulte, quin prius ipsos & ipsorum nomina per Scholas publicet in aperto.*

§ 3. *In supradictis autem Statutis nostræ Facultatis, reservamus nobis potestatem, absque requisitione Universitatis, ex causis rationabilibus, ubi opportunum eidem concorditer videbitur, dispensandi, præterquam in casibus in quibus in ipsis Statutis dispensatio prohibetur. Si autem ex circumstantiis rerum, & varietate temporum in prædictis Statutis quidquam mutandum visum fuerit, aut eisdem aliquid de novo addendum vel diminuendum, Facultas circa hujusmodi ordinare & statuere habeat, prout sibi expedient videbitur; ita tamen quod ea, quæ in additionibus, diminutionibus, seu quibuscunque mutationibus per Facultatem decreta fuerint, non habeant vigorem Statutorum, nisi per Universitatem fuerint approbata. Et sic est finis illorum prædictorum.*

STATVTA MEDICINÆ.

PROOEMIVM SIVE EXORDIVM.

Quoniam, ut ait Princeps (1) *Abohali Avicenna, cui alludit Isidorus concorditer, Medicina est quæ corpus vel tuetur, vel restaurat salutem, & quia etiam sanitatem ac salutem corporis frequentius adoptamus, deprecantes Altissimum in quam multis, ut salutem corporis & animæ nobis in præsenti tribuat & in futuro, pro eisdem vota nostra ad ipsum mittentes, tanquam magis necessariis in vita gerenda, misertus ergo nostri misericordiarum Dominus & salutis, in fragilitatis solo fecit nobis crescere de cœlesti solio Medicinam. Quæ equidem Medicina apud suos Doctores veteres & modernos rationalis scientia merito appellatur: & vere rationalis, quantum ad utramque ejus partem, Theoricam videlicet & Practicam; in quibus habendis ipsa considerat causas omnium liberalium Facultatum. Nam omne quod singulariter & divisim in qualibet septem Facultatum dicitur & quæritur, in scientia ista conjunctim & utilius invenitur. Hæc est igitur dignior pars prudentiæ præstantissima, sine cujus adminiculo minus bene agitur Respublica in hoc Mundo, ut patet luculentius universos ordines hominum intuenti. Ipsa etiam vere est, cujus legibus & præceptis omnis humana potestas notabiliter affecta obsequitur & obedit, cui nimirum vita recommittitur Magnatum, cujus curæ ac tutelæ salus non indigne creditur multitudinis populorum. Ejus namque ministerio suprema potestas Apostoli præ-*

(1) *De integro hujus Autoris nomine ac titulo, nempe* Abu-Hali, Al-Hasen, Aben-Hali, Aben-Sina, *& de ejusdem nominis ac tituli interpretatione, vide* Petri Castellani, *in Acad. Lovan. Græc. Literar. Professoris, eruditi Opusculum de* Vitis Illustrium Medicorum *Antverp. apud Guil. a Tongris. A. 15[illegible] in octavo impressum, pag. 136.*

præsidet ad salutem & Romanum Imperium, & quodlibet aliud Regnum utiliter stabilitur; Pastores Ecclesiarum Status majoris, qui sunt Episcopi & Prælati, feliciter conservantur. Quid enim est deterius Ecclesiæ circumquaque quam Pastor debilis & inutilis, aut sæpe mutatus? Duces, Comites ac Barones, Milites & Armigeri, populusque communis ad tuendam Rempublicam sine ipsius adminiculo, quod certe est sanitas, totaliter deficiunt; & notum est, & quod pluris æstimamus, ipsa hominem totum sibi vendicat in utero, & ab utero procedentem per quamlibet partem vitæ ejus, ipsum in finem deducens utroque regimine, conservativo videlicet ac similiter curativo. Nos igitur Hermannus Lürtz de Nuerenberga Decanus Facultatis Medicinæ, Joannes Gallici de Wratislavia, Cunradus de Schiverstat, prædictæ Facultatis Medicinæ Doctores & Artium liberalium Professores, ut ipsius officio nec non beneficio necessitati humanæ, propter quam creata est, salubrius consulatur, secundum quendam rationabilem ejus ordinem & statuta convenientia, sine quibus nihil bene fit, concorditer ordinamus ea, quæ sequuntur; salva potestate addendi, diminuendi, moderandi, aut legitime interpretandi, atque etiam in casu dispensandi, attento quod secundum eventus rerum, qualitatem temporum, & varietatem casuum, quæ humanitus simul provideri non possunt, non incongrue Statuta variantur humana.

TITULUS I.

De modis ordine & horis principiandi, disputandi ac legendi; ut & de vacationibus & de officio Baccalariorum ac Scholarium.

§ 1. *Inprimis igitur statuimus & ordinamus, quod omnes Magistri, Licentiati, Baccalarii Facultatis Medicinæ in casu discordiæ stabunt ordinationi suæ Facultatis de modis, ordine & horis principiandi, disputandi & legendi.*

§ 2. *Item ordinamus, quod Facultas Medicinæ habeat vacationes ordinarias quolibet anno a Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis, usque ad festum Sancti Lucæ Medici & Evangelistæ inclusive, tali tamen conditione adjecta, quod, si cuiquam isto tempore placuerit legere, legendi liberam habeat facultatem.*

§ 3. *Item ordinamus, quod Scholares & Baccalarii Medicinæ libros, qui pro tempore leguntur, secum ad Scholas solemniter deferant, & ante se apertos teneant semper, donec lectio sit finita.*

§ 4. *Item, quod nec in lectionibus, nec in disputationibus, nec in aliis actibus scholasticis faciant inhonestos sibilos, indiscreta susurra, murmura, seu alios indecentes strepitus qualescunque.*

§ 5. *Item ordinamus, quod omnes Baccalarii & Scholares intersint disputationi cujuslibet Magistri, nisi rationabilem causam absentiæ habeant, quam Magistro disputaturo significare teneantur vel Decano Facultatis. Idem intelligimus de aliis actibus solemnibus, in quibus ordinamus ipsos a principio usque ad finem omnimode permansuros,*

TITULUS II.

De Scholaribus promovendis ad Gradum Baccalariatus in Medicina.

§ 1. *Ordinamus primo, quod Scholaris in Medicina volens promoveri ad Gradum Baccalariatus in Medicina, quicunque ſit, debet audiviſſe* (1) *Joannicii artem commentatam integre; primum ſeu quartum Canonis Avicennæ, & aliquem librum in Practica, ut nonum Raſis Almanſoris, vel conſimilem a Doctore vel Doctoribus, vel aliis legentibus in Scholis publicis Studii generalis.*

§ 2. *Item, ſi eſt Magiſter in Artibus, debet audiviſſe in eadem Facultate Medicinæ ad minus duobus annis; ſi Baccalarius in Artibus duobus cum medio; ſi ſimplex Scholaris, ad minus debet tribus annis in Studio generali in eadem Facultate ſtuduiſſe.*

§ 3. *Item debet duobus Doctoribus in præſentia omnium Doctorum, Baccalariorum & Studentium omnium intereſſe volentium, reſpondiſſe.*

§ 4. *Item, poſt hoc promovendus debet præſentari per Decanum Facultatis toti Facultati, ita quod poſtquam approbatus eſt in ſcientia, moribus & honeſtis conditionibus ad talem Gradum requiſitis, omnes Doctores debent concordare in hujuſmodi receptione. Et, ſi aliquis vel aliqui non conſenſerit vel conſenſerunt, allegata cauſa rationabili refutationis, receptio nulla fiat; ſi autem cauſa non fuerit rationabilis, quæ per Doctores Facultatis Medicinæ debet examinari, tunc, non obſtante diſſenſione unius vel plurium ex pluralitate Doctorum Facultatis Medicinæ, eſt admittendus.*

§ 5. *Item promovendus ad Gradum Baccalariatus in Medicina debet viceſimum ſecundum annum ſuæ ætatis compleviſſe.*

§ 6. *Item, poſtquam eſt acceptatus per Facultatem Medicinæ, tunc debet determinare vel incipere infra ſpatium trium menſium, quod ſi non fecerit, ille, qui tunc prius determinaverit inter alios ſecum & poſt eum acceptatos, completo termino enarrato, locum ante eum in diſputationibus & aliis actibus ſcholaſticis habebit.*

§ 7. *Item ille promovendus, cum vult promoveri debet ſedere in ſcamno Scholarium & determinare unum problema; iſto facto vocet eum Doctor ſuus ad Cathedram Baccalariorum, & antequam determinet quæſtionem, Bedellus proponat ſibi juramenta, quæ ſequuntur; & poſt hoc det ſibi medium florenum; deinde determinet quæſtionem unam; iſto expedito Doctor ſuus aſſignet ſibi Gradum Baccalariatus cum recommendatione ſolemni.*

§ 8. *Item ille Baccalariandus debet dare Doctori ſuo pro honore proprio & ſuæ Facultatis* (2) *Clenodium valens unum florenum, idemque Baccalariandus faciat alias ſolemnitates, in hujuſmodi Gradu fieri conſuetas.*

§ 9. *Item, iſte Baccalarius jurabit, quod non velit practicare in Medicina infra muros Wiennenſes, niſi cum ſcitu, informatione & directione ſui vel Doctoris alterius Facultatis Medicinæ, in hoc Gradu duntaxat exiſtens.*

§ 10. *Item ante promotionem det Facultati unum florenum, & juret juranda Statuta & ſtatuenda firmiter obſervare.*

§ 11.

(1) *Vide Biblioth. Græc. Fabricii. Vol. X. pag. 524.*
(2) *De origine & ſignificatu hujus vocabuli latino-barbari vide ſupra Annotationem marginalem pag. 103.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§ 11. *Item ordinamus, quod nullus Scholarium ſit limitatus ad aliquem Doctorem, ſed liberum ſit ſibi eligere Doctorem ſub quo velit promoveri.*

§ 12. *Item completo reſponſiones pro Gradu Baccalariatus fiendas, liberum ſit ſibi eligere duos Doctores de Facultate Medicinæ, non penſando, cuicunque eorum ſit primo reſponſurus.*

§ 13. *Item quilibet Baccalarius, ad Licentiam vel ad Doctoratum in Medicina tendens, tenetur reſpondere ad minus ſemel in anno uni Doctorum, cui tunc placuerit reſpondere.*

TITULUS III.

De Baccalariis in Medicina ad Licentiam promovendis.

§ 1. *Baccalarius ad Licentiam promovendus, ſi eſt graduatus in Artibus, debet audiviſſe in Medicina ante Doctoratum quinque annis, duobus ante Baccalariatum, & tribus poſt, vel tribus ante Baccalariatum & duobus poſt. Si vero non eſt graduatus in Artibus, debet audiviſſe ſex annis in Medicina, tribus vel quatuor ante Baccalariatum & duobus vel tribus poſt. Et ibidem placuit, quod Gradus Baccalariatus in Artibus, debet pro Gradu in Facultate Medicinæ computari.*

§ 2. *Item Baccalarius ad Licentiam promovendus, debet reſpondere vel reſpondiſſe omnibus Doctoribus, quibus placuerit eum audire, in præſentia omnium Doctorum vel Licentiatorum intereſſe volentium, nec non Baccalariorum & Scholarium Medicinæ, & omnino ſit in libero ſui arbitrio, cui Doctorum primo, & cui ſecundo, & ſic deinceps voluerit reſpondere.*

§ 3. *Item iſte promovendus debet audiviſſe continue ad minus duos Doctores legentes, ſi ſint; ſi non, alios legentes teneatur audiviſſe. Deinde iſte promovendus debet præſentari per Decanum Facultatis toti Facultati Medicinæ, ita quod, poſtquam approbatus eſt in ſcientia, moribus & honeſtis conditionibus, ad Gradum Doctoratus Medicinæ requiſitis, omnes Doctores Medicinæ debent concordare, ut ſupra dictum eſt, de Gradu Baccalariatus.*

§ 4. *Item, dictus promovendus ad Gradum Doctoratus Medicinæ ſit de legitimo thoro natus, vel alias legitimatus ad hunc Gradum, nec ſit aliis defectibus notabilibus & turpibus in corpore vitiatus.*

§ 5. *Item ſtatuimus, quod, poſtquam in Studio Wiennenſi lectum eſt tanto tempore, quantum requiritur ad Gradum Baccalariatus vel Licentiæ, cum nullo de tempore audientiæ amplius diſpenſetur, niſi talis cauſa interveniat, propter quam Facultas, ut ſupra, judicaverit eſſe merito diſpenſandum: nec quamcunque ſcientiam ſufficere ad Gradus in hac Facultate volumus, ſi perverſis moribus ac notatis vitiorum maculis fuerit diffamata.*

§ 6. *Item, ſi forte quandoque petitiones Principum vel quorumcunque, pro non dignorum promotione fuerint porrectæ, allegationes fiant Statutorum & juramentorum præſtitorum de eiſdem obſervandis.*

§ 7. *Item ordinamus, quod, qui reperti aut notati fuerint a Facultate transgreſſores Ordinationum ejus, vel alias inobedientes, aut contra Doctorem vel Doctores protervi aut ſuperbi, vel publici fornicatores, non promoveantur, niſi ſe emendaverint ad beneplacitum Facultatis.*

§ 8. *Item ordinamus, quod promovendus ad Gradum Doctoratus, ſi fuerit inventus ſufficiens in ſcientia &*

morum honeſtate, & cum hoc non nimis muliebris in facie, nec aliquod aliud Canonicum obſtiterit, debet viginti ſex annos compleviſſe, alias de rigore viginti octo; & adhuc ſtabit in deliberatione Facultatis an ſit promovendus vel ne, penſatis hinc inde qualitate & conditionibus perſonæ & aliis circumſtantiis ad hoc requiſitis.

§ 9. *Item ordinamus, quod promovendus ad Gradum Licentiæ vel Doctoratus Medicinæ, ad minus viſitare debeat infirmos in practica Medicinæ ad ſpatium unius anni cum Doctore Facultatis ejuſdem.*

§ 10. *Item, ſi contingat Licentiatum, Baccalarium vel Scholarem ad deliberationem Facultatis vocari deliberabunt ad honorem Dei & ſuæ Facultatis & curabunt perſonas deliberantes in caſibus odioſis, vel præjudicialibus, aut alia quæcunque ſecreta Facultatis ſuæ nullatenus revelare.*

§ 11. *Item, liberum ſit Licentiato procedere ad Doctoratum ſub quocunque ſibi placuerit Doctore Facultatis Medicinæ incorporato Studio Wiennenſi.*

§ 12. *Item det cuilibet Doctori poſt examen & ante Licentiam unum florenum cum medio pro laboribus, & in recompenſam collectæ, quæ per Medicos recipi non conſuevit.*

§ 13. *Item exponat unum florenum pro confectionibus & vino in examine.*

§ 14. *Item debet recipere inſignia Magiſtralia infra ſpatium medii anni, & ſi non, tunc alter Licentiatus, completo medio anno ſibi deputato, habebit locum ante eum, ut ſuperius de Baccalariis eſt in ſimili deliberatum.*

§ 15. *Item Doctorandus debet ad minus unum Doctorem veſtire cum quatuordecim ulnis panni boni, &, ſi placuerit plures veſtire, faciat pro quolibet alio Doctore veſtiendo ſecundum decentiam ad beneplacitum ſuæ voluntatis.*

§ 16. *Item Licentiandus debet præſentari Domino Cancellario Univerſitatis, vel ejus Vicario per Decanum Facultatis Medicinæ, habentem conſenſum omnium Doctorum Medicinæ, & præſentialiter ibi exiſtentium, ad quorum petitionem more ſolito Dominus Cancellarius prædictus, vel ejus Vicarius aſſignabit certum diem & horam ad dandum puncta, in quibus prædictus Licentiandus debet examinari; unum in Aphoriſmis Hippocratis & aliud in Techna Galeni; ad quam horam dandi puncta Decanus Facultatis Medicinæ debet convocare omnes Doctores Medicinæ ſub pœna non contradicendi; quorum unus ex ordinatione Domini Cancellarii aſſignabit dicto Licentiando unum Aphoriſmum cum ſuo commento, alter unum Canonem vel duos dependentes de Techna Galeni, captis prius juramentis ab utroque quod ſine fraude & dolo prædicta puncta penitus velint dare; in quibus quidem punctis eadem die hora Veſperarum ſi placuerit Domino Cancellario, prædictus Licentiandus examinabitur per omnes Doctores Facultatis Medicinæ Univerſitatis Wiennenſis, &, ſi fuerit inventus tantus in ſcientia Medicinæ vel per omnes Doctores, vel per majorem partem ipſius Facultatis Medicinæ, ad Licentiam admittatur; ſi vero non, minime.*

§ 17. *Item Licentiatus in Medicina, ſi voluerit doctorari, tempore Doctoratus ſui debet dare cuilibet Doctori ſuæ Facultatis Birretum & unum par chirothecarum contextarum; cuilibet autem Licentiato & Baccalario Medicinæ unum par chirothecarum com-*

communium ſecundum decentiam & Facultatis honorem.

§ 18. *Item, antequam promoveatur, debet dare Facultati duos florenos, quos Decano Facultatis Medicinæ præſentabit.*

§ 19. *Item det Bedello duos florenos, vel veſtem pro decentia Facultatis.*

TITULUS IV.

Sequitur modus promovendi ad Gradum Doctoratus.

§ 1. *Doctor volens promovere Licentiatum ad Gradum Doctoratus in Medicina, debet eum cum omnibus Doctoribus ſuæ Facultatis, quos poterit habere, nec non cum Licentiatis, Baccalariis & Studentibus ejuſdem Facultatis, item cum Graduatis & Scholaribus aliarum Facultatum, ad hoc ſpecialiter rogatis, & eum honorare volentibus, ad Eccleſiam Sancti Stephani ſolemniter conducere, vel ad alium locum ſolemnem, ubi idem Doctorandus, ſedendo in ſcamno ante Cathedram poſito, determinet unam quæſtionem in Medicina; qua determinata, Doctor præſidens vocet eum ad Cathedram Magiſtralem, & Bedellus legat ſibi juramenta Facultatis, quæ juret, & cum hoc, quod velit legere in Facultate Medicinæ per unum annum, niſi Facultas ſuper hoc ſecum duxerit eſſe diſpenſandum. Poſt hoc Doctor præſidens faciat ipſius recommendationem ſolemnem, & poſt hoc aſſignet ſibi inſignia Magiſtralia, quo facto Doctor novellus facit unam recommendationem ſcientiæ Medicinæ, & in fine recommendationis incipiat unum Capitulum in Avicenna, vel unum Canonem in Techna Galeni, vel unum Aphoriſmum de Aphoriſmis Hippocratis, vel unum librum authenticum in Medicina, ſecundum Doctoris ſui conſilium; & juxta materiam lectionis moveat unam quæſtionem cum argumentis pro & contra factis, ad quam unus Doctorum in Medicina, ad hoc rogatus, debet ſine replicationibus reſpondere. Demum Doctor præſidens dicat gratiarum actiones, & cum tota comitiva, & aliis volentibus Doctorem novellum honorare, conducant eum proceſſionaliter & ordinate ad domum, ubi prandium eſt facturus.*

§ 2. *Item Doctor novellus, juxta conſuetudinem hujus & aliarum Univerſitatum, faciat prandium Doctoribus in Facultate Medicinæ & aliis, prout ſuæ ſuppetunt facultates.*

TITULUS V.

De Baccalariis alterius Vniverſitatis ad Facultatem Medicinæ recipiendis.

§ 1. *Baccalarius alterius Vniverſitatis volens recipi ad Facultatem Medicinæ, reſpondeat ſolemniter uni Doctorum, quem Facultas Medicinæ ad hoc deputaverit, ad unam quæſtionem in Medicina, in præſentia omnium Doctorum, quibus placuerit intereſſe, præſertim tamen in præſentia omnium Doctorum & Scholarium Medicinæ Facultatis; poſtea petat Decanum ejuſdem Facultatis, ut faciat Congregationem Doctorum pro receptione ſui ad dictam Facultatem in qua Congregatione petat humiliter ad prædictam Facultatem recipi, &, ſi omnes Doctores in ejus receptione concordaverint, recepto juramento, quod Statuta & ſtatuenda velit ſervare, & obedire Facultati Medicinæ in licitis & honeſtis, & quod Doctoribus ejuſdem Facultatis velit debitam reverentiam exhibere, Decanus nomine Facul-*

cultatis recipiat eum ad Facultatem prædictam. Si vero aliquis, vel aliqui eorum dissenserit, vel dissenserint, allegata causa rationabili, fiat ut prius dictum est.

§ 2. *Item talis, antequam recipiatur ad Facultatem prædictam, debet dare pro eadem unum florenum, Pedello vero medium florenum.*

§. 3. *Item inter Baccalarios ejusdem Facultatis debet habere ultimum locum, &, si aliquis, vel aliqui, fuerit, vel fuerint, prius admissus vel admissi, si infra spatium trium mensium determinabit, vel determinabunt, præcedet, vel præcedent præfatum Baccalarium receptum, si non, non.*

TITULUS VI.

De Doctoribus extraneis ad Facultatem Medicinæ recipiendis.

§ 1. *Doctor alterius Vniversitatis volens recipi ad Facultatem, debet solemniter repetere unum Canonem in Avicenna, Aphorismum, vel unum Canonem in Techna Galeni, circa quam repetitionem movere debet unam quæstionem cum argumentis pro & contra, ad quam respondebit sibi unus de Baccalariis Medicinæ. Post hoc facta Congregatione Facultatis, humiliter petat Facultatem Medicinæ, ut dignetur eum recipere Condoctorem suum, &, si fuerit admissus, inter Doctores Facultatis Medicinæ ibidem habeat ultimum locum. Si vero esset aliquis, vel aliqui Licentiatus vel Licentiati istius Facultatis, si iste vel isti infra tres menses a tempore Licentiæ receperit, vel receperint insignia Magistralia, Doctoratus iste receptus sequetur eum vel eos quoad locum, si non, non. Si vero aliquis vel aliqui Doctorum in hujusmodi receptione dissenserit vel dissenserint, allegata causa rationabili, fiat ut supra dictum est.*

§ 2. *Item talis Doctor, antequam recipiatur, debet dare ad Facultatem Medicinæ duos florenos & Pedello unum florenum.*

§ 3. *Item jurare debet Statuta, & statuenda Facultatis firmiter tenere, & fidelitatem Facultati, & Doctoribus debitam reverentiam exhibere.*

§ 4. *Item debet facere fidem de Doctoratu suo per honorabiles testes & fide dignos, vel per proprium juramentum, seu per literam Facultatis Vniversitatis suæ testimonialem.*

§ 5. *Item consimilem probationem & fidem debent facere Licentiatus & Baccalarius in Medicina de suis Gradibus, quos libet intrare eandem Medicinæ Facultatem.*

§ 6. *Item talis Doctor recipiendus, si in alia Vniversitate non legit, debet jurare, quod velit legere in Medicina per unum annum in Vniversitate Wiennensi: si vero in alia Vniversitate legit, tunc debet legere in Vniversitate Wiennensi per medium duntaxat annum in Medicina, nisi Facultas Medicinæ super hoc secum deliberaverit dispensandum.*

§ 7. *Ista namque Statuta de Baccalariis & de Magistris hic promotis, & ex aliis Vniversitatibus ad nostram Facultatem assumendis ita inconfracte proponimus observare, quod, si aliquis hic in Vniversitate aliter, quam superius expressum est, promoveretur ad aliquem Gradum in Medicina, aut alibi promotus, aliter assumeretur quam modis supradictis, quod utique talis non debet haberi pro Membro, Magistro aut Baccalario hujus Facultatis Medicinæ hic in Vniversitate Wiennensi, nec ad actus publicos nostræ Facultatis admittatur.*

TITU-

TITULUS VII.

De electione Decani & ejus Officio.

§ 1. *Ordinamus primum, quod Decanus Facultatis Medicinæ debet eligi tempore electionis novi Rectoris.*

§ 2. *Item, ne Decanatus maneat semper in manu unius, & sic fiat præjudicium aliis; volumus, quod Decanus eligatur secundum pluralitatem vocum Doctorum Facultatis Medicinæ, & quod non maneat Decanus ultra medium annum, nisi post medium annum per Facultatem fuerit reelectus.*

§ 3. *Item volumus & ordinamus, quod Decanus nostræ Facultatis ad minus debeat esse Doctor in Medicina: istud statutum intelligimus similiter & præcedens, nisi fuerit defectus Doctorum, in quo casu permittimus Licentiatum posse esse Decanum & eligi si oportet.*

§ 4. *Item ordinamus, quod inter Doctores nostræ Facultatis Decanus, si sit Doctor, in Consiliis Vniversitatis & Facultatis nostræ, in disputationibus & aliis solemnitatibus Vniversitatis & Facultatis nostræ quibuscunque, habeat primum locum.*

§ 5. *Item de Officio Decani ordinantes statuimus, quod Decanus nostræ Facultatis habeat congregare Doctores Medicinæ in casibus, istam Facultatem & ejus Membra concernentibus, sub pæna non contradicendi; &, si necessitas ingruerit, potest apponere pœnam pecuniariam, quæ medietatem floreni excedere non debebit.*

§ 6. *Item ad Consilium nostræ Facultatis non debet admittere Licentiatum vel Baccalarium, vel quempiam alium, nisi duntaxat Doctorem ejusdem Facultatis, nisi propter defectum Doctorum, vel nisi Facultas aliquem alium ad hoc specialiter duxerit vocandum.*

§ 7. *Item non admittat ad Consilium Facultatis noviter Doctoratum in Medicina, nec Doctorem alterius Vniversitatis per Facultatem receptum, nisi prius juraverint in manus Decani nomine Facultatis, quod deliberabunt ad honorem Dei & suæ Facultatis, & quod personas deliberantes in casibus odiosis vel præjudicialibus non revelent, aut quæcunque secreta Facultatis suæ præsumant aliquatenus revelare.*

§ 8. *Item ordinamus, quod Statuta nostra semel in anno, proximo die festivo post lectionem Statutorum Vniversitatis, in Scholis Medicorum vocatis ad hoc sub certa pœna pecuniaria, per Decanum Facultatis imponenda, Doctoribus, Licentiatis, Baccalariis ac Scholaribus Facultatis Medicinæ per Decanum ejusdem Facultatis, vel ejus Substitutum publice perlegantur.*

§ 9. *Item Licentiandus in Medicina debet jurare publice ante Licentiam, quod velit facere Domino Cancellario Vniversitatis debitam reverentiam, obedire Rectori Vniversitatis & suæ Facultati in licitis & honestis, Doctoribus in Medicina exhibere reverentiam & honorem, & quod non resumat Gradum illum in alia Vniversitate, & quod velit servare Statuta & statuenda per Facultatem Medicinæ prædictam.*

§ 10. *Item juret, quod velit servare pacem & unionem inter quatuor Facultates & Nationes, & inter Seculares & Religiosos, quantum in se est.*

§ 11. *Vltimo providentes saluti animarum, declaramus, quod transgressores Ordinationum Facultatis Medicinæ, si ex contemptu aliqui fecerint,*

aut moniti reſtiterint, rei perjurii habeantur, alias non; ſed pœnas alias ſecundum decretum Facultatis Medicinæ cum indignatione ejuſdem ſe noverint incurſuros.

§ 12. *Item ordinamus, quod, dum fiunt Doctores in Theologia, vel in Jure Canonico vel Civili, teneatur Pedellus noſter eos honorare, & cum Virga præcedere, & per totum eorum feſtum præſens intereſſe & ſervire, niſi in factis Facultatis de juſſu Decani in aliis fuerit impeditus.*

INCIPIVNT STATVTA FACVLTATIS ARTIVM

PROOEMIVM SIVE EXORDIVM.

Omnes quærunt ſapientiam, quia omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. Sapientia vero ex alto. Nam & altiſſimorum cognitio etſi ipſa cordibus humanis ſe totam inſimul aut partim infundi pateretur, ordinem tamen rebus inditum reperiendi ſapientiam ſcientiamve non confundit ille, qui ex alto proſpiciens, rite cuncta gubernat. Omnibus namque ſic operatur in agentibus, ut & ſinat ipſa propriis actionibus gratulari. Nolens ergo humanum intellectum, ſub nuda ſpe ſcientiæ ſapientiæque deſuper infundendæ, tanquam otioſum in ſemetipſo fruſtra tabeſcere, conſtituit ipſum ſtudio etiam proprio, non ſolum terreſtria, ſed & cœleſtia perſcrutari; hoc quod priores philoſophari incœperunt, admirantes, cum cauſas ignorarent. Sapientiam igitur quæſierunt antiquitus Philoſophi in chao quaſi latitantem, & partim invenerunt, humano tamen non ſine ſtudio; numquid nos ipſam ſpernemus, jam luce clarius radiantem Auſtralium in viridario, cum patrum noſtrorum, antiquorum, inquam, Philoſophorum veſtigia, certa nobis ad eum ſint itinera grandi cum hoc præſidio, quod & Divinum eſt intimius illuſtrari? Quo quidem Divino (auxilio) primitius invocato, properent cuncti, qui quærunt ſapientiam, & invenient multi in Wiennenſi Studio, ubi præſto eſt omnibus invocantibus eam. Hortus etenim Sapientiæ, olim concluſus in his Mundi partibus, nunc vero cunctis advenientibus palam factus eſt; quia venit Auſter & perflavit, flavit & reflavit ab Aquilone, turbinis quidem more dulci cum curriculo ſapientiam pervehens in Auſtriam, & hoc gratioſiſſimo Domino noſtro Alberto, Auſtriæ &c. Duce Tertio, procurante, & omnia provide diſponente, quæ ad ſapientiæ domum neceſſaria ſunt. Quia, poſtquam Studium omnium Facultatum Wiennenſe ſublimiter erexit, ipſe quidem Spiritu bono utique ductus, poſt Privilegia, poſt Libertates, cæteraque munera Vniverſitati Wiennenſi largiſſime donata, prudenter conſiderans, quomodo nulla Communitas, nec aliqua Vniverſitas poſſit aliquamdiu ſtabili concordia permanere ſine legibus, aut ſine Statutorum regulis, diverſos in unum amicabiliter conſtringentibus, cordialiter concupivit, quatenus ſingulæ Facultates ordinarent, prout ipſis, & ad quietem ſuarum magis conveniens videretur, Statuta quædam, attamen per Vniverſitatem, Matrem ſcilicet noſtram, videnda, corrigenda & approbanda, ne forte aliquando leves etiam inſultus valeant exoriri inter diverſarum Facultatum,

tum, vel certe ejuſdem Facultatis filios, unde & Mater ipſa, tota ſcilicet Vniverſitas, poſſit perturbari. Gratum igitur deſiderium Illuſtriſſimi Principis, & Domini noſtri Ducis prælibati, quia ſalubre eſt, ſummo opere adimplere voluit pro poſſe ſuo inclyta Facultas Artium liberalium, cæterarum Facultatum, utique venerabilium, pia nutrix; quia ſuos alumnos ipſis impartitur, tanquam fortes agoniſtas, & ſi qui forſan aliunde ipſis advenerint, revera tanquam abortivi ſunt reſpectu lacte Artium liberalium & facundæ Matris Philoſophiæ nutritorum; filii namque Facultatis Artium aptiores ſunt ad quævis Studia etiam altiora dummodo tamen non duxerint ſe emancipandos ante tempora a provida Matre ſua, Facultate ſcilicet Artium, ipſis rite conſtituta, volantes ſine pennis, ſed variis plumis Artium liberalium habitualiter decorati, apicem utique cujuſcunque etiam Facultatis ſcientificæ facilius adipiſcuntur, interiores ejus ſubtilitates, etiamſi difficiles ſint, medullitus penetrando. Studium igitur Artium liberalium tanto diligentius tantoque ferventius provide reguletur, quanto periculoſius in ipſo deviatur, ne parvus error in ipſo, tanquam aliarum Facultatum principio, toti Vniverſitati, Matri noſtræ, fomentum præſtet errorum; & ſic decet & oportet, ut ipſa Facultas Artium certis quidem regulis & legibus, tanquam frænis, ſed lenibus, ſuos aſtringat alumnos, ut rixis, jurgiis, cæteriſque vitiorum intentivis extra Studii Wiennenſis terminos procul relegatis, Scholares Artium quiete Philoſophiæ deſerviant, ſtudiiſque ſuis ferventer inhærentes, & per conſequens Magiſtri pacis tripudiis læte perfruantur.

A *Quapropter Nos Decanus, totaque Communitas Magiſtrorum Facultatis Artium hujus almæ Vniverſitatis Studii Wiennenſis unanimi conſenſu, provido conſilio, maturaque deliberatione præhabitis, ad laudem & honorem ſolius Immobilis cuncta moventis, ad bonum quoque regimen Suppoſitorum noſtræ Facultatis, ipſorumque cum cæterarum Facultatum Membris amicabilem concordiam, ſolatium jugeque incrementum, nec non ſtabile fundamentum totius Vniverſitatis Wiennenſis, Matris noſtræ metuendæ, ordinamus & ſtatuimus Capitula, quæ*

B *ſubſequuntur, & volumus duntaxat ipſis irrefragabiliter uti in Scholis, Conſiliis & Ordinationibus Facultatis, itaque proponimus ipſa firmiter obſervare. Quod, ſi quæ Ordinationes, Statuta ſeu Obſervationes in noſtra Facultate prius fuerint habita, ſcripta vel non ſcripta, vel quomodolibet aliter obſervata, quæ huic Opuſculo non ſint inſerta, nec his inſertis conſona, & omnino conſilia omnia quidem talia, reprobamus & revocamus, & volumus*

C *ipſa habere nulla & abolita, nec aliquatenus aliquomodo in Scholis & Conſiliis, & aliis factis noſtræ Facultatis volumus allegari: & inſuper Illuſtriſſimi Principis Domini noſtri Alberti Ducis prænominati laudabilem voluntatem, quantum in nobis eſt, omnimode adimplere volumus cum effectu, omnia noſtra Statuta & ordinationes, quæ ſubſequuntur, pio examini, benignæque correctioni ſubmittimus hujus almæ Vniverſitatis Studii Wiennenſis, Matris noſtræ generoſæ, ipſaque omnia approbari & confirmari, tanquam perpetuis temporibus duratura, ſincero poſtulamus ex affectu; attamen interpretatione, diſpenſatione, correctione,*

ctione, variatione, additione, diminutione, ſubtractione ex cauſa rationabili, quotieſcunque Facultati noſtræ Artium viſum fuerit expediens aut opportunum, in Statutis ſubſequentibus nobis ſemper ſalvis. In quorum quodlibet præmiſſorum omnimodam poteſtatem nobis & Facultati, Succeſſoribuſque noſtris reſervamus, illo tamen adjecto moderamine, quod ſi aliquoties Facultati noſtræ placuerit novum Statutum condere, aut vetus tollere, ut ſæpius oportet juxta variationem temporum & utilitatem Facultatis, quod iſtud iterum de novo ſit confirmandum aut infirmandum per almæ Vniverſitatis hujus Wiennenſis, piæ Matris noſtræ, Conſilium & decretum, alioquin nullius ſit efficaciæ aut firmitatis, nec aliquis ad ipſum obſervandum, juramento vel alio quoviſmodo ſit adſtrictus. Tenor vero Statutorum noſtrorum ſubſequitur in hæc verba.

TITULUS I.

De his quæ ad laudem Dei & cultum Divinum noſcuntur pertinere.

§ 1. *Quoniam, ut ait Plato, ſive in maximis, ſive in minimis, Divinum auxilium debet implorari, quia & ipſo prætermiſſo nullum rite fundatur exordium, primum quærere cupientes, quæ Dei ſunt, ut itinere proſpero tranſituri, valeamus pervenire ad finem omnibus præoptatum. Summo igitur Deo in membris ſuis ſerviendo, credimus & ipſi gratum ſervitium præſtitiſſe; nullo tamen Cœleſtis patriæ prætermiſſo, ſed in ſimul omnes, quantum in nobis eſt, in perſona Vnius volumus honorari. Quare ad laudem & reverentiam Dei Omnipotentis, totiuſque Cœleſtis Exercitus, oculos devotæ noſtræ mentis ad quandam Matris noſtræ, ſcilicet Philoſophiæ,* (1) *filiam, Deo Summo gratiſſimam dirigentes, ut & ipſa nos ſibi gratos efficere, & Studium noſtrum Philoſophicum dirigere ad Studium iſtud dignetur, quod eſt Sapientiæ & Veritatis æternæ.*

§ 2. *Primo igitur ordinamus & ſtatuimus, volumuſque ita amplius per nos & noſtros ſucceſſores obſervari, ut omni anno Feſtum Beatæ Catharinæ Virginis & Martyris cum Veſperis & Miſſa, ſimul & Sermone Latino, ſolenniter celebretur per totam noſtram Facultatem. Volumus etiam quod in die ſancto Feſti ipſius Beatæ Virginis Catharinæ Miſſarum Solemnia, & in die præcedente Veſperæ decententur, niſi aliquid obſtiterit magni, ita quod pro tunc Feſta non valeant decenter peragi, nec tamen pro quocunque etiam magno negligere volumus, quin, cum commode & quam cito fieri poterit, prædicta Feſta cum debita reverentia peragantur. Quibus quidem Feſtis, Veſperis, Miſſis, Sermoni & Offertorio omnes Magiſtros, Baccalarios & Scholares noſtræ Facultatis intereſſe volumus, a principio uſque ad finem permanſuros, ſingulos in habitibus ſuis decentibus pro Gradu ſuo & ordine, quem in Facultate obtinent, ita quod minores majoribus deferant honorem & reverentiam & e converſo, ne Doctores, Magiſtri, & aliarum Facultatum Studentes, quos ad præmiſſa Solennia proponimus invitare, aliquid inter nos, qui Philoſophiæ deſervimus, queant annotare, quod ipſos & cæteros intuentes aliqualiter valeat moleſtare. Si qui vero in non veniendo, aut ante finem Feſtorum prætactorum receden-*

1) *Intelligitur* S. Catharina. *Vid.* § *prox. ſequentem, & infra Tit. XXV.* § 1.

cedendo legitima ſine cauſa, aut alias quovis modo culpabiles, etiamſi ſint Magiſtri aut inferiores, de noſtra Facultate, reperti fuerint, ſtabunt pœnæ ipſis, aut alicui ipſorum infligendæ per Decanum & alios quatuor Magiſtros, pro adjutorio Decano deputatos, ut infra tangetur. Qui etiam quinque jam prætacti Magiſtri ſingulis annis, & ſatis tempeſtive providebunt de aliqno faciente Sermonem ad Clerum in Feſto prætacto, & ſimiliter de loco, & Eccleſia, in qua Solennia noſtra ordinatius, juxta diſpoſitionem Facultatis, & qualitatem temporis peragantur, non ad faſtum & pompam, ſed potius ad Dei & totius Curiæ Cœleſtis laudem & honorem; providebunt etiam de cantoribus, de campanarum pulſibus & cæteris pro ornatu, & omnibus aliis neceſſariis ad præmiſſa, & quodlibet ipſorum requiſitis.

§ 3. *Item volumus & ordinamus, ut cuilibet Magiſtro in Artibus tunc præſenti, per Receptorum Facultatis de communi Fiſco ejuſdem, detur* (1) *Præſentia, ſicut inter Canonicos Eccleſiarum fieri conſuevit, ad minus unius groſſi tempore Miſſarum pro Offertorio. Et ſimiliter cuilibet Doctori, cujuſcunque Facultatis fuerit, & Nobilibus ſtatum talem tenentibus detur tantum, ſicut Magiſtro noſtræ Facultatis. Quos tamen omnes hortamur in Domino, quatenus ne tantillum reſpuant, ſed, ſi placuerit, offerant, aut pauperibus, quorum intuitu illud fieri permittimus, miſericorditer largiantur.*

TITULUS II.

De anniverſariis & exequiis Facultatis.

§ 1. *Item conſiderantes, quam pium & ſalubre ſit exorare pro mortuis, ut ipſorum ſanctæ animæ, in ergaſtulo Purgatorii forte pro minoribus peccatis detentæ, liberentur, volumus omni anno, ſcilicet die Mercurii Quatuor temporum Quadrageſimæ, pro redemptione animarum Magiſtrorum & omnium aliorum, Facultati noſtræ Studii ſcilicet Wiennenſis incorporatorum, etiam ubicunque terrarum defunctorum, nec non omnium in Chriſto quieſcentium, peragere memoriam mortuorum cum Miſſa, & ea ſolennitate, quæ in talibus devote fieri conſuevit, & in Veſperis præcedentibus decantare Vigilias cum novem Lectionibus; & hortamur & obſecramus Magiſtros noſtros, quatenus diſponant ſe humiliando coram Domino, qui fecit nos, taliter quod unus eorum decantet Miſſam, ſecundus Epiſtolam, tertius Evangelium, tam in Miſſa ſolennitatis noſtræ Feſtivitatis Sanctæ Catharinæ, quam ſimiliter in Miſſa pro Defunctis. In vigiliis etiam Lectiones omnes, vel ſex, aut ad minus tres poſteriores, in quo obediant Decano, ſi quos ipſe ad præmiſſa duxerit requirendos, aut ſine omni protervia, quam in publico, & in omni noſtra Congregatione reprobamus fieri, ſed benigne ſe excuſent & honeſte.*

§ 2. *Iſtam quidem ſolennem memoriam animarum cum Miſſa & Vigiliis, volumus peragere annuatim tempore prætacto in Eccleſia Sancti Stephani, dummodo fieri poterit congruenter; nam ibidem noſtra communis eſt ſepultura, & certe ex ipſa recipimus Divina Sacramenta. Si tamen ibidem poſſit non fieri commode, quia ſolam devotionem intendimus & non pompam, ex tunc pro illa vice in quacunque Eccleſiarum hujus Civitatis Decanus*

(1) *Hinc vulgare illud Latino-germanicum* ein Preſent *pro dono ſive munere.*

mus cum quatuor Magiſtris, ſibi pro adjutorio deputatis, ut infra patebit, vel ipſorum major pars peragere decreverit, illuc omnes Magiſtri noſtræ Facultatis, Baccalarii & Scholares venire & offerre teneantur, & uſque ad finem cum tota devotione permanere; ſed non venientes, aut Divinum Officium perturbantes, aut ante finem recedentes, ſtabunt pœnis per Decanum & alios quatuor Magiſtros Coadjutores ipſis imponendis, &, quod abſit a nobis, ſi qui rebelles in præmiſſis pœnis ſolvendis reperti fuerint, ſint ſuſpenſi ab omnibus actibus ſcholaſticis, donec veniam meruerint a tota Facultate Artium obtinere, niſi forte ſe legitime valeant excuſare coram ipſa.

§ 3. *Item Facultas providebit de candelis, pannis, ſericis & aliis ſimptibus funerum, ut, Datore formarum animas Suppoſitorum Facultatis, ſive majorum ſive minorum, in Matricula noſtræ Facultatis adſcriptorum, revocante, ex tunc convocata per Decanum tota noſtra Facultate, ſecundum qualitatem defuncti, exequiæ honeſtæ peragantur; & pro divitibus quidem moderati ſimptus exſolvantur pro candelis, pauperibus vero gratis, & propter Deum pure concedantur.*

§ 4. *Vt igitur Facultas Artium ab hœdis agnos valeat dignoſcere, decrevit, ſine tamen Vniverſitatis præjudicio, habere Matriculam quandam ſpecialem, in qua omnia Suppoſita ſua poſſit aſſignare, in qua Magiſtri teneantur adſcribi, cum primo ad Facultatem aſſumuntur, & pro intitulatione dabit quilibet duos groſſos: Baccalarii ſimiliter teneantur, & dabit quilibet unum groſſum; Scholaribus vero liberum ſit, ſed, qui petit inſcribi, debet aſſumi, & ſolvere unum groſſum, dummodo hoc in plena Congregatione Facultatis petat per ſe ipſum, & in Regiſtro Vniverſitatis ſit adſcriptus. Ex quibus quidem pecuniis funeralia & cætera, quæ ad Divinum cultum ſpectant, proponimus inſtaurare, & ſi, Deo diſponente, aliquem Magiſtrum, Baccalarium ſeu Scholarem, noſtræ Matriculæ adſcriptum, contingat migrare ab hoc ſæculo, quia per adſcriptionem in Matricula frater noſter effectus eſt, poſt mortem fraternitatem ipſi exhibebimus omnes, ad exequias ipſius veniendo. De aliis autem fiat juxta Statuta Vniverſitatis, quæ etiam de exequiis mortuorum faciunt mentionem.*

TITULUS III.

De electione Decani.

§ 1. *Quoniam Mater noſtra Vniverſitas, unita tamen permanens & non ſciſſa, ex quatuor Facultatibus, tanquam rivis exundantibus, integratur, quarum quidem Facultatum una eſt Artium Liberalium, Matris ſuæ filia primogenita, & ob ejus fœcunditatem prædilecta, quam utique integram & indiviſam volumus conſervare, ideo ſtatuimus, quod omnium Magiſtrorum in Artibus hic regentium & non regentium incorporatorum, ſecundum modum infra ſcriptum, ſit una Facultas concors ab uno Decano regenda, &, quamdiu aliquis Magiſtrorum aut Baccalariorum non fuerit incorporatus eidem Facultati, non admittatur hic in Studio legere, regere aut diſputare in Artibus, & a tota Vniverſitate & qualibet ejus parte Membrum Facultatis Artium hujus Vniverſitatis non eſſe cenſeatur; ſalvo tamen Statuto, quod de Magiſtris & Baccalariis aliarum Vniverſitatum loquitur, hic,*

hic, si petierint, ad Facultatem Artium assumendis: qui quidem Decanus, quia omnibus Magistris, Baccalariis & Scholaribus ejusdem Facultatis debet præesse, dignum est ut talis eligatur, qui moribus & scientia cæteros antecedat. Statuimus igitur, quod, Rectore Vniversitatis electo, statim eodem die, vel altero immediate sequente, omnes Magistros nostræ Facultatis Decanus pro tunc existens, faciat per Pedellum fideliter & nominatim convocari ad electionem novi Decani in schedula convocationis hoc expresso, ne fraus aliqua committatur, ad quod ipsum Decanum simul & Pedellum obligari volumus per ipsorum juramenta.

§ 2. *Item die præfixo, Magistris sufficienter congregatis, eligatur in Decanum Magister idoneus, sufficiens, gravis & morigeratus actu regens, qui ad minus per duos annos hic in Facultate rexerit & trium annorum ad minus Magister alicujus Vniversitatis existat, ita quod in quem major pars Facultatis consenserit, sit Decanus. Si vero duo de Magistris æquales voces habuerint, in quem illorum tunc Decanus existens consenserit, sit Decanus novus, solum dimidio anno permansurus.*

§ 3. *Electus jam in Decanum teneatur Officium Decanatus assumere sub pœna decem florenorum, Fisco Facultatis solvendorum, nisi causa legitima coram Facultate statim proponenda, quare ipsum acceptare non debeat, se valeat rationabiliter excusare.*

§ 4. *Item Officium Decani sit Congregationes facere suæ Facultatis, juxta ejusdem Ordinationes & Statuta; deliberationes suæ Facultatis reddere Rectori super articulis propositis in Congregatione Vniversitatis, atque curam gerere, ut actus scholastici suæ Facultatis fiant legaliter & utiliter, ad incrementum & honorem Vniversitatis & Facultatis, negligentias circa hujusmodi Magistrorum & Baccalariorum, si perceperit, ad Facultatem referre, si ab ipso ad partem præmoniti se non emendaverint; Statuta Facultatis manutenere, & procurare pro posse suo, ut ipsa etiam ab aliis observentur, & ipsorum transgressoribus juxta decretum Facultatis studeat pœnam adhibere, & generaliter omnia quæ cognoverit esse ad bonum Facultatis Artium promovere, & contraria impedire pro posse.*

§ 5. *Item Decanus in principio sui Decanatus, scilicet infra primos quindecim dies, congregatis sub certa pœna, tunc exprimenda & extorquenda, Baccalariis & Scholaribus nostræ Facultatis, legat ipsis & per se ipsum Statuta Facultatis, concernentia ipsos & ipsorum vitam, mores & doctrinam: & eos nihilominus perhortetur ad laudabiliora & virtutum & scientiarum incrementa.*

§ 6. *Item Decanus teneat sub certa custodia librum Statutorum Facultatis, & similiter librum Actorum, in quo scribat ea, quæ aguntur tempore sui Decanatus circa promovendos, & acta alia notabilia in Facultate, & etiam in Congregatione Vniversitatis, præsertim tamen illa, quæ aliqualiter tangunt directe vel indirecte nostram Facultatem. Et etiam teneat Matriculam Facultatis, in qua tamen sub juramento suo nullum adscribat per se, vel per alium scribi permittat, nisi cum consensu Facultatis; & tunc Magistros scribat ordine suo, secundum ætatem receptionis ad Facultatem nostram;*

ſtram; & ſimiliter Baccalarios ordine ſuo, Scholares vero ſecundum quod ad Facultatem aſſumentur.

§ 7. *Item quilibet Decanus tempore, quo videbitur ſibi plus expedire, viſitet Burſas Suppoſitorum noſtræ Facultatis, præcipue Scholares, hortando, ut abſiſtant a noxiis, ſed moribus & ſcientiis vigilanter inſudent, Privilegia & Statuta Vniverſitatis, ſimul & noſtræ Facultatis diligenter obſervet, &, ſi hoc neglexerit Decanus facere infra tempus ſui Officii, pœnam quatuor florenorum Fiſco Facultatis ſolvendorum incurrat, quia etiam ad viſitandum Burſas, ut præfertur, Statuto Vniverſitatis quilibet Decanus obligatur.*

§ 8. *Item Decanus debet tota diligentia reſpicere, ut Feſta, Miſſæ, Sermones, Vigiliæ defunctorum Facultatis devote, tempore & loco congruis peragantur, diſputationes ordinariæ & extraordinariæ, lectiones quotidianæ & exercitia Magiſtrorum in privato cum Scholaribus utiliter fiant, & continuentur ad profectum Scholarium & Magiſtrorum.*

TITULUS IV.

De modo deliberandi & congregandi Magiſtros Facultatis.

§ 1. *Attente conſiderantes, quomodo prudenter ſtatuit Mater noſtra alma Vniverſitas, quod nec Rector Congregationem faciat Vniverſitatis, Decanis aut Procuratibus irrequiſitis, ſic & nos, veſtigiis inclytæ Matris noſtræ innitentes, ſtatuimus, quod Decanus nullam faciat Congregationem Falcultatis, niſi ſpecialis caſus & urgens neceſſitas aliud expoſcat, quin prius illorum quatuor Magiſtrorum, ſibi in adjutorium deputatorum, per ſe, vel per Pedellum conſenſum requirat, &, ſi duo vel tres iſtorum decreverint fiendam eſſe Congregationem ſuper punctis ipſis tunc propoſitis, Congregationem proſequatur. Nec aliquam pœnam Decanus audeat pro Congregatione fienda apponere, niſi in ipſa major pars concordaverit dictorum quatuor Magiſtrorum. Fraudibus multivariis toto niſu noſtro meatus obſtruere cupientes, ſciat Decanus, ſimul & advertant ſui Adjutores, quod nolumus aliquam Congregationem fieri Facultatis noſtræ, in qua mutetur vetus, aut novum Statutum imponatur, aut certe cum aliquo Membro noſtræ Facultatis contra aliquot Statutum noſtrum, quoquo modo diſpenſetur, niſi ſuper hoc expreſſo tota noſtra Facultas more conſueto, & ſub juramento fuerit convocata: quidquid vero contra hoc actum fuerit, ſit nullum ipſo facto.*

§ 2. *Item Decanus non debet vexare Magiſtros multis Congregationibus, nec volumus, quod aliquo modo lectiones Magiſtrorum præpediat, niſi forte evidens neceſſitas id expoſcat. Nec volumus aliquo modo fieri conventicula particularia Magiſtrorum congregatorum per Decanum, niſi illud expreſſe in Statuto fuerit ſibi permiſſum, ut in examine Baccalariorum, aut alias quovis modo per Facultatem ſcienter pro aliquo expediendo ſic diſponatur. Sed Decanus per juramentum ad hoc ſit obligatus, quod, quocunque tempore Congregationem Facultatis eſt facturus, vocet per Pedellum, ſi unicus ſit, omnes Magiſtros per ſchedulam, in qua articuli ſint inſcripti, ſuper quibus eſt deliberandum, nec ſuper aliquo alio articulo, quam ſchedulæ inſcripto, fiat deliberatio, niſi*

si urgens necessitas, aut evidens utilitas Facultatis id exposcat.

§ 3. *Item congregata Facultate, Decanus articulos per se, & clare proponat, sed in supplicationibus aut injuriis alia persona, quam scilicet tangit, poterit proferre. Et Decanus tunc singulariter, & per omnes Magistros pacifice & moraliter inducat, voces diligenter attendat, & juxta pluralitatem votorum sine dolo & fraude in eadem Congregatione concludat, nisi forte Facultas ipsa, propter utilius, conclusionem duxerit protelandam. Et, si in casu super aliquo articulo vota fuerint emissa æqualia numero, ex tunc, in quam partem Decanus, aut vices ejus gerens declinaverit, hoc pro concluso habeatur. Tunc enim solummodo Decani & vices ejus gerentis vota inter cætera computari volumus, cum cæterorum Magistrorum Facultatem repræsentantium vota per æqualitatem videntur discrepare. Videat etiam caute Decanus, aut ipse Substitutus, ne favore, vel odio, vel dolo aut fraude vota male recolligat; nam scienter si hoc fecerit, reatum perjurii incurrat ipso facto.*

§ 4. *Et quia inexperti de facili ad concedendum vel negandum sine rationabili consueverunt moveri, igitur statuimus, quod nullatenus post datam præsentiam in Magistrum promovendi hic in Vniversitate, aut alibi promoti ad nostram Facultatem assumendi, in mere gratiosis factis vox aliqualiter inter cæteros Magistros computetur, nisi tunc prius cum duos annos sui Magisterii compleverit; si quid tamen talis in gratiosis dicere voluerit, cum ratione debet audiri, sed etiam super dictis suis stabitur dictamini partis majoris aliorum Magistrorum. Caveat etiam A Decanus, aut locum ejus tenens, ne fraudulenter gratiosa proponat per modum rigorosi, aut expedientis sub pœna depositionis ejus ab Officio.*

§ 5. *Item, ut liberius, purius, convenientius & quietius, sine adulatione aut timore, quilibet Magistrorum valeat suam deliberationem decenter exprimere, statuimus, quod quilibet, cujuscunque status aut conditionis existat, cum in Congregatione Facultatis querelam proposuerit contra aliquem, & etiam iste contra quem aliquis conqueritur, & omnis contra quem aliquid proponitur, & similiter omnis supplicans pro se, vel pro alio, super B quibus fuerit deliberandum in Facultate, quamcito querelam aut supplicationem suam proposuerit, vel contra ipsum aliquid propositum fuerit, aut quidquam petierit, exeat, seorsum stans a Facultate, donec, deliberatione facta, Decano & cæteris Magistris placuerit ipsum revocare. Nolumus tamen propter hoc aliquem de Magistris nostris super aliis articulis, saltem præmissis impertinentibus, si qui tunc fuerint propositi vel proponendi, voce sua aliquatenus spoliari.*

§ 6. *Item, quotiescunque aliquis C Magistrorum a Facultate vel saltem majore parte ipsius electus, vel deputatus fuerit ad aliquid faciendum, nunciandum, vel exequendum, se solo, vel cum aliis, nisi habuerit excusationis suæ legitimam causam, a Facultate merito admittendam, ex tunc ipse deputatus vel electus, ut præfertur, honorem & onus dicti operis sibi injuncti teneatur assumere, & pro posse suo perficere, alioquin ipso facto suspensus sit a Congregatione & Consilio Facultatis, donec meruerit ipsius gratiam humiliatus obtinere, aut certe, con-*

tumacia ipſius exigente, gravius puniatur.

§ 7. *Item Decanus non admittat aliquem ad deliberandum in Congregatione Facultatis, niſi Magiſtros Artium, ſi tamen aliquos duxerit convocandos pro conſilio in Facultate audiantur, ſed eorum voces ad concludendum nequaquam computentur.*

§ 8. *Item nullus Magiſter in Congregatione Facultatis noſtræ admittatur ad deliberandum, niſi prius juraverit publice coram Facultate, quod deliberabit ad honorem Dei fideliter, & Facultatis utilitatem & honeſtatem ſuper articulis, quos contingit proponi. Et quod ſecreta conſilia Facultatis, & quæcunque Decanus mandaverit non revelare vel perpetue, vel ad tempns, juxta facti qualitatem, non revelet, nec prodat Magiſtrum aliquem, præcipue in odioſis & præjudicialibus, directe vel indirecte, verbo vel ſigno, aut alias quovis modo, ſic vel ſic deliberantem, propter inimicitias evitandas.*

§ 9. *Item, quocunque eventu contingat Decanum non poſſe Officium ſuum exercere, ex tunc ſtatim Magiſter regens ſenior ſimpliciter in Facultate ſit Vice-Decanus, ſed in prima Congregatione Facultatis hoc proponat, ita quod prudenter videatur, ſi opus fuerit, ut novus Decanus eligatur, vel quis in locum Decani ſubſtituatur, donec impedimenta Decani contingat removeri.*

§ 10. *Item, ſi contingat Decanum recedere a Civitate ad modicum tempus, tunc licitum ſit ſibi aliquem Magiſtrum ſubſtituere, qui alias eligi poſſit in Decanum, dummodo hoc fiat ſine fraude & dolo; qui in animam Decani & ſuper conſcientiam ipſius faciet omnia, quæ ipſe Decanus faceret, ſi perſonaliter adeſſet, niſi forte corporaliter præſtet illa juramenta per ſe, ad quæ Decanus eſt obligatus. Si vero Decanus propoſuerit eſſe a Civitate ultra octo dies, nullum ſubſtituat, niſi convocata Facultate, & ibidem fiat, prout majori parti Facultatis videbitur expedire: attamen ſi ita Decanus præoccupatus fuerit, quod non poſſit facere commode Congregationem Facultatis, tunc faciat ſenior Magiſter actu regens Congregationem Facultatis, ultra duos dies poſt receſſum Decani a Civitate nullatenus ſcienter exſpectando.*

§ 11. *Item, quotieſcunque illi Magiſtri quatuor, Decano in adjutorium deputati, requirunt Decanum vel ipſorum major pars ſuper aliquo certo articulo, quatenus faciat Congregationem Facultatis per juramentum, vel aliqua alia pœna quacunque, ex tunc, quamcito commode fieri poterit, Congregationem facere teneatur Decanus ſuum per juramentum.*

TITULUS V.

Juramenta Decani.

§ 1. *Ad tollendum ſcrupulum frivole ſuſpicantium, quia juramento fragilitas humana potius fidem adhibet, ſtatuimus & ita obſervari volumus inconfracte, quod Decanus, cum electioni de ſe factæ conſenſerit, jurabit in manus Decani præcedentis & coram Facultate: primo, quod Officium ſuum diligenter & fideliter exerceat, & quod prætextu ſui Status ſeu Officii nihil ſcienter attentet, quod aliquo modo vergere poſſit in præjudicium Facultatis Artium, aut ipſius Univerſitatis.*

§ 2. *Item jurabit, ſi contingat ipſum Decanum intereſſe examini pro aliquo Gradu in Artibus, eadem, quæ*

&

& alii examinatores jurant, prout inferius describitur.

§ 3. *Item jurabit, quod infra mensem, immediate sequentem diem resignationis sui Officii, faciat rationem in præsentia Magistrorum Facultatis, aut per ipsos Deputatorum, de omnibus tempore sui Decanatus perceptis, &, defalcatis defalcandis, quidquid super fuerit, ipso die computationis præsentabit novo Decano, qui omnia illa cum sibi Condeputatis deponat in arcam Facultatis, nec aliquando recipiant Decanus novus Facultatis, aut antiquus, aliquam pecuniam de arca sine consensu Facultatis.*

TITULUS VI.

De vita & moribus Scholarium Facultatis Artium.

§ 1. *Non modicum differt sic vel sic assuesci a juventute, scilicet bene vel male. Bonæ etenim indolis est se flectere secundum doctrinam sui Præceptoris. Volumus igitur Facultatis discipulos, sicut & docemus, fore morigeratos, mansuetos, & pacificos, & studiosos continuos, & obedientes Magistris & suarum Bursarum Rectoribus, in lectionibus & disputationibus sine murmure, cachinno & sibilis & ululatibus, sed, more virginum, & constanter & modeste persistere a principio usque ad finem. Idem volumus in pronunciatura qualibet observari.*

§ 2. *Item, ultra pœnas ab Universitate imponendas constanter præcipimus nostris discipulis & Scholaribus sub pœna retardationis a Gradu & ejectione a lectionibus, quatenus incedant vestimentis decentibus & Clericalibus,* A *non irreverenter accurtatis vel partitis, nec incedant cum armis, ut etiam in Statutis Universitatis ipsis est præceptum.*

§ 3. *Item non visitent Scholas dimicatorum, nec tabernas publicas, nec alia loca suspecta, nec sint noctivagi cum instrumentis Musicis & cantibus in plateis, & præcipue illi, qui in nostra Facultate ad aliquem Gradum promoveri voluerint.*

§ 4. *Item non proponimus in nostra Facultate ad aliquem Gradum promoveri Scholares brigosos, ebriosos, (1) discolos, noctivagos, fures, lenocinantes,* B *aut alicui de nostris Magistris injuriantes, aut publice vel occulte ipsis quocunque modo detrahentes.*

§ 5. *Item, ut Scholares stringantur majori nexu concordiæ, ne litibus a Studio suo, propter quod hic sunt, distrahantur, nolumus, quod aliqui Scholares nostræ Facultatis stent in aliqua Bursa, saltem plures quam quatuor, nisi habeant secum aliquem Magistrum aut discretum Baccalarium nostræ Facultatis, cui tanquam Rectori Bursæ teneantur obedire, nisi paupertas vel specialis honestas aliud quid exposcat, quod a Decano cum sibi quatuor condeputatis Magistris est discernendum.* C

§ 6. *Item nulli Scholarium rumpant aut deponant schedulas Magistrorum, quibus intimantur lectiones; disputationes & alii actus scholastici, alioquin puniantur per retardationem a Gradibus, etiamsi alias digni fuerint, aut alio modo congruente.*

§ 7. *Item omnibus modis prohibemus Scholaribus nostris, ne scribant, aut in publicum ponant schedulas diffamato-*

(1) *Vid. supra col. 77.*

matorias contra Facultatem, Magi-
ſtros, Baccalarios, aut etiam alios,
cujuſcunque conditionis exiſtant. Ta-
les namque ad Gradum aliquem nequa-
quam promoveremus, & cum adjuto-
rio Rectoris utique adhuc gravius pu-
niremus; idem volumus ſimiliter de
iſtis, qui maculant Scholas ſignis, &
figuris turpibus deboneſtant, firmiter
obſervari.

§ 8. *Item, digmus quia eſt mer-*
cenarius ſua mercede, igitur volumus
ſtatuimus, quod Scholares audientes
aliquem de Magiſtris vel Baccalariis in
Scholis, quod illum honeſte & libera-
liter expediant de collecta ante finem to-
tius libri, quem legit tunc; alioquin
a Facultate ad nullum Gradum admit-
tantur. Vere tamen pauperes illo per-
mittimus gaudere privilegio, quod non
poſſunt ſpoliari non poſſeſſis.

§ 9. *Item nullus Scholarium noſtræ*
Facultatis ſe erigat de tanto, quod præ-
ſumat ſe locare ſuper Magiſtros noſtræ
Facultatis in aliquo actu publico etiam
totius Vniverſitatis, ſcilicet in ſermo-
nibus, lectionibus, diſputationibus &
aliis conſimilibus, cujuſcunque Facul-
tatis talis actus fuerit, niſi Dignitas
perſonæ vel ſui Officii ſtatus id expoſcat.

TITULUS VII.

De promovendis ad Gradum Baccalariatus.

§ 1. *Primo ſtatuimus, quod pro-*
movendus ad Gradum Bac-
calariatus in Artibus debet ſtetiſſe ſtu-
dendo in aliqua Vniverſitate Studii ge-
neralis, ita quod hic in Vniverſitate
vel alia, aut hic & in alia Vniverſita-
te inſimul utique biennium compleverit.

§ 2. *Item talis debet audiviſſe ubi-*
cunque complete & ſine dolo libros in-
fra ſcriptos; primam & ſecundam par-
A *tem Doctrinalis; ſecundam partem*
Græciſmi; unum librum in Rhetorica;
item in Scholis publicis alicujus Vniver-
ſitatis, in qua pro tunc fuerint ad mi-
nus tres Magiſtri Artium regentes,
debet audiviſſe Summulas Petri Hi-
ſpani, Suppoſitiones, Ampliationes, &
Obligationes, Inſolubilia & conſequen-
tias; Veterem artem, Priorum, Po-
ſteriorum, Elenchorum, Phyſicorum,
de Anima, Sphæram, Algariſmum,
primum librum Euclidis, aut alios li-
bros æquivalentes.

§ 3. *Item talis debet in diſputa-*
tionibus publicis Magiſtrorum ſexies
B *reſpondiſſe, ita tamen quod ad minus*
ter reſponderit ordinarie, etiam quo-
tieſcunque extraordinarie reſponderit.

§ 4. *Item talis debet ſtetiſſe par-*
ticulariter in exercitiis, & a principio
uſque ad finem continuaſſe diligenter
in quæſtionibus omnibus & conſuetis,
ſcilicet Phyſicorum, Veteris Artis at-
que Priorum, niſi in quibuſdam certis
defectibus parvis Facultas duxerit diſ-
penſandum ex cauſis rationabilibus, quod
tamen rariſſime fieri permittimus.

§ 5. *Item nullus promoveatur, ni-*
ſi prius Matriculæ Vniverſitatis fuerit
inſcriptus.

TITULUS VIII.

C De modo examinandi & faciendi Baccalarios.

§ 1. *In Quatuor temporibus anni,*
Facultate tota ſuper hoc con-
gregata, per Decanum eligantur qua-
tuor Magiſtri idonei, quorum quili-
bet ad minus ſit Magiſter duorum an-
norum de quatuor Nationibus, dum-
modo quælibet Natio plures tales Ma-
giſtros habeat, & qui eſſe velint; alio-
quin etiam eligi juniores poſſunt in exa-
minatores Scholarium pro Gradu Bac-
cala-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

calariatus; & præfati Scholares exa-
minentur ab eis diligenter in his, quæ
pertinent ad talem Gradum, ita quod
non nimis diu ſtent cum eis in una ma-
teria, ſed ſucceſſive vadant per libros
ſupra ſcriptos, non nimis laxe, nec nimis
rigoroſè tangendo puncta principalia.

§ 2. *Item quicunque Scholares ab*
eiſdem quatuor examinatoribus una cum
Decano, qui pro tempore fuerit, quia
ipſum volumus ex Officio ſemper inter-
eſſe examini Baccalariorum, reperti
fuerint idonei ad talem Gradum, aut
per majorem partem eorundem judicati
fuerint ſufficientes. Si vero duo ad
unam partem declinaverint & duo ad
oppoſitum, quibus duobus Decanus con-
ſenſerit ſecundum ſuam conſcientiam,
illis pro tunc fides adhibeatur. Tales
Scholares per omnes examinatores qua-
tuor, in Facultate ad hoc congregata,
concorditer ſine ſcrupulo conſcientiæ
Decano præſententur, ſi vero Deca-
nus tunc non poterit fore præſens, præ-
ſententur illi, qui pro tunc locum De-
cani obtinet, juxta modum, in Titu-
lo de Vice-Decano, ſuperius expreſſa-
tum. Qui quidem Decanus, vel ejus
locum tenens, eos in Facultate habeat
acceptare & approbare, niſi aliquid
Canonicum obſtiterit, ſuper quo Magi-
ſtros tunc præſentes requirat, & faciat
prout ipſis videatur expedire, vel ſal-
tem majori parti.

§ 3. *Et ſi, quod abſit, quia hono-*
rem omnium noſtrorum cupimus &
quantum poſſumus, volumus conſerva-
re, aliquis Magiſtrorum vel etiam alio-
rum quidquam habuerit contra aliquem
ad Gradum Baccalariatus, vel Licen-
tiæ, vel etiam Magiſterii promoven-
dum, propter quod merito deberet in
promotione ſua retardari ad tempus,
vel forſan ſimpliciter impediri, ſiqui-
dem hoc civile fuerit, proponat coram
Magiſtris in Congregatione Facultа-
tis, & quilibet eorum, ſcilicet conque-
rens & patiens, debet ſtare ſuper hoc
dictamini Facultatis. Si vero, quod
non optamus, criminale fuerit, Fa-
cultas eligat, quoad hoc audiendum
& diſcutiendum, quatuor provectos,
diſcretos & honeſtos Magiſtros, qui
ſecundum Deum & juſtitiam provide
diſcernant, & referant Facultati dun-
taxat generaliter, an talis ſit promo-
vendus vel non, & ipſorum quatuor,
vel etiam trium eorum ſtabitur dicta-
mini in hoc caſu.

§ 4. *Item quilibet examinatorum,*
poſtquam in Facultate approbatus fue-
rit, debet immediate infra quartale
anni publice determinare & ſolenniter
(& interim nolumus ipſum in loco &
ordine ſuo per aliquem alium præveni-
ri) ſub aliquo de Magiſtris noſtræ Fa-
cultatis unam quæſtionem; ſed liber ſit
ſub quo Magiſtro velit determinare:
immo ſi quis Magiſtrorum quempiam
per ſe, vel per alium induceret minis,
blandimentis vel quibuſcunque aliis
ſponſionibus, ille quidem Magiſter ipſo
facto ſit ſuſpenſus a promovendo quem-
quam ad Gradus quoſcunque per unum
annum, &, ſi contumaciter ſe talibus
ingeſſerit, anno iſto currente a Facul-
tate eſt excludendus, donec a tota Fa-
cultate veniam mereatur, quam deluſit.

§ 5. *Si vero dictus examinatus in-*
fra tempus ſibi deputatum non deter-
minaverit, ut præfertur, ex tunc de
ſequentibus examinibus aliorum Qua-
tuor temporum, quotquot infra tem-
pus etiam ipſis deputatum determina-
verint, debet ipſi loco & ordine Bac-
calariorum anteferri. Idem volumus
de Baccalariis aliarum Univerſitatum
hic receptis obſervari.

§ 6. *Item determinans jam, ut præfertur, honoret Magiſtrum ſuum, ſub quo procedit, ſi Facultas ſuppetat ipſius, cum clenodio unius floreni; pauperes vero gaudeant privilegio liberalitatis, quia vellent, ſi poſſent. In aliqualem tamen recompenſam Magiſter præſidens faciat collationem, recommendando ipſum determinantem, & ad altiora ſapientiæ culmina ipſum prohortetur.*

TITULUS IX.

De juramentis examinatorum Magiſtrorum pro Baccalariandis deputatorum.

§ 1. *Decanus Facultatis noſtræ, ſimiliter & alii quatuor Magiſtri examinatores jurare debent coram Facultate Artium ſtatim cum electi fuerint, primo, quod fideliter examinabunt Baccalariandos, ita quod non contingat per eorum torporem aut negligentiam dignos repelli, & ad talem Gradum indignos admitti.*

§ 2. *Item quod a Baccalariandis, ſub pœna perjurii, nihil recipiant directe aut indirecte, aut quocunque modo aliquid extorqueant ab ipſis, nec aliquem favore indebite promoveant, aut odio repellant, ſed penſatis diligenter ſcientia & moribus ſecundum eorum conſcientias, dignos admittant & indignos repellant, & ſecundum merita perſonarum, quæ in his quatuor præcipue attendi volumus, ſcilicet ſcientia, moribus, eloquentia & ſpe proficiendi, ponant in ordine & locis examinatos & admiſſos.*

TITULUS X.

Juramenta Baccalariandorum.

§ 1. *Nullus admittatur intrare examen pro Gradu Baccalariatus, niſi prius juraverit in manus Decani vel ejus locum tenentis, & coram tota Facultate, ſe audiviſſe libros præmiſſos & ſtetiſſe in exercitiis, ut præfertur, & quod toties reſponderit, & ſteterit in Studio generali tanto tempore, ut præmiſſum eſt.*

§ 2. *Item, cum intrat conclave, jurabit Decano & examinatoribus, quod nec verbo nec facto ſe velit vindicare per ſe vel per alios, directe vel indirecte, vel quomodolibet aliter, ſi non fuerit acceptatus, vel locatus, ſeu ordinatus fuerit aliter, quam forte ipſi placuerit.*

§ 3. *Item, quod non revelent ſecreta cameræ, præcipue tamen illa, quæ præcipiuntur ipſis per Decanum vel examinatores non revelanda, dummodo talia non ſint in præjudicium alicujus alterius Facultatis, & quod non prodant Magiſtros ſic vel ſic arguentes, aut aliquantulum acerbe ipſos alloquentes, & ſocios ſuos forte male pro tempore reſpondentes.*

§ 4. *Item examinati, cum admiſſi fuerint in Facultate, jurabunt in manus Decani, quod pro poſſe ipſorum obſervabunt Privilegia, Libertates, Statuta & Ordinationes Vniverſitatis & Facultatis Artium, & quod debitam reverentiam, obedientiam & honorem deferant Decano & Magiſtris iſtius Studii, Facultati Artium incorporatis, atque bonum & incrementum honorum ſtudeant Vniverſitatis & Facultatis procurare, ad quemcunque ſtatum ipſos contingat pervenire; quodque ad Congregationem Decani Facultatis veniant quoties pro bono Facultatis ipſos duxerit convocandos.*

§ 5. *Item jurabunt, quod hic in Facultate velint determinare, & non in alia Vniverſitate capere Gradum Bac-*

Baccalariatus in Artibus; quod si aliquis ipsorum fecerit, perjurium incurrat ipso facto.

§ 6. *Item talis jurabit, quod ante determinationem suam providebit sibi de habitu proprio & competenti, prout decet habere Baccalarium, nisi causa paupertatis per Facultatem super hoc, usque ad pinguiorem fortunam secum fuerit dispensatum.*

§ 7. *Item jurabit in præsentia Facultatis talis Baccalariandus, quod interim, quod fuerit Baccalarius, non utetur publice hic in Vniversitate aliquo caputio, aut epitogio, aut capbardo* (1) *foderato cum pellibus de vario aut panno serico, nisi per Facultatem Artium secum super hoc fuerit dispensatum. Nolumus tamen Nobilibus vel Prælatis in hoc Statuto præjudicari. Cum vero fiat Magister in Artibus vel Doctor in quacunque Facultate, amplius, etiam sine dispensatione, utatur vestibus talibus, prout sibi placuerit, secundum decentiam sui Status.*

§ 8. *Item, antequam admittatur Baccalariandus ad determinandum, solvat Facultati Artium unum florenum præsentandum Decano aut Receptori Facultatis.*

§ 9. *Item idem solvat triginta duos denarios Wiennenses Pedello; hortamur tamen omnes, quod largius Pedello provideant. Pauperes vero nec Facultati, nec Pedello in aliquo obligentur; promittant tamen, quod, si forte pinguior fortuna arriserit, ipsis solvant omnia, ut præfertur.*

TITULUS XI.

De juramento in publico pro Baccalariandis, quando quæstionem suam determinant.

§ 1. *Item Baccalariandus, cum jam voluerit quæstionem suam determinare, debet per prius jurare in publico hæc, quæ sequuntur, ipsa pronuntiante Pedello: primo, quod amplius velit esse obediens Rectori Vniversitatis & Decano, totique Facultati Artium in licitis & honestis; item, quod pro posse suo procurabit bonum Vniversitatis & Facultatis Artium, ad quemcunque statum ipsum contingat pervenire; item, quod istum Gradum in nulla Vniversitate alia resumat; item, quod per spatium unius anni hic in Facultate Artium legat, nisi super hoc secum per eandem Facultatem fuerit dispensatum.*

TITULUS XII.

Ad ista tenetur Baccalarius hic promotus.

§ 1. *Baccalarii jam promoti tenentur hic in Vniversitate legere & studere, lectiones Magistrorum visitare post promotionem suam ad minus per unum annum.*

§ 2. *Item per totum primum annum debet visitare disputationes Magistrorum tam ordinarias, quam extraordinarias, & ibidem venire in principio disputationis & usque ad finem permanere, nisi legitima causa ipsorum aliquem excusaverit, quam debet Decano Facultatis exponere; alioquin pro qualibet disputatione neglecta solvat pœnam unius grossi; quam si solvere noluerit, aut alias contumaciter circa præ-*

(1) *Vide supra Status. Jurisprud. Tit. XI. § 5, col. 187, in notis.*

præmissa se habuerit, gravius puniatur secundum dictamen Facultatis.

§ 3. *Item per primum annum teneatur quilibet talis quotidie, si dies feriata non fuerit, audire lectionem in Scholis publicis Facultatis Artium unius Magistri.*

§ 4. *Item quilibet Baccalarius novellus pro exercitio suo proprio & Scholarium, teneatur in quadragesima, proxima post diem determinationis ejus, disputare bis in qualibet septimana Quadragesimæ, præterquam in ultima, quia tunc sunt vacationes etiam Universitatis, ita quod quilibet eorum debet complere decem disputationes, & in qualibet disputabit unam quæstionem Logicalem aut Naturalem, & unum Sophisma, aut duo ad majus; quibus assignamus quotidie tantum duas horas, unam immediate ante cœnam, & unam immediate post cœnam; quas quidem horas quotidie nolumus lectionibus, exercitiis nec aliis actibus scholasticis per aliquem Magistrum aut Baccalarium seniorem occupari, nisi forte in disputatione ordinaria sic contingat ipsos impediri.*

§ 5. *Item statuimus, quod nullus Baccalariorum, quicunque etiam fuerit, legat in Scholis publicis Facultatis Artium, disputet aut alicui Magistro respondeat, nisi in habitu Gradum ipsius concernente.*

Item volumus, quod in actibus publicis scholasticis Baccalarii, pro tunc habituati præcedant non habituatos, quamvis fuerint seniores ipsis in Gradibus suis; idem volumus in Processionibus Universitatis aut Facultatis observari; alias in omnibus præmissis debent ordine & locis suis in Scholis & alibi collocari.

§ 6. *Item volumus, quod omnes Baccalarii, etiam quantumcunque senes in Baccalariatu, si voluerint aut prætendant ad Licentiam promoveri aliquando in Artibus, teneantur ad visitandum disputationes Magistrales ordinarias & in quodlibetis, sub pœna qualibet vice unius grossi, sicut expressum est superius, in Statuto de novellis Baccalariis hic promotis. Et statuimus etiam, quod Decanus nostræ Facultatis prudenter invigilet, ut præmissa omnia maneant inconcussa sub pœna depositionis ab Officio, quodque cum nullo dispenset super pœna solvenda, nisi legitima causa ipsum excuset, sed ab omnibus indifferenter capiat pœnam, cujus medietas sit Decani, reliqua vero medietas Fisco Facultatis accrescat.*

§ 7. *Quamvis Divinum Officium, sicut non debemus, ita nolumus perturbare, tamen sanius reputamus, quod nostri Scholares simul & Baccalarii etiam diebus festivis visitent Scholas, quam tabernas, dimicent disputando lingua, quam gladio; ergo Baccalarii nostræ Facultatis disputent, legant gratis & propter Deum Computos & alia Mathematicalia, præcipue tamen Ecclesiæ Catholicæ deservientia, diebus festivis post prandium, majoribus tamen festis exceptis, in quibus omnes volumus & præcipimus festivare.*

TITULUS XIII.

De Baccalariis Artium alterius Universitatis.

§ 1. *Baccalarius vero alterius Universitatis petens hic pro Baccalario ad Facultatem Artium recipi, priusquam ad aliquem actum scholasticum hic admittatur, Matriculæ Universitatis sit inscriptus & juratus, & probet per juramentum suum proprium,*

prium, vel per teſtes idoneos, aut probet per literas patentes ſuæ Vniverſitatis aut Facultatis titulum ſui Gradus.

§ 2. *Item talis debet reſpondere bis ordinarie in diſputatione Magiſtrali, ſemel ſcilicet in Logica & ſemel in Philoſophia naturali, & poſt hoc petere in Congregatione Facultatis humiliter, quatenus Magiſtri ipſum dignentur aſſumere, &, ſi nihil legitimum obſtiterit, aſſumatur.*

§ 3. *Item talis, cum fuerit aſſumptus, ſi fuerit in primo anno ſuæ promotionis, obligabitur noſtræ Facultati ad omnia talia juramenta & actus, ad quæ Baccalarius novellus, ſcilicet primi anni, obligatur noſtræ Facultati; ſi vero annum primum in ſua Vniverſitate & actus ibidem ſibi injunctos compleverit, de quo tamen Facultatem noſtram ſufficienter certificabit perprius, tunc obligetur recte ſicut noſtri Baccalarii, qui primum annum cum ſibi injunctis peregerint, ſicut ſuperius de ipſis eſt expreſſum.*

§ 4. *Item talis erit ultimus loco & ordine inter Baccalarios noſtræ Facultatis, & ſi fuerint aliqui examinati & admiſſi pro Gradu Baccalariatus, ſi tales determinaverint infra quartale anni ipſis conceſſum, loca ſua propter ipſum non amittant.*

§ 5. *Item talis ſolvat unum floremum Facultati & triginta duos denarios Bedello, niſi pauper fuerit, tunc fiat ſecum, ſicut de noſtris eſt expreſſum.*

TITULUS XIV.

De Baccalariis præſentandis ad Licentiam in Artibus.

§ 1. *Cum quis legitime certaverit, debeat merito coronari, noſtros agonizantes, quos toto anno probamus tanquam aurum in fornace, volumus, quantum in nobis eſt, ad coronam, quam optaverint, promovere. Statuimus igitur & ita ſemper volumus obſervare, quod omni anno ſemel duntaxat, ſcilicet poſt feſtum Circumciſionis Domini noſtri JESU Chriſti, quamcito commode fieri poterit, Decanus Facultatis Artium publicet per Scholas Facultatis, & alibi, ubi viſum fuerit expediens, per Pedellum, ut Baccalarii volentes præſentari Domino Cancellario hujus almæ Vniverſitatis ad tentamen pro Licentia in Artibus, veniant aliqua certa hora, & primo præſentent ſe Facultati; ad quam quidem horam omnes Magiſtri Facultatis debent convocari ſub aliqua pœna, & maxime non contradicendi, ut judicent & videant, qui & quales præſententur, ita ut ſit ad laudem Dei Facultatiſque ad honorem.*

§ 2. *Sint igitur Magiſtri providi, occulati & circumſpecti, ne aliquos præſentent ad Honoris titulum, ex quibus veriſimiliter præſumatur ſcandalum in Facultate, aut forte tota Vniverſitate poſſe generari. Infamibus enim & indignis, quis aperiet portas Dignitatum? Quare ordinamus, quod nemo de Magiſtris noſtræ Facultatis aliquem inhabilem vel infamem, vel cui aliquod legitimum impedimentum obſtiterit ex prædictis, vel ſequentibus, vel aliis criminibus, ad examen Licentiæ promoveat, ut pro ipſa præſentando deponat; videant tamen Magiſtri ſinguli & Baccalarii, ſimul & Scholares ſeu alii quicunque, ne quis ipſorum gratis infamet aut accuſet quemquam prædictorum in illis, quæ probari non poſſunt aut quomodolibet ordinet, ut in promotione ſua quovis modo impediatur frivole, & ſine cauſa, quia cum hoc compertum fuerit, pœnam a Facultate*

noſtra imponi conſuetam, unam etiam de majoribus, utique talis non evadet.

§ 3. *Item Baccalarius, & præſentandus pro licentia in Artibus ad tentamen, debet audiviſſe omnes libros ſpectantes ad Gradum Baccalariatus in Artibus modo & forma expreſſis in Statuto promovendis ad Gradum Baccalariatus, quod incipit: Item talis debet audiviſſe &c. Et ultra illos audiviſſe debet in aliquibus Scholis publicis alicujus Vniverſitatis, in qua pro tunc ad minus fuerint tres Magiſtri regentes in Artibus, libros infraſcriptos; de Cœlo & Mundo, de Generatione & Corruptione, Meteorum, Parva Naturalia communiter legi conſueta, Theoricas planetarum, quinque libros Euclidis, Perſpectivam communem, aliquem tractatum de Proportionibus, & aliquem de Latitudinibus formarum, aliquem librum de Muſica, & aliquem in Arithmetica, ſex libros Ethicorum & Metaphyſicam & Topicorum.*

§ 4. *Item talis debet ſexies reſpondiſſe in diſputationibus Magiſtralibus, ita tamen, quod ter ad minus reſponderit ordinarie poſt promotionem ſuam ad Gradum Baccalariatus in Artibus.*

§ 5. *Item nullus præſentetur ad Licentiam, niſi hic in Vniverſitate ſteterit per annum ſtudendo in Artibus, poſtquam fuerit promotus in Baccalarium.*

§ 6. *Item præſentandus etiam debet ſtetiſſe in aliqua Vniverſitate cum Magiſtris in exercitiis particularibus, in quæſtionibus Veteris Artis conſuetis diſputari communiter, Priorum & Poſteriorum, Phyſicorum, de Generatione & de Anima, & quæſtionibus quinque librorum Ethicorum Ariſtotelis, niſi in iſto Statuto & alio præcedenti, ob inſignia merita, Facultas duxerit gratioſius agendum.*

§ 7. *Item nullus illegitimus aut non de legitimo thoro natus, aut ſervus, aut libertus, aut publice infamis præſentetur ad Licentiam in Artibus.*

§ 8. *Item nullus præſentetur, qui pertinaciter tranſgreditur Statuta Facultatis, aut etiam pertinaciter defendit oppoſitum alicujus Statuti Facultatis aut etiam Vniverſitatis.*

§ 9. *Item nullus præſentetur, niſi prius conſtiterit ipſum eſſe Membrum juratum, in Matricula Vniverſitatis more conſueto regiſtratum.*

§ 10. *Item de omnibus prædictis, requiſitis ad præſentandum aliquem pro Licentia in Artibus, videlicet de libris exercitiis, tempore & aliis actibus ſcholaſticis ſuperius expreſſis, quilibet talis præſentandus faciat fidem, mediante ſuo juramento, coram Decano & aliis Magiſtris in Congregatione totius Facultatis, & tunc demum, qui per Facultatem admiſſi fuerint, Domino Cancellario, aut quoad hoc plene ejus locum tenenti cum reverentia debita præſententur, & procedatur in omnibus ſecundum tenorem Bullæ Apoſtolicæ, ſcilicet Domini Vrbani Papæ Quinti, de modo examinis Graduandorum in Artibus & aliis ſcientiis mentionem facientis.*

§ 11. *Item præſentati ad Licentiam, cum primo intrant tentamen, jurabunt eadem, quæ jurant examinandi pro Gradu Baccalariatus cum intrant Conclave, ut ſuperius eſt præmiſſum.*

§ 12. *Item Baccalarii, præſentandi per Facultatem Artium pro Licentia in eiſdem, jurabunt, quod non ſubmittant ſe, pro eadem Licentia obtinenda, tentamini vel examini alicujus Ma-*

Magiſtri, Facultati Artium Studii hujus ordinate, ſecundum Statuta ejuſdem ab Vniverſitate approbata non incorporati & uniti, niſi Dominus Cancellarius, etiamſi contingat ipſum exiſtere Magiſtrum in Artibus, quem non intendimus limitare, per ſe ipſum aliquem voluerit examinare.

TITULUS XV.

De Examinatoribus Licentiandorum in Artibus & juramentis eorum.

§ 1. *Quod ad Examinatores Licentiandorum, per habentem poteſtatem & auctoritatem rite deputatos, attinet, præcipimus omnibus Magiſtris noſtris ſub pœna perjurii & reſectionis perpetuæ a noſtra Facultate, ne aliquis ipſorum intromittat ſe de tentando vel examinando aliquem pro Gradu Licentiæ in Artibus, niſi ipſe examinandus, modo prius expreſſo, per Facultatem fuerit præſentatus, & niſi ipſemet Examinator prius coram Decano, & Facultate ad hoc ſpecialiter congregata, juraverit expreſſe, quæ ſequuntur: primo, quod nec per ſe, nec per alium, directe aut indirecte laboraverit ad hoc, ut ipſe in Examinatorem eligeretur aut quomodolibet caperetur, ſicut etiam hoc cautum eſt de Officiis in Statutis Vniverſitatis.*

§ 2. *Item Examinator quilibet Licentiandorum jurabit ibidem omnia illa, quæ jurare conſueverunt Examinatores Baccalariandorum, ut ſuperius eſt præmiſſum, & ſi quæ alia occurrerint notabiliter juranda ſecundum diſpoſitionem Facultatis.*

TITULUS XVI.

Juramenta Licentiandorum in publico.

§ 1. *Item examinati & idonei reperti ad Licentiam tempore Licentiæ, & antequam ipſis Licentia in Artibus largiatur, jurabunt coram omnibus, tunc ibidem exiſtentibus, & publice ea quæ ſequuntur: primo, quod Cancellario & Cancellariæ hujus Vniverſitatis reverentiam & honorem deferetis condecenter; item, quod ſervabitis pacem & tranquillitatem Vniverſitatis, & unionem inter quatuor Facultates & Nationes, & inter religioſos & ſæculares; item, quod Gradum Licentiæ in Artibus alibi non reiterabitis; item, quod inſignia Magiſtralia in Artibus in nulla alia Vniverſitate recipietis; item, quod ſi contingat aliquem veſtrum determinare vel reſpondere in materia tangente Fidem, veritates Fidei tenebitis, & contrarias rationes pro poſſe diſſolvetis; item, quod ætatem viginti unius anni compleveritis; item, quod, ſi contingat vos recipere inſignia Magiſtralia in Facultate Artium, non expendetis in Feſto veſtro ultra tria millia Turonenſium argenteorum juxta determinationem Concilii (1) Vienneníis.*

TITU-

(1) *In ipſo Codice MSto pro* Viennenſis *corrupte legitur* Wyennenſis. *Per Concilium enim, cujus hic fit mentio, non ſignificatur Concilium Provinciale Vindobonæ ſive Wiennæ in Auſtria A. 1267 a Cardinale Guidone celebratum, ſed Concilium Oecumenicum, ſive Generale decimum quintum, celebratum Anno 1311 Viennæ in Gallia ſub Summo Pontifice* Clemente V, *unde & Conſtitutiones ejus, in quinque Libros diviſæ, quæ in Jure extant Canonico,* Clementinæ *appellantur. Interdictum autem illud, quod hic citatur, ne videlicet Doctorandi in Solennitate ſua expendant ultra ſummam ter mille Turonenſium argenteorum, extat ibidem in principio Libri quinti, Tit. 1, cap. 2, Idem Interdictum citatur etiam ſupra in Statutis Facultatis Theologicæ Titulo XII, § 6. pag. 152, & in Statutis Facultatis Juris Canonici & Civilis, Titulo X § 4, pag. 185, ubi Concilium hoc Viennenſe ſimpliciter appellatur*

TITULUS XVII.

De Licentiatis volentibus incipere in Artibus.

§ 1. *Item Licentiatus in Artibus debet hic in Vniverſitate, infra annum primum continue ſequentem diem Licentiæ ſuæ, incipere in Artibus ſolenniter ſub aliquo Magiſtrorum noſtræ Facultatis; infra quem quidem annum nolumus ipſum per quemquam Magiſtrum aut Licentiatum, ad noſtram Facultatem aſſumendum, in loco & ordine ſuo præveniri; ſed ſi non incœperit infra eundem annum, ex tunc, quicunque Magiſter ante ipſum fuerit receptus ad noſtram Facultatem, debet per amplius eidem loco & ordine præferri Magiſtrorum.*

§ 2. *Licentiatus volens incipere in Artibus, antequam ad ſui Gradus completionem admittatur, debet ſupplicare in Facultate deſcripta ſuperius in Titulo de Officio Decani adhuc ſpecialiter congregata ut admittatur, &, niſi aliquod Canonicum ei obſtiterit, debet gratioſe admitti. Si vero quiſquam habuerit aliquid contra eum, quare merito debeat repelli, vel forte in Gradu ſuo aliquantulum retardari, proponat hoc coram tota Facultate, & ſtet dictamini ejus, juxta tenorem tamen prius expreſſum in Statuto de Baccalariandis, quod incipit: Et ſi quod abſit &c.*

§ 3. *Item Magiſtrandus in præſentia Facultatis jurabit in manus Decani, quod pro poſſe ſuo obſervabit Privilegia, Libertates &c; ut de Baccalariandis eſt expreſſum in Statuto, quod incipit: Item examinati &c.*

§ 4. *Incœpturus in Artibus, antequam incipere permittatur, ſolvat Facultati Artium duos florenos, aut faciat ſufficientem cautionem de ſolvendo Receptori Facultatis, & Pedello Facultatis ſexaginta denarios Wiennenſes cum incœperit, &, ſi potuerit commode, in pluri Pedello ſuccurrat ſecundum ipſius honeſtatem; ſi vero pauper fuerit, gaudeat ſuo privilegio, quia non dat, quod non habet; attamen petat in Facultate & promittat ſolvere cum potuerit, & tunc diſpenſabitur cum ipſo uſque ad fortunam pinguiorem.*

§ 5. *Incœpturus Licentiatus in Artibus, liber ſit omnino ad incipiendum ſub quocunque Magiſtrorum noſtræ Facultatis Studii Wiennenſis: & ſi quiſquam Magiſtrorum aliquem talem induxerit ad incipiendum ſub eo minis, blandimentis &c., puniatur, ſicut ſuperius dictum eſt de Baccalariandis in Statuto quod incipit: Item quilibet examinatorum &c.*

§ 6. *Incipiens in Artibus honoret Magiſtrum ſuum, ſub quo voluerit incipere ante incœptionem, vel in Cathedra, quando chirothecæ diſtribuuntur, cum Clenodio duorum florenorum; loco cujus, ſi placuerit, poterit duos florenos ſibi præſentare. Ad convivium quidem nullum volumus coarctare, ſed, ſi habens fuerit, faciat ad ſui ipſius decentiam & honeſtatem.*

§ 7. *Magiſter vero præſidens faciat recommendationem ſolennem ad honorem noviter Magiſtrandi: & nolumus, immo ſub pœna majore, quam imponere poſſumus, ſimpliciter prohibebemus, ne in tali recommendatione aliqua*

Concilium Generale; *nempe quoniam ab A. 1311 in quem jam memorati Concilii Generalis Viennenſis celebratio incidit, uſque ad annum 1389, quo hæc ſingularum Facultatum Academiæ Vindobonenſis Statuta a tota Vniverſitate approbata & promulgata ſunt, nullum aliud Concilium Generale celebratum eſt.*

qua proponantur, ex quibus ſcandalum poſſit generari, & præcipue, quod Magiſtros aut alios aliarum quarumcunque Facultatum poſſet offendere, aut lædere pias aures.

§ 8. *Volumus etiam novum noſtrum Tyronem ſic veſtiri ad-extra, ut etiam ab inſpicientibus ſufficienter præſumatur ſcientia & virtutibus ad-intra habituatus & veſtitus. Quare hortamur quemlibet de novo incipientem, quatenus, ſi adſit ſibi aliqualiter rerum exteriorum copia, providebit ſibi de Chabbardo ſeu Epitogio Magiſtrali proprio, novo, ſerico pro æſtate, aut vario pro hyeme foderato; de caputio faciat ſicut ſibi placuerit. Ad minus tamen incipiat in habitu ſuo proprio & non alieno, & ſi quis ſe in hoc gravatum ſenſerit, exprimat hoc coram Facultate.*

TITULUS XVIII.

De Juramentis incipientium, cum aſcendunt Cathedram.

§ 1. *Primo jurabit incipiens in Artibus, quod bonum Vniverſitatis & Facultatis Artium hujus Studii pro poſſe ſuo procurabit, ad quemcunque ſtatum ipſum contingat pervenire; item, quod per amplius velit obediens eſſe Vniverſitati & Facultati Artium in licitis & honeſtis; item, quod Gradum Magiſterii in Artibus in nulla alia Vniverſitate reſumat; item, quod per ſpatium duorum annorum hic legat in Artibus, niſi per Facultatem Artium ſuper hoc ſecum fuerit diſpenſatum.*

TITULUS XIX.

De Novellis Magiſtris in Artibus.

§ 1. *Ad ſui ipſius eruditionem & profectum Scholarium, nec non Vniverſitatis & noſtræ Facultatis incrementum, novellus Magiſter debet ſtare hic in Vniverſitate & noſtra Facultate Artium, poſt promotionem ſuam immediate ſequentes integre per duos annos, & legere & regere, juxta ordinationem Facultatis in Artibus, & infra iſtos duos annos diſputare octo vicibus more Magiſtrali; ſed extraordinarie & præcipue illis diebus, quibus Magiſtri noſtri legere non conſueverunt: & antequam iſtas octo diſputationes compleverit, ad diſputandum de Quolibet, aut etiam ordinarie non permittatur.*

§ 2. *Idem quoque Magiſter per annum primum ſuæ promotionis, debet viſitare cum habitu ſuo omnes diſputationes ordinarias Magiſtrorum, ſub pœna eadem & forma, qua noſtri Baccalarii eandem diſputationem ordinariam tenentur viſitare: diſputationes extraordinarias ita diligenter viſitet, ſicut a ſuis condiſputantibus cupit viciſſim honorari.*

§ 3. *Item, cum novellus Magiſter primo intrat Congregationem & Conſilium Facultatis, antequam permittatur habere vocem in Facultate, jurabit, quod celanda & ſecreta, præcipue quæ mandantur per Decanum non revelanda ad tempus vel in perpetuum, non revelet juxta mandati vel etiam facti qualitatem, nec aliquem Magiſtrum ſic vel ſic deliberantem, præcipue in odioſis & præjudicialibus, prodat verbo vel facto; quod ſi fecerit, tanquam perjurus & infamis a Facultate excludatur.*

§ 4. *Item talis jurabit ibidem, quod fideliter deliberabit ad honorem Dei & Facultatis utilitatem, prout ſua conſcientia ſibi dictaverit, modeſte & quiete, nec faciet partialitates nec pertur-*

bationes clamorosas vel occultas, in quantum in eo est, sed Magistros, tam senes, quam juvenes, pacifice audiat, & si voluerit, vel forte debuerit in Consilio respondere Decano vel alteri Magistro, hoc faciat sine strepitu & rancore, & quamcito Decanus vel locum ejus tenens ipsi silentium imposuerit, quod tunc taceat. Supplicare tamen potest quod amplius, pro necessitate sua loquendo pacifice, audiatur. Et quisquis in præmissis rebellis fuerit repertus, excludatur a Consilio Facultatis, quamdiu Decano & aliis Magistris quatuor, ipsi in adjutorium datis, visum fuerit, aut a tota Facultate gratiam meruerit, se taliter humiliando in eo, quo deliquit, ut videatur emendatus.

§ 5. *Item quilibet novus Magister jurabit ut supra, quod reverenter tractabit Decanum Facultatis, qui pro tempore fuerit, & alios Magistros seniores se in Facultate, quodque obediat Decano in his, quæ spectant ad Facultatem.*

TITULUS XX.

De Magistris aliarum Vniversitatum.

§ 1. *Bonum quanto communius, tanto melius. Ergo omnes probos & honestos ad nostram Facultatem insimul & fraternitatem colligere cupientes, statuimus, quod omnes Magistri Artium, præcipue solennium Vniversitatum, nisi aliud Canonicum obsit, capiantur ad Facultatem. Quare nullus Magister in Artibus vel Baccalarius, cujuscunque alterius Vniversitatis fuerit, antequam ad nostram Facultatem assumatur, aliquem actum in Artibus scholasticum hic in Vniversitate permittatur exercere, nisi perprius, ut subsequitur, boc petat & obtineat in Facultate. Nec volumus, imo nolumus, quod aliquis Baccalariorum vel Scholarium nostrorum audiat lectiones, vel visitet exercitia vel alios actus scholasticos in Artibus alicujus Magistri, qui non sit debite unitus nostræ Facultati, & incorporatus secundum Statuta nostra de boc disponentia, per Vniversitatem approbata; nec tales actus ipsis visitantibus aliquatenus conferant, quoad Gradus suos obtinendos, imo & puniri debent per Facultatem sicut expedit.*

§ 2. *Primo quidem pro utili exercitio Magistrorum & Scholarium, & aliquali notitia Magistrorum de novo supervenientium, statuimus, quod antequam aliquis talium ad aliquem actum faciendum in nostra Facultate admittatur, probet per sufficiens testimonium, aut per literas patentes suæ Vniversitatis aut Facultatis, aut per juramentum proprium, si ex conditione & qualitate personæ Facultati apparuerit, quod merito fides ipsi fuerit adhibenda, se fore Magistrum in Artibus ut proponit. Quo probato & antequam recipiatur ad Collegium Magistrorum Facultatis, debet in Cathedra Magistrali nostræ Scholæ determinare unam quæstionem solenniter in Artibus, & determinatione sua facta, debet audire Decanum arguentem sibi, & respondere isti ad unam instantiam duntaxat cum duabus replicationibus vel pluribus si placuerit, & sic similiter, & consequenter respondeat cuilibet Magistrorum tunc præsentium. Præcipimus autem Magistris nostris, quod ad determinationem habeant se reverenter & honeste, sicut decet in Scholis doctrinæ & Philosophorum.*

§ 3. *Item talis nequaquam recipiatur, nec ad aliquem actum scholasticum*

cum in Artibus hic admittatur, nisi prius docuerit se juraſſe Rectori, ac adſcriptum eſſe Matriculæ Vniverſitatis hujus Studii Wiennenſis, & tunc demum, ſi Facultati viſum fuerit expediens & honeſtum, recipiatur: & ſi aliquis ipſi quidquam oppoſuerit, ſtabit dictamini Facultatis, modo & formis ſuperius expreſſis, in Statuto quodam de Baccalariandis, quod incipit: Et ſi, quod abſit &c.

§ 4. *Item, talis ſolvat Facultati Artium duos florenos ſicut Magiſtri qui hic promoventur, & Pedello ſexaginta denarios, niſi propter paupertatem Facultas duxerit ſecum diſpenſandum uſque ad fortunam pinguiorem; promittat tamen ſolvere cum ſibi talis arriſerit.*

§ 5. *Item talis in præſentia Facultatis in manus Decani jurabit de obſervationibus Statutorum & Privilegiorum, ſicut expreſſum eſt in Statuto de juramentis Baccalariandorum, quod incipit: Item examinati, cum admiſſi fuerint &c.*

§ 6. *Item talis jurabit expreſſe omnia illa, quæ ſolent jurare Magiſtri noſtri novelli, cum primo intrant Conſilium Facultatis, ut ſuperius eſt expreſſum in Statuto, quod incipit: Item cum novellus Magiſter &c.*

§ 7. *Item Magiſter alterius Facultatis, cum jam aſſumptus fuerit, teneatur quater diſputare extraordinarie, & antequam tales diſputationes compleverit, non diſputabit ordinarie. Etiam debet hic in Facultate Artium legere per duos annos, ſicuti noſtri Magiſtri novelli, niſi doceat ad minus proprio juramento, quomodo diſputationes conſimiles in alia Vniverſitate compleverit, & tanto tempore etiam legerit; ſuper quo tamen Facultas noſtra poteſt diſpenſare ſecum.*

§ 8. *Item talis inter Magiſtros Facultatis Artium habeat finalem locum, ſi tamen magnæ honeſtatis fuerit, Magiſtri noſtri ſaltem in actibus publicis, ut ipſos præcedat, ſi placet, eum honorare poſſunt: etiam propter aſſumptionem ipſius noſtris Licentiatis, dummodo tempore ipſis per Facultatem deputato recipiant moreſolito inſignia ſua Magiſtralia, nolumus quoad ipſorum loca in aliquo præjudicium generari.*

§ 9. *Iſta namque Statuta de Baccalariis & Magiſtris hic promotis, & ex aliis Vniverſitatibus ad noſtram Facultatem aſſumendis, ita inconfracte proponimus obſervare, quod ſi aliquis hic in Vniverſitate aliter, quam ſuperius expreſſum eſt, promoveretur ad aliquem Gradum in Artibus, aut alibi promotus, aliter hic aſſumeretur, quam modis ſupradictis, quod utique talis non debet haberi pro Membro, Magiſtro, aut Baccalario hujus Facultatis Artium hic in Vniverſitate. Et ſi quis adverſus præmiſſa contenderit, per Facultatem, Matre noſtra Vniverſitate adjuvante, acriter puniatur, ni forſan ſuper aliquibus punctis, ſuperius expreſſis, contra Statuta noſtræ Facultatis, jam per Vniverſitatem confirmata, ſecum duxerit ex cauſa rationabili ipſa eadem Facultas Artium diſpenſandum, aut aliquod ex ipſis Statutis in melius commutandum.*

§ 10. *Item, ut quis Magiſtrorum dicatur regens in Artibus, inſuper volumus & ſtatuimus, quod quilibet Magiſter noſtræ Facultati incorporatus, qui per totum tempus pro Ordinario deputatum, ut infra patebit, legerit cum favore Facultatis noſtræ in Artibus, regens in eiſdem cenſeatur per annum illum totum, videlicet uſque ad princi-*

pium ſequentis Ordinarii, quod eſt in craſtino Sancti Cholmanni.

§ 11. *Item quilibet Magiſtrorum, volens pro futuro Ordinario regens cenſeri in Artibus, debet tempore diſtributionis librorum, ordinarie legendorum, per ſe comparere in Facultate ad hoc ſpecialiter congregata, ut infra dicetur, recepturus ibidem librum ſuum ordinarie legendum, & incæpturus eundem cum aliis Magiſtris infra tempus a Facultate moderandum, & continuaturus eundem juxta conſuetudinem & ordinationem Facultatis, alioquin non regens cenſeatur.*

§ 12. *Si quis vero Magiſtrorum ordine præfato librum ſuum non acceperit quacunque occaſione urgente, aut acceptum tempore debito non incæperit, volens tamen poſtea pro eodem anno legere & regens dici hic in Artibus, præſentet ſe Facultati, quocunque etiam tempore anni voluerit, & ſtet ordinationi ſuper hoc majoris partis Facultatis. Nolumus tamen aliquem legere aut regere hic in Artibus, niſi perprius Facultati noſtræ Studii hujus Wiennenſis ſit incorporatus, non ſit reſectus, excluſus aut ſuſpenſus ab eadem. Et ſi quis Scholarium aut Baccalariorum aliquas lectiones audiverit hic in Univerſitate a Magiſtro, non recepto a Facultate Artium, aut non regente in eiſdem, aut ab aliquo Magiſtrorum a Facultate noſtra excluſo, aut ab actibus ſcholaſticis ſuſpenſo, tales lectiones eidem audienti pro Gradibus ſuis aſſumendis nullius ſint reputationis, ſed ab alio iterum ipſos audire teneatur, & cum hoc pœnæ ſubjaceat, ſi Facultati viſum fuerit ampliari.*

TITULUS XXI.

De ordinariis Lectionibus & Diſputationibus Magiſtrorum.

§ 1. *Sicut theſaurus abſconditus, ita ſcientia hominis ſolitarii, quia non prodeſt niſi forte ſibi ipſi; ideo ſtatuimus & ita volumus amplius obſervari, quod omni anno in principio Septembris, quamcito commode fieri poterit, Decanus faciat Congregationem Facultatis totius ſub juramento ſuper diſtributione librorum ordinarie legendorum, & quia pro nunc difficile apparet, nimis dare certam regulam, quæ omni anno quam ſtabiliter eadem ſemper permaneat ad libros diſtribuendum, igitur placet, quod diſtribuantur libri ordinarie legendi modo & ordine, quibus pro tunc Facultati viſum fuerit, pro futuro anno expedire, & alio anno ſervabunt eundem modum, ſi placuerit. Si autem concordent iterum & attendent alium, tam diu, donec ipſa experientia, efficax actuum mundanorum magiſtra, per ſe doceat, quis modus plus expediat pro facultate; & talis in annos plures, quam diu placuerit, obſervetur.*

§ 2 *Item pro tunc concordent de horis lectionum ordinariarum, ita tamen, quod pro exercitiis in privato horæ maneant ſalvæ, ut inferius deſcribetur. Ordinariæ tamen lectiones incipiantur in craſtino Sancti Cholmanni Martyris, & duret Ordinarius excluſive uſque ad feſtum Sanctæ Margarethæ. Per vacationes vero liberum ſit Magiſtris & aliis legere, vel non, niſi Facultas ſuper hoc aliter aliquando duxerit ordinandum.*

§ 3. *Item ſtatuimus Scholarium ad utilitatem, quod lectiones ordinariæ librorum Ariſtotelis & Porphyrii fiant ſolenniter, & cum quæſtionibus ad materiam libri pertinentibus.* § 4.

§ 4. *Item libri Aristotelis legantur duntaxat a Magistris, nisi Facultas Artium cum aliquo Baccalario specialiter super hoc duxerit dispensandum.*

§ 5. *Item nullus Magister aut Baccalarius legat ordinarie, nisi bene prævisus studuerit tam super quæstione, quam lectione ordinaria, nec legat regulariter plus quam unum capitulum in textu ante quæstionem vel etiam quæstione expedita*

§ 6. *Item volens legere diebus festivis post prandium propter Deum & sine pastu librum Ethicorum, aut alium in Philosophia morali, aut alium, communiter aliis diebus legi non consuetum, super hoc debet specialem licentiam, ne fiat fraudulenter, in Facultate obtinere.*

§ 7. *Item nullus Magistrorum legat gratis & sine collecta nisi pauperibus; nec aliquis Magistrorum Facultatis adulationibus, blanditiis, aut aliis non legitimis inductionibus, nec minis & terroribus Scholares ad lectiones suas alliciat, sub pœna Decano & aliis quatuor Magistris reservata; liceat tamen Rectori Scholarium Sancti Stephani suis locatis & civium servitoribus gratis legere, dolo & fraude semotis.*

§ 8. *Item nullus Magistrorum legat publice in Scholis Artium nostræ Facultatis, vel disputet ordinarie vel extraordinarie, aut arguat vel respondeat in Artibus nec promoveat quemquam ad aliquem Gradum in Artibus sine habitu seu Epitogio Magistrali, & quotiescunque aliquis oppositum fecerit, pœnam quatuor grossorum incurrat, nisi Facultas majorem pœnam alicui talium duxerit infligendam.*

TITULUS XXII.

Libri ordinarie legendi cum ipsorum collecta.

§ 1. *Libros ordinarie legendos nunc volumus assignare cum collecta ipsorum, quam nullus Magistrorum præsumat augere. Primus igitur librorum sit Physicorum, de quo toto dantur novem grossi: de Metaphysica dabit novem grossos: de Cœlo & Mundo quinque grossos: De Generatione & Corruptione tres grossos. de Meteoris quinque grossos: de Anima quinque grossos: de Libris Parvorum Naturalium tres grossos: Ethicorum duodecim grossos: Politicorum decem grossos: Oeconomicorum duos grossos: Pro Boëtio de consolatione Philosophiæ quinque grossos: de quinque libris Euclidis sex grossos: de Theorica Planetarum quatuor grossos: de Perspectiva communi quinque grossos: de Sphæra tres grossos: de Proportionibus longis Bragwardini tres grossos: De Latitudinibus formarum duos grossos: de Summa Naturalium Alberti quatuor grossos: de Vetere Arte quinque grossos: de Tractatu Petri Hispani tres grossos: de libris Priorum tres grossos. De aliis vero libris communiter legi consuetis & requisitis ad Gradus Magistri & Baccalarii, habeant se benigne circa ipsorum audientes, ita quod non fiant querelæ, quia excedentem utique puniremus.*

TITULUS XXIII.

De Disputatione ordinaria.

§ 1. *Cum inter actus scholasticos humanum ingenium decorantes actus disputativus sit præcipuus, nec non fœcundativus intellectus naturæ rationalis, ordinamus igitur & statuimus, quod regulariter omni septimana a principio Ordinarii usque ad festum Sancti Petri & Pauli Apostolorum, semel duntaxat, scilicet in die Veneris, nisi tunc fuerit Festum, habeatur disputatio ordinaria in Artibus solennis*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& publica pro profectu Scholarium & in exercitium Magistrorum. Et hortamur & rogamus omnes Magistros nostros, quatenus hanc utiliter continuent & frequenter visitent, cum in ea magna pars pendeat honoris Facultatis.

§ 2. *Item statuimus, quod nullus Magistrorum aut Baccalariorum præsumat legere infra disputationem ordinariam; quod si fecerit, pœnam quatuar grossorum incurrat ipso facto.*

§ 3. *Item eo die, quo disputatur ordinarie in Artibus, ut eo diutius possint manere Magistri & Scholares in disputatione, & copiosius conveniant & diligentius attendant, non legatur illo die in Artibus, nisi alicui hora vesperarum legere placuerit, sub pœna immediate prædicta.*

§ 4. *Item tales disputationes ordinariæ & similiter extraordinariæ debent fieri doctrinaliter & ad utilitatem Scholarium, Magistrorum & ad honorem in materiis congruis, non nimis difficilibus, nec nimis communibus, sed in Logica, Metaphysica, Philosophia naturali aut morali, aut Mathematica juxta decentiam Magistrorum, ordinarie vel extraordinarie disputantium.*

§ 5. *Ordinaria disputatio incipiatur mane post primam Missam Prædicatorum, & duret usque quo omnes Magistri, qui tunc præsentes sunt, arguant sufficienter, ut infra dicetur, & vadat successive de Magistro seniore ad inferiorem continue, sicuti alias hic est consuetum.*

§ 6. *Item Magister præsidens solum disputabit duas quæstiones, ut præmissum est, ad quarum quamlibet poterit audire duos Baccalarios sibi invicem directe opponentes, & non plures, & ad majus disputet tria Sophismata; eodem modo ad quodlibet Sophisma potest audire duos sibi invicem contradictorie opponentes, ita quod sub pœna quatuor grossorum, non proponat plura, nec etiam audiet plures respondentes.*

§ 7. *Item quamcito Magistri sufficienter congregati fuerint, tunc Magister disputans faciat eos arguere secundum ordinem ipsorum, ita tamen, quod quilibet eorum proponat tantum tria argumenta, quorum ad minus unum sit sophistice solum, duo deducat bis vel ter replicando.*

§ 8. *Ut autem cuncti sciant, quomodo sint istæ disputationes doctrinales, & potius se credant fore in scholis virtutum, quam tabernarum, sub pœna suspensionis ab actibus scholasticis & resectionis ab omni nostro consortio & Facultatis, inhibemus omnibus Magistris Baccalariis & Scholaribus nostris, ne ipsorum aliquis, cujuscunque status fuerit, in ipsa disputatione aut aliis actibus publicis nostræ Facultatis, verbis, factis, vel nutibus immorigeratis irruat in aliquem de nostris aut etiam extraneum, sed quilibet se habeat pie, benigne & moraliter, non minus tamen fortiter cum moderamine arguendo.*

TITULUS XXIV.

De exercitiis Magistrorum cum Baccalariis & Scholaribus in privato.

§ 1. *Ut ergo quilibet apud alium, sine tamen publico detrimento, possit probare seipsum, statuimus particularia sive cameralia exercitia pro profectu nostrorum Scholarium habenda in quæstionibus consuetis seu præcognitis, ita tamen quod horis, quibus legitur vel disputatur per Magistros in Scholis, nequaquam hujusmodi exercitia habeantur. Et quotiescunque aliquis Magistrorum & Baccalariorum*

rum oppoſitum fecerit, pœnam quatuor groſſorum ipſo facto incurrat.

§ 2. *Item, ne gratis Scholares pro exercitiis hujuſmodi ſua exponant, ſtatuimus, quod nullus Magiſtrorum diſputet in privato niſi unam quæſtionem cum Sophiſmate, aut duas quæſtiones ſine Sophiſmate, aut tantum duo Sophiſmata ſine quæſtione, ut eo melius valeant materiarum difficultates penetrare, atque fideliter ad profectum Scholarium & honorem Facultatis hujuſmodi exercitia contimuent; oppoſitum vero facientes, ſtent pœnæ per Decanum & alios Magiſtros quatuor Decano adjunctos ipſis imponendæ.*

§ 3. *Item Magiſter diſputans in privato exercitio quæſtiones* (1) *Bradani, aut æquales ipſis in numero, habeat de ipſis octo libris Phyſicorum viginti quatuor groſſos a quolibet exercitantium, ita quod non præſumat plus aliqualiter extorquere: de quæſtionibus de Cœlo & Mundo Alberti, vel æqualibus ipſis in numero, duodecim groſſos: item de Generatione decem groſſos: item Meteorum duodecim groſſos: item de Anima decem groſſos: item Parvorum Naturalium octo groſſos: item Metaphyſicæ viginti groſſos: item de quinque libris Ethicorum viginti quatuor groſſos: de aliis quinque iterum viginti quatuor groſſos: item Veteris Artis decem & octo groſſos: item Priorum decem groſſos: item Poſteriorum decem groſſos: item Elenchorum ſex groſſos: item Topicorum decem groſſos: item in cæteris librorum ſcilicet quæſtionibus parvorum Logicalium & aliorum, ſtet in concordia Magiſtrorum & aliorum; illo tamen adjecto, quod Scholares non graventur, alioquin Magiſtri pœnam non evadent ipſis utique infligendam.*

TITULUS XXV.

Diſputatio de Quolibeto.

§ 1. *Item ſtatuimus & ordinamus, ut omni anno ſemel regulariter circa feſtum Sanctæ* (2) *Catharinæ, quæ noſtra ſpecialis Domina eſt, & præ cæteris noſtræ Facultatis Patrona adoptata, diſputatio de Quolibet ſolenniter habeatur. In qua quidem proponi volumus materias de ſingulis ſeptem Artibus liberalibus & alias Philoſophicas, prout ſpectat ad Artiſtam diſputare; & in diſputando de Quolibet, talem volumus inter Magiſtros ordinem obſervare, ita quod poſt omnes Magiſtros, qui in noſtra Facultate Studii Wiennenſis jam præteritis annis diſputaverint de Quolibet; Magiſter noſtræ Facultatis immediate ſequens in ordine a ſuperiore deſcendendo, honorem diſputandi de Quolibet, ſive ſit regens, ſive non, teneatur aſſumere anno pro futuro, & immediate ſequens illum in ordine Magiſtrorum, diſputabit anno ſequente de Quolibet, & ſic deinceps de Magiſtris omnibus, qui omni anno hic præſentes fuerint in feſto Sancti Ægidii, quia & pro tunc libri ordinarii ſunt diſtribuendi, ſic & diſputatio de Quolibet. Omnis vero Magiſter, qui pro tunc ſe abſentaverit a Civitate iſta, etiamſi legitime abſens fuerit, careat ordine ſuo diſputandi de Quolibet, ſi pro illa vice diſputatio talis ſibi ex juſto debeatur, &*

(1) *Idem hic videtur eſſe atque* Braimhanus *ille, de quo in Bibliotheca Geſneriana, a Joan. Jac. Friſio aucta, pag. 124, hæc leguntur:* Braimhanus Anglus, Oxonii Magiſter, ſcripſit ſuper Phyſica Ariſtotelis lib. 8.

(2) *Vide ſupra Tit. 1 §. 1 & 2.*

& ſequens ipſum immediate, ut præfertur, debet de Quolibet pro illo anno diſputare, niſi Magiſter abſens duos Magiſtros noſtræ Facultatis poſuerit Procuratores, qui nomine ipſius Decano Facultatis habeant auctoritatem faciendi ſufficientem cautionem, & faciant cum effectu, quod pro illo anno & tempore prætacto talis Magiſter abſens de Quolibet diſputabit. Si vero frivole ille ſe abſentaverit, quem tunc tangit ordo diſputandi de Quolibet, quamcito hoc conſtiterit, habeatur condemnatus ac ſi præſens eſſet, & diſputare remueret, in octo florenis Facultati ſolvendis. Si præſens, quem ordo tangit, voluerit ſe excuſare a diſputando, & ſi habuerit rationabilem cauſam valde, exaudiatur in Facultate, ſin autem, ſolvat octo florenos, ut ſupra, & ante ſolutionem ſit continue ſuſpenſus ab omnibus actibus ſcholaſticis hic in Vniverſitate, & nihilominus eadem pœna per Decanum noſtrum extorqueatur juſtitia mediante; cujus quidem pœnæ unus floremus ſit Decani, duo vero floreni Magiſtri immediate ſequentis, ſi diſputaverit ipſe de Quolibet pro illo anno, ut tenetur: ſi vero etiam & ille ſe excuſaverit, fiat de ipſo ut præmiſſum eſt de alio, & ſic deinceps. Sed omnes excuſare ſe volentes, hoc faciant infra octo dies poſt feſtum Sancti Ægidii, & poſtea nullus audiatur, ſed aut diſputet, quem ordo tangit, aut pœnam ſolvat, ut præfertur. Si vero quis voluerit ordinarie alium Magiſtrum noſtræ Facultatis, qui pro eo diſputet de Quolibet, hoc faciat de beneplacito Facultatis, alioquin non ſupportetur a pœna jam præmiſſa.

§ 2. *Item Magiſter diſputans de Quolibet pro Congregatione Magiſtrorum Facultatis, quos omnes ad honorem Præſidentis & Facultatis intereſſe volumus, diſputabit duas principales quæſtiones, & non plures, ad quas duo Baccalarii reſpondeant breviter & ſuccincte, nec audiat aliquos etiam oppoſitum tenere cupientes.*

§ 3. *Item Præſidens proponat cuilibet Magiſtrorum, tunc præſentium, ſive regens fuerit ſive non, unicam quæſtionem duntaxat cum argumentis, & unam ſine argumentis; ad primam reſpondeat breviter, ad maximum cum tribus concluſionibus & totidem corollariis, niſi de pluribus corollariis placeat annuere Præſidenti ſine multis notabilibus; ad aliam vero ſimpliciter reſpondeat affirmative vel negative cauſam quæſiti aſſignando.*

§ 4. *Item quatenus Scholares aliquibus oblectamentis inducantur ad diutius in Scholis permanendum, ſeriis joca miſceantur honeſta, ita quod ipſis licitum ſit oretenus proponere Problemata, aut aliquas quæſtiones naturales, aut alias cauſas diverſorum poſtulantes ſine tamen argumentis, ſed non turpes, nec aliquas quovis modo mores bonos offendentes; quia utique tales per negationes Graduum ad tempus puniremus. Si vero Præſidens ab aliquibus ſchedulas capere voluerit, poteſt, ſed paucos debet in hoc honorare, & diſtribuere debet quæſtiones propoſitas inter Magiſtros aſſidentes.*

§ 5. *Item præter iſtam diſputationem de Quolibet ordinariam Facultatis, ſi quis Magiſtrorum noſtrorum voluerit alia vice & alio tempore anni de Quolibet diſputare, hoc habet obtinere a tota Facultate noſtra, ita tamen, quod inter quaslibet duas diſputationes de Quolibet ad minus medient tres menſes, quia propter ipſarum ſolemnitatem nolumus eas multiplicari, ne vileſcant:*

&

& Magiſtros noſtros hortamur, quatenus & iſtas dignentur viſitare, de rigore tamen non intendimus aliquem Magiſtrum cogere ad tales extraordinarias viſitandum, niſi in quantum expreſſium eſt de Magiſtris novellis, quorum eſt honorare, & ut ipſi ab aliis honorentur.

TITULUS XXVI.

De Replicationibus & Determinationibus Magiſtrorum ad invicem.

§ 1. *Item ſtatuimus & ordinamus, quod quilibet Magiſtrorum in Artibus volens determinare, & determinando replicare contra alium quemcunque Magiſtrum noſtræ Facultatis in Logica aut Philoſophia naturali aut morali, Metaphyſica aut Mathematica cauſa exercitii & declarandæ veritatis, debet ſupplicare Decano & Facultati pro licentia id faciendi; quam ſi obtinuerit, & non alias, tunc procedat moraliter & manſuete, arguendo, reſpondendo & replicando, cavendo in his ſcandala & errores; & ſi quis Magiſtrorum aliquid in præmiſſis frivole tranſgreſſus fuerit, patiatur pœnam per Decanum & alios quatuor Magiſtros, ſibi in adjutorium deputatos, ipſi imponendam: per prædicta tamen non intendimus impedire, quin, in incœptione novorum Magiſtrorum in Artibus, aut etiam in diſputatione de Quolibet, Magiſtri noſtræ Facultatis, abſque ſpeciali licentia petita, poſſint ſibi invicem opponere, nec non contrarias concluſiones, decenter tamen & reverenter, pro poſſe ſuo defenſare.*

TITULUS XXVII.

De Pronunciatione librorum Facultatis Artium.

§ 1. *Volentes pronuntiare libros Facultatis Artium, antequam incipiant pronuntiare, debent eos perprius oſtendere Decano Facultatis, & aliis Magiſtris quatuor ipſius Coadjutoribus, qui debent libros ipſos diligenter examinare, an pronuntiandi ſint, an non, & cujus auctoritatis; &, ſi fuerint correcti, tunc, taxato pretio, duntaxat Magiſtris aut Baccalariis noſtræ Facultatis, & non Scholaribus, dent poteſtatem pronuntiandi.*

§ 2. *Item nullus præſumat aliquem librum pronuntiare illis horis, quibus communiter legi conſuetum eſt ordinarie, ſub pœna, quoties hoc fecerit, unius groſſi.*

§ 3. *Item præcipimus unicuique pronuntianti, quod fideliter & correcte, tractim & diſtincte, aſſignando paragraphos, capitales literas, virgulas & puncta, prout ſententia requirit, ad utilitatem reportantium pronuntiet, nec dolo nec fraude aliquod nefas in pronuntiando committat, ſub indignatione noſtræ Facultatis & retardatione a Gradibus ulterioribus ad tempus, aut, ſi meruerit, in perpetuum impediatur.*

TITULUS XXVIII.

De Receptore pecuniarum Facultatis.

§ 1. *Theſaurarius Facultatis, cujus Officium infra deſcribetur, eligatur eodem die, quo Decanus eligi debet, & ſolum cum Decano per dimidium annum manſurus, niſi iterum Facultas duxerit ipſum reeligendum.*

§ 2. *Item electus in Theſaurarium teneatur Officium ſuum benigne & ſine contradictione acceptare, ſub pœna florenorum quatuor, niſi legitima cauſa coram Facultate propoſita excuſetur.*

§ 3. *Item Officium ipſius Receptoris ſit pecunias Facultatis colligere, de-*

bitores admonere, & contra eos auctoritate Facultatis, etiam si oportuerit, coram Rectore vel alibi in judicio procedere, & diligenter cum Decano respicere, quod nulli procedant ad Gradus aliquos in Facultate Artium, nisi prius satisfaciant Facultati juxta ipsius Ordinationes & Statuta.

§ 4. *Item ipsius Thesaurarii sit pecunias Facultatis distribuere, tunc solum, cum Facultas id expresse mandaverit, nisi quod singulis Quatuor temporum, Magistris Examinatoribus Baccalariandorum poterit dare pro vino quadraginta denarios & non plures.*

§ 5. *Jurabitque dictus Receptor Facultatis nostræ coram Facultate nostra in manus novi Decani, quod Officium suum fideliter exerceat, nec fraudem circa pecunias Facultatis committat, sed ipsas diligenter conservabit toto suo posse; similiter & alias res Facultatis, quæ sibi committuntur conservandæ.*

§ 6. *Item jurabit idem, quod etiam jurat novus Decanus, scilicet de computatione facienda de perceptis infra mensem post resignationem sui Officii, sicut prius est expressum in juramentis Decani.*

§ 7. *Item, si contingat ipsum Receptorem recedere a Civitate, vel alias graviter infirmari, pro tunc Decanus, qui pro tempore fuerit, debet fideliter exercere Officium Thesaurarii; sed si recessit sine spe infra mensem redeundi, tunc Facultas substituat unum, usque ad tempus, pro electione Decani deputatum, qui & obligabitur ad eadem juramenta, ad quæ & ipse Receptor principalis.*

§ 8. *Item ipse Receptor conservabit unam de clavibus ad arcam Facultatis.*

TITULUS XXIX.

De quatuor Magistris, quorum consilio Decanus agit, quæ superius expressa sunt.

§ 1. *Item eodem die, quo eligitur Decanus, eligi debent & quatuor Magistri, præter Receptorem, de quatuor Nationibus, quorum quilibet sit Magister ad minus quatuor annorum, gravis in moribus, & prudens in consilio, non seditiosus, non partialis, sed in omnibus bonæ famæ, quorum quidem quatuor Magistrorum consilio Decanus agat omnia, in quibus saltem sparsim in præmissis Statutis ad ipsos remittitur, videlicet in festis Facultatis & exequiis, in Congregationibus faciendis & pœnis apponendis, in pecuniis & aliis rebus, & arca Facultatis conservandis, in exemplaribus corrigendis, & licentiam dando Pronunciatoribus; & quilibet istorum debet habere ad arcam Facultatis unam clavem.*

§ 2. *Item nulla litera sigilletur cum Sigillo Facultatis, nisi prius fuerit correcta per istos quatuor.*

§. 3. *Item quando istis vel tribus ipsorum apparuerit, quod Decanus debeat facere Congregationem Facultatis, tunc faciat indilate sub juramento suo.*

§ 4. *Item isti quatuor jurabunt Decano in præsentia Facultatis, quod Officium suum, jam descriptum, velint fideliter, absque dolo & fraude, exercere in omnibus punctis jam prætactis.*

§ 5. *Item, quod prætextu Officii sui non intromittant se de aliqua alia potestate nomine Facultatis, quam ipsis per hujusmodi Statuta concessa, vel per Facultatem in certis casibus adhuc ipsis concedenda est.* § 6.

§ 6. *Item, quod venient ad Decanum, quoties in aliquo prædictorum indiget eorum consilio aut auxilio, nisi legitime impediti venire pro tunc non possint.*

TITULUS XXX.

De Sigillo Facultatis Artium.

§ 1. *Item ordinamus & statuimus, quod Facultas Artium habeat suum Sigillum proprium, quod cum omni diligentia volumus conservari in aliqua speciali ladula majoris nostræ arcæ, &, cum aliqua litera debeat sigillari, pro tunc omnes sex Magistri, illi, qui debent habere & conservare claves sex ad arcam majorem, similiter & minorem, debent personaliter adesse, nisi aliquis legitime occupatus venire pro tunc non possit, illi licitum sit clavem suam committere uni alteri Magistro Artium, qui tamen non sit unus de sex illis prænominatis: Decanus tamen aut Receptor semper debet adesse personaliter, quotiescunque arca aperitur, litera sigillatur, & e converso Sigillum recluditur, aut pecunia capitur de arca seu imponitur.*

§ 2. *Item, Sigillum Facultatis nulli literæ recommendatoriæ aut testimoniali apponatur, nisi hoc expresse fuerit supplicatum & obtentum in Facultate.*

§ 3. *Item cuilibet Magistro nostræ Facultatis Sigillum gratis detur, sed quilibet aliorum dabit tres grossos, quorum unus cedat Receptori, secundus quatuor Magistris habentibus claves præter Decanum, tertius vero sit Decani.*

§ 4. *Item nulla litera Sigillo Facultatis signetur, nisi prius fuerit visa & correcta per quatuor Magistros adjutores Decani jam prætactos.*

TITULUS XXXI.

De Pedello ejusque Officio.

§ 1. *Item statuimus & ordinamus, quod Facultas Artium habeat Pedellos, tot, quot honeste ex fructibus sæpius prætactis possint congrue sustentari; interim tamen, quando unus solus Pedellus est, ille, qui pro tempore fuerit, ad minus unum debet habere discretum famulum, quem si Pedellus non habuerit, & in recipiendo talem negligens fuerit, pro tunc Decanus & Facultas ipsi Pedello de fideli & discreto servitore providebunt.*

§ 2. *Item quotiescunque vacaverit Pedellatus, liberum sit Facultati alium, vel alios assumere in locum præcedentis, rite eodem modo, quo consuevimus eligere Decanum aut alium Officialem in Facultate, & quemlibet Pedellum, quotiescunque Facultati placuerit, removere, dummodo hoc non fiat sine causa, super qua non debet Facultas cum aliquo Pedello contendere, sed judicet intra seipsam, &, si dictamini ipsius resistat Pedellus contumaciter, ipso facto sit perjurus.*

§ 3. *Item officium Pedelli sit, quoad Facultatem Artium, Decano obedire, & ipsum quotidie semel visitare, ad mandatum ipsius Magistros diligenter convocare, festa, vacationes, disputationes, lectiones per Scholas publicare, Scholas claudere, & tempestive aperire, purgare & reficere, atque defectus earum in ædificiis, scamnis, januis & aliis considerare, & ad Decanum referre, sub expensis tamen non propriis; in disputatione ordinaria ad finem permanere; in actibus publicis Vniversitatis & Facultatis Magistros locare in scamnis & sedibus suis, & facere quæcunque Decanus aut Facultas sibi præceperit facienda.*

§ 4. *Item novus Pedellus jurare debet in manus Decani, & in præsentia Facultatis: primo, quod velit obedire in licitis & honestis, &, quæ concernunt officium suum, debite exercere, in his, quæ sunt præmissa de officio suo, & circa alia, quæcunque circa officium suum Facultas decreverit statuere etiam in futuro, & non revelare secreta Facultatis, cum intrat consilium, aut alias, quidquid sibi præceptum fuerit non revelandum per Decanum aut Facultatem; nec personas aliquo modo deliberantes debet cuiquam revelare.*

§ 5. *Item, quod, si Facultas decreverit assumere plures Pedellos, & salarium unius dividere inter plures Pedellos, non contradicat nec conqueratur alicui in Vniversitate vel extra, sed omnem dispositionem circa officium Pedelli benigne patiatur fieri, ut Facultas decreverit ordinare; salvo eo, quod si ipsi hæc ordinatio non placuerit, quod poterit officium suum quiete & pacifice in manus Facultatis resignare.*

§ 6. *Salarium Pedelli sit, quod a quolibet novello Scholare, cum primo intravit Scholas, recipiat unum grossum, exceptis pauperibus, & non plus extorqueat; si libere plus sibi detur, poterit recipere.*

§ 7. *Item singulis Quatuor temporum habeat collectam specialem, ita quod quilibet Baccalariorum sibi teneatur solvere quatuor denarios, & quilibet Scholaris, exponens ordinarie pro mensa septimanatim, ad minus duos grossos sibi teneatur, in Quatuor temporibus sine contradictione dare tres denarios & non plus præsumat extorquere, sed si libere detur potest recipere.*

§ 8. *Item a promovendis ad Gradum capiat, prout de ipsis superius est expressum, & non præsumat plus extorquere, salvo eo, quod a pauperibus, a quibus Magistri collectam non capiunt, nec Facultas aliquid petit cum graduantur, nihil omnino postulare præsumat in aliquo casu, si tamen libere ipsi aliquid offerunt, potest recipere.*

§ 9. *Item si in principio anni aliquem Magistrum visitaverit pro novo anno, ipsum vacuum abire non sinat, sed nil præsumat de rigore postulare.*

§ 10. *Item nolumus, quod Pedellus noster a Civitate ista etiam per unum diem se possit absentare, sine speciali licentia Decani expresse super hoc obtenta.*

§ 11. *Item quotiescunque Facultas Artium novum Pedellum assumpserit, postquam ipse juraverit, debet ipsum præsentare Rectori Vniversitatis juraturum, ut in Statutis Vniversitatis, quæ per omnia diligenter servare volumus & debemus, expressius continetur.*

CONCLVSIO GENERALIS STATVTORVM SINGVLARVM QVATVOR FACVLTATVM.

Confirmata sunt hæc Statuta salubberrima quatuor Facultatum subscripta anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, mensis vero Aprilis die primo, a Reverendis viris & Magistris, Magistro Gerhardo Vischbeck, Wiennæ & Osenburgis Canonico, pro tunc Rectore Vniversitatis hujus almæ Wiennensis, Hainrico de Hassia, Hainrico de Oyta, in Theologia Magistris; Hainrico de Oedendorph Doctore, & Joanne Reutter Li-

Licentiato in Decretis; Johanne Gallico, Chunrado de Darmſtat in Medicina Magiſtris; Petro & Lamperto in Artibus Magiſtris & in Theologia Baccalariis ad videndum, corrigendum, approbandum ſeu confirmandum a tota Vniverſitate ſolenniter deputatis.

Sequitur deinde publici cujuſdam Notarii Imperialis nomine *Gundakeri Aſpeck* Inſtrumentum publicum, quod is ad perpetuam confirmationis eorundem Statutorum memoriam eodem anno *milleſimo trecenteſimo octogeſimo nono* compoſuit & promulgavit his verbis:

In Nomine Domini Amen.

Anno Nativitatis Ejuſdem milleſimo trecenteſimo octuageſimo octavo, die vigeſimo primo menſis Decembris, hora nona vel quaſi, indictione XI, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, Domini Vrbani, Divina providentia Papæ Sexti, anno undecimo, Wiennæ Patavienſis Diœceſis, in Collegio Illuſtriſſimi Principis Ducis Alberti Tertii, Ducis Auſtriæ &c. in ſtuba magna Magiſtrorum, Honorabilis ac circumſpectus Vir, Magiſter Gerhardus Viſchbeck, Canonicus Eccleſiæ omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani, ibidem Wiennenſis, fecit & habuit Congregationem Vniverſitatis ſuper quibuſdam articulis, ipſam Vniverſitatem concernentibus, ſpecialiter tamen ſuper modo congruo inveniendo pro confirmatione & approbatione Statutorum ſingularum Facultatum per Vniverſitatem prædictam facienda, juxta ipſius Ordinationes & Statuta. Quo articulo per præfatum Dominum Rectorem propoſito, in mei Notarii publici ſubſcripti, aliorumque multorum honeſtorum Virorum præſentia, Venerabiles ac circumſpecti Viri & Domini, Sacræ Theologiæ, Juris Canonici & Civilis, ac Medicinæ Doctores, nec non Magiſtri Artium cæterique ibidem præſentes, totamque Vniverſitatem repræſentantes, attendentes & conſiderantes, quam ſincera devotione & affectione, quamque gravibus laboribus & expenſis Sereniſſimus & Metuendiſſimus Princeps Dominus noſter Dux prædictus erexit hanc ſublimem Vniverſitatem Studii Wiennenſis, ad laudem & gloriam Dei, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ profectum, & ad Domus ſuæ totiuſque Patriæ decus & honorem, deſiderans atque volens, ut, ſicut Magnificentia Sua Vniverſitatem ipſam ad-extra fundavit ac ſtabilivit tam bonis temporalibus, quam Privilegiis efficacibus, neceſſariis & utilibus, faciens, quod in ſe erat, ita & Vniverſitas ſe ipſam ad-intra ſtabiliret bonis Regulis, Ordinationibus & Statutis, ſine quibus conſiſtere non poſſet, & ſine quibus devotiſſima ipſa dicta Domini noſtri Principis intentio non ſortiretur effectum. Hæc igitur attendentes Magiſtri & Doctores prædicti, volentes, ut juſtum, decens & æquum eſt, Ipſius Sereniſſimi Principis obtemperare juſſionibus & mandatis, deputaverunt Venerabiles & peritos viros Magiſtros infra ſcriptos, videlicet de Facultate Theologica Magiſtrum Hainricum de Haſſia ejuſdem Facultatis Decanum, Magiſtrum Hainricum de Oyta Doctores Sacræ Theologiæ; de Facultate vero Juriſtarum Dominum Hainricum de Oedendorph utriuſque Juris Doctorem & Artium liberalium Magiſtrum, & Dominum Joannem Reutter Licentiatum in Decretis; de Facultate quoque Medicinæ Magiſtrum Johannem Gallici de

Wratislavia, & Magiſtrum Chunradum de (1) Schiverſtat Doctores in Medicina ac Magiſtros in Artibus; ſed de Facultate Artiſtarum Magiſtrum Petrum Plebanum in Pilichdorff dictæ Diœceſis Patavienſis, & Magiſtrum Lambertum de Gelria, Baccalarios formatos in Theologia & Magiſtros in Artibus; omnes ibidem præſentes, & omus deputationis hujuſmodi ſponte in ſe ſuſcipientes, dantes & concedentes eiſdem Doctoribus & Magiſtris plenam ac omnimodam poteſtatem ad recipiendum, videndum, corrigendum, addendum, minuendum, ſubtrahendum & approbandum Statuta & Ordinationes Facultatum omnium prædictarum. Idem vero Doctores & Magiſtri omus ipſis injunctum & laborem humiliter & cum effectu ſubeuntes, pluribus diebus & horis, videlicet a die Sancti Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, quæ fuit dies antepenultima menſis Decembris prædicti, uſque ad diem primam menſis Aprilis, de qua infra fit mentio, prædicta Statuta omnium Facultatum, me Notario ſubſcripto quotidie præſente, audiente, & videnti, perlegerunt, auſcultarunt, & de verbo ad verbum diligenter viderunt, correxerunt, & laborioſiſſime ruminarunt; videnteſque tandem omnia & ſingula eadem Statuta omnium & ſingularum Facultatum ſæpedictarum Vniverſitatis Wiennenſis fore conſona rationi, & approbatione ſeu confirmatione digna, die prima menſis Aprilis de anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo nono, hora nona vel quaſi, indictione duodecima, Pontificatus in Chriſto Patris ac Domini noſtri, Domini Vrbani Papæ Sexti prædicti anno duodecimo, in dicto Collegio, in quadam magna ſtuba, in qua durante dicto labore ſemper convenerant prædicti Doctores & Magiſtri, ab Vniverſitate, ut præſcribitur, deputati, omnes & ſinguli ad hoc ſpecialiter congregati per dictum Dominum Rectorem, matura deliberatione præhabita, ipſa Statuta quatuor Facultatum omnium, ſcilicet Theologiæ, Juris Canonici & Civilis, Medicinæ & Artium liberalium, viſa, correcta, & emendata laborioſe & diligenter, ut prædicitur, ex certa ſcientia confirmarunt & approbarunt unanimiter & concorditer, nemine contradicente. Quibus quidem approbatione & confirmatione penſatis, idem Dominus Rector, Chriſti nomine invocato, nomine dictæ Vniverſitatis & ex Officii ſui debito, dicta Statuta omnia & ſingula concluſit, & ipſis perpetuum robur impoſuit, ipſaque nomen & effectum Statutorum omnium & ſingularum Facultatum Studii Wiennenſis decrevit perpetuis temporibus habitura. Super quibus omnibus & ſingulis dictus Dominus Rector, cæterique Magiſtri deputati unum vel plura, publicum ſeu publica per me Notarium infra ſcriptum fieri petierunt Inſtrumentum ſeu Inſtrumenta. Acta ſunt hæc Wiennæ, anno, menſe, die, hora, & locis quibus ſupra, in præſentia omnium Doctorum & Magiſtrorum prius narratorum, & per Vniverſitatem deputatorum ad prædicta.

Et ego Gundakerus Aſpeck de Obernperg, Clericus Patavienſis Diœceſis, publicus Auctoritate Imperiali Notarius, dictæque Vniverſitatis Scriba, prædictæ Vniverſitatis Congregationi dictorum Doctorum & Magiſtrorum deputationi, oneris aſſumptioni,

(1) *Præcedente pagina cognominatur* de Darmſtat.

ni, approbationi & confirmationi, nec non omnibus & ſingulis aliis præſcriptis, dum ſic per præfatos Dominos Rectorem, Doctores & Magiſtros deputatos, locis & temporibus præmiſſis, agerentur & fierent una cum dictis Dominis Rectore, Doctoribus & Magiſtris præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi: ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum propria manu mea conſcribendo exinde confeci, ſignoque ac nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi, rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium ſingulorum præmiſſorum.

X. Extant præterea in eodem ſupra memorato MSto Codice Hiſtorico Latino *quadringenteſimo quinquageſimo octavo* alia *duo* antiqua Diplomata, ad eorundem inclytæ Academiæ Vindobonenſis Statutorum illuſtrationem pertinentia; quorum *primum*, quod anno *milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſeptimo* promulgatum eſt, ita ſe habet:

In Congregatione Doctorum, Magiſtrorum, Procuratorum & aliorum Virorum, quos ultra prædictos Rector cauſa conſilii conſuevit ad Congregationem vocare, Venerabilis Pater Donaldus, Abbas Monaſterii Beatæ Mariæ Scotorum Wiennenſis, almæ Univerſitati noſtræ humiliter ſupplicavit, quatenus Sermonem & Clerum Univerſitatis, qui per Facultatem Theologiæ fuerat alias ordinatus, ut fieret per unum de Magiſtris Theologiæ in die Sancti Gregorii Papæ, decætero in Monaſterio Scotorum ſingulis annis eodem die ad Dei-Genitricis honorem, ac Beati Gregorii, qui ſecundus Patronus ejuſdem Monaſterii exiſtit, fieri ordinaret. Ea propter alma Univerſitas, principaliter oculum habens ad ea, quæ Divini Cultus exiſtunt, gravi ſollicitudine, & maturo ac diuturno ratiocinationis, diſputationiſque libramine præviis, eundem Sermonem in dicto Monaſterio fiendum ſingulis annis & eodem die per unum de Magiſtris, quem Facultas Theologiæ ad hoc deputavit, & unam Miſſam ſolennem pro Univerſitate ibidem per Abbatem Monaſterii, aut ejus Priorem celebrandam eodem die unanimiter ordinavit. Item ipſa Univerſitas, Cultum Divinum cupiens plus augeri, ad inſtantes preces Domini Abbatis, voluit & ordinavit feſtum Natale Sancti Benedicti Abbatis per totam Univerſitatem feſtivari, ſicut alia feſta Univerſitatis, & Sermonem in dicto Monaſterio ſingulis annis eodem die fiendum per unum de Dominis Theologis, de quo Abbas Monaſterii providebit, ad Miſſam ſolennem pro Univerſitate per Abbatem aut ejus Priorem dicti Monaſterii celebrandam. Acta ſunt hæc in Collegio Artiſtarum Domini Ducis Auſtriæ Alberti Tertii anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, feria ſexta proxima poſt feſtum Sancti Gregorii Papæ.

Alterum autem Diploma, quod ad annum *milleſimum trecenteſimum octogeſimum octavum* pertinet, ſequentibus conſtat verbis:

Incipit Statutum Vniverſitatis, concorditer factum de ordine Suppoſitorum Vniverſitatis in (1) Rotulo ponendorum, publico Inſtrumento roboratum, quod ſequitur ſub hac forma.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Anno Nativitatis Ejuſdem milleſimo trecenteſimo octuageſimo octavo, indictione undecima, die vero viceſima quarta menſis Martii, hora Veſperorum vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Vrbani, Divina Providentia Papæ Sexti anno decimo, in Venerabilium Virorum & Dominorum Sacræ Theologiæ, Juris Canonici & Civilis, ac Medicinæ Doctorum, Magiſtrorum in Artibus, & Baccalariorum, Facultatum prædictarum, ad Convocationem almæ Vniverſitatis Studii Wiennenſis generaliter vocatorum, atque mei, Notarii Publici, Teſtiumque ſubſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtitutus Honorabilis Vir Dominus Joannes Reutter Licentiatus in Decretis, pro tunc ipſius Rectoris Vniverſitatis vices gerens, habens in manu ſua quandam papyream ſchedulam, ordinem inrotulandi Doctores, Magiſtros, Baccalarios & alia Suppoſita Vniverſitatis præfatæ continentem, quem ordinem in dicta Convocatione propoſitum & expoſitum, matura deliberatione præhabita, per Facultates dictæ Vniverſitatis, juxta ſolennem conſuetudinem, in Convocatione Magiſtrorum diutius obſervatam, de expreſſo conſenſu certaque ſcientia ac beneplacito & voluntate Doctorum, Magiſtrorum & Baccalariorum omnium, tunc præſentium & Vniverſitatem facientium, nomine ipſius Vniverſitatis, decætero obſervari ſtatuit & Statutum perpetuum ordinavit, cujus quidem ſchedulæ tenor per omnia ſequitur; & eſt talis ordo inrotulandi Doctores, Magiſtros, Baccalarios Vniverſitatis Wiennenſis conceptus per Dominos deputatos ſingularum Facultatum ſub hac forma. In principio & capite totius Rotulæ ponatur Rector Vniverſitatis; poſt Rectorem vero primo ordine ponatur Decanus Facultatis Theologiæ cum ſuis Magiſtris, tam Regentibus, quam non Regentibus, & Licentiatis. In ſecundo ordine ponatur Decanus Facultatis Decretorum & Legum cum ſuis Doctoribus, tam Regentibus, quam non Regentibus, & Licentiatis. In tertio ordine Decanus Facultatis Medicinæ cum ſuis Doctoribus, tam Regentibus, quam non Regentibus, & Licentiatis. In quarto ordine Decanus Facultatis Artium cum ſuis Magiſtris inibi Regentibus; quibus adjungi debent Baccalarii in Theologia: Similiter & Baccalarii Juris Canonici, Legum & Medicinæ, dictæ Facultatis Artium Magiſtri, ſic tamen, quod præfati Baccalarii Magiſtri ſtent in ſuis locis, quæ eis competerent, ſi in eadem Facultate Artium Regentes eſſent. In quinto ordine ſequi debent Baccalarii in Theologia non Magiſtri in Artibus, ſive Baccalarii in eadem Facultate Theologiæ Magiſtri in Artibus, non tamen incorporati dictæ Facultati Artium Vniverſitatis Wiennenſis. Similiter Baccalarii in Jure tam Canonico quam Civili, & Medicinæ, & Magiſtri in Artibus non Regentes Studii Wiennenſis, tali obſervato

(1) Rotulus *vel* Rotula *latino-barbare uſurpatur pro Catalogo ſive indice, quemadmodum alias Regiſtrum & Matricula.*

vato ordine, quod primo post Magistros Regentes in Artibus & primo ordine ponatur Baccalarius in Theologia, non Magister; post illum Magister in Artibus non regens, & iterum Baccalarius & iterum Magister in Artibus non regens, & sic suo modo de Baccalariis in Jure Canonico & Magistris in Artibus non regentibus, Baccalariis in Jure Civili & Magistris in Artibus, ut præmissum est. Si vero numerus Magistrorum non regentium in Artibus dictæ Facultatis superexcreverit numerum Baccalariorum, vel e converso, tunc iidem inscribantur secundum merita ipsorum & suarum Facultatum Statuta. Post quos sexto ordine ponantur Baccalarii in Artibus suo ordine; inter quos tamen volumus, quod honesti Scholares & singularium meritorum Theologiæ, Juris tam Canonici, quam Civilis, de tribus annis complete alternatim ponantur, secundum quod videbitur Inrotulatoribus congruum & conveniens. Postremo septimo ordine imponantur Scholares singularum Facultatum, secundum ordinem suarum Facultatum & merita ipsorum, prout præfatis Inrotulatoribus videbitur expedire. Præsertim tamen volumus, istis Ordinationibus non obstantibus, Nobiles, Illustres statum Nobilitatis tenentes, honorari & præferri, sic tamen, quod, si sint filii Ducum vel Comitum, adjungantur ordine congruo Magistris in Theologia; si simplices Illustres, Doctoribus in Jure Canonico & Civili; si vero minores Illustres, Doctoribus in Medicina, ut præmissum est, ordine congruo adjungantur. Item circa præmissam Ordinationem Rotuli volumus, quod Doctores, Magistri, Licentiati & Baccalarii singularum Facultatum ponantur in Rotulo secundum senium Doctoratus, Magisterii, Licentiæ vel Baccalariatus in Studio Wiennensi. Item quod soli illi Scholares ponantur in Rotulo, qui cadunt sub Privilegio Ducali illo, in quo de hoc specialiter provisum est, qui debeant hujus Vniversitatis Wiennensis censeri Scholares, & qui non. Item quod Scholares inrotulentur secundum ætates suas & senia in Studio Wiennensi. Item, quod, si sit aliquis Procuratorum Vniversitatis, qui velit contentari de loco in Rotulo, qui sibi debetur ratione Status & Gradus, circumscripto officio Procuratoris, liberum sit isti stare cum Baccalariis Facultatis illius, ex qua ad hoc officium est electus. Super quibus omnibus & singulis in perpetuam rei memoriam præfatus Dominus Joannes Reutter præfatæ Vniversitati Wiennensi unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum aut Instrumenta per me Notarium Publicum infra scriptum fieri postulabat. Acta sunt hæc Wiennæ in (1) stuba majoris Collegii Artistarum Anno, Indictione, die, mense, horis & Pontificatu quibus supra præsentibus Venerab. multum literatis Viris, Dominis (2) Henrico de Hassia, Sacræ Theologiæ Professore, Marquardo de Randekh, Decretorum Doctore, & Gerhardo in Artibus Magistro, Canonico Ecclesiæ S. Stephani Wiennensis, & aliis quam pluribus fide dignis testibus, ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Chunradus Ammon de Chaufburn, Clericus Augustanæ Diœcesis, Publicus Imperiali Autoritate Notarius,

(1) Stuba *latino-barbare pro Hypocausto.*

(2) *Vide supra pag. 129. in marg.*

rius, prædictæ Ordinationi & Statuto, omnibusque aliis præmissis, una cum prænominatis testibus præsens interfui; ideo præmissa omnia & singula in hanc publicam formam redegi, & ea propria manu conscripsi, signoque meo solito & consueto signavi, rogatus & requisitus in testimonium omnium præmissorum.

Hucusque antiqua illa & primitiva Inclytæ Academiæ *Vindobonensis* Statuta partim *generalia*, ad totam Vniversitatem & omnes Facultates simul pertinentia, partim autem *specialia* singularum Facultatum, sed ab omnibus Facultatibus conjunctim approbata & confirmata.

XI. Cum igitur, ut supra memoratum est, sub Duce Austriæ *Alberto III*, cognomine *cum Trica*, Academia *Vindobonensis* sive *Wiennensis* A. M CCC LXXXIV *Theologica* Facultate aucta, & partim eodem anno, partim autem A. MCCCLXXXIX confirmatione Privilegiorum ac Statutorum plene & perfecte stabilita esset, tum primum ibi revera cœpit esse *Studium generale*, ideoque haud mirum est, fundationem ejus jam memorato Duci *Alberto III* potius quam fratri ipsius natu majori Duci *Rudolpho IV*, ab ejusdem & sequentis ævi scriptoribus attribui; uti videre est, tam in ipsis supra insertis Academiæ *Privilegiis*, & quidem Rubrica LI & LIV, ubi Dux *Albertus* expresse cognominatur *Fundator* & *Erector* istius Studii generalis fine ulla Ducis *Rudolphi IV* mentione, quam apud *Henricum Gundelfingensem*, qui fundationis Academiæ Vindobonensis in Chronico suo Austriaco meminit his verbis: *Tertius Alberti Contracti filius Albertus, Vniversitatis Wiennensis Fundator, circa Brunn in Moravia diem obiit, ad S. Stephanum sepultus.* Idem confirmat *Albertus de Bonstetten* his verbis: *Albertus Dux Austriæ, frater Leopoldi (Probi), fundavit Studium Wiennense. Fuit enim, ut Philippus Macedo, literarum amator, &, ut Alexander filius ejus, naturalium maximus indagator, nec ignarus, quod Rex illiteratus, ut ait* (1) *Policraticus, est asinus coronatus.* Item (2) anonymus Autor Chronici mortualis Principum Austriæ, in Augustiss. Bibliothecæ Cæsareæ MSto Codice, Historico N. 226 his verbis: Anno M CCC LXXXXV an dem XVIII tag des August ist gestorben der Durchleüchtigst Fürst Herzog Albrecht von Osterreich, der ein Sun ist gewesen des vorgenanten Herzogen Albrechten seligen. Der hat gestifft die Hochschul ze Wienn, vnd hat auch gestifft das Kloster zue sand Jeronimus der pekerten frawen; vnd hat auch gepaut Larenburg vnd zwen teich ze Gunderstorff und ze Pidermansdorff, vnd ist pegraben ze Wienn zue sand Stephan.

V.

(1) *In MSto pro* Policraticus *mendose legitur* Policratus. *Per* Policraticum *autem significatur hic* Joannis Saresberiensis *Opus in octo libros divisum, cui titulus* Policraticus *sive* de Nugis Curialium. *Locus ille qui hic citatur, extat lib. 4. cap. 6, Notabile autem est, quod Joannes Saresberiensis ibidem testatur, se insigne hoc dictum desumpsisse ex epistola cujusdam Regis Romanorum, qua Regem Francorum hortatus est, ut liberos suos curaret liberalibus disciplinis instituí. De eodem Joan. Saresberiensis Opere vide etiam supra pag. 163; sed ibi pro* Saresberiensis *mendose legitur* Salisberiensis, & Polycraticus *pro* Policraticus.

(2) *Vide supra pag. 58.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V.

Statuta & Privilegia Academiæ Vindobonenſis recentiora, ſive Sanctio Pragmatica FERDINANDI II. Imperatoris. (a)

MONITUM.

Recentiora iſta *Academiæ Vindobonenſis* Statuta *ad preces, ut dicit, multorum in lucem protulerat noſter in Appendice Libri Comment. Sexti Addit. III. pag. 28. de iis, quæ ſcire non inutile ſit, hæc fere ſunt. Anno* CIↃIↃLI. FERDINANDUS I. AUG. *Rev. e Societate Jeſu Patres Viennam accerſiverat ea mente, ut* ſubſidiariam *Academiæ* operam *docendo navarent; adſignatis tamen eiſdem duabus* primariis lectionibus, *ſeu* Profeſſuris Theologicis *in perpetuum. Anno* CIↃIↃCXXIII. FERDINANDUS II. IMP. *præſenti Sanctione Pragmatica eamdem Societatem Jeſu memoratæ Academiæ innexuit & cum ea in unum veluti corpus redegit ac conflavit, data illi ampliſſima poteſtate docendi literas humaniores, Linguam Latinam, Græcam, Hebraicam, Philoſophiam denique omnem ac Theologiam; minime tamen a legendo excluſis* Theologiæ Profeſſoribus *aliis, qui ex veteri inſtituto prius docuerant. Inducendæ hujus unionis rationes, teſte hac Sanctione Pragmatica, Optimo Principi fuerunt:* propagatio ſacro-ſanctæ Religionis Catholicæ; ædificatio Cleri & Eccleſiæ; Univerſitatis major ſplendor; ſtudioſæ juventutis utilitas ac frequentia; & demum boni publici incrementum. *Quos fructus procuraritne memoria noſtra Pragmatica Sanctio illa nec ne, aliis reſpondendum relinquo & quod ago, agere pergo. Audi Lambecium.*

QUæ *Inclytæ Academiæ Vindobonenſis* ſive *Wiennenſis vera* fuerit *origo*, quibuſque *Legibus* ac *Privilegiis* ea inde ab initio ordinata & ornata ſit, Libro *Secundo* horum Commentariorum & in Appendice Libri *quarti* (1) uberrime expoſitum & ſolidiſſime demonſtratum eſt: utpote ubi primum quidem refutavi vulgarem & inveteratum eorum errorem, qui in ipſa Patria ſua peregrini, fundationem Inclytæ iſtius Acedemiæ perperam *Imp. Friderico II* A. C. 1237 attribuunt; deinde vero, ipſis Summorum Pontificum *Vrbani V* & *Vrbani VI* integris ac genuinis Diplomatibus ex *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* in lucem productis, luculentiſſime indicavi, eam inchoatam eſſe A. C. 1365 d. 19 Junii, quo Papa *Vrbanus V* ad Ducis Auſtriæ *Rudolphi IV* preces *Vrbi Wiennenſi* conceſſit *Generale Studium omnium Facultatum licitarum præterquam Theologiæ*, ſuppletam autem & plene ac perfecte ſtabilitam eſſe A. C. 1384 d. 21 Februa-

(a) *In priori editione legebantur hæc Libro VI Addit. III. ſub epigraphe:* Additamentum III, pertinens ad Libri Secundi Caput quintum a pag. 79. uſque ad pag. 239, ubi agitur de Inclytæ Academiæ Vindobonenſis ſive Wiennenſis vera origine, ejuſdemque primitivis Statutis & Privilegiis; ut & ad Libri quarti Appendicem a pag. 303 usque ad pag. 306, ubi de eodem jam memorato argumento agitur.

(1) *Vide ſuperius col. 69.*

bruarii, quo Papa *Vrbanus VI* ad preces Ducis Auſtriæ *Alberti III* cognomine *cum Trica* eidem *Vrbi* conceſſit *Generale Studium in Facultate Theologica*, quod ab *Vrbano V* nominatim exceptum fuerat; publicavi porro ex eodem ſupra memorato *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* inæſtimabili Theſauro ipſa illa *primitiva* ejuſdem Academiæ *Privilegia & Statuta generalia*, ad totam Vniverſitatem & omnes quatuor Facultates ſimul pertinentia, quæ A. 1384 d. 5 Octobris a Duce *Alberto III* promulgata, nec ſolum ab ipſo, verum etiam a fratre ejus Duce *Leopoldo III* cognomine *Probo*, a *Pilgrino* ſive *Peregrino* Archiepiſcopo Salzburgenſi, a *Joanne* Epiſco Patavienſi, & a *Proceribus Auſtriæ*, *Senatuque* & *Communi Civitatis Wiennenſis*, approbata & confirmata ſunt; ac demum adjunxi *Statuta particularia ſeu ſpecialia ſingularum Facultatum*, quorum approbatio & confirmatio A. 1389 Kal. Aprilis *per totam Vniverſitatem* unanimiter & ſolenniter facta eſt. Cum igitur hæc ab externis quibuſdam & longe remotis Nationibus non mediocri applauſu fuerint excepta, ideoque ab iisdem rogatus ſim, ut de ejuſdem Inclytæ Academiæ *præſenti* quoque *ſtatu* aliquid adderem, nulla me ratione iſti deſiderio melius ac tutius ſine cujuſquam præjudicio & offenſione ſatisfacturum arbitror, quam ſi hac de re ipſam *S. Cæſ. Majeſtatis Imp. Ferdinandi II Sanctionem Pragmaticam*, Wiennæ typis Matthæi Formicæ A. 1624 in octavo editam, bona fide ad verbum, ſeu potius ad literam, integre hic exhibeam. Ea itaque eſt talis.

FERDINANDI SECVNDI
ROMANORVM IMPERATORIS, &c. ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, &c.
DECRETVM ET SANCTIO PRAGMATICA,
QVA
COLLEGIVM SOCIETATIS JESV,
AB AVGVSTÆ MEMORIÆ FERDINANDO I.
FVNDATVM,
ALMÆ CELEBERRIMÆQVE VIENNENSIVM VNIVERSITATI
VNITVR ET TRANSFERTVR.

FERDINANDVS II, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucemburgæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirttembergæ, Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c.

Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis: quod cum perpendimus, quanto pietatis & Religionis Catholicæ zelo ac ſtudio, quantoque

toque totius Reipublicæ Christianæ, præsertim Archiducatus Nostri Austriæ, aliorumque Regnorum & Provinciarum hæreditariarum nostrarum bono, quondam Serenissimi Majores & Progenitores Nostri, Duces, Archiduces Austriæ, Reges, & Imperatores, felicissimæ recordationis, Generale studium Nostrum Viennense adhuc circiter annum millesimum trecentesimum sexagesimum sextum fundarint, erexerint, singularibus Privilegiis & dignitatibus donarint & exornarint, proque temporum diversitate novis subinde legibus & consuetudinibus salutaribus restaurarint, reformarint; quodque ex eo, tanquam Equo Trojano, omnium scientiarum genere doctissimi quique & de Republica optime meriti Viri tanto numero prodierint, ut non solum Archiducatus Nostri Austriæ singulare ornamentum, sed totius Germaniæ Archigymnasium semper reputatum, & apud exteras quoque nationes, multis nominibus, præ aliis, celebre fuerit. Cum vero temporum morumque varietas, aliaque oborta incommoda nonnihil de pristino hujus Archigymnasii nostri splendore detrahere viderentur, eapropter Imperator FERDINANDVS Primus, Dominus, Avus & Prædecessor Noster Colendissimus, Augustissimæ memoriæ, motus fuit, ut Societatis Jesu Patres, Academiæ opem veluti subsidiariam laturos, Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Viennam accersierit, ipsisque (quod, uti supremus Princeps, Privilegia concessa in melius atque Reipublicæ utilius pro re nata reformando, & potuit & debuit) duas primarias lectiones sive professuras in Theologica Facultate in perpetuum, magno (quod eventus docuit) Religionis & studiorum Theologicorum incremento assignarit. Nos vero posteaquam animadvertimus in hisce partibus, ab hæreticis, falsis ipsorum opinionibus, sacram Scripturam multis in locis in reprobum sensum torqueri, atque ad explicandum verum illius intellectum, tum etiam ad quæstiones, quæ hocce tempore inter ipsos hæreticos & veram nostram Religionem Catholicam controvertuntur, pertractandas; simulque ad casuum conscientiæ (pro informandis Parochis,) explanationem, Professoribus Scripturæ, Controversiarum, & Casuum, qui hæc omnia tractarent, enodarent & illustrarent, opus esse; & præterea Nobis constaret a compluribus jam annis, tum ob continuata bella, inter quorum strepitus literæ, ut plurimum silent, tum ob alia gravamina & defectus, Cursum Philosophiæ & humaniorum Literarum Professiones magnopere refrixisse; unde metuendum sane sit, ne studio Philosophico, tanquam fonte & origine reliquarum scientiarum, exhausto vel neglecto, insignis vetustissimæ Vniversitatis memoria consequenter obliteretur. Quod uti Nostris, Nostrorumque Majorum Fundationibus laudatissimis e diametro contrarium, Nobis quidem indecorum, universæ vero Provinciæ in maximum sit præjudicium cessurum: hinc est, quod ad honorem Dei, propagationem Sacrosanctæ Religionis Catholicæ, ædificationem Ecclesiæ, Vniversitatis majorem splendorem, studiosorum utilitatem ac frequentiam, & boni publici promotionem, præhabita matura deliberatione, & re tota, sano nostrorum præcipui nominis Consiliariorum adhibito Consilio, exacte discussa, Motu proprio, deque Cæsareæ & Archiducalis

Auctoritatis & Poteſtatis plenitudine, Clementiſſime Nos reſolvimus; quod & in perpetuum obſervari volumus ac mandamus, ut Collegium Societatis Jeſu, hic Viennæ, dictæ Vniverſitati Noſtræ uniatur & incorporetur, prout ſingulari emanato noſtro Decreto & Conſtitutione, de dato, vigeſimo primo menſis Octobris, anni milleſimi, ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi, certis quibuſdam rationibus & modis, in hæc, quæ ſequuntur, verba, univimus, & incorporavimus.

Primo, ut Privilegia Academiæ ſarta tecta, etiam poſt incorporationem, maneant; & Jurisdictio Excelſi Regiminis in ipſam Vniverſitatem, uti hactenus.

Secundo, in Facultate Juridica ac Medica prorſus nihil mutetur: Profeſſoribus autem, ut vacationi Profeſſuræ & Lecturæ eo melius invigilare poſſint, ſucceſſu temporis ſtipendia Artiſtarum, ad moderationem Noſtræ Majeſtatis, applicabuntur.

Tertio, Patres Societatis, juxta ſui inſtituti rationem & modum, docebunt Humaniora, univerſam Philoſophiam & Theologiam; ita tamen, ut hanc etiam alii (uti etiam nunc fit) profiteri poſſint; quorum electio & approbatio maneat in antiqua forma. Societas vero ſuos Profeſſores omnes ipſamet eligat & conſtituat.

Quarto, Vniverſa gubernatio & correctio ſcholaſticorum (exceptis cauſis criminalibus,) qui Societatis audient lectiones, & directio Seminariorum plenarie ſit penes Societatem.

Quinto, Collegium omnimode transferatur ad Academiam.

Sexto, Tradantur Societati Scholæ, Burſæ, adeoque omnia ædificia ad Academiam ſpectantia (exceptis Juriſtarum & Medicorum gymnaſiis) ac etiam Schola Provincialis; ita tamen ut Auditorium Theologorum, ſuis temporibus, etiam pateat reliquis Theologiæ Profeſſoribus.

Septimo, Fundationes autem & Redditus Burſarum ſeu ſtipendia, ut vocant, & jus ea conferendi ſcholaribus, tam active quam paſſive, maneant in antiquo ſtatu.

Octavo, ex ipſis ædificiis accommodet ſibi Societas Collegium, Scholas & Templum.

Nono, Promotiones omnes fiant in ipſa Academia, & locis hucuſque conſuetis ac ſolitis.

Decimo, Cancellarius Academiæ ſit, uti hactenus, Præpoſitus Viennenſis. Decanos etiam ſingulos, ſingulæ habeant Facultates, cum auctoritate ordinaria: Artiſticæ conſtituatur a Societate; Theologiæ, uti hactenus.

Vndecimo, Rector Academiæ, cum auctoritate conſueta, uno ſemeſtri ſit Doctor Theologiæ, qui Rector Collegii poſſit eſſe, vel ex reliquis Doctoribus; uno Doctor Juris: tertio Medicinæ: quarto, cum Artiſticam Facultatem tangit ordo, ſit is, quem Collegii Rectorem elegerit Societas.

Statuitur etiam, ut ii, qui in Academia Pragenſi, Grætienſi, Olomucienſi, aliiſque Academiis, quas Archiduces Auſtriæ & Imperatores erexerunt & confirmarunt, vel in poſterum erigent & confirmabunt, promoti ſunt, aut promovebuntur, ab Vniverſitate Viennenſi pro vere & legitime promotis agnoſcantur & acceptentur, non ſecus, ac ſi in eadem Viennenſi Vniverſitate promoti fuiſſent.

Quia vero inter dictam Vniverſitatem & præfatos Societatis Jeſu Patres, aliquæ difficultates & controverſiæ circa

quæ-

quædam puncta dicti Decreti subortæ sunt: ad eas complanandas, stabiliendamque prætacti Collegii Patrum Societatis cum Vniversitate unionem per Nos nuper factam, præcipuorum nostrorum Intimorum Consiliariorum & Commissariorum deputatorum sapienti providentia, & Consilio interposito, ambæ partes amice, benevole, firmiter, constanter, & unanimi voluntatum consensione, ad Approbationem & Confirmationem Nostram, die septimo Augusti hujus currentis anni millesimi sexcentesimi vigesimi tertii transegerunt, constituerunt, definiverunt, & declararunt, in hunc, qui sequitur, modum.

§ 1. De Rectoratu & Rectore Vniversitatis, ejusque post unionem electione, dignitate, jurisdictione.

Num. 1. *In primis RR. PP. Societatis Jesu, ad demerendam Vniversitatis benevolentiam, omni omnino Juri ad Rectoratum Academiæ, etiam ex Electione passiva, tam in Theologica, quam Artistica Facultate, per Cæsareum Vnionis Translationisque Collegii Decretum & Transactionem, mense Octobri, anno superiore factam acquisito, sponte & libere renunciant; & quicquid in Academico Rectoratu honoris est atque dignitatis, id totum volentes libentes, Dominis Doctoribus quatuor Facultatum, qui de Societate non sunt, relinquunt.*

Num. 2. *R. Pater Rector Collegii Societatis Jesu, Collegiumque ipsum, tanquam verum ac vivum Vniversitatis membrum & pars, Magnificum Dominum Rectorem, ut electum totius Academiæ Caput (e quacunque demum electus sit Facultate) agnoscet, illique in Actibus omnibus omnem eum honorem ac reverentiam habebit ac deferet, quam alii deferunt, & hactenus detulerunt.*

Num. 3. *Quamobrem in ratione eligendi Rectorem Vniversitatis, per hanc Vnionem nihil mutatur. Electus etiam sua consueta constat auctoritate & dignitate, & eam insuper in scholares Societatis acquirit Jurisdictionem, de qua § sequenti.*

§ 2. De Rectore Collegii Societatis Jesu.

Num. 1. *Vniversitas vicissim, ad contestandam suam in Patrem Rectorem & Collegium Societatis Jesu, sic unitum & translatum, benevolentiam ac amorem, declarat, inprimis hanc Collegii cum Vniversitate Vnionem & translationem fieri, non solum magna utrinque voluntatum consensione, sed insuper ita fieri, ut nolint, hac unione, aut Religioso Societatis Jesu Instituto, aut rationi institutionique studiorum ejusdem Societatis Jesu, impedimentum ullum afferri.*

Num. 2. *Quamobrem R. Pater Rector & Societas ipsa in personas Collegii omnes, quæ in Vniversitate, juxta Cæsareum Decretum, Literas humaniores, Philosophiam & Theologiam docent, & in posterum docebunt, aut alias erunt in Facultatibus, aut in iis gerent officium, omnem eam, etiam in posterum retinebit Jurisdictionem, Jus de illis disponendi, eorumque ministeria dirigendi, & auctoritatem, quam in eas habuit ante unionem.*

Num. 3. *Eidem R. Patri Rectori omnis cura disciplinæ, totaque correctio studiosorum scholariumve, qui RR. Patrum Lectiones audiunt, aut in Seminariis degunt, adeoque omnis ea auctoritas, quam in illos habuit ante unionem, relinquitur. Si quis tamen con-*

tra ſtudioſorum præfatorum aliquem lege & judicialiter volet agere, remittetur ad Tribunal Magnifici Domini Rectoris; qui Magnificus Dominus Rector omnes cauſas & querelas de talibus ad ſe delatas ad R. Patrem Rectorem diriget, primo ſine ſtrepitu Judicii componendas, & actiones hujuſmodi ad Tribunal contentioſum non prius recipiet, quam ex R. Patre Rectore Collegii intellexerit, cauſam & negotium, aliter quam via Juris, componi non potuiſſe.

A

Num. 4. *Si unus aliquis præter Patrum Lectiones etiam Juridicas aut Medicas audiat, & dubium oriatur, Magnificone Domino Rectori Vniverſitatis, an R. Patri Rectori Collegii parere debeat; diſpicietur, quas lectiones per ſe & principaliter, quas minus principaliter & incidenter audiat. Si quis Magiſter Philoſophiæ creatus eſt, aut illam ordinate cum bono profectu audivit, & bono ordine tranſivit ad ſtudium Juris aut Medicinæ, & præcipue alterutri det operam; hic, licet apud Patres audiat, v. g. Matheſin vel Ethicam, vel Quæſtiones D. Thomæ de Jure & Juſtitia, paret Magnifico Domino Rectori Vniverſitatis; tenetur tamen obſervare diſciplinam Societatis, ſecundum illam unam, quam audit, lectionem. Contra, ſi quis ſtudeat aut Theologiæ ex profeſſo apud Patres, aut Philoſophiæ, paret R. Patri Rectori, etiamſi v. g. audiat etiam Inſtitutiones Juris; tenetur tamen & hic obſervare diſciplinam Profeſſoris, etiam ſecundum hanc unam lectionem, quam audit.*

B

Num. 5. *Eidem R. Patri Rectori Collegii hoc etiam honoris tribuit Vniverſitas, ut in Conſeſſibus omnibus & Actibus Academicis ſedeat & locum occupet immediate poſt D. Superintendentem. Et quamvis ſit in Facultate Theologica, quemadmodum Magnificus D. Superintendens eſt in Juridica, nullum tamen in ea accipiet aut habebit officium; nec junget ſe Circulis Nationum in Electione Rectoris Academici, ſed cum Magnifico Rectore reſignante & Superintendente, ſuo in loco remanebit. Si quando in Conſiſtorio tractanda fuerint negotia Academiæ ad rem literariam univerſe ſpectantia, idem R. P. Rector advocari, nec ſine eo, quod ſcholares omnes concernet, quidquam ſtatui debebit.*

C

Num. 6. *Quem Studioſum, ob contumaciam aut mores improbos, a ſcholis Societatis R. P. Rector (cui ſoli id competit) arceri curaverit, id ipſe ſignificabit Magnifico Domino Rectori, qui mandabit, ut talem ad ſtudium Juris aut Medicinæ Profeſſores non admittant. Idemque fiet, ſi aliquis ſponte inſalutatoque Profeſſore ſcholas deſeruerit. Et diverſo, ſi quis e Societate Doctorem, Magiſtrum, Studioſumve ſoli Magnifico Rectori Vniverſitatis ſubjectum accuſare volet, illum accuſabit primo apud Magnificum Dominum Rectorem, & non alibi.*

Num. 7. *Si quid aliquando Magnificus Dominus Rector, aut Venerabile Conſiſtorium, verbo vel ſcripto, quod aliquem e Societate, ejuſve officium concernat, ſignificandum vel intimandum cenſuerit, id ad R. P. Rectorem Collegii, & non ad alium dirigetur, ut in hoc etiam Inſtituti & Religioſæ diſciplinæ & ordinis ratio habeatur; eadem ſervabitur ratio quando Studioſi ad comitandum Magnificum Dominum Rectorem convocandi erunt.*

§ 3.

§ 3. De Cancellario, Decanis & Decanatibus, maxime in Artistica Facultate.

Num. 1. *Idem erit post unionem hanc Cancellarius Universitatis qui ante, Cathedralis videlicet Ecclesiæ ad D. Stephanum Præpositus. Ratio etiam atque electio & authoritas Decanorum in Facultate Theologica, Juridica, & Medica eadem erit quæ hactenus fuit. De Decano & Decanatu Facultatis Artisticæ, magno utriusque partis animorum consensu, constituta sunt hæc.*

Num. 2. *Inprimis, ut uno semestri sit Decanus e Societate, quem Societas elegerit: altero semestri alius e Facultate Doctor seu Magister, quem Facultas ritu & more consueto elegerit; quando hic elapso suo tempore officium resignabit, monitus a R. P. Rectore per schedam, eum publicabit, quem Societas in sequens semestre elegit.*

Num. 3. *Decanus a Societate constitutus, toto semestri omnia Decani officia geret, & administrabit ut propria, præterquam Vice-Rectoris Academiæ: id enim muneris sustinebit Exdecanus, qui non est e Societate.*

Num. 4. *Decanus a Facultate electus toto suo semestri suum in Consistorio, Processionibus & Actibus publicis, locum & dignitatem obtinebit; imo etiam Facultatem convocabit & diriget, quando ob causam, quæ scholastica non est, nec ad rem literariam spectat, convocanda est.*

Num. 5. *Scholastica vero, & ad rem literariam pertinentia, omnia privatim & publice hoc semestri Vice-Decanus ex Societate (sive ille sit Exdecanus, sive alius) administrabit. Facultatem, quando ob Examina, Promotiones, vel aliam quamcunque causam literariam convocanda est, convocabit ac diriget, etiam præsente, si adesse voluerit, Decano, qui tamen Decanus, si adsit, primo loco considebit, & primus dicet sententiam. Diriget item dictis Vice-Decanus, Disputationes, Examina; omnia typis mandanda recognoscet & censebit; conferet Gradus, quod tamen munus, honoris causa, deferet aliquando Professoribus, & aliis Magistris, tam e Societate, quam cæteris. Determinationes quæstionum publice disputatarum seu resumptiones promiscue hic & illis deferentur, prout res & occasio feret.*

Num. 6. *Conceditur, ut ad rem literariam, Gradus Academicos, testimonia, & aliud id genus, Facultas Philosophica habeat specialem Secretarium, qui obeat vices Notarii; specialem idem Bidellum, & ut omnis dispositio circa Testimonia danda promotis, aliisque studiosis, sit penes Decanum aut Vice-Decanum e Societate. Quam in rem habebit peculiare Facultatis sigillum. Nihilominus tam testimoniis, quam Coronæ promovendorum præfigitur nomen Decani quisquis ille sit: si quis volet etiam Magnifici Domini Rectoris habere testimonium, is eidem obtentum Facultatis testimonium prius exhibebit.*

Num. 7. *Depositor a Facultate Artistica constitutus, quoad officium & tempus deponendi eos, qui RR. Patrum lectiones frequentant, etiam a Decano, vel Vice-Decano e Societate dependebit. Taxam depositionis, quoad eosdem etiam constituet ex directione R. P. Rectoris; ac ut depositionis ratio sit moderata & ordinata, item Decanus Societatis; vel Vice-Decanus*

mus ſua præſentia providebit. A depoſitionis lege eximuntur Clerici, & qui habitum geſtant eccleſiaſticum; omnes tamen ſuo tempore in Matriculam referentur, alioquin non gaudebunt Privilegiis Academiæ.

A

§ 4. De Profeſſoribus Academicis e Societate Jeſu.

Num. 1. *In Vniverſitate juxta ſuum Inſtitutum, ipſiuſque formam ac modum, docebunt RR. Patres Societatis Jeſu, Literas humaniores omnes ac Rhetoricam, linguam Latinam, Græcam, ac Hebraicam, univerſam Philoſophiam, univerſamque* B *Theologiam, minime tamen excluſis à lectura Theologiæ Profeſſoribus aliis, qui hactenus docent, quorum electio & conſtitutio Vniverſitati, ut hactenus; ita etiam in poſterum, juxta Decretum Cæſareum, ſalva & integra manet; de quibus hæc ſpecialiter advertenda, ut iis ſuæ relinquantur horæ in Auditorio Theologico, quibus docebant ante Collegii translationem, ut Interpres ſacræ Scripturæ de Societate non doceat eadem hora, qua alter, nec eodem anno eundem Scripturæ librum interpretetur. Profeſſor Scripturæ, quem conſtituit Vniverſitas, manet ut hactenus in Conſiſtorio Senior Facultatis.*

Num. 2. *Et quamvis Alma Societas Jeſu ipſamet ſuos Profeſſores omnes eligat & conſtituat, qui tamen prima vice electi, & ad profitendum in Vniverſitate conſtituti fuerint, mittentur cum ſcheda R. P. Rectoris ad Magnificum Dominum, tam Rectorem, quam Superintendentem, ut (ſi inſcripti prius non fuerunt) inſcribantur in librum Rectoris Academiæ; ab iis futuri Profeſſores Academici videantur & cognoſcantur. Scribet autem R. P. Rector, ad quam quiſque Profeſſuram ſit deſtinatus; ſperare & etiam curaturum ſe, ut officio ac muneri ſuo ſatisfaciant: hoc accepto Magnificus D. Rector, benevole ſignificabit hanc Societatis Electionem ſibi eſſe pergratam, & cum Profeſſores ex ſuo Inſtituto teneantur eſſe ſeduli, nullam aliam ab iis exiget promiſſionem aut juramentum.*

§ 5. Qui & qua Ratione Doctores & Magiſtri de Societate Jeſu in Facultatem Theologicam & Artiſticam admittendi ſint.

Num. 1. *In Facultatem Theologicam, modo infra ſcripto, admittetur inprimis R. P. Rector Collegii, duo Profeſſores Theologiæ ſcholaſticæ, Interpres ſacræ Scripturæ, Profeſſor Controverſiarum, & Profeſſores Theologiæ moralis, qui quæſtiones ad conſcientiam ſpectantes exponunt, & ſi qui alii Doctores Theologiæ e Societate admitti petent; penes Facultatem erit eos admittere.*

Num. 2. *In Artiſtica Facultate manent poſt Vnionem & Translationem Collegii, qui ante in illa erant: & locum juxta Vniverſitatis leges ſibi competentem, in Actibus Academicis occupabunt; e Societate autem in illam admittentur, præter Decanum aut Vice-Decanum, & alios Magiſtros idoneos, qui petent etiam admitti: Profeſſor Metaphyſicæ, Ethicæ, Phyſicæ, Mathematicæ, Logicæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Linguæ Hebraicæ, Græcæ, Artis Poeticæ. Qui omnes, quando ſuis defungentur officiis, manebunt Facultatis membra, donec ad illam tranſeant Facultatem, & poterunt examinare, intereſſe conſiliis, & locum occupabunt ſibi juxta leges Academiæ debitum.* C

Num. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Num. 3. *R. P. Rector & Decanus, seu Vice-Decanus Artisticæ, sine repetitione admittentur, illi in Theologiam, hic in Artisticam Facultatem. An qui in alia Academia publice annum unum eam sint professi Facultatem, in quam petunt hic admitti, admittendi sint sine repetitione, determinent Facultates.*

Num. 4. *Professores novi e Societate Jesu, repetitionis loco, Disputationibus ordinariis, tam ad Gradus, quam cæteris præsidebunt, & eos exercebunt actus, qui pro more Societatis, munus eam Facultatem docendi comitantur; ubi duo advertenda & observanda: alterum ut Thesibus repetitionis titulus præfigatur, alterum ut Facultatis membra aliique Doctores, atque inprimis Magnificus Dominus, tam Rector, quam Superintendens, tempestive per aliquem invitentur.*

Num. 5. *Admittentur autem in Facultates hoc modo: Primo curabunt se inscribi apud Magnificum Dominum Rectorem; deinde repræsentabunt se cum Testimonio sui Gradus Decano Facultatis, in quam sunt adsciscendi, & petent admitti: Decani vero statim & benevole illos admittent.*

Num. 6. *Si in Decanum, aut Vice-Decanum Facultatis Artisticæ, constituatur a Societate Doctor aliquis Theologiæ, qui membrum sit Facultatis Theologicæ, is quidem transire poterit a Facultate Theologica ad Artisticam; sed toto hujus officii sui tempore, ad Artisticam duntaxat spectabit, ad Theologicam vero nequaquam; etiamsi actu Theologiam profiteatur.*

Num. 7. *Reliqui Doctores, ac Magistri, hujus ac aliarum Academiarum, maxime in Decreto Cæsareo unionis nominatarum, qui de Societate non sunt, & in Facultatem Artisticam petunt cooptari, more & modo hactenus consueto, nempe, productis legitimæ Nativitatis, & Promotionis literis, suo tempore cooptabuntur.*

§ 6. De Examinibus, & Examinatoribus, & Promotionibus ad Gradus in Philosophia.

Num. 1. *Examina pro Gradibus, & Promotiones in Philosophia, fient ritu & more Societatis; Baccalareandos, præter Decanum, aut Vice-Decanum, juxta dicta § 3, examinabunt duo e Societate Doctores, aut Magistri, a R. P. Rectore electi; quibus Facultas per electionem adjunget duos alios, itidem Facultatis Magistros, qui de Societate non sint, cum stipendio moderato, quod, ex præscripto Facultatis, facient Candidati, nisi sint pauperes. De Examinatoribus pro Gradu Magisterii conveniet Societas, quoad suos, cum Domino Cancellario Vniversitatis.*

Num. 2. *Promotiones ad Gradus Philosophicos omnes, etiam Magisterii, fient in Aula, in qua etiam, si ita placuerit, eligetur Magnificus Dominus Rector Vniversitatis; & fient in illa, quæ hactenus fieri consueverunt.*

§ 7. De Bibliothecis, Ratione Typographiæ, Catalogo Vniversali Academicarum Prælectionum.

Num. 1. *Bibliothecarum usus & custodia, facto prius Inventario, conceditur & committitur Collegio Societatis, ita tamen, ut Magistris, & Doctoribus Facultatum, si quid legere velint, fiat aditus, eisque Bibliothecarius, a R. P. Rectore constitutus, accepta syngrapha, ad dies aliquot,*

quot, etiam unum alterumve librum A *det accommodato.*

Num. 2. *Ratio Typographiæ ſuo in ſtatu manet, Decani (vel etiam Vice-Decanus in Facultate Artiſtica) approbant, quæ ad ſuam ſpectant facultatem; reliquis a Profeſſore approbatis, ſubſcribit Magnificus Dominus Rector.*

Num. 3. *Ad Renovationem ſtudiorum conficiatur Catalogus librorum & Authorum, qui in Vniverſitate prælegentur, ſerveturque in eo conſuetus ordo Facultatum. Hujus ordinandi, & Typi corrigendi curam habebit Decanus, vel Vice-Decanus e Societate* B *Artiſticæ Facultatis; antequam autem Typo committatur, tam Vniverſitatis, quam Collegii Rectori revidendus exhibebitur.*

§ 8. De Collegio, Scholis, & loco Conſiſtorii.

Num. 1. *Quamvis Collegium Archiducale, Burſæ, & alia omnia ædificia (præter Juriſtarum & Medicorum Gymnaſia) ad Vniverſitatem ſpectantia, Societati data & tradita ſint, ut eorum loco Collegium Societatis Scholæ, & Templum conſtruantur: attamen extra Collegium Societatis, & Scholas, R. P. Rector, locum deputabit pro Conſiſtorio, Cancellaria, & Archivo Vniverſitatis, in quem locum Societas ſpeciale Jus non prætendet, ſed ſit, & dicatur abſolute Vniverſitatis.*

Num. 2. *Quantum ratio loci feret, dabitur opera, ut fabrica Scholarum ita accommodetur, ut adoleſcentes Poetis inferiores cæteris, quantum fieri poterit, minime permiſceantur.*

Num. 3. *Quoniam Medici proprium Collegium non habent, ſed hactenus docent in una parte Collegii Archiducalis: illis ea pars eodem jure utenda, quo hactenus ſunt ea uſi, relinquatur, donec de alio commodo illis provideatur loco.*

Num. 4. *Quoties a Decano, vel Vice-Decano Facultatis Artiſticæ, de congreganda Facultate prænonitus fuerit R. P. Rector, toties in eam rem locum decentem aſſignabit; finitis vero ædificiis, certum aliquem & conſtantem.*

§ 9. De Seminariis, & Seminariſtis.

Num. 1. *Quæ ædificia fabricando Collegio Societatis, Scholis, Templo, neceſſaria non erunt, Societas in Seminaria convertet, & ita pro ſuo Inſtituto & zelo accommodabit, ut quamplurimi ſtudioſi in illis degere poſſint, & illos ipſos ita gubernabit ipſa, & ad virtutem, & literas ita inſtituet, ut pii Fundatores ſanctæ ſuæ intentioni copioſe ſatisfactum eſſe experiantur, & gaudeant.*

Num. 2. *Stipendiatis, abſque Facultatum, quibus navant operam, diſcrimine, qui juxta formam & morem fundationem, (quæ juxta Art. 7. Decreti Cæſarei priſtino in ſtatu manent) Societati proponentur ab iis, quibus id in-* C *cumbit, in aliquo Seminario, Societas dabit habitationem & alimoniam, juxta ſtipendii modum & rationem, & tam diu in Seminario retinebit, quam diu ſeſe illius legibus, & communi diſciplinæ accommodabunt. Si quos autem Societas deprehendet intolerabiles, ac dimittet; de iis cum conſenſu R. P. Rectoris dimiſſis, Præfectus Seminarii eos, qui illos propoſuerant, faciat certiores.*

Num. 3. *His, qui curam gerunt ſtipendiorum & fundationum, quarum redditus pendent ex cultura vinearum, aſſi-*

assignabitur locus, quo uvas exprimant, & collecturam reponant.

Num. 4. *Bursarum literæ, quæ fundationem & stipendia concernunt, asservabuntur in Universitatis Archivo: quæ domos ipsas, Societati traditas concernunt, R. P. Rectori consignabuntur, aut eorum paria legitime authenticata.*

Nos igitur hanc ipsorum Transactionem, omnesque supra insertas Constitutiones, Definitiones, & Declarationes, novamque Nostram unionem & reformationem in omnibus suis punctis, Clausulis, & Articulis, iis duntaxat exceptis, quæ in dicta translatione, & hoc Diplomate Nostro innovantur, immutantur, renovantur, reformantur, aut declarantur, Auctoritate Nostra Cæsarea & Archiducali, ratificamus, approbamus, & confirmamus, ratas, firmas, ac validas perdurare, atque illæsas observari, & ad easdem omnes Successores Nostros Romanorum Imperatores, Reges & Archiduces Austriæ futuros obligatos volumus expresse, illos adhortantes, ut hanc piam, & paternam intentionem, unionem & Reformationem Nostram, firmiter & inviolabiliter, futuris perpetuo temporibus, manu teneant atque defendant, ipsamque Universitatem non minus, quam supra dictum Patrum Societatis Jesu Collegium unitum, ejusdem vigore tueantur, neque quemquam cujuscunque etiam Status, Ordinis vel Conditionis is sit, eandem impune transgredi, vel violare permittant.

Cætera denique, quæ per hanc Resolutionem, Unionem, & Reformationem immutata non sunt, tam quoad Universitatis nostræ, quam singularum Facultatum, Nationum, & Bursarum Statuta, maxime vero quoad Academiæ Nostræ libertates, Jura, Privilegia antiqua & nova a Divis FERDINANDO, MAXIMILIANO, RUDOLPHO, MATTHIA, Imperatoribus & Prædecessoribus Nostris, ac Nobis, per Resolutiones, Declarationes, & Sententias, decimo quinto Septembris Anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo primo; decimo Januarii, Anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo, vigesimo quarto Decembris; Anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo quarto, vigesimo primo Februarii; Anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo quinto, & alias data & concessa; Item honestas consuetudines illæsas conservandas, innovandas, & confirmandas, præsentis Nostræ Constitutionis Eulogio, denuo Clementer innovamus, confirmamus, & omne suum robur omnino obtinere volumus & declaramus.

Quapropter vobis omnibus & singulis, Rectori & Superintendenti Nostro, Decanis, Doctoribus, Licentiatis, Magistris, Baccalaureis; & toti denique studiosæ Juventuti hujus Nostræ Academiæ Viennensis, præsentibus & futuris, serio & firmiter præcipimus & mandamus, ut hanc præmemoratam Transactionem, omnesque alias Ordinationes, Leges, Statuta, & Constitutiones, per Nos, uti præfertur, innovatas, declaratas, reformatas, ac confirmatas, sancte & inviolabiliter observetis, ac custodiatis, illisque, sub pœna gravissimæ indignationis Nostræ, quam quilibet contrafaciens noverit sè incursurum, nullatenus contravenire audeatis, vel præsumatis; quin potius quisque, quæ sui officii, partium, status & conditionis sunt, exequi & præstare studeat. Porro ne vobis, Studiosisque vestris favo-

rem & benignitatem Noſtram ullibi deeſſe agnoſcatis, ſed ut quiſque veſtrum pro ſua conditione ſtudiis eo libentiori animo, abſque ullo impedimento incumbere, & præmemoratis Statutis & Privilegiis pacifice uti queat;

Mandamus etiam, & præcipimus ſerio & ſtricte Locumtenenti, Cancellario, Regentibus, & Conſiliariis Regiminis, & Fiſci Noſtri inferiorum Noſtrarum Provinciarum Auſtriacarum, nec non Burgimagiſtro, Judici & Conſulibus Civitatis Noſtræ Viennenſis, ac cæteris quibuslibet Capitaneis, Vice-Dominis, Præfectis, Officialibus, Civibus, Subditis, atque Fidelibus Noſtris, cujuſcunque Dignitatis, Gradus, Ordinis, Conditionis & Præeminentiæ fuerint, ut vos, tam in Privilegiis, Gratiis, Immunitatibus, Conceſſionibus, & Donationibus, quam in his Statutis, Legibus & Ordinationibus denuo, ut præmiſſum eſt, per Nos innovatis, declaratis, reformatis, & confirmatis, nullo modo turbent & moleſtent, ſed potius protegant, defendant & manuteneant, iiſque vos quiete frui & gaudere ſinant, quatenus ſibi a graviſſima indignatione Noſtra, & aliis pœnis, violatoribus hujus firmiſſimi Edicti Noſtri, pro arbitrio Noſtro irrogandis, cavere voluerint. Harum teſtimonio literarum, quarum unum Exemplar Vniverſitatis Rectori, alterum vero Patri Rectori Collegii Societatis Jeſu, manu Noſtra propria ſubſcriptum, ac Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitum, aſſignari fecimus.

Datum in Civitate Noſtra Vienna, die nona Menſis Auguſti Anno ſalutis reſtauratæ, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, vigeſimo tertio. Regnorum Noſtrorum, Romani quarto, Hungarici ſexto, Bohemici vero ſeptimo.

Hucuſque *Imp. Ferdinandi II Sanctio Pragmatica*, ex qua *præſens Academiæ Wiennenſis ſtatus*, quantum de eo publice ſcribi fas eſt, ſatis clare & abunde poteſt perſpici. Prodiit quoque ejuſdem Sanctionis Pragmaticæ *ſecunda* editio A. 1640 in octavo ſub hoc titulo: *Inſtrumenta publica, quibus per Ferdinandum II Romanorum Imperatorem feliciſſimæ & glorioſiſſimæ memoriæ Almæ celeberrimæque Vniverſitati Wiennenſi Cæſareum Societatis Jeſu Collegium Wiennenſe unitum & incorporatum fuit; Ferdinandi III Romanorum Imperatoris Decreto confirmata, & Ejuſdem S. Cæſ. Majeſtatis Autoritate apud Matthæi Formicæ Viduam Wiennæ recuſa A. MDCXL.* In qua *ſecunda* editione, præter *Imp. Ferdinandi II Decretum Vnionis, A. 1622 d. 21 Octobris germanice promulgatum*, exſtant etiam *Decreta duo Imp. Ferdinandi III* A. 1640 d. 4 Maji data, quibus Sanctionem Pragmaticam confirmat, jubetque illam inviolabiliter obſervari. Cæterum præterquam quod *Transactio* inter Vniverſitatem & Collegium Societatis Jeſu, A. 1623 d. 7 Auguſti facta, *Sanctioni Pragmaticæ* inſerta ſit, exſtat eadem in jam memorata *ſecunda* editione etiam ſeparatim, cum præfixa hac, propter Dominorum Commiſſariorum Cæſareorum & Dominorum utrinque tranſigentium nomina notabili Præfatione: *Quod DEVS OPT. MAX. bene feliciterque faciat evenire. Sapienti providentia conſilioque Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum Dominorum S. CÆS. MAJESTATIS Commiſſariorum, Domini Leonardi Helfridi Comitis de Meggau, Dn. Maximiliani Comitis de Trautmansdorf, Dn. Joannis Baptiſtæ*

ſtæ Verda Baronis a Verdenberg, Conſiliariorum S. Cæſ. Majeſtatis arcanorum, & Nobilis atque Clariſſimi Domini Joannis Wentzel, Imperialis Conſiliarii Aulici, die 19 & 20 Julii Anno 1623 Magnificus Dominus Guilielmus Rechperger Vniverſitatis Wiennenſis Rector, Magnificus Dominus Chriſtianus Schaffler Superintendens Cæſareus, & ſequentes quatuor Doctores e quatuor Facultatibus cum plenipotentia ab Alma Vniverſitate electi, R. D. Georgius Fridericus Kholer SS. Theologiæ Doctor, D. Bartholomæus Carolus Prætorius Philoſophiæ & Juris Vtriuſque Doctor, & pro tempore Facultatis Juridicæ Decanus, D. Sigiſmundus Geisler Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, & D. Petrus Hoffmann Artium Liberalium & Philoſophiæ Doctor ex una; & R. Adm. P. Joannes Argentus Soc. Jeſu per Provinciam Auſtriæ Viſitator, nec non R. P. Guilelmus Lamormaini Collegii Wiennenſis ejuſdem Societatis Jeſu Rector, præſente etiam R. P. Chriſtophoro Dombrino Societatis Jeſu Sacerdote ex altera parte; ad ſtabiliendam præfati Collegii cum Vniverſitate Vnionem, per S. CÆS. MAJESTATEM nuper factam, amice, benevole, firmiter, conſtanter, unanimi voluntatum conſenſione, ad approbationem confirmationemque S. CÆS. MAJESTATIS quæ ſequuntur, conſtituerunt, definierunt, declararunt. § 1. De Rectoratu & Rectore Vniverſitatis, ejuſque poſt Vnionem electione, dignitate, Jurisdictione. Num. 1. Inprimis Reverendi Patres Societatis Jeſu, ad demerendam Vniverſitatis benevolentiam, & cætera, ut ſupra in ipſa Sanctione Pragmatica. Reperi etiam nuper in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea,* aliud quod-

A

B

C

dam *Imp. Ferdinandi II Diploma manuſcriptum,* ad eandem Vniverſitatis & Collegii Societatis Jeſu Vnionem pertinens, quod integrum hic ſubjungo:

Sacratiſſima Cæſarea, ac Hungariæ Boemiæque Regia Majeſtas, Ferdinandus II, Archidux Auſtriæ &c. Dominus noſter Clementiſſimus, N. Domino Rectori, Superintendenti Cæſareo, & Conſiſtorio Vniverſitatis Viennenſis, biſce benigne ſignificandum mandavit:

Intellexiſſe Suam Sacratiſſimam Cæſaream Majeſtatem, qualiter in prædicta Vniverſitate, propter Lecturas Facultatis Theologicæ, in proxime habita Theologicorum Profeſſorum electione, controverſiæ quædam exortæ fuerint, ad quas tollendas eadem Sacratiſſima Cæſarea Majeſtas pro nunc clementiſſime ſe reſolvit, ut P. Philippus de Salerno, Ordinis Minoritarum S. Franciſci, habeat Lecturam S. Scripturæ, cum titulo Profeſſoris Theologiæ ordinarii; P. autem Joannes de Valdeſpino Ordinis Prædicatorum ſuccedat prædicto P. Philippo in Lectura extraordinaria Caſuum, cum titulo Profeſſoris Theologiæ. Quorum primus vere & ex profeſſo Sacræ Scripturæ textum interpretetur; ſecundus vero ex profeſſo formet futuros Parochos & operarios Evangelicos in doctrina Caſuum Conſcientiæ, & adminiſtratione Sacramentorum. Neuter tamen ſe extendat, aut digrediatur ad quæſtiones, diſputationeſve Scholaſticæ Theologiæ.

Cæterum ubi Majeſtas Sua Cæſarea de titulo Profeſſoris primarii rem juſta trutina, maturoque conſilio ponderaverit, ſuo tempore definiet, & per inferioris Auſtriæ Regimen, aut alia ratione, Domino Rectori, Superinten-

denti, & Consistorio, Similiter etiam Rectori Societatis, totique Vniversitati Archigymnasii Viennensis declarabit, cui potissimum primarii Professoris in Theologia titulum, cui Senioris cognomentum attribui, quidve in cæteris nuper motis controversiis observari velit.

Interea autem statuit Sacratissima Majestas Cæsarea, ut interim nullus Professorum titulum Primarii usurpet: & ut Senior Facultatis Theologicæ in Consistorio, e Doctoribus Theologiæ ordinariæ Viennæ degentibus, is sit, qui in Facultate est antiquissimus, si tamen idiomatis Germanici ita sit peritus, ut omnia, quæ afferuntur & tractantur in Consistorio, intelligat, & suam dicere possit sententiam. Quod A *si hic ipse aut in Rectorem Vniversitatis, vel in Decanum Facultatis, seu in Procuratorem Nationis eligatur, sive idiomatis Germanici sit insçius, aut plures menses ab urbe abesse debeat, locum ejus suppleat, qui in antiquitate erit proximus. Quæ omnia Majestas Sua eidem Domino Rectori, Superintendenti, & Consistorio gratiosè intimanda voluit, quibus de reliquo Gratia Sua Cæsarea, & Archiducali Benignitate propensa manet. Signatum Sopronii sub Majestatis Suæ Sigillo Cæsareo, die 28 mensis Novembris, anno Domini 1625.*

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium

Tobias Gertinger.

VI.

Recensio Statutorum & Privilegiorum Regiæ Academiæ Parisinæ.

MONITUM.

Vindobonensem Academiam Statuta *sua* & Consuetudines *a Parisina accepisse superius vidimus. Inde* Lambecio *Libro Commentariorum secundo pag. 239. ratio sufficiens visa est, de illius quoque Academiæ* Privilegiis & Statutis *agendi. Extant in duobus manu exaratis codicibus nunc in Classe Juris Civilis CLXXIII. & CXCVI. Ex priore indicem hunc suum desumpsit* Lambecius, *variantibus solumodo ex altero lectionibus decerptis. Nos ex illo quoque eorum monumentorum integrum Catalogum dabimus, ubi prius* Lambecii *retulerimus; sic autem ille:*

Quod supereſt, quandoquidem in B Inclytæ *Vindobonensis* Academiæ Privilegiis & Statutis identidem inculcatur, eam, quasi *Filiam*, ad exemplum Academiæ *Parisinæ*, tanquam *Matris*, ordinatam esse, iisdemque juribus ac prærogativis gaudere, facere non possum, quin hac occasione indicem, *duos* in Augustissima Bibliotheca Cæsarea adservari *Codices manuscriptos*, quibus jam memoratæ celeberrimæ ac vere Regiæ Academiæ *Parisiensis* Statuta & Privilegia continentur. Eorum primus est chartaceus, & inter MStos Codices Juridicos Latinos *centesimus vigesimus nonus;* secundus autem est membranaceus, & inter MStos Codices Philosophicos ac Philologicos Latinos *octogesimus octavus.* Posterior hic *membranaceus* bonæ notæ est, &, ut ego arbitror, ille ipse, quem Duces Austriæ *Rudolphus IV* & *Albertus III* Lutetiæ curarunt describi, priusquam

A. MCCCLXV fundationem Academiæ *Vindobonenſis* aggreſſi ſunt; ſed, quod ſummopere dolendum eſt, negligentia eorum, penes quos ante me aſſervandi illius fuit cura, adeo evaſit mutilus, ut ex *ſexaginta duobus* foliis in folio, quibus olim conſtitit, *octo* tantum folia, tanquam tabulas ex naufragio, uſque ad hunc diem repererim. Alter autem ille Codex *chartaceus* ante annos circiter *centum*, ex bono quidem veteri Codice deſcriptus eſt; ſed ab homine æque negligenti ac imperito, & in legendis veterum Codicum manuſcriptorum abbreviaturis inexercitato, ideoque ſcatet is innumeris fere mendis & erroribus. Cæterum ſi qui, ut minime dubito, deſideraverint ſcire, quid jam memoratis *duobus* Codicibus contineatur, brevem hic ſubjungo omnium, quæ iis comprehenduntur Diplomatum & Monumentorum veterum *Indicem*, majori ex parte ipſis *Rubricarum* vel *Contextus* eorum verbis compoſitum.

DIPLOMATA SVMMORVM PONTIFICVM.

1. Summi Pontificis INNOCENTII TERTII, qui electus eſt d. VIII vel IX Januarii A. MCXCVIII. & d. XVI Julii A. MCCXVI obiit, Diploma *ad Magiſtros & Vniverſitatem Scholarium Pariſienſium*, datum Lugduni (1) Id. Februarii Pontificatus anno *ſecundo*, hoc eſt, d. XIII Februarii A. MCXCIX; cujus Rubrica & argumentum: *Confirmatio compoſitionis factæ inter Vniverſitatem Pariſienſem ex parte una, & Cancellarium atque Capitulum Pariſienſe ex altera, ſuper danda Licentia a Cancellario Magiſtris volentibus incipere in ſingulis Facultatibus, & faciendis quæſtionibus, ut & de ordinandis lectionibus & diſputationibus, ac puniendis rebellibus per ſubtractionem ſocietatis, & taxandis hoſpitiis, ac quibuſdam aliis articulis.* Diploma hoc in Codice MSto membranaceo eſt *decimum octavum*, in chartaceo autem *decimum quartum.*

2. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* aliud ejuſdem argumenti Diploma ad *Epiſcopum Sylvanectenſem*, datum Lugduni VI Idus Martii, Pontificatus anno *ſecundo*, hoc eſt, d. X Martii A. MCXCIX. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi numero *decimum ſeptimum.*

3. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *Cancellarium Pariſienſem*, datum Lugduni (2) ſecundo die Martii, Pontificatus anno *ſecundo*, h. e. A. MCXCIX; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt nullus Magiſtrorum vel Scholarium Pariſienſium alterius conducat Hoſpitium abſque illius conſenſu, & ne is, qui plura forſan conduxerit, alii locet pretio cariori.* Diploma hoc extat in Codice chartaceo integrum, & eſt numero *decimum quintum;* in membranaceo autem eſt *decimum nonum*, ſed in fine mutilum.

4. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Lugduni III Id. Maji, Pontificatus anno *ſecundo*, hoc eſt, d. XIII Maji A. MCXCIX; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt ſervientes communes, qui pro*

(1) *Ita legitur in Codice membranaceo; in chartaceo autem ſcriptum eſt* quinto idus Februarii.
(2) *Valde vereor, ne hic dies menſis mendoſus ſit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pro utilitate totius Studii a ſingulis Nationibus concorditer eliguntur, iisdem gaudeant immunitatibus, quæ Magiſtris & Scholaribus ab Apoſtolica Sede conceſſæ ſunt. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *tertium.*

5. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Lugduni Id. Maji, Pontificatus anno *ſexto*, hoc eſt d. XV Maji A. MCCIII; cujus Rubrica & Argumentum: *Ne aliquis alterius Scholas & Hoſpitium abſque ipſius conſenſu, vel Scholas aut Hoſpitium, a Magiſtris vel Officiali Pariſienſi interdicta, conducere vel retinere præſumat.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *ſecundum.*

6. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *Cancellarium Pariſienſem*, datum Peruſii III Kalend. Junii, Pontificatus anno *nono*, h. e. d. XXX Maji A. MCCVI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt Cancellarius Pariſienſis adſtringat Religioſos & Clericos Scholares, qui domos habent Pariſiis, ut patiantur hoſpitia ſua per Clericos, ſpecialiter ad hoc deputatos, taxari, ſecundum antiquam, & approbatam, & uſque ad illud tempus pacifice obſervatam conſuetudinem Pariſinam.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *nonum.*

7. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* aliud ejuſdem argumenti Diploma ad *Cancellarium Pariſienſem*, ſed in fine mutilum. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *decimum ſextum.*

8. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Peruſii II Kalend. Junii, Pontificatus anno *nono*, hoc eſt, d. XXXI Maji A. MCCVI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt nullus eorum extra Civitatem Pariſienſem ſuper quæſtionibus, intra eam exortis, trahi poſſit per literas Apoſtolicas vel Legatorum Sedis Apoſtolicæ.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *decimum.*

9. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* aliud ejuſdem argumenti, loci & temporis Diploma ad *Epiſcopum Sylvanectenſem;* quod extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *vigeſimum ſextum.*

10. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Peruſii Kalend. Junii, Pontificatus anno *nono*, h. e. d. I. Junii Anno MCCVI; cujus Rubrica & Argumentum: *Ne Magiſtri vel Scholares, cauſa Studii Pariſios euntes, vel inde redeuntes, ab aliquo ad aliquid pro Pædagogio ſolvendum compellantur & indebite moleſtentur.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *quintum.*

11. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma aliud ejuſdem argumenti, loci & temporis ad *Epiſcopum Sylvanectenſem;* quod extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *quartum.*

12. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Peruſii Kalendis Junii, Pontificatus anno *nono*, hoc eſt, d. I. Junii A. MCCVI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt nullus in Vniverſitate contra Rectorem vel Procuratores quarumcunque Facultatum, ſeu quemcunque alium pro facto vel occaſione ipſius Vniverſitatis, excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententiam audeat promulgare abſque Apoſtolicæ Sedis licentia*

tia ſpeciali. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *ſeptimum.*

13. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* aliud ejuſdem argumenti, loci & temporis Diploma ad *Epiſcopum Sylvanectenſem;* quod extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *octavum.*

14. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *Cancellarium Pariſienſem*, datum Peruſii VII Idus Junii, Pontificatus anno *nono*, hoc eſt, d. VII Junii A. MCCVI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt Clericos arma portantes, & ſecundo tertiove monitos, ſi ſe non correxerint, beneficio Privilegiorum privet, & privatos denuntiet.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *ſextum.*

15. Ejuſdem PP. *Innocentii Tertii* Diploma ad *Doctores & univerſos Scholares Pariſienſes*, datum Anagniæ IV Kalend. Julii, Pontificatus anno *duodecimo*, hoc eſt, d. XXVIII Junii A. MCCIX; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt Statuta & Ordinationes Vniverſitatis Pariſienſis inviolabiliter obſerventur.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *primum.*

1. Summi Pontificis HONORII TERTII, qui PP. *Innocentio Tertio* A. MCCXVI ſucceſſit, & d. XIX Martii A. MCCXXVII obiit, Diploma ad *Epiſcopum, Decanum & Cantorem Pariſienſem de reconciliatione pacis & concordiæ inter Magiſtros & Scholares Vniverſitatis Pariſienſis ab una parte, & Epiſcopum atque Cancellarium ex altera,* datum Romæ apud S. Petrum V Id. Maji, Pontificatus anno *tertio*, hoc eſt, d. XI Martii A. MCCXIX. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *vigeſimum tertium.*

1. Summi Pontificis GREGORII NONI, qui de XX Martii A. MCC XXVII electus eſt, & d. XXII Auguſti A. MCC XLI obiit, Diploma ad *Archiepiſcopum Rhemenſem, Epiſcopum Sylvanectenſem & Decanum S. Quintini*, de reconcilianda pace & concordia inter Magiſtros & Scholares Vniverſitatis Pariſienſis ex parte una, & Cancellarium atque Capitulum Pariſienſe ex altera, datum Aſſiſii, (1) *nono die* menſis Junii, Pontificatus anno *ſecundo*, hoc eſt, A. MCCXXVIII. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *vigeſimum ſeptimum.*

2. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes*, datum Lateran. Id. Aprilis, Pontificatus anno *quinto*, h. e. d. XIII April. A. MCCXXXI; cujus Rubrica: *Privilegium de modo legitimandi in Theologia & Decretis.* Principium ejus hoc eſt: *Parens ſcientiarum* (2) *Pariſius, velut altera Cariath-Sepher*, &c. Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *decimum*, in chartaceo autem *undecimum.*

3. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *Abbatem S. Germani de Pratis*, datum Lateran. Id. Aprilis Pontificatus anno *quinto*, hoc eſt d. XIII April.

(1) *Hic dies menſis ſuſpectus mihi eſt de mendo.*

(2) Pariſius *non ſolum hic verum etiam apud alios mediæ ætatis ſcriptores paſſim uſurpatur tanquam vox indeclinabilis pro* Lutetia Pariſiorum. *Qua de re vide plura apud* Ger. Joan. Voſſium *in fine libri tertii de Gloſſematis Latino-Barbaris.*

April. A. MCCXXXI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt homines de Burgo S. Germani de Pratis pro pace ac ſecuritate Scholarium Pariſienſium adſtringantur per Regale Privilegium, ſicut Cives Pariſienſes.* Diploma hoc extat tantum in Codice membranaceo, & eſt ibi *decimum quintum.*

4. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* aliud Diploma ejuſdem argumenti, datum eodem anno *quinto* Pontificatus, ſed *II Non. Maji*, h. e. d. VI Maji. Diploma hoc extat tantum in Codice membranaceo, & eſt ibi decimum *tertium.*

5. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *Ludovicum nonum* ejus nominis Galliæ Regem, datum XVIII Kal. Maji, Pontificatus anno *quinto,* h. e. d. XIV April. A. MCCXXXI, quo ipſum *rogat, monet & hortatur, ut Vniverſitati Pariſienſi favorabilem ſe præbeat & benignum, & Privilegia, ab Avo ſuo Rege Philipo II eidem conceſſa, innovet & obſervet, & ab aliis quoque obſervari faciat.* Principium ejus hoc eſt: *Parens ſcientiarum Pariſius, velut altera Cariath-Sepher*, &c. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *vigeſimum quintum.*

6. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *Decanum & Capitulum S. Marcelli Pariſienſis*, datum Lateran. II. Non. Maji, Pontificatus anno *quinto*, h. e. d. VI Maji A. MCCXXXI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt homines de Sancto Marcello pro pace & ſecuritate Scholarium Pariſienſium ad eadem adſtringantur, ad quæ Cives Pariſienſes per Regale Privilegium ſunt adſtricti.* Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *undecimum*, in chartaceo autem eſt *duodecimum.*

7. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *Epiſcopum Pariſienſem*, datum Lateran. VIII Kal. Maji, Pontificatus anno *quinto*, h. e., d. XXIV Aprilis A. MCCXXXI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt homines Epiſcopi Pariſienſis in diſtrictu Civitatis Pariſienſis pro pace & ſecuritate Scholarium Pariſienſium ad illa conſtringantur, ad quæ Cives Pariſienſes per Regale Privilegium ſunt adſtricti.* Diploma hoc extat tantum in Codice membranaceo, & eſt ibi *decimum ſextum.*

8. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* aliud Diploma ejuſdem argumenti, datum eodem anno *quinto* Pontificatus, ſed *II Non. Maji*, h. e., d. VI Maji. Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *duodecimum*, in chartaceo autem *decimum tertium.*

9. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *S. Ludovicum* Regem Galliæ, datum Lateran. II Non. Maji, Pontificatus anno *quinto*, h. e., d. VI Maji A. MCCXXXI; cujus Rubrica & Argumentum: *Vt recipiat benigne Magiſtros Gaufridum Pictavienſem, & Wilhelmum Altiſſiodorenſem ad regendum, nec credatur detractoribus eorum.* Diploma hoc extat tantum in Codice membranaceo & eſt ibi *decimum quartum.*

10. Ejuſdem PP. *Gregorii Noni* Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes de modo legitimandi in Theologia & Decretis*, datum Viterbii VII Idus Septembris, Pontificatus anno *nono*, h. e., d. VII Septembr. A. MCCXXXV. Principium ejus hoc eſt. *Quoniam ad hoc potiſſimum vota noſtra dirigimus, ut* &c. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & eſt ibi *vigeſimum quartum.*

11.

11. Ejusdem PP. *Gregorii Noni* Diploma *conservatorium ad Archiepiscopum, Archidiaconum & Præcentorem Senonensem super taxatione domorum Scholarium & Religiosorum*, datum Viterbii XVII Kal. Julii, Pontificatus anno *undecimo*, h. e., d. XV Junii A. M CC XXXVII. Diploma hoc extat tantum in Codice membranaceo, & est ibi *decimum septimum.*

1. Summi Pontificis ALEXANDRI QVARTI, qui die XXI Decembris anni MCCLIV electus est, & d. XXV Maji A. M CC LXI obiit, Diploma ad *universos Magistros & Scholares Parisienses* valde prolixum, Neapoli VIII Kalend. Maji, Pontificatus anno *primo*, h. e., d. XXIV Aprilis A. M CC LV, promulgatum, *de restituendis in pristinum statum duobus Fratribus Ordinis Prædicatorum, Parisiis in Facultate Theologica regentibus, quos Universitas beneficio societatis in Magistralibus privaverat propter denegatam approbationem quarundam novarum Ordinationum, compositarum tempore publicæ suspensionis lectionum ob atrocem aliquam injuriam, quam Scholares nonnulli a Civibus Parisinis acceperant.* Principium hujus Diplomatis hoc est: *Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis, universis Magistris & Scholaribus Parisiensibus salutem & Apostolicam benedictionem. Quasi lignum vitæ in Paradiso Dei, & quasi lucerna fulgoris in Domini domo, est in Sancta Ecclesia Parisiensis Studii disciplina. Hæc quippe fœcunda eruditionis parens ad irrigandam sterilem Orbis faciem, fluvios de fontibus Sapientiæ salutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum lætificat Civitatem Dei, & in refrigerium animarum, flagrantium siti justitiæ, aquas doctrinæ dividit publice in plateis. Ibi nimirum* &c. Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & est ibi *vigesimum octavum.*

2. Ejusdem PP. *Alexandri Quarti* Diploma ad *Cancellarium Parisiensem*, datum Anagniæ VIII Kalend. Augusti, Pontificatus anno *quinto*, h. e., d. XXV Julii A. MCCLIX, cujus Rubrica & Argumentum: *Ne in Universitate Parisiensi cuiquam tribuat Licentiam in aliqua Facultate, nisi prius juraverit, se Ordinationes & Statuta universa inviolabiliter observaturum.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & est ibi *vigesimum nonum.*

3. Ejusdem PP. *Alexandri Quarti* Diploma ad *Cancellarium S. Genovefæ*, datum Anagniæ IV (1) Augusti, Pontificatus anno *quinto*, hoc est, d. XXIX Julii A. MCCLIX; cujus Argumentum: *Ne ulli ex Scholaribus, in Artium Facultate studentibus, regendi in Artium Facultate Licentiam propria autoritate concedat, nisi per quatuor Magistros Examinatores, ab Universitate Magistrorum ejusdem Facultatis pro tempore deputatos, examinati & idonei ac sufficientes inventi fuerint.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & est ibi *trigesimum.*

1. Summi Pontificis HONORII QVARTI, qui die II Aprilis A. MCCLXXXV electus est, & d. III Aprilis A. MCCLXXXVII obiit; Diploma ad *Joannem Ciolettum*, Tituli *S. Cæciliæ* Cardinalem Presbyterum

(1) *Forte deest hic* Kalendas *sive* Kalendarum.

rum *de dissensione quadam inter Cancellarium ex parte una, & Vniversitatem Parisiensem ex altera.* Diploma hoc extat tantum in Codice chartaceo, & est ibi *quinquagesimum secundum.* Principium ejus hoc est: *Quasi hortus irriguus, arboribus sublimibus & fructiferis consitus, Parisiense Studium, Viros producens scientia fructuosos, vita & moribus eminentes; & sicut fons, cujus aquæ non deficiunt, sed exuberant, emanant doctrinæ salutaris undique fluenta* &c. Nec multo post ipse Summus Pontifex Se quoque in Academia *Parisina* literis aliquamdiu operam dedisse testatur his verbis: *Illud etiam Nos specialiter afficit, quod olim, dum Nos minor status haberet, in ejusdem Studii laribus de illius dulcedine libamina grata libavimus, per plures annos secus decursus sedentes ipsius:* &c. In fine autem Diploma hoc ibi est mutilum.

1. Summi Pontificis JOANNIS, qui vulgo XXI vel XXII dicitur, & die VII Augusti A. M CCC XVI electus est, die autem IV Decembris A. M CCC XXXIV obiit, Diploma ad *Episcopum Parisiensem, ut Privilegia Vniversitatis Parisiensis curet ab Officiali & Ballivo inviolabiliter observari,* datum Avenione Kalend. Iulii, Pontificatus anno *secundo*, h. e. A. MCCCXVIII. Diploma hoc in Codice MSto chartaceo est *sexagesimum;* in membranaceo autem extat eo folio, quod olim, cum Codex iste adhuc integer esset, fuit *quinquagesimum nonum.*

2. Ejusdem PP. *Joannis* Diploma ad *Vniversitatem Magistrorum & Scholarium Parisiensium, contra nonnullos, qui ad expensas necessarias, quæ pro Vniversitatis commodis ex justa & rationabili causa interdum faciendæ sunt, contribuere pro sua voluntate recusant,* datum Avenione Kalendis (1) Julii, Pontificatus anno *secundo*, h. e. A. M CCC XVIII. Diploma hoc in Codice MSto chartaceo est *sexagesimum primum;* in membranaceo autem extat eo folio, quod olim, cum Codex iste adhuc integer esset, fuit *quinquagesimum nonum.*

3. Ejusdem PP. *Joannis* Diploma ad *Episcopos Suessionensem & Noviomensem contra Abbatem & Monachos Monasterii S. Germani de Pratis, Ordinis S. Benedicti, ob atrocem injuriam per homines armatos illatam Magistris & Scholaribus Parisiensibus in possessione & usu cujusdam prati, juxta jam memoratum Monasterium siti, & ad prædictos Magistros & Scholares pertinentis,* datum Avenione (2) XVII Kalend. Julii, Pontificatus anno (3) *quinto*, h. e., d. XV Junii A. M CCC XXI. Diploma hoc in Codice MSto chartaceo est *sexagesimum secundum*, in membranaceo autem extat iis foliis, quæ olim, cum Codex iste adhuc integer esset, fuerunt *quinquagesimum nonum & sexagesimum.*

4. Ejusdem PP. *Joannis* Diploma, continens *Privilegium perpetuum super juramentis Conservatoris Sigilli Vniversitatis Parisiensis*, datum Avenione XI Kalend. Julii, Pontificatus anno *nono*, h. e., d. XXI Junii A. M CCC XXV. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto membranaceo iis foliis, quæ olim, cum Codex iste adhuc integer esset, fuerunt

(1) *In Cod. MSto chart. perperam legitur* Junii.
(2) *In Cod. MS. chart. perperam legitur* XVIII.
(3) *In Cod. MS. chart. perperam legitur* anno secundo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

runt *ſexageſimum*, & *ſexageſimum primum.*

5. Ejuſdem PP. *Joannis* Diploma, eodem loco & tempore promulgatum, quo *Abbati Monaſterii S. Dionyſii juxta Vrbem Pariſinam conſervatio præcedentis Privilegii committitur.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto membranaceo, & quidem eo folio, quod olim, cum Codex iſte integer eſſet, fuit *ſexageſimum primum.*

DIPLOMATA S. R. E. CARDINALIVM ET LEGATORVM SEDIS APOSTOLICÆ.

1. ROBERTI (1) CVRSON, natione Angli, Tituli Sancti Stephani in Cælio monte Cardinalis Presbyteri, & Apoſtolicæ Sedis Legati, Diploma ad *univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes* menſe Auguſto A. MCCXV datum, quo variæ continentur Ordinationes & Statuta; & quidem inter cætera: *Ne ullus legat Pariſiis in Artibus niſi circiter vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, & quod ſex annis de Artibus audierit ad minus, antequam ad legendum accedat. Item: ne ullus legat Pariſiis in Theologia niſi circiter trigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, &, niſi ſtuduerit per octo annos ad minimum.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *trigeſimum primum.*

1, SIMONIS de BRIA, Tituli S. Cæciliæ Cardinalis Presbyteri, & Apoſtolicæ Sedis Legati, Diploma *Compoſitionis diſcordiæ ſuper diverſis articulis inter Magiſtrorum, Pariſiis regentium in Artibus, tres Nationes, videlicet Picardorum, Normanorum & (2) Anglicorum ex una parte, & Nationem quartam, ſive (3) Gallicorum, ex altera,* datum Pariſiis apud Eccleſiam S. Genovefæ VI Calend. Septembris, Pontificatus (3) Clementis Papæ IV anno *ſecundo*, h. e., d. XXVII Auguſti A. MCCLXVI. Principium ejus hoc eſt: *Beneplacitum eſt Domino in pace fidelium & reconciliatio diſcordium in conſpectu ejus ſacrificium eſt* &c. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *trigeſimum ſecundum.*

2. Ejuſdem Cardinalis *Simonis* diploma de *Bannitione ſive Proſcriptione Officialis cujuſdam Pariſienſis, qui mandante vel ratum habente Canonico aliquo, nomine Gaufrido, cujus officio ſervierat, in multos Scholares, qui ante portam Eccleſiæ Pariſienſis hora ſerotina diſputationis gratia ex more convenerant, cum aliis armatis irruit, & nonnullos eorum graviter vulneravit,* datum in Clauſtro Eccleſiæ Pariſienſis XI Kalend. Julii, Pontificatus Domini Clementis Papæ IV anno *tertio*, h. e., d. XXI Junii A. M CC LXVII. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *trigeſimum ſextum.*

3. Ejuſdem Cardinalis *Simonis* Diploma valde prolixum de *Compoſitione novæ cujuſdam diſcordiæ in Vniverſitate Pariſienſi inter quatuor Nationes Facultatis Artium*, datum Pariſiis

(1) *Vid.* Alphonſ. Ciaccon. *de Vita Pontif. & Cardinal. pag. 530, 539,* & Onuph. Panvin. *pag. 149, 152.*

(2) *Hæc eſt illa Natio, quæ nunc appellatur* Germanica. *Vid. ſupra col. 93. not. 2.*

(3) *Hæc eſt illa Natio, quam ſupra col. 93. not. 2. vocavi* Francicam proprie dictam.

(4) PP. Clemens IV *electus eſt anno 1265 d. 5. Februarii.*

siis apud S. Genovefam die Martis, A Non. Maji sive d. VII Maji anno Domini MCCLXXV, Pontificatus Dn. (1) Gregorii Papæ X anno *quarto*. Principium ejus hoc est: *Insligante, qui tanquam leo rugiens, paratus ad prædam, circumdans Ovile Dominicum, rapinas quærit & foramina, per quæ possit immittere nequitiæ suæ virus*, &c. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & est ibi *trigesimum quintum*.

4. Ejusdem Cardinalis *Simonis* Diploma, datum Kalendis Octobris, B Pontificatus Dn. (2) Nicolai Papæ Tertii anno *secundo*, die I Octobris, quo ordinat & statuit, *ut Rector Universitatis Parisiensis, qui antea, non sine variis incommoditatibus & turbis, singulis mensibus vel senis hebdomatibus eligi consueverat, deinceps ternos præsit menses, & quolibet anno tantum quater eligatur: nempe sub principium Autumni prima die legibili post festum S. Dionysii; circa initium Hyemis ultima die legibili ante vacationes, Nativitatem Domini præcedentes; primo Vere ultima die legibili ante Annunciationem Sanctæ Mariæ Virginis; & circa Solstitium æstivum ultima die legibili ante festum S. Joannis Baptistæ.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & est ibi *trigesimum quartum*.

5. Ejusdem Cardinalis *Simonis* Diploma *Compositionis discordiæ in Universitate Parisiensi inter Magistros Facultatis Artium ex una parte, & Magistros in Decretis & Medicinæ ex altera, super modo denunciandi Decanis Magistrorum in Decretis & Medicinæ Congregationes generales*, datum apud Divionem XIV Kal. Novembris Pontificatus Dn. (3) Honorii Papæ IV anno *secundo*, h. e., d. XIX Octobris A. MCCLXXXVI. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & est ibi *trigesimum tertium*.

DIPLOMATA REGVM GALLIÆ.

PHILIPPI, Secundi ejus nominis Galliæ Regis, Diploma *contra interfectores quorundam Scholarium Parisiensium*, promulgatum anno Regni ipsius (4) *vigesimo sexto*, hoc est anno Christi (5) *millesimo ducentesimo sexto*, & a Nepote ipsius *S. Ludovico* Galliæ Rege, anno Regni *tertio*, h. e. A. C. MCCXXIX approbatum & confirmatum. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & est ibi *trigesimum septimum*.

DIPLOMATA TOTIVS VNIVERSITATIS, VEL SINGVLARVM EJVS FACVLTATVM.

1. Statutum *omnium Magistrorum Vniversitatis Parisiensis*, in plena eorundem Congregatione, & de communi assensu in Ecclesia S. Martini, anno Domini *millesimo ducentesimo quadragesimo quarto* promulgatum,

(1) PP. Gregorius X *electus est A. 1271 Kal. Septembris, obiit autem d. 10 Januarii Anno 1276.*

(2) PP. Nicolaus III, *electus est Anno 1277 d. 25 Novembris.*

(3) PP. Honorius IV *electus est Anno 1285 d. 2 April.*

(4) *Secundum* Petrum Bonfonsium *Antiquit. Paris. cap. 13 fol. 111. In Codice enim MSto Cæsareo nec annus regni nec annus Christi in Diplomate isto adscriptus est.*

(5) *Secundum* Joannis Tilii *Chronologiam Francicam, quæ* Pauli Æmilii *Veronensis Historiæ de rebus gestis Francorum subjuncta est: Basil. ap. Sixtum Henricpetri Anno 1569 in fol. In* Bonfonsii *Antiquitatib. Paris. pro A. 1206 mendose legitur Anno 1200.*

tum, de modo retinendarum ſcholarum, & de hoſpitiis Scholarium, aliiſque variis articulis. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *trigeſimum nonum.*

2. Statutum *Artiſtarum* de modo & tempore legendi ac diſputandi, compoſitum & promulgatum anno Domini *milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto.* Principium ejus hoc eſt: *Noverint univerſi, quod pro communi utilitate Artium & ejuſdem reparatione de communi conſenſu Artiſtarum provide & de conſilio proborum proviſum & inſtitutum eſt, quod deinceps a Feſto Beati Remigii uſque ad Quadrageſimam nullus Magiſter, ſive actu regens, ſive actu non regens, ſive Baccalarius, vel quicunque alius aliquo die diſputabili, aliqua hora diei, lectionem curſoriam nec in Scholis, nec in domo propria vel aliena legere præſumat. Die vero non diſputabili* &c: Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum primum.*

3. Diploma *Compoſitionis diſcordiæ* inter Magiſtros Pariſiis regentes in *Artibus*, ſcilicet inter *Nationem Gallicorum* ex una parte, & *alias tres Nationes* ex alia, *de Rectore eligendo & de modo eligendi*, datum anno Domini MCCXLIX *menſe* (1) *Octobris;* cujus Rubrica: *Juramenta eligentium Rectorem & Rectoris intrantis electionem.* Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *primum*, in chartaceo autem *vigeſimum primum.*

4. Ordinatio *Doctorum Pariſienſium*, actualiter in *Theologia* regentium *de promovendis ad Cathedram in regimine Sacræ Theologiæ*, approbata ab Vniverſitate & promulgata anno Domini *milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo*, menſe Februario. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum ſecundum.*

5. Diploma de *Sententia excommunicationis*, promulgata anno Domini *milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo*, menſe Aprili, *contra vigiles Pariſienſes*, a quibus *quatuor Scholares Clerici* & *unus* eorum ſerviens *laicus* innocenter & contra Privilegia, a Rege Francorum Vniverſitati conceſſa, de nocte adeo graviter vulnerati ſunt, ut unus eorum ſtatim obierit, cæteri autem in carcerem detruſi ſpoliatique, & uſque ad membrorum deformationem ac debilitationem inhumane tractati, proximo die ad requiſitionem reliquorum Scholarium ſemivivi dimiſſi ſint. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum quartum.*

6. Vniverſitatis *Magiſtrorum & Scholarium Pariſiis ſtudentium* ad Reverendos in Chriſto Patres, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos, Archidiaconos & alios Eccleſiarum Prælatos, nec non Capitula & Scholares univerſos *Epiſtola* ſatis prolixa *de obſtinata rebellione, propter quam jam memorata Vniverſitas Fratres Prædicatores Ordinis Sancti Dominici, quos antea propter pietatis & publicæ utilitatis ſpem brachiis charitatis amplexa erat, a conſortio ſuo ſeparavit, tanquam ingratos & ab antiqua humilitate ſua degeneres*, data Pariſiis in Eccleſia S. Juliani Pauperis, & lecta ibidem in præſentia Magiſtrorum omnium

(1) *Ita legitur in ipſo Codice MSto membranaceo, non autem* menſe Octobri.

um Facultatum anno Domini *milleſimo ducenteſimo, quinquageſimo quarto*, die Mercurii proxima poſt feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Principium ejus poſt *Salutem in Domino ſempiternam* hoc eſt: *Excelſi Dextera Paradiſum voluptatis olim plantavit Pariſiis venerandum literarum Gymnaſium, unde Sapientiæ fons aſcendit, qui in quatuor Facultates, ſcilicet Theologiam, Juriſperitiam, Medicinam, nec non Rationalem vel etiam Moralem Philoſophiam, quaſi in quatuor Paradiſi flumina diſtributus, & per quatuor Mundi Climata derivatus univerſam terram irrigat* &c. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum.*

7. Statutum omnium & ſingulorum *Magiſtrorum Facultatis Artium*, compoſitum & promulgatum anno Domini *milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto*, die Veneris ante ramos Palmarum *contra aliquos lectiones ſuas terminare feſtinantes, antequam librorum quantitas & difficultas requireret vel permitteret, & de modo inhibendæ hujuſmodi negligentiæ per aſſignationem certi temporis, intra quod quiſque liber prælegendus & explicandus incipi & finiri debeat.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum quintum.*

8. Statutum *Magiſtrorum Facultatis Artium* A. MCCLVIII, menſe Januario promulgatum, *nec capiantur pignora a Determinatoribus & incipere volentibus.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum octavum.*

9. Ordinationes quædam *Magiſtrorum Pariſienſium Facultatis Medicinæ*, de *receſſu* Magiſtrorum regentium a Civitate cum propoſito reſumendi lectiones ſuas; item de *Sigillo* Facultatis faciendo ex *argento* ad majorem confirmationem, compoſitæ & promulgatæ A. MCCLXX. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſexageſimum nonum.*

10. Diploma *Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium*, promulgatum A. MCCLXXI, quo teſtantur, *ſe pro ſalute animarum ſuarum quidquid juris habent, vel habuerunt in loco S. Jacobi, qui eſt coram Eccleſia S. Stephani in exitu Civitatis Pariſienſis, ſponte ac libere obtuliſſe & donaſſe Fratri Matthæo, Priori, ſuiſque Fratribus Ordinis Prædicatorum & ipſi Ordini, in ſignum reverentiæ & recognitionis, ut locum ipſum teneant ab Vniverſitate Pariſienſi, tanquam a Domino & Patrono, ideoque ſe ſuoſque ſucceſſores recipiant in participationem generalem & perpetuam omnium orationum & beneficiorum ſuorum tanquam Confratres ſuos, atque inſuper ſingulis annis in craſtino feſtivitatis Sancti Nicolai Miſſam ſolennem in majori Altari, præſente Conventu, pro vivis Magiſtris & Scholaribus, nec non & conſervatione Studii Pariſienſis; in craſtino autem Purificationis B. Mariæ Virginis cum ea ſolennitate Miſſam pro illis, qui de Vniverſitate Pariſienſi deceſſerunt, celebrent; & præterea pro quolibet Magiſtro, cujuſcunque Facultatis fuerit, qui in Officio regendi Pariſiis deceſſerit, talem faciant ſolennitatem, qualem facerent pro uno de Fratribus ſuis defunctis, & quilibet Sacerdos de eis celebret Miſſam pro eo, & Prior eorum faciat legi tria Pſalteria pro eodem,*

dem: &, ſi ibidem elegerit ſepeliri, ac fuerit Theologus, ſepeliatur in Capitulo eorum, ſi autem alterius Facultatis, in Clauſtro. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum ſecundum.*

11. Statutum *Magiſtrorum Pariſienſium Logicalium*, quo inhibetur, *ne ullus Magiſter vel Baccalarius Facultatis Artium aliquam quæſtionem pure Theologicam, ut exempli gratia de Trinitate & Incarnatione, & de conſimilibus omnibus determinare vel diſputare præſumat*, promulgatum A. MCC ſeptuageſimo primo, Kalendis Aprilis. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum tertium.*

12. Ordinatio *Magiſtrorum Pariſienſium Facultatis Medicinæ* de *Baccalariis*, in eadem Facultate incœpturis, facta & promulgata A. MCC LXXII. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſexageſimum ſextum.*

13. Statutum omnium & ſingulorum *Magiſtrorum regentium Pariſiis in Artibus*, A. MCCLXXV, die Jovis ante feſtum S. Nicolai hyemalis promulgatum, *de modo determinandi & legitimandi in Facultate Artium.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum nonum.*

14. Statutum *Univerſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium* de *Stationariis*, ſive *Librariis*, promulgatum in Congregatione generali, in Capitulo Fratrum Prædicatorum anno Domini MCCLXXV, VI Idus ſive d. VIII Decembris; cujus argumentum: *Ut Stationarii, qui vulgo appellantur ſive Librarii, annis ſingulis, vel de biennio in biennium, vel alias, quando ab Univerſitate fuerint requiſiti, corporale præbeant juramentum, quod libros recipiendo venales, cuſtodiendo: exponendo eoſdem & vendendo, & alias ſium miniſterium circa Studium exhibendo, fideliter & legitime ſe habebunt. Item, quoniam nonnulli de Librariis, inſatiabili cupiditati ſtudentes, ipſi Studio ingrati quodammodo ſunt & graves, dum in libris habendis, quorum uſus maxime neceſſarius eſt Studioſis, difficultatem inducunt, & emendo vilius, & vendendo carius, & ſupprimendo vel celando, aliiſque excogitatis fraudibus, libros ipſos cariores efficiunt, ſtatuitur, ut Librarii jurent, quod infra menſem, a die, quo libros venales recipient, numerando, bona fide eos ad vendendum, exponent, &, ſi requiſiti fuerint a venditoribus, æſtimabunt & dicent bona fide, quantum credent in veritate libros ad vendendum oblatos juſto & legitimo pretio poſſe vendi; libri etiam venalis pretium, & (1) non illius, cujus libere eſt, ponent in aliqua parte, ut pateat intuenti. Jurabunt etiam, quod, cum libros vendiderint, eos non aſſignabunt ex toto, nec transferent in emptores, nec pretium recipient pro eiſdem, donec denuncient venditori vel mandatorio ſuo, ut veniat pretium recepturus, & quod de pretio pro libris oblato, puram & ſimplicem ſine fraude dicent veritatem venditori vel ejus mandatario. Item, licet dignus ſit operarius mercede ſua, quia tamen a Librariis frequenter mo-*

dus

(1) *In Juramento* Stationariorum *ſive* Librariorum *anni 1302 permittitur etiam, ut & nomen illius,* cujus eſt liber, *in aliqua parte libri patente apponatur, ſed ea conditione* ſi velit venditor.

dus exceditur, ſtatuitur, ut iidem Stationarii ſive Librarii jurent, quod ultra quatuor denarios de libra, & de minori quantitate pro rata, pro ſalario venditorum librorum non exigent, & quidem non a venditore, ſed ab emptore. Item quoniam ex corruptis exemplaribus & mendoſis diſpendia multa proveniunt, ſtatuitur, ut dicti Librarii jurent, ſe præſtituros curam & operam efficacem cum omni diligentia & labore, ut exemplaria vera habeant & correcta; item, quod pro exemplaribus aliud ultra juſtum & moderatum ſalarium vel mercedem, ſeu ultra id, quod ab Vniverſitate vel Deputatis ab ea taxatum fuerit, non exigent. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum.*

15. Vniverſitatis *Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium* Statutum A. MCCLXXVII, die Lunæ poſt Nativitatem B. Joannis Baptiſtæ promulgatum, *ne ullus ſtudens Pariſiis, ſi Membrum Vniverſitatis ſe reputari velit, & Vniverſitatis Privilegiis gaudere intendat, literas dare præſumat, de reddendis domo vel Scholis liberis quocunque termino anni, vel juramentum ſuper hoc interponere audeat.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum ſextum.*

16. Rectoris & Procuratorum *quatuor Nationum*, cæterorumque Magiſtrorum regentium Pariſiis *in Artibus* Statutum A. MCCLXXVIII, die Veneris poſt feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis promulgatum; cujus argumentum: *Nec ulli Baccalario ubicunque legitimatus fuerit, inferius vel ſuperius, dies ad incipiendum aſſignetur, niſi prius omni fraude amota juraverit, ſe determinaſſe Pariſiis, vel alibi in alio Studio generali, ubi ſunt ad minus duodecim regentes Magiſtri.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum quartum.*

17. Statutum omnium & ſingulorum *Magiſtrorum Pariſiis in Artium Facultate regentium de Examinatoribus examinandorum examine S. Genovefæ*, factum & promulgatum Anno Domini MCCLXXXVII, in die Sabbathi proxima poſt feſtum Sancti Mauri Abbatis. Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *quartum*, in chartaceo autem *vigeſimum.*

18. Juramenta *Examinatorum S. Genofevæ*, quorum principium: *Vos jurabitis, quod expedietis expediendos, & impedietis impediendos & indignos. Item jurabitis, quod* &c. Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *tertium*, in chartaceo autem *decimum nonum.*

19. Statutum omnium & ſingulorum *Magiſtrorum Pariſienſium in Facultate Artium actu regentium de forma eligendi Rectorem, a Dn. Simone S. R. E. Cardinale & Apoſtolicæ Sedis Legato, quondam tradita*, factum & promulgatum in Capitulo Sancti Martini anno Domini MCCLXXX octavo, menſe (1) Januarii; cujus Rubrica: *Juramentum eligentium Rectorem, & Rectoris intrantis electionem.* Diploma extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem eſt *ſecundum*, in chartaceo autem *decimum octavum.*

20. Or-

(1) *Ita legitur in ipſo Codice membranaceo, non autem* Januario.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

20. Ordinatio *omnium Magiſtrorum Vniverſitatis Pariſienſis de celebratione exequiarum Magiſtrorum actu regentium, cujuſcunque Facultatis fuerint*, facta & promulgata in plena Congregatione generali, in Eccleſia S. Juliani Pauperis, anno Domini M CCLXXXVIII, die Veneris ante aſcenſionem Domini. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum tertium.*

21. Ordinatio omnium *Magiſtrorum Facultatis Artium de Procuratoribus ſingularum Nationum, ut per Rectorem adſtringantur ad refundenda recepta tempore ſui Officii*; facta & promulgata apud S. Maternum A. Domini MCCLXXXVIII in craſtino S. Firmini. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum quartum.*

22. Statutum omnium & ſingulorum *Magiſtrorum in Facultate Artium Pariſiis regentium*, compoſitum & promulgatum apud S. Maternum anno Domini MCC nonageſimo, die Sabbathi poſt feſtum S. Dionyſii, cujus argumentum: *quod nullus Magiſter vel per ſe, vel per alium, Scholares vel Scholarem precibus, pretiis ſeu promiſſis, vel minis, vel qualibet alia cautela, ad audiendum ab ipſo procurabit: item, ut nulla Natio vel pars Nationis, vel Magiſter cum Scholaribus ſuis conſpirationem faciat, ne ad alios Magiſtros aliarum Nationum vel partium accedant, & ab eis audiant; item ne Scholaribus ſuis, ut ab aliis audiant, inhibeant per ſe vel per alios; item nulla Natio, vel pars Nationis, vel Magiſter ſingularis conſpirationem faciat cum Baccalariis ſuis, ne accedant ad diſputationes aliorum.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum nonum.*

23. Diploma *Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium*, promulgatum anno Domini MCC nonageſimo primo, die Martis ante feſtum Omnium Sanctorum, *contra multas fraudes & quamplurimas malitias, a Pergamenariis Pariſienſibus in emendo & vendendo pergamenum commiſſas in Vniverſitatis & Reipublicæ præjudicium & gravamen; & de modo inhibendarum hujuſmodi fraudium per certos quoſdam articulos, ad quos firmiter obſervandos Pergamenarii per juramentum adſtringentur.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quadrageſimum octavum.*

24. Juramentum *Stationariorum* ſive *Librariorum* in Congregatione generali Vniverſitatis Pariſienſis A. Domini MCCII, die Veneris ante decollationem B. Ioannis Baptiſtæ, continens præter illa, quæ ſupramemorato Statuto anni (1) MCCLXXV comprehenduntur, inſuper etiam hæc: *primo, quod decætero quilibet Stationarius habeat tabulam de pergameno, ſcriptam bona litera & patente, poſitam ad feneſtram ſuam, in qua ſcripta ſint omnia exemplaria, quibus utitur, & quæ ipſe habet, cum pretio taxationis eorum; ſecundo, ſi contingat, quod habeat aliqua exemplaria non taxata, ea non commmunicabit, quousque Vniverſitati oblata fuerint & taxata; tertio, quod librorum utilium pro ſtudio cujuſcunque Facultatis exemplaria, prout melius & citius poterunt, pro-*

(1) *Vide ſupra a pag. 254. & 255.*

procurabunt ad commodum & utilitatem Studentium. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum quintum.*

25. *Catalogus* & *taxatio* præcipuorum librorum, in membrana ſcriptorum, quorum maxime frequens fuit uſus in Vniverſitate *Pariſina* anno Domini MCCCIII. Monumentum hoc antiquum extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſeptuageſimum ſeptimum.*

26. Diploma omnium & ſingulorum *Magiſtrorum quatuor Facultatum Vniverſitatis Pariſienſis* A. MCCC XII in feſto S. Gregorii apud S. Martinum ad Congregationem generalem convocatorum per *Magiſtrum Marſilium de Padua*, tunc temporis Rectorem Vniverſitatis; cujus argumentum: *Vt felicis memoriæ Domini Simonis, Tituli S. Cæciliæ Cardinalis Presbyteri, Statutum de electione novi Rectoris, & ingreſſu Rectoris antiqui ad novi electionem vocati, inviolabiliter obſervetur, & quodcunque Statutum contrarium nullius firmitatis reputetur.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum ſextum.*

27. Aliud eodem anno eodemque die, & loco ab iiſdem *Rectore & Magiſtris* promulgatum Diploma *de modo ſigillandi literas magno Sigillo Vniverſitatis, & de cuſtodia ejuſdem Sigilli.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum ſeptimum.*

28. Statutum Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium, *ne Pedelli vel alii ſervientes non jurati intrent Congregationem Vniverſitatis,* compoſitum & promulgatum in Eccleſia ſive Clauſtro S. Materni die Mercurii poſt Nativitatem B. Mariæ Virginis anno Domini M CCC duodecimo, exiſtente Rectore Vniverſitatis *Henningo de Dania.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum primum.*

29. Statutum Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium *contra eos, qui a Rectore & Procuratoribus Vniverſitatis vel eorum Deputatis frivole ac temere appellant ad ipſam Vniverſitatem,* compoſitum & promulgatum in Congregatione generali apud S. Martinum A. MCCC XVI, die Sabbathi ante feſtum S. Matthæi Apoſtoli. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *ſexageſimum tertium.*

30. Statutum Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium *contra incuriam Conſervatoris Privilegiorum ſuorum,* compoſitum & promulgatum in Congregatione generali apud S. Martinum A. MCCCXXVII, die Martis in octavis Purificationis B. Mariæ Virginis ſub Rectoratu *Magiſtri Joannis Buridani.* Diploma hoc extat in utroque Codice MSto, & in membranaceo quidem fol. 61 & 62, in chartaceo autem eſt *ſexageſimum octavum.*

31. Statutum Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium, compoſitum & promulgatum in Congregatione generali apud S. Martinum A. MCCCXVIII, die Veneris poſt feſtum Omnium Sanctorum; cujus argumentum: *Ne quis Congregationem intret niſi juratus, & ne quis niſi juratus ad Licentiam in aliqua Facultate admittatur; item ut fiant Sermones generales diebus Dominicis & feſtivis, ad quos Scholares aliique fideles, tam Seculares, quam Religioſi, audituri*

Ver

Verbum Dei, & per illud profecturi, conveniant. Diploma hoc extat tantum in Codice MSto chartaceo, & eſt ibi *quinquageſimum nonum.*

32. *Teſtimonium* publicum Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium, de *juramento*, quod quatuor *Religioſi* quorum unus Ordinis *Prædicatorum*, alter *Minorum*, tertius *Ciſtertienſis*, quartus *Eremitarum S. Auguſtini*, præſtiterunt Vniverſitati A. MCCCXVIII die Lunæ poſt feſtum S. Martini hyemale in Congregatione generali apud S. Martinum; cujus argumentum: *Ad quemcunque ſtatum ipſos & eorum quemlibet devenire contigerit, ſe perpetuo irrevocabiliter & inviolabiliter obſervaturos Privilegia, Statuta, Jura, Libertates & Conſuetudines laudabiles hactenus approbatas, & futuris temporibus approbandas, & Vniverſitatis ſecreta penitus & per omnia celaturos.* Hujus Diplomatis ultimi tantum tres verſus ſive lineæ extant in Codice MSto membranaceo fol. 59; reliqua autem pars prior deeſt; in chartaceo autem extat illud integre, & eſt ibi *quinquageſimum octavum.*

33. Fragmentum *Regiſtri Actorum Vniverſitatis Pariſienſis*, quo continetur *Narratio diſcordiæ, quæ inter Vniverſitatem & Capitulum Pariſienſe orta eſt propter bona mobilia cujuſdam Canonici, actu Scholaris ſimul & de Choro Eccleſiæ, qui inteſtatus deceſſit A. MCCCXXVI in Rectoratu Magiſtri Petri de (1) Dacia, Canonici Ripenſis, qui eodem jam memorato anno in Rectorem Vniverſitatis electus eſt die Martis proxima ante feſtum B. Thomæ Apoſtoli.* Diploma hoc extat tantum in Codice MSto membranaceo, & quidem eo folio, quod olim, cum Codex iſte integer eſſet, fuit *ſexageſimum.*

DIPLOMATA SINE VLLA, VEL CERTA NOTATIONE TEMPORIS.

1. Juramenta incipientium, ſive *Articuli, quos tenentur jurare Baccalarii in Artibus incæpturi*, quando veniunt ad Rectorem fide præſtita corporali. N. 22.

2. Diploma Proviſionis pro communi utilitate totius Studii Pariſienſis, quod *univerſi Studentes Pariſienſes, tam Magiſtri, quam Scholares, in Theologia, Decretis, Medicina & Artibus* per ſacramen. obligabuntur, ut omnes tam Clericos, quam Laicos, tam viros, quam fœminas, ex quorum mala vita pax & ſtudium in prædictis Facultatibus ſtudentium impeditur vel impediri poteſt, revelent in ſecreto Epiſcopo Pariſienſi, vel ipſius Officiali, ſeu Cancellario, infra octo dies, ſi poterunt, poſtquam ſciverint. Item de modo *repetendorum Scholarium*, ſi eos capi contigerit. N. 38.

3. Statutum, ad quod firmiter obſervandum *Pedelli Vniverſitatis Pariſienſis* fide corporali præſtita, ſe debent obligare. N. 43.

4. Statutum, quod obſervare tenentur *Baccalarii in Facultate Medicinæ* de novo Curſum incipere volentes. N. 46.

5. Statutum aliud *ejuſdem generis.* N. 47.

6. Or-

(1) Dacia *pro* Dania *paſſim apud barbaros mediæ ætatis ſcriptores occurrit. Vide librum ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis pag. 45, 74, & 111.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

6. Ordinatio *Magiſtrorum Pariſienſium in Medicina* de modo & ordine legendi ac diſputandi. N. 64.

7. Forma *Baccalariorum in Medicina* legitimandorum. N. 65.

8. Articuli quidam, quos obſervare debent Magiſtri & Scholares Pariſienſes *Facultates Medicinæ*. N. 67.

9. Statutum Magiſtrorum Pariſienſium *Facultatis Medicinæ*, ne aliquis *Judæus* vel *Judæa* in aliqua Provincia fidei Catholicæ, chirurgice vel medicinaliter operari præſumat, ſub pœna utriuſque juſtitiæ, nempe tam ſecularis, quam Eccleſiaſticæ; item ne *Chirurgi* & *Apothecarii* aliique *manuales artifices* Chriſtiani ſine ſcitu & præſentia Magiſtrorum Facultatis Medicinæ clanculum & illicite practicare audeant. N. 70.

10. Statutum *Vniverſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium*, ne ullus Magiſter vel Baccalarius, cujuscunque fuerit Facultatis, libros aliquos legere attentet in *locis privatis*, ſed in communibus, ubi omnes poſſunt confluere, qui ea, quæ ibi docentur, valeant reportare. Excipiuntur tamen libri *Grammaticales* & *Logicales*, in quibus nulla eſt periculi præſumptio. N. 71.

11. Ordinatio de diſcernendis & ſegregandis *fictitiis Scholaribus* a genuinis & legitimis. N. 75.

INDEX STATVTORVM ET PRIVILEGIORVM REGIÆ ACADEMIÆ PARISINÆ EX COD. CÆS. JVRIS CIVILIS CXCVI.

Primo loco poſitum eſt *Statutum* de modo eligendi Rectorem, cui cauſam dederunt diſſidia, exorta inter nationem Gallicanam & alias tres nationes, Rectore nationis Gallicanæ M. Remundo de Caturco, & aliarum trium nationum Roberto de Colerina. Conditum fuit hoc Statutum A. 1249. menſe Octobr.

II. fol. I. verſo. Aliud *Statutum* de eadem re factum in capitulo S. Maturini (1) A. 1288 menſe Januarii fit in eo mentio formulæ præſcriptæ a quodam Simone Legato, qui eſt Simon de Bria tit. S. Cæciliæ Card. Presbyter & Apoſtolicæ Sedis Legatus.

Fol. 2. Formula juris jurandi examinatorum S. Genovefæ. *Eodem fol. verſo.* Statutum de eadem re conditum A. 1287. die Sabbati proxima poſt feſtum S. Mauri Abbatis, ſed mutilum. *Fol. 3.* Diploma Pontificium initio mutilum GREGORII IX. Dat. Laterani Idib. April. Pontificatus Anno quinto id eſt A. 1231. d. 13. April. quod, ut ex Codice conſimili Chartaceo, de quo infra, apparet, eſt ad univerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes inſcriptum, & continet privilegium de modo legitimandi in Theologia & Decretis.

Eod. fol. Diploma GREGORII IX. ad Decanum & Capitulum S. Marcelli Pariſienſis, cujus Rubrica hæc eſt: ut *homines S. Marcelli Pariſienſis adſtringantur per regale privilegium ad ea, ad quæ Cives Pariſienſes ſunt adſtricti.* Dat. Laterani II. Non. Maji Pontificatus anno quinto, id eſt, die 6. Maji A. 1231.

Ibid. Diploma memorati Pontificis ad Epiſcopum Pariſienſem, cujus rubrica hæc eſt: *ut homines Epiſcopi Pariſienſis adſtringantur per regale Privilegium ſicut Cives Pariſienſes.* Da-

(1) *Lambecius legit* Martini, *ſed Codex habet Maturini ſine literarum compendio.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Datum Laterani Anno & die ut ſuperius.

Eod. fol. verſo. Diploma ejuſdem Pontificis ad Abbatem S. Germani de Pratis; cujus rubrica: *ut homines de Burgo S. Germani de Pratis adſtringantur per regale Privilegium ſicut Cives Pariſienſes.* Dat. Laterani eodem anno & die nimirum II. Non. Maji Pontificatus Anno quinto.

Ibid. Ejuſdem GREGORII IX. PP. Diploma ad Regem Galliæ, qui tum erat Ludovicus VIIII. qui Anno 1270. VIII. Kal. Septembr. in Africa obiit, & in Sanctorum numerum eſt relatus, cujus rubrica & argumentum hoc eſt: *Exhortatio Papæ ad Regem, ut recipiat benigne Magiſtros Gaufridum Pictavienſem & Wilhelmum Altiſſiodorenſem ad regendum, nec credatur detractoribus eorum.* Dat. Laterani Anno & die mox memorato.

Fol. 4. Ejuſdem Pontificis diploma ad Abbatem S. Germani de Pratis ejuſdem argumenti ac ſuperius dicto Abbati inſcriptum. Dat. Laterani Idib. April. Pontif. anno quinto, id eſt, 13. April. 1231. *Ibid.* EJVSDEM Pontificis diploma ad Epiſcopum Pariſienſem ejuſdem argumenti ac ſuperius, memorato Epiſcopo inſcriptum. Dat. Laterani VIII. Kalend. Maji Pontificat. anno quinto, id eſt, die 24. April. 1231.

Eod. fol. EJVSDEM diploma ad Archiepiſcopum, Archidiaconum & Præcentorem Eccleſiæ Senonenſis *de taxatione domorum tam ſecularium* (1) *quam religioſorum.* Dat. Viterbii XVII. Kal. Julii Pontif. Anno XI. id eſt 15. Junii 1237. *Eod. fol. verſo.* INNOCENTII PP. III. diploma ad Magiſtros & Vniverſitatem Scholarium Pariſienſium, quo continetur confirmatio compoſitionis factæ a R. Epiſcopo Portuenſi, tunc S. Angeli Diacono Cardinali & in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato, inter univerſitatem Pariſienſem ex parte una, Epiſcopum & Cancellarium ac Capitulum parte ex altera, ſuper danda licentia a Cancellario Magiſtris volentibus incipere in ſingulis Facultatibus & faciendis quæſtionibus, ut & de ordinandis lectionibus & diſputationibus ac puniendis rebellibus per ſubtractionem ſocietatis & taxandis hoſpitiis ac quibuſdam aliis articulis. Datum Lugduni Id. Februarii Pontificatus Anno ſecundo, id eſt, die 13. Febr. Anno 1199. *Eod. fol. verſo.* EJVSDEM diploma ad Cancellarium Pariſienſem, cujus rubrica & argumentum: *Ne alter alterius hoſpitium ſeu ſcholas conducat, nec eas locet pretio cariori.* Eſt fine mutilum.

Fol. 5. JOANNIS XXI. vel XXII. Summi Pontificis diploma ad univerſitatem Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium contra eos, qui ad communes ſumptus contribuere renuebant duos ſolidos Pariſienſes qualibet hebdomade. Dat. Avenione Kalen. Julii Pontif. Anno ſecundo hoc eſt Anno 1318.

Eod. fol. EJVSDEM diploma ad Epiſcopum Pariſienſem, ut Privilegia Academiæ Pariſienſis faciat ab officiali & Balivo obſervari. Dat. ut ſupra.

Eod. fol. verſo. EJVSDEM diploma ad Epiſcopos Sueſſionenſem & Novio-

(1) *Lambecius legit* Scholarium *repugnante ſcriptura, & ſenſu diplomatis: non enim ſcholarium, ſed tam ſecularium, quam religioſorum domus aliorum pro illorum hoſpitio, taxari jubentur.*

Noviomenſem, quibus mandat, ut inquirant ſuper ſpolio violento & atroci injuria per homines armatos ab Abbate & Monachis S. Germani de Pratis Ord. S. Benedicti illata Magiſtris & Scholaribus Pariſienſibus in uſu & poſſeſſione cujuſdam prati & plateæ cum quodam foſſato aqueo ſiti juxta prædictum monaſterium. Dat. Avinione XVII. Kal. Julii Pontificat. Anno quinto, hoc eſt, 15. Junii Anno 1231.

Fol. 6. Notitia ex regeſto univerſitatis excerpta, qua continetur narratio diſcordiæ, quæ inter Vniverſitatem & Capitulum Pariſienſe orta eſt propter bona mobilia cujuſdam Canonici ſimulque ſcholaris, qui inteſtatus deceſſerat A. 1326. Rectore M. Petro de Dacia Canonico Ripenſi, qui eodem anno electus fuerat die Martis proxima ante Feſtum Beati Thomæ Apoſtoli.

Eod. fol. 6. verſo. JOANNIS XXI. vel XXII. diploma cujus rubrica: *Privilegium perpetuum ſuper juramentis conſervatoris ſigilliferi in curia conſervationis & omnium aliorum officialium in curia prædicta.* Dat. Avinione XI. Kal. Julii Pontificat. A. IX. id eſt 21. Junii A. 1325.

Fol. 7. EJVSDEM diploma, quo Abbati S. Dionyſii prope Pariſios conſervatio ſuperioris privilegii committitur. Datum eodem loco & tempore quo præcedens.

Eod. fol. verſo & 8. Statutum Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium contra injuriam conſervatoris Privilegiorum ſuorum tam ſuper participatione quam ſalario aliiſque abuſibus factum in Congregatione generali apud S. Maturinum (1) Rectore Joanne Buridan A. 1327. die Martis in Octava Purificationis B. M. V.

XIII. Hactenus igitur ſummatim indicavi, quid *duobus* illis Privilegiorum & Statutorum Almæ Academiæ *Pariſienſis* ſupra memoratis *Codicibus Cæſareis* contineatur. Quandoquidem autem inter omnia iis comprehenſa Diplomata nullum anno (2) *milleſimo centeſimo nonageſimo nono* eſt antiquius, lubens accedo ſententiæ (3) *Stephani Paſquieri* & (4) *Petri Bonfonſii*, qui contra *Robertum Gaguinum*, *Hectorem Boethium*, *Nicolaum Gilleſium*, *Franciſcum Belleforeſtum*, alioſque nonnullos recentiores Scriptores jam pridem variis magni ponderis argumentis demonſtrarunt, fundationem celeberrimæ iſtius *Pariſienſis Academiæ* (ſi, ut hic fit, nomine *Academiæ* intelligatur non quodcunque Collegium literarium, ſed tale duntaxat, in quo per ſpecialem Principalis Privilegii prærogativam omnes *quatuor* Facultates, *Theologia*

(1) *Lambecius hic rurſus* Martinum *legit.*

(2) *Similiter etiam in Codice Conſtitutionum Regum Galliæ, qui ſub Rege Henrico IV Pariſiis A. 1607 in folio impreſſus eſt, Lib. X. Tit. XII quo* Privilegia & Statuta Academiæ Pariſienſis *continentur, nullum extat Privilegium Regium, quod ſit anno* milleſimo ducenteſimo *antiquius. Primum enim eorum & vetuſtiſſimum eſt ibi illud, quod Rex* Philippus II *promulgavit A. C. 1200 Regni autem ſui anno* vigeſimo primo. *Promittit autem eo,* quod omnes Cives Pariſienſes jurare faciet, quod, ſi alicui Scholari ab aliquo laico injuriam fieri viderint, ſuper eo teſtimonium perhibebunt veritati; & quod, ſi Scholaris armis percutiatur, vel fuſte, aut lapide, omnes laici, qui viderint, bona fide comprehendent illum malefactorem vel malefactores, ut tradant eum vel eos juſtitiæ; &c. *Hoc igitur eſt illud ipſum* Regale Privilegium, *cujus ſupra ſit mentio in Diplomatibus PP.* Gregorii Noni.

(3) *In Diſquiſitionibus Rerum Francicarum, vulgo* Recherches de la France *lib. 3. cap. 23.*

(4) *Antiquitatum Pariſienſium cap. 13.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gia videlicet, & *Jurisprudentia*, & *Medicina*, & *Philosophia*, publice traduntur, & secundum eruditionis profectum *Tituli* quoque ac Dignitates *Graduum* Scholasticorum publica autoritate conferuntur;) perperam attribui Imperatori *Carolo Magno*, revera autem attribuendam esse partim quidem Regibus Galliæ *Ludovico VII*, qui cœpit regnare A. MCXXXVII. & filio ipsius *Philippo II*, qui Patri in Regno successit A. MCLXXX, partim vero etiam celeberrimo Theologo *Petro Lombardo*, qui ob *Libros quatuor Sententiarum* a se editos *Magister Sententiarum* vulgo appellatur, & sub duobus illis Regibus *Episcopatui Parisiensi* cum summa laude præfuit. Habuit alioqui Vrbs Parisina multo ante jam memoratum fundationis *Academiæ* suæ tempus illustrem *Artium liberalium* Scholam, ideoque etiamnunc *Facultas Artium* tantam ibi obtinet prærogativam, ut nec ex *Theologica*, nec *Juridica*, nec *Medica* Facultate, sed ex *ea sola* semper creetur *Rector*, qui in cæteras omnes Facultates totamque Academiam habet imperium.

A

VII.

Recensio quatuor & XX. manu exaratorum codicum Cæsareorum ad vitam & res gestas Caroli M. pertinentium; ex quibus a Lambecio vulgata fuerunt hæc: (1) *Ex codice Psalmorum, jussu* Caroli M. a Dagulfo *quodam scripto, quo* B. Hildegardis, Caroli M. *Conjux, usa fuisse fertur, amplissima* Prolegomena *cum* Titulis Psalmorum. (2) S. Gregorii M. Benedictionale, *a* Lambecio *male pro inedito habitum vulgatumque.* (3) Antiqua formula *confessionis auricularis* Theotisca, *recentioris Teutonicæ dialecti versione interlineari a* Lambecio *explicata.* (4) Anonymi, *qui, ut ex prologo intelligi licet, annis* cccli. *post obitum* Caroli M. *tempore* Friderici I. Imp. *circa annum* cIↃclxv. *vixit*, Prologus *tam* generalis, *quam cujusque libri* peculiaris *una cum* capitum argumentis *trium librorum* de Sanctitate meritorum & gloria miraculorum S. Caroli M. (5) Duo Supplementa *fabulosæ historiæ de gestis* Caroli M. *vulgo* Turpino, *vel* Tilpino, *Rhemensium Archiepiscopo, adscriptæ.* (6) Specimina *Divini* Officii & Missæ *de* S. Carolo M. (7) Annales Fuldenses, *ex codice Cæsareo a* Lambecio *frustra castigati, non tamen inutili supplemento aucti.* (8) *Eorundem* Annalium *a* Frehero & Duchenio *vulgatorum*, lacuna ingens *ex membranis Cæsareis*, Lambecio *ignotis, expleta.* (9) Breves annales Francorum, *pro ineditis a* Lambecio *habiti, re ipsa autem Pars prior* Chronici Hildensheimensis, *a* Cl. Duchenio *Scriptor. Hist. Franc. Tom. III. a pag. 504, pridem ante* Lambecium *vulgata.* (10) Fragmentum annalium Francicorum *ab anno* IↃCCXCIV. *usque ad annum* IↃCCCIII. *auctore non designato.* (11) Specimen Poematis *de rebus gestis* Caroli Magni & Rulandi, *antiquis rhythmis germanicis, quorum autor, vel potius instaurator ipse sese* Strictherum *adpellat.* (12) Breve Supplementum *Historiæ* Thegani, *Chorepiscopi Trevirensis*, de gestis Ludovici Pii Imp. (13) Breve Chronicon Regum Francorum, *a* Cl. Muratorio *in* Annalibus

Francorum Lambecianis *omiſſum.* (14) Anonymi, CAROLO M. *Synchroni, utque* LAMBECIUS *putat,* EGINHARDI Epitome Chronologica *ab Adamo uſque ad annum Chriſti* IↃCCCIX. (15) ALCUINI Poemata duo, *alterum* hexametrum, elegiacum *alterum, vetuſtiſſimo ſacrorum Bibliorum codici prætexta.* (16) Excerpta *quædam ad* vitam S. VEDASTI *pertinentia.* (17) EX OTFRIDI WEISSENBURGENSIS *volumine Evangeliorum* excerpta.

MONITUM.

Intempeſtivam Latinorum tot codicum recenſionem totque opuſcula ex iis edita inſeruerat noſter Libro Commentariorum ſecundo capiti V. levi prorſus, aut nulla rectius de cauſa. Exſcripto enim primum, ut vidiſti, Privilegiorum & Statutorum *Regiæ Academiæ* Pariſinæ *indice; injecta deinde mentione, fundationem dictæ Academiæ perperam attribui* CAROLO M. IMP.; *tum addito, multo ante illuſtrem Pariſiis Artium Liberalium Scholam fuiſſe: quantum etiam ipſe* IMP. CAROLUS M. *Artibus liberalibus fuerit deditus, & quam inſignia ejus rei teſtimonia in variis Bibliothecæ noſtræ codicibus exſtent, oſtendere perexit, prolixe admodum & parum exacte, ne verius quid dicam, de pleriſque diſſerens, uti ex adnotationibus meis faragini illi, ubi res poſtulaverit, ſubjectis manifeſtum eſt. Porro ſaturam hanc ſuam orditur his verbis:*

Quantum etiam ipſe Imp. *Carolus Magnus* iiſdem *Artibus liberalibus* fuerit deditus, & quam inſignia ejus rei teſtimonia in variis Auguſtiſſimæ Bibliothecæ *Cæſareæ* vetuſtis Codicibus MStis etiamnunc extent, commodiori poſthac tempore & loco ubertim exponetur; nempe in eo horum *Commentariorum Libro*, quo ex profeſſo acturus ſum de præſtantioribus nonnullis Codicibus MStis, ad *Vitam & res geſtas* ejuſdem vere *Magni Imperatoris* pertinentibus; ac præcipue quidem de iis, quorum brevem & prorſus extemporalem hic ſubjungo Indicem.

Primus Codex membranaceus venerandæ vetuſtatis, ejuſque formæ, quæ vulgo vocatur *in octavo majori*, continet *Pſalterium Latinum*, juſſu & cura ipſius *Caroli Magni*, cum adhuc *Rex* tantum eſſet *Francorum*, & nondum *Romanorum Imperator*, totum aureis *literis* exaratum, quod Summo Pontifici *Hadriano I*, qui Sedi Apoſtolicæ præeſſe cœpit d. X Februarii A. C. DCCLXXII & d. XXVI Decembris A. DCCXCV mortuus eſt, *dono* miſit; uti ex ſequentibus, ab ipſo Rege *Carolo Magno* compoſitis verſibus dedicatoriis, qui primo ejuſdem Codicis folio literis itidem aureis ſcripti ſunt, videre eſt. Repræſento autem eos hic adeo bona fide, ut tam in *literis* ipſis, quam in antiqua *interpungendi* ratione nihilum quidem immutaverim. (a)

Ha-

(a) *Præſentem* Cl. GENTILOTUS *codicem recenſuit inter Codd. Claſſis Theolog.* IↃCLII, *ubi inter alia:* Idem LAMBECIUS præſtantiſſimi hujus libri, quo Pſalterium Davidicum continetur, prolixam adeo atque accuratam recenſionem commentariorum ſuorum lib. II. a pag. 261. uſque 298. intexuit, ut ineptus plane ſim, ſi poſt HOMERUM Iliada canere velim. Licet tamen poſt vindemiam racemari, & ea, quæ ab eruditis adhuc deſiderari arbitror, Lambeciano labori velut in cumulum addere: quorum alterum eſſe du-

Hadriano ſummo papae patrique beato.
REX carolus ſaluo mando ualeque pater.
Preſul apoſtolicae munus hoc ſume cathedrae.
vile foris uiſu ſtemma ſed intus habens.
Organa dauitico geſtat modulantia plectro.
continet & lyricos ſuauiſonoſq; melos.
Haec tua xpe chelys miracula concinit alma.
qui clavem david ſceptra (1) donumq; tenes.
Myſtica ſepteno fuerant haec truſa ſigillo.
carmina ni xps pander& iſta deus.
Hoc uobis ideo munus pie dedo ſacerdos.
filius ut mentem patris adire queam.
Ac memorere mei precibus ſanctiſq; piiſq;.
hoc donum exiguum ſaepe tenendo manu.
Et quamquam modico niteat ſplendore libellus.
DAVIDIS placeat celſa camoena tibi.
Riuulus iſte meus teneatur flumine ueſtro.
floriferumque nemus floſcula noſtra petant.
Incolumis uigeas rector per tempora longa
eccleſiamq: dei dogmatis arte regas.

Iidem verſus ſecundum Orthographiam noſtri ævi.

Hadriano ſummo Papæ patrique beato
Rex Carolus ſalve mando valéque Pater.
Præſul Apoſtolicæ munus hoc ſume Cathedræ,
Vile foris viſu, ſtemma ſed intus habens.
Organa Davidico geſtat modulantia plectro,
Continet & Lyricos ſuaviſonóſque melos.
Hæc tua, Chriſte, chelys miracula concinit alma,
Qui clavem David, ſceptra domumque tenes.
Myſtica ſepteno fuerant hæc truſa ſigillo
Carmina, ni Chriſtus panderet iſta DEVS.
Hoc vobis ideo munus pie dedo Sacerdos,
Filius ut mentem Patris adire queam;
Ac memorere mei precibus ſanctiſque piiſque,
Hoc donum exiguum ſæpe tenendo manu.
Et quanquam modico niteat ſplendore libellus,
Davidis placeat celſa Camœna tibi.

Rivu-

co ſcripturæ ſpecimen in æs diligenter inciſum, quod adponimus, captis eam in rem duobus epigrammatibus CAROLI nempe ad HADRIANUM & DAGULFI ad CAROLUM, propterea quod LAMBECIUS, profiteatur id licet, ſcripturæ rationem non accurate exhibuerit; quemadmodum exemplum noſtrum cum illo comparanti perſpicuum fiet.

Alterum eſt, index variarum lectionum, quas in pſalmis & canticis deprehendi, collatione facta cum editione Romana ex Vaticana typographia A. 1590. Hæc GENTILOTUS. Quæ omnia olim ſuo tempore & loco lucem adſpicient. KOL.

(1) *Ita quidem in ipſo authentico Codice ſcriptum eſt, ſed ſine ullo dubio legi debet* domumque.

Rivulus iſte meus teneatur flumine veſtro,
Floriferúmque nemus floſcula noſtra petant.
Incolumis vigeas Rector per tempora longa,
Eccleſiamque Dei dogmatis arte regas.

Hucuſque verſus Imp. *Caroli Magni;* quæ inſtar *Epiſtolæ dedicatoriæ* ſunt, & inſigne præbent teſtimonium non ſolum ſingularis *amoris* & non tralatitiæ *venerationis*, quibus jam memoratus *Imperator* Papam *Hadrianum I* proſecutus eſt, verum etiam non mediocris *ſtudii*, quod idem Glorioſiſſimus Imperator impendit *arti Poëticæ*. Utrumque confirmat *Eginhardus*, Gener & Cancellarius ipſius, in Libro, quem de Vita ejus compoſuit, his (1) verbis: *Nuntiato ſibi Hadriani Romani Pontificis obitu, quem in amicis præcipuum habebat, ſic flevit ut filium, aut ſi fratrem amiſiſſet cariſſimum. De* ſtudio autem *Artium liberalium*, ac conſequenter etiam *Poëſeos*, idem *Eginhardus* hæc refert: *Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque, quicquid vellet, apertiſſime exprimere. Nec (2) patrio tantum ſermone contentus, ſed etiam peregrinis linguis ediſcendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æque illa ac patria lingua (3) orare ſit ſolitus; Græcam vero melius intelligere, quam pronunciare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam didaſcalus appareret. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audivit; in cæteris diſciplinis Albinum cognomento (4) Alcoinum, item Diaconum, de (5) Brittania, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctiſſimum Præceptorem habuit: apud quemque & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertivit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſus curioſiſſime rimabatur. Tentabat & (6) ſcribere, tabulaſque & codicellos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum effingendis literis adſueſceret: ſed parum ſucceſſit labor præpoſterus ac ſero inchoa-*

(1) *Notandum eſt, ſequentia* Eginhardi *loca non hic a me exhiberi, ut ea vulgo leguntur in hactenus impreſſis editionibus, ſed ita, uti ea reperi in vetuſtiſſimo Codice MSto* Cæſareo, *qui inter Codices MStos Hiſtoricos Latinos eſt* centeſimus quadrageſimus octavus.

(2) *Nempe* Francico, *hoc eſt*, Germanico; *ut paulo poſt luce meridiana clarius apparet ex* nominibus, *quæ Ipſe Imperator Carolus Magnus* menſibus & ventis *primus indidit.*

(3) Orare *idem hic ſignificat atque ſermonem habere ſive facere de re aliqua. Eodem ſenſu apud Quintilianum legitur* ſcientia orandi.

(4) *Ita in manuſcripto legitur hoc nomen: nempe* Alcoinus, *non autem* Alcuinus.

(5) *Ita legitur in MSto; nempe* Brittania, *non autem* Britania.

(6) *Locus hic non eſt ita interpretandus, quaſi* Eginhardus *ſimpliciter loquatur de qualibet* ſcriptura; *ſed per* litteras, *quibus effingendis Imp.* Carolus M. *irrite tentavit manum adſueſcere, intelliguntur elegantiores illæ* majuſculæ, *quæ ad* calligraphiam *pertinent, & ornatus cauſa pinguntur potius quam ſcribuntur: ideoque Eginhardus appoſite hic utitur verbo* effingere, *quoniam proprie dicitur* effingi, *quod ad propoſiti alicujus archetypi imitationem artificioſe elaboratur. Quod enim Imp.* Carolus M. *in ordinario ſive communi genere ſcribendi ſatis fuerit exercitatus, ipſe teſtatur Eginhardus, dum paulo poſt refert, ipſum barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur,* ſcripſiſſe & *memoriæ mandaſſe. Notandum præterea etiam eſt, pro* effingendis literis *perperam vulgo in impreſſis editionibus legi* effigiendis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inchoatus. Legendi atque (1) *psallendi disciplinam* (Ecclesiasticam) *diligentissime emendavit; erat enim utriusque admodum eruditus. Inter cænandum aut aliquod* (2) *acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ & antiquorum res gestæ. Delectabatur & libris S. Augustini, præcipue his, qui de Civitate Dei prætitulati sunt. Omnium etiam Nationum, quæ sub ejus Dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, describere ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur; scripsit memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam juxta propriam linguam vocabula imposuit; cum ante id temporis apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus pronuntiarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus insignivit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum possent vocabula inveniri. Et de mensibus quidem Januarium* (3) *Uuintarmanoth, Februarium Hornug, Martium Lentzinmanoth, Aprilem Ostarmanoth, Majum Uuinnemanoth, Junium Brachmanoth, Julium Heuuinmanoth, Augustum Aranmanoth, Septembrem Uuitumanoth, Octobrem Uuindumemanoth, Novembrem Herbistimanoth, Decembrem Heilagmanoth appellavit. Ventis vero hoc modo nomina imposuit, ut Subsolanum vocaret Ostroniuuint, Eurum Ostsundroni, Euroaustrum Suntaustroni, Austrum Sunidroni, Austroafricum Suntuuestroni, Africum Uuestsundroni, Zephyrum Uuestroni, Chorum Uuestnordroni, Circium Norduuuestroni, Septemtrionem Nordroni, Aquilonem Nordostroni, Vulturnum Ostnordroni. De libris, quorum magnam in Bibliotheca* (Palatii sui Aquensis) *copiam congregavit, statuit* (in testamento suo), *ut ab his, qui eos habere vellent, justo pretio fuissent redempti, pretium in pauperibus erogatum.* Hæc Eginhardus. Huc quoque pertinet *Epitaphium* metricum supra memorati *Papæ Hadriani I.* ab eodem *Carolo Magno* compositum, & Sepulchro ipsius in Basilica Vaticana S. Petri incisum, quod extat in *Onuphrii Panvinii* editione *Platinæ* de Vitis Pontificum Romanorum, & apud Eminentiss. Card. *Baronium* Annalium Ecclesiasticorum Tomo nono ad A. C. 795, uti hic sequitur.

Hic

(1) *Insigne ejus rei testimonium præbet ille ipse antiquus* Psalterii *Codex manuscriptus, de quo in præsens agitur.*

(2) Acroama *significat hic improprie* personam, *quæ narrationem aliquam vel dissertationem auscultantibus aliis recitat, & quidem memoriter, ideoque* lectori *hic opponitur. Proprie enim* acroama *significat ipsam rem quæ auditur. Interdum quoque eadem vox usurpatur pro* histrione, *seu* mimo, *ut apud* Athenæum *Deipnosophist. lib. 4.* τὰ ἐξ Ἰταλιας ἀκροάματα; *& apud* Lampridium *in Vita Imp. Alexandri Severi;* Nanos & nanas, moriones & vocales, exoletos & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit.

(3) *De vera antiqua pronunciatione, ac genuina Etymologia, & interpretatione veterum horum nominum* Germanicorum, *quæ ipse Imp.* Carolus M. mensibus & ventis *secundum patriam linguam imposuit, commodiori posthac loco ex professo agam in Notis meis ad* novam *Vitæ Imp. Caroli M. ab* Eginhardo *conscriptæ* editionem, *quam Commentariis hisce inserturus sum ex Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ quinque Codicibus MStis membranaceis, quorum unus* triginta *circiter vel* quadraginta *tantum annis post mortem ipsius Imp. Caroli M. scriptus est.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclytus Auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed ſacris longe nobilior meritis.
Exornare ſtudens devoto pectore Paſtor
Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo,
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Vrbs Caput Orbis honor, inclyta Roma, tuas.
Mors, cui nil nocuit, Chriſti quæ morte perempta eſt,
Janua ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt Patrem lachrymans Carolus hæc carmina ſcripſi;
Tu mihi dulcis amor; te modo plango Pater.
Tu memor eſto mei; ſequitur te mens mea ſemper:
Cum Chriſto teneas Regna beata Poli.
Te Clerus, Populus magno delexit amore;
Omnibus unus amor, optime Præſul, eras.
Nomina jungo ſimul titulis, (1) Clariſſime, noſtra:
Hadrianus, Carolus; Rex ego, tuque Pater.
Quiſque legas verſus, devoto pectore ſupplex,
Amborum mitis, dic, miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies, Chariſſime, membra;
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurge videre Deum.
Auditurus eris vocem, ſcio, Judicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor eſto tui nati, Pater optime, poſco;
Cum patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete Regna, Pater fœlix, cœleſtia Chriſti;
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua, Sancte Pater, ſemper in orbe manet.
Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa
Annos XXIII. M. X. D. XVII. obiit VII. Kal. *Jan.*

Hucuſque Epitaphium PP. *Hadriani I,* ab ipſo *Carolo Magno* Rege Francorum, nondum autem Romanorum Imperatore, compoſitum. Cæterum, ut ad rem redeam, poſt carmen illud, quo *Carolus M.* Francorum Rex ſupra

(1) *Pro* Clariſſime *legendum hic videtur* Chariſſime, *uti paulo poſt.*

pra memoratum aureis literis exaratum *Pſalterium* Summo Pontifici *Hadriano I.* dedicavit, ſequitur in eodem inæſtimabili Codice, & quidem immediate in poſtica ejuſdem primi folii pagina, aliud aliquod carmen, quo *Dagulfus*, qui Codicem iſtum propria manu exaravit, laborem ſuum *Carolo M.* Francorum Regi offert, uti ſequitur:

Aurea dauiticos en pingit littera cantus.
ornari decuit tam bene tale melos.
Aurea uerba ſonant promittunt aurea regna.
manſurumq; canunt & ſine fine bonum.
Haec merito tabulis cultim decorant' eburnis.
quas mire exculpſit ingenioſa manus.
Illic pſalterii prima oſtentatur origo.
et rex doctiloquax ipſe canere choro.
Vtque decus rediit ſublatis ſentibus olim.
quod fuerat ſtudio peruigilante uiri.
Aurea progenies fuluo lucidior auro.
carle jubar noſtrum plebis & altus amor.
Rex pie dux ſapiens virtute inſignis & armis.
quem dece& omne decens quicquid in orbe plac&.
Exigui famuli dagulfi ſume laborem.
dignanter docto mitis & ore lege.
Sic tua per multos decorentur ſceptra triumphos.
dauitico & demum conſociere choro.

Iidem verſus ſecundum Orthographiam noſtri ævi:

Aurea Davidicos en pingit littera cantus;
Ornari decuit tam bene tale melos.
Aurea verba ſonant, promittunt aurea Regna,
Manſurumque canunt & ſine fine Bonum.
Hæc merito tabulis cultim decorantur eburnis,
Quas mire exſculpſit ingenioſa manus.
Illic Pſalterii prima oſtentatur origo,
Et Rex doctiloquax ipſe canere choro.
Vtque decus rediit ſublatis ſentibus olim,
Quod fuerat ſtudio pervigilante Viri.
Aurea progenies fulvo lucidior auro,
Carle, jubar noſtrum, plebis & altus amor.
Rex pie, Dux ſapiens, virtute inſignis & armis,
Quem decet omne decens, quicquid in Orbe placet.
Exigui famuli Dagulfi ſume laborem
Dignanter, docto mitis & ore lege.
Sic tua per multos decorentur Sceptra triumphos,
Davidico & demum conſociere choro.

Poſt *Dagulfi* hoc carmen non ſequitur ſtatim ipſe textus *Pſalterii*, ſed præmittuntur quædam *Prolegomena*, quæ reſpectu diverſitatis argumenti in *duas* præcipuas Partes diviſa ſunt. Harum *prior* continet *varias Profeſſionis Fidei Catholicæ formulas:* nempe primo *Concilii Nicæni* CCCXVIII Epiſcoporum; ſecundo *S. Ambroſii* Epiſcopi Mediolanenſis; tertio Summi Pontificis *S. Gregorii Magni;* quarto *S. Gregorii Thaumaturgi*, Epiſcopi Neocæſarienſis, qui, quod maxime notandum eſt, ibi vocatur *Martyr;* & quinto demum *S. Hieronymi.* Poſterior autem eorundem *Prolegomenorum* pars continet *S. Damaſi I. PP. S. Hieronymi, S. Auguſtini* & *S. Iſidori* Epiſcopi Hiſpalenſis inſignia quædam loca, partim de *Prophetia Divina generali*, partim vero etiam de ſpeciali *Prophetia Pſalterii Davidici*, & de ejuſdem *origine, autoribus, diſtinctione, translatione, emendatione, uſu & dignitate.* Cæterum quamvis tam de hiſce *Prolegomenis*, quam de ipſo præſtantiſſimo iſtius Pſalterii aureis literis exarati *contextu*, ejuſque *lemmatibus* & *Appendice*, alio commodiori loco in hiſce Commentariis ſeparatim agere conſtituerim, ut interim tamen non a me ſolum, verum etiam ab aliis Antiquitatum Eccleſiaſticarum amatoribus jam memorata *Prolegomena* poſſint conſiderari, repræſento illa hic in anteceſſum ea quidem, qua par eſt, diligentia & fide, ſed ſecundum Orthographiam tantum noſtri ævi, quia videlicet ſuperius jam expertus ſum, obſoletam illam *ævi Carolini* rationem ſcribendi & interpungendi non poſſe a typographo perfecta imitatione exprimi.

EXEMPLUM (1) FIDEI NICÆNI CONCILII CCCXVIII EPISCOPORUM.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem: Et in unum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, (2) *natum ex Patre unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris, DEUM verum* (3) *de DEO vero, natum, non factum, Homouſion, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt, quæ in Cælo & quæ in terra; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælo, incarnatus eſt, & homo factus eſt; paſſus eſt & reſurrexit tertia die; aſcendit in Cælos, unde venturus eſt judicare vivos & mortuos: Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat tempus quando non erat, &, prius quam naſceretur, non erat, & quia nullis ſubſiſtentibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt*

(1) *Conferatur* latinum *hoc exemplum Symboli Nicæni cum ipſo authentico contextu* Græco, *qui extat in Epiſtola S.* Athanaſii *Epiſc. Alexandr. ad Imp. Jovianum de Fide. Tomo primo Operum ipſius, pag. 399 editionis græc. lat. Commelinianæ in folio; item Tomo primo editionis Conciliorum Generalium græco-latinæ Romanæ Anno 1608 in fol. pag. 19. Conferatur etiam idem hoc Exemplum cum alia latina translatione ejuſdem Symboli, quæ extat libro quarto Concilii Nicæni, ab* Alphonſo Piſano, *Soc. Jeſu Presbytero editi, & a* Severino Binio *Corpori Conciliorum omnium inſerti, Tom. 1. pag. 363. Conſulatur quoque Card.* Baronius *Annal. Eccl. Tom. III. ad A. C. 325, pag. 298. edit. Plantin.*, & Gerard. Joan. Voſſius *Diſſertatione tertia de* Tribus Symbolis, *ubi agit de Symboli Nicæni & Conſtantinopolitani diſcrimine.*

(2) *In ſupra citata S. Athanaſii editione Græca poſt Chriſtum additur* τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, Filium Dei; *quæ verba hic culpa librarii omiſſa videntur.*

(3) *In Græca editione Athanaſiana legitur* ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, *h. eſt,* ex DEO vero.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cunt esse (1) ΤΡΕΠΤΟΝ, *hoc est, convertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.*

ITEM FIDES SCI (2) AMBROSII EPISCOPI.

Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta plenitudo sit Divinitatis. Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & tres unum sunt. Tres itaque formæ, sed una potestas. Ergo diversitas plures facit, unitas vero potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est. Sic itaque unus Deus, una Fides, unum Batisma. Si quis hanc Fidem non habet, Catholicus dici non potest, quia Catholicam non tenet Fidem, & ideo aliemus est ac profanus, & adversus veritatem rebellis.

INCIPIT FIDES SCI (3) GREGORII PAPÆ VRBIS ROMÆ.

Credo Deum Patrem Omnipotentem: credo Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum ex Patre, non factum, non post multum tempus, sed ante cunctum tempus semper fuisse. Nec enim Pater dici poterat, nisi habuerit Filium, neque Filius a patre esset, si Patrem utique non haberet. Illos vero, qui dicunt, erat quando non erat, execrabiliter remuo, & ab Ecclesia habitare contestor. Credo hunc Verbum esse Patris, per quem facta sunt omnia. Hunc vero carne factum credo, cujus passione Mundus redemptus est, & (4) humanitatem, non Deitatem subjacuisse passioni. Credo eum tertia die resurrexisse, hominem perditum liberasse, ascendisse ad cœlos, sedere ad dexteram Dei Patris, (5) inde venturum judicare vivos & mortuos. Credo Spiritum Sanctum a Patre & Filio processisse, non minorem, & quasi ante non esset, sed æqualem, & semper cum Patre & Filio coæternum Deum, consubstantiali natura, æquali omnipotentia cum sempiterna essentia, & nunquam sine Patre fuisse vel Filio. Credo hanc Trinitatem Sanctam in distinctione subsisti Personarum; & alia quidem Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. In Trinitate unam Deitatem, unam potentiam, unam essentiam esse confiteor. Credo Beatam Mariam, ut Virginem ante partum, ita Virginem & post partum. Credo animam immortalem, tamen nec partem habere Divinitatis: & omnia, quæ a trecentis XVIII. Episcopis, Nicæni Concilii congregatis, instituta sunt, credo fideliter.

SCOLION.

Ne opus sit, Benigne Lector, ut *alterum* S. Gregorii Magni *Symbolum*, quod apud *Joannem Diaconum* libri secundi

(1) *In Græca S. Athanasii editione locus hic aliquanto est auctior. Legitur enim ibi:* φάσκοντας εἶναι ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, *h. e.*, dicunt esse aut creatum, aut convertibilem, aut mutabilem Filium Dei. *Videntur ergo hic tres illæ voces, aut* creatum, aut *culpa librarii omissa esse.*

(2) *Vide ipsius Tractatum in* Symbolum Apostolorum, *& Libros quinque* de Fide *ad Imp. Gratianum.*

(3) *Hoc sacræ confessionis Symbolum longe diversum est ab eo, quod extat apud* Joannem Diaconum, *libro secundo de* Vita ejusdem S. Gregorii Magni, *cap. 2. Tom. I. Operum ipsius, pag. 22. edition. Antverp. A. 1615. in fol.*

(4) *In ipso MSto mendose legitur* humanitanitatem.

(5) *In ipso MSto mendose legitur* venturus.

secundi de *Vita* ejusdem S. Gregorii capite secundo extare monui, collationis causa alibi quæras, repræsento illud hic tibi optima fide ex Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ pervetusto Codice MSto membranaceo, qui est inter MStos Codices Theologicos Latinos nonagesimus sextus. *Denique in specula Sanctæ Universalis Ecclesiæ Vir totius* (1) *humilitatis, auctoritatis ac orthodoxiæ, unde videri & audiri clarius Evangelicus Præco valeret, consistens, oris sui divinissimo gladio & rectam fidem munivit & cunctas hæreses* (2) *in Symbolo dissipavit. Quod videlicet sacræ Confessionis Symbolum ita se habet. Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, tres Personas unam substantiam; Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero Sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum de Patre & Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem, & sine tempore natum de Patre, omnium visibilium & invisibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum* (3) *ex Deo vero, splendorem gloriæ, figuram substantiæ. Qui manens Verbum ante secula, perfectus homo creatus* (4) *juxta finem seculorum, conceptus & natus ex Spiritu Sancto &* (5) *Maria Virgine: qui naturam nostram suscepit absque peccato, & sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus; tertia die resurrexit a mortuis, die autem quadragesimo ascendit in Cœlum;* (6) *sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos & mortuos; posituras ante oculos omnium* (7) *occulta singulorum; daturus justis perpetua præmia Regni cœlestis, iniquis autem supplicia ignis æterni; innovaturus seculum per ignem* (8) *in carnis resurrectione. Confiteor unam Fidem, unum Baptisma, unam Apostolicam & Universalem Ecclesiam, in qua sola possunt laxari peccata in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Hucusque Symbolum Fidei S. Gregorii Magni, quod extat in Vita ipsius, conscripta a Joanne Diacono.

ITEM FIDES BEATI GREGORII (9) MARTYR. ET EPISCOPI NEOCÆSARIÆ.

Unus Deus Pater Verbi viventis Sapientiæ subsistentis & virtutis suæ & figuræ, Perfectus Perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti. Unus

(1) *In supra citata editione Antverpiensi minus recte* legitur humanitatis. *Quod enim* humilitatis *legendum sit, patet ex proxime præcedenti capite primo, ubi idem Joannes Diaconus refert, ipsum (scilicet S. Gregorium Magnum) primum omnium se in principio Epistolarum suarum* servum servorum Dei *scribi, satis* humiliter *definivisse, cunctisque suis successoribus documentum hoc* humilitatis *suæ hæreditarium reliquisse. In eadem Antverpiensi editione pro* auctoritatis & orthodoxiæ, *minus recte legitur* aut auctoritatis orthodoxæ.

(2) *In edit. Antverp. pro* in Symbolo *legitur* uno Symbolo.

(3) *In edit. Antverp. pro* ex Deo *legitur* de Deo.

(4) *In edit. Antverp. additur* est.

(5) *In edit. Antverp. legitur:* & de Maria Virgine.

(6) *In edit. Antverp. legitur* & sedet.

(7) *In editione Antverp. legitur:* ante oculos omnium omnia occulta singulorum.

(8) *In edit. Antverp. minus recte legitur:* & carnis resurrectionem.

(9) Cum ex vita *S. Gregorii Thaumaturgi*, Episcopi Neocæsarienſis, quam *S. Gregorius* Episcopus *Nyssenus* & S. Basilii Magni frater Græce scripsit, certo constet, ipsum *sine cruento martyrio* obiisse, non potest hic cognomen *Martyris* aliter accipi, quam improprie; nempe eodem sensu, quo & *S. Anschario* primo Archiepiscopo Hamburgensi a discipulo ipsius & successore *S. Remberto* titulus *Martyris* tribuitur capite ultimo Vitæ ejus his verbis: *O vere beatum & omni laudis præconio dignissimum Virum, quem talem ac tantum imitari, quem*

Vnus Deus ſolus ex ſolo Deo, figura & imago Deitatis, Verbum penetrans Sapientia comprehendens omnia, & Virtus, qua tota creatura fieri potuit, Filius verus veri, & inviſibilis ex inviſibili, & incorruptibilis ex incorruptibi, immortalis ex immortali, ſempiternus ex ſempiterno. Vnus Spiritus Sanctus, ex Deo ſubſtantiam habens, & qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti, perfecta viventium cauſa, Sanctitas ſanctificationis præſtatrix, per quem Deus ſolus ſuper omnia, & in omnibus cognoſcitur, & Filius per omnes. Trinitas perfecta Majeſtate & Sempiternitate & Regno minime dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid aut ſerviens in Trinitate, neque ſuperinductum, tanquam ante hoc quidem non ſubſiſtens, & quaſi poſtea ſuperingreſſum; neque ita defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus Sanctus, ſed inconvertibilis & immutabilis eadem Trinitas ſemper manet.

A

B

SCOLION.

Hæc eſt, Benigne Lector, illa ipſa Ἔκθεσις τ πίστεως ſive *Expoſitio fidei*, quam *S. Gregorius Thaumaturgus* ſub principium ſuſcepti muneris Epiſcopalis per revelationem nocturnæ viſionis accepit a *S. Joanne Evangeliſta*, qui ipſi vigilanti in lecto, & de ratione ſermoneque Fidei ſecum diſceptanti, una cum *Beatiſſima Dei Genitrice* apparuit; uti teſtatur *S. Gregorius*, Epiſcopus *Nyſſenus* & *S. Baſilii Magni* frater, in peculiari *de Vita ipſius* libro, qui jam pridem græce & latine impreſſus extat tam in fine Operum ipſius *S. Gregorii Thaumaturgi*, quæ *Gerardus Voſſius*, Præpoſitus Tungrenſis, cum interpretatione ſua latina & Notis Moguntiæ A. 1604. in 4to edidit, quam Tomo *ſecundo* Operum *S. Gregorii Nyſſeni*, quæ *Pariſiis* apud Sebaſtianum Cramoiſy A. 1615 duobus Voluminibus in folio impreſſa ſunt. Ut igitur unuſquiſque pro lubitu non ſolum jam memoratæ viſionis narrationem

ſolum plurimorum tot ſimul habere virtutes contigit; qui mente ſanctus & corpore caſtus cum Virginibus agnum, quocunque ierit, ſequetur; qui ſemper in confeſſione Chriſti perſeverans, glorioſum admodum inter Confeſſores locum habebit; qui in ſublimi illa cum Apoſtolis Judicium ſede in Regeneratione ſeſſurus eſt, ac mundum, quem contempſerat, judicaturus, & cum Martyribus juſtitiæ Coronam & palmam Martyrii adepturus. Martyrii enim duo eſſe genera conſtat, unum in pace Eccleſiæ occultum, alterum perſecutionis articulo ingruente manifeſtum; utrumque voluntate tenuit, ad alterum effectu pervenit. Quia enim quotidie ſemper lachrymas, vigilias, jejunia, carnis maceracionem & deſideriorum carnalium mortificationem in ara cordis Deo mactabat, Martyrium profecto, quod pacis tempore non potuit, voto conſecutus eſt. Quia vero ad apertum corporis Martyrium perſecutoris gladii ſibi animus non defuit; quod opere minus potuit, voluntate adeptus eſt. Quamvis hoc quoque Martyrium opere eum habuiſſe, omnino negare nequeamus, ſi tantos ejus pro Domino labores juxta Apoſtolum attendamus, in itineribus ſæpe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate. Præter illa, quæ extrinſecus erant, inſtantia ejus quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmabatur, & ipſe non fuit infirmus? Quis ſcandalizabatur, & ipſe non urebatur? Qui ergo tot ac tantis eſt pro Domino & corporis adverſitatibus & animi æſtibus excoctus, quomodo Martyr eſſe jure negabitur? Hucuſque *S. Rembertus* de *S. Anſcharii* incruento Martyrio. Plura autem de eadem re vide ſis in R. P. *Thomæ Hurtadi* Toletani *Reſolutionibus de vero Martyrio Fidei*, impreſſis Coloniæ Agrip. apud Cornel. ab Egmond A. 1655. in folio.

nem considerare, sed & ipsam revelatæ istius cælestis Doctrinæ *formulam græcam* cum *latina* Codicis MSti *Carolini* translatione sine mora & quasi uno intuitu conferre possit, exhibeo hic integrum illum insignem *S. Gregorii Nysseni* locum, quemadmodum is non tantum legitur in supra citatis duabus editionibus impressis, verum etiam in *duobus* Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ antiquissimis optimæque notæ *Codicibus* MStis membranaceis, qui inter MStos Codices Theologicos Græcos sunt *centesimus trigesimus* & *centesimus trigesimus secundus*. Apposui etiam e regione latinam versionem (1) *Gerardi Vossii*, Præpositi Tungrensis, ut inter hanc quoque & antiquiorem istam *ævi Carolini* translationem fieri possit comparatio.

A

Οὕτω τοίνυν ὑπελθὼν τ̃ ζυγὸν κατ' ἀνάγκην, πάντα μετὰ ταῦτα τ̃ νομίμων ἐπ' αὐτῷ τελεσθέντων, ϗ βραχὺν χρόνον αἰτησάμενος παρὰ τ̃ τ̃ ἱερωσύνην ἐπικηρύξαντος, πρὸς κατανόησιν τῆς κτ̃ τὸ μυστήριον ἀκριβείας, οὐκ ἔτι, καθης φώσιν (1) ὁ ἀπόστολος σαρκὶ ϗ αἵματι προσανέχειν ᾤετο δεῖν· ἀλλὰ θεόθεν ᾔτει γενέσθαι αὐτῷ τ̃ τῶν κρυφίων φανέρωσιν. καὶ οὐ πρότερον ἐπεθάρσησε τῷ τοῦ λόγου κηρύγματι πρὶν διά τινος ἐμφανείας ἐκκαλυφθῆναι αὐτῷ τ̃ ἀλήθειαν.

B

Cum sic ergo coactus jugum subiisset, omnibus legitimis atque solemnibus in eo postea peractis, & breve ab eo, qui Sacerdotem ipsum renunciarat, tempus ad exactius cognoscendum mysterium, petiisset; non amplius, sicut ait (2) Apostolus, carni & sanguini adhærendum esse & acquiescendum existimavit: sed a Deo sibi occultorum manifestationem fieri petiit: & non prius verbi prædicationem aggredi ausus est, quam per quandam apparitionem ipsi fuisset revelata veritas.

Σκοπουμένῳ γὰρ αὐτῷ ποτ' ἐννύχιον περὶ τοῦ λόγου τ̃ πίστεως, καὶ παντοίους ἀνακινοῦντι λογισμούς. (ἦσαν γὰρ δὴ καὶ τότε τινες οἱ τ̃ εὐσεβῆ διδασκαλίαν παραχαράττοντες, διὰ τ̃ πιθανότητος τῶν ἐπιχειρημάτων, ἀμφίβολον ποιοῦντες πολλάκις καὶ τοῖς συνετοῖς τ̃ ἀλήθειαν.) ὑπὲρ ἧς τότε διαγρυπνοῦντι αὐτῷ ϗ φροντίζοντι φαίνεταί τις καθ' ὕπαρ ἐν ἀνθρωπίνῳ τῷ σχήματι, γηραλαῖος τὸ εἶδος, ἱεροπρεπὴς τῇ καταστολῇ τοῦ ἐνδύματος, πολλὴν ἐπισημαίνων τ̃ ἀρετὴν τῇ περὶ τὸ πρόσωπον χάριτι, καὶ τῇ καταστάσει τοῦ σχήματος· τὸν δὲ, καταπλαγέντα τῇ ὄψει, διαναστῆναι μὲν τ̃ εὐνῆς, ϗ ὅς τις εἴη μαθεῖν ἐδεῖτο, καὶ ὑπερ τίνος ἥκοι.

C

Cum enim per totam noctem aliquando de ratione atque sermone fidei specularetur, variasque secum cogitationes agitaret; (erant enim & tunc aliqui, qui piam religionis doctrinam adulterarent, per probabiles argumentationes sæpe etiam intelligentibus ac doctis veritatem ambiguam reddentes:) pro qua tunc ei vigilanti, & sollicite noctem agenti quidam evidenter apparet in figura humana, specie ac forma senili, sacro habitu amictus, magnamque virtutem ornatu atque compositione indumenti referens. Is vero visu perterritus ac stupefactus, & surgere e lecto, & quis esset, ac qua de causa venisset, sciscitari cœpit.

Cum

(1) *Diversa est hæc translatio latina* Vossiana *ab altera illa* Laurentii Sifani, *quæ extat in supra citata editione* Parisina *Operum* S. Gregorii Nysseni, *Tomo secundo, pag. 977. Vide etiam Card.* Baronii *Annal Eccles. Tom. III pag. 471. edit. Roman., & Tom. II. pag. 377. & 378. edit. Plantin.*

(2) Γαλατ. ά.

(2) Galat. 1.

Ἐκείνε δὲ καλασείλαν(ο) ἀυτ῀ τὴν ταραχὴν τῆς διανοίας ἐν ἠρεμαίᾳ φωνῇ, ⁊ εἰπόν(ο), θείῳ ωε῀ς ἄγμαλι (1) πεφηνέναι αὐτῷ τ῀ῦ ἀμφισ῀ητυμένων παρ' αὐτ῀ῦ χάριν, ὡς ἂν ἐκκαλυφθείη αὐτῷ τ῀ ἐυσεβ῀ῦς πίστεως ἡ ἀλήθεια· θαρσῆσαίτε ωε῀ὸς τὸν λόγον, ⁊ βλέψαι ωε῀ὸς αὐτὸν, μελάλιν(ο) χαρᾶς ⁊ ἐκπλήξεως. εἶτα, ἐκείνε κατευθὺ (2) τὴν χεῖρα πεολείναντ(ο), ⁊ οἷον ὑπδεικνύντ(ο) αὐτῷ διὰ τ῀ῦ δακτύλων ἐυθείας τὸ ἐκ πλαγίου φαινόμενον, συμπεριαγαγεῖν τ῀ὸτον τῇ ἐυθείᾳ τ῀ χειρὸς τὸ ἴδιον βλέμμα, ⁊ ἰδεῖν ἀντιπρόσωπον τῷ ὀφθέλι, ἕτερον θέαμα ἐν γυναικείῳ τῷ σχήμαλι, κρεῖτ῀ον ἢ κ῀ᾶ ἄνθρωπον. πάλιν δὲ καταπλαγέντα συγκλιθῆναί τε ωε῀ὸς ἑαυτὸν τῷ πρ῀οσώπῳ, ⁊ ἀμηχανεῖν τῷ θεάμαλι, μὴ φέρονλα τοῖς ὀφθαλμοῖς τὴν ἐμφάνειαν. ⁊ γὰρ δὴ τὸ παράδοξον τ῀ῦ ὁπλασίας ἐν τ῀ότῳ μάλισ῀α ἦν, ὅτι νυκτὸς ὄσης βαθείας, φῶς τοῖς ὀφθεῖσιν αὐτῷ συνεξέλαμψεν, ὥσπέρ τινος ἐξαπλομένης λαμπρᾶς λαμπάδ(ο)· ἐπεὶ οὖν ὐχ οἷός τε ἦν φέρειν τοῖς ὀφθαλμοῖς τὴν ἐμφάνειαν, ἤκ῀ε διὰ λόγ῀ε τινὸς τ῀ῦ ὀφθέντων αὐτῷ ωε῀ὸς (3) ἄλλ῀ας τὸ ωε῀ὶ το῀ῦ ζητ῀υμένε λόγον διεξιόντων. δι' ὧν ὐ μόνον ἐπαιδεύθη τὴν ἀληθῆ γνῶσιν τ῀ῦ πίστεως, ἀλλὰ ⁊ διὰ τ῀ῦ ὀνομάτων τὰς ἐπιφανέντας ἐγνώρισεν, ἑκατέρου αὐτῶν διὰ τ῀ῦ οἰκείας πρ῀οσηγορίας ἀνακαλοῦν(ο) τὸν ἕτερον.

A *Cum autem ille perturbationem mentis ejus ſubmiſſa ac quieta voce ſedaſſet, dixiſſetque ſe juſſu divino (1) apparuiſſe ei, ob eas rationes, quæ apud ipſum controverſæ ac dubiæ erant, ut piæ fidei ipſi revelaretur veritas: illius verbis confirmatus ei eſt animus, & cum quodam gaudio atque ſtupore illum intuitus eſt. Deinde cum ille manum directo protendiſſet, ac quaſi oſtenderet ei per digitorum directam protenſionem id, quod ex tranſverſo apparebat; ipſe quoque una cum directa illius manu protenſione ſuum circumegit obtutum, & ex adverſo ejus, quod prius apparuerat, aliud quoddam excellentius & auguſtius, quam pro humana conditione ſpectaculum in figura muliebri conſpexit. Rurſus autem perterritus, & facie averſa vultum in ſeipſum inclinans, dubio ac plane perplexo fuit animo propter ſpectaculum, ut qui oculis apparitionem ferre nequiret. Etenim in hoc potiſſimum conſiſtebat miraculum viſionis, quod cum profunda nox eſſet, lumen una cum illis, qui ei apparuerant, velut lucida aliqua fax reſplendebat. Cum igitur oculis ferre apparitionem non poſſet, audivit ſermocinationem quandam eorum, qui a ſe viſi fuerant, explicantium inter ſeſe rationem ejus rei, de qua ambigebatur: per quos, non ſolum veram fidei cognitionem accepit, verum etiam nominatim eos, qui apparuerant cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum compellante & alloquente.*

Ἀκ῀ῦσαι γὰρ λέγελαι ωῶ῀ὸς τ῀ῦ ἐν γυναικείῳ φανείσης τῷ σχήμαλι, παρακαλ῀ούσης τὸν Ευαγγελισ῀ὴν Ἰωάννην, φανερῶσαι τῷ νέῳ τὸ τ῀ῦ (4) ἀληθείας μυσ῀ήριον. ἐκεῖνον δὲ εἰπεῖν, ἑτοίμως ἔχειν, ⁊ το῀ῦ῀ο τῇ

B C *Audiviſſe enim dicitur ex ea, quæ in muliebri habitu viſa erat, cum adhortaretur Evangeliſtam Joannem, ut adoleſcenti myſterium (2) veritatis manifeſtaret: illum autem dixiſſe, ſe paratum*

(1) ἄλ. πεμφθῆναι αὐτῷ.
(2) ἄλ. ἐπευθύ.
(3) ἄλ. ωε῀ὸς ἀλλήλ῀ας.
(4) ἄλ. ἐυσεβείας.

(1) Miſſum eſſe ad ipſum.

(2) al. pietatis.

μητρὶ τὸ κυρίῳ χαρίσασθαι, ἐπειδὴ τοῦτο φίλον αὐτῇ, καὶ ὅτως εἰπόντα τὸν λόγον σύμμετρόν τε καὶ εὐπερίγραπτον, πάλιν μεθαναστῆναι τῆς ὄψεως. τὸν δὲ παραχρῆμα τὴν θείαν ἐκείνην μυσταγωγίαν γράμμασιν ἐνσημήνασθαι, καὶ κατ' ἐκείνην μὴ ταῦτα κηρύσσειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὸν λόγον, καὶ τοῖς ἐφεξῆς, ὥσπερ ἴνα κλῆρον τὴν θεόσδοτον ἐκείνην διδασκαλίαν καταλιπεῖν· δι' ἧς μυσταγωγεῖται μέχρι τοῦ νῦν ὁ παρ' ἐκείνοις λαὸς, πάσης αἱρετικῆς κακίας, διαμείνας ἀπείραλος. τὰ δὲ τῆς μυσταγωγίας ῥήματα, ταῦτά ἐστιν.

A ratum esse etiam in hoc gratificari matri Domini; quoniam id ei carum erat; atque ita, exposito sermone, qui & rei quaesitæ conveniret, & bene circumscriptus ac definitus esset, denuo ex oculis se subduxisse: eum vero divinam illam mystagogiam ac disciplinam protinus litteris mandasse; & secundum illam, postea in Ecclesia sermonem prædicasse, ac posteris, tanquam patrimonium aliquod ac legatum, divinitus datam illam doctrinam reliquisse: per quam in hodiernum usque diem institutur, qui apud illos est, populus: qui ab omni hæretica pravitate intactus permansit. Mysticæ porro illius doctrinæ ac disciplinæ verba hæc sunt.

Εἷς θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου. Τέλειος, τελείου γεννήτωρ. πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, θεὸς ἐκ θεοῦ. χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργός. σοφία τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτική· καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική. υἱὸς ἀληθινὸς, ἀληθινοῦ πατρὸς. ἀόρατος ἀοράτου. καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου. καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου. καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. καὶ διὰ υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις. εἰκὼν τοῦ υἱοῦ τελείου τελεία. ζωὴ, ζώντων αἰτία. πηγὴ ἁγία. ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός. ἐν ᾧ φανερῶται θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι. καὶ θεὸς ὁ υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ, μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. ὥστε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι, ὥστε ἐπείσακτον ὡς πρότερον μὲν οὐχ ὑπάρχον ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν. ὥστε οὖν ἐνέλιπέ ποτε υἱὸς πατρί, ὥστε υἱῷ τὸ πνεῦμα ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος ἡ αὐτὴ τριὰς ἀεί.

B Unus Deus pater verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ ac figuræ æternæ: perfectus perfecti genitor; pater filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo. Character & imago Deitatis, verbum efficax. Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus veri Patris invisibilis ejus, qui est invisibilis; & incorruptibilis corruptioni non obnoxii, & immortalis mortis plane nescii, & æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus, C ex Deo existentiam habens; quique per filium apparuit, scilicet hominibus: imago filii perfecti perfecta: vita, viventium causa; fons sanctus; sanctitas, sanctificationis suppeditatrix, in quo manifestatur Deus Pater, qui est super omnia, & in omnibus: Et Deus Filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate est; neque adventitium, ut quod prius quidem non esset, posterius autem introductum sit. Non ergo defuit unquam Filius Patri: neque Filio Spiritus: sed immutabilis & invariabilis eadem semper manet Trinitas.

Quod

Εἴ τις (1) τῷδε φίλος περὶ τούτου πεισθῆναι, ἀκουέτω τῆς Εκκλησίας, ἐν ᾗ ταῦτα ἐκήρυττε, παρ' οἷς αὐτὰ τὰ χαράγματα τῆς μακαρίας ἐκείνης χειρὸς, εἰσέτι καὶ νῦν διασώζεται.

A *Quod si quis de hac re fidem sibi fieri velit; audiat Ecclesiam, in qua sermonem prædicabat: quippe apud quos adhuc etiam nunc illa ipsa verba a beata illa manu exarata adservantur.*

Hucusque S. Gregorius Nyssenus. Quam maxime igitur hoc loco notandum est, ex illo vere aureo *Psalterii Davidici* Codice MSto, de quo in præsens agitur, luculenter apparere, quod jam citata *S. Gregorii Nysseni* narratio de Fidei Catholicæ Expositione, quam *S. Gregorius Thaumaturgus* per miraculosam *Beatissimæ Dei Genitricis* & *S. Joannis Evangelistæ* apparationem divinitus accepit, non sit habita ab *Imp. Carolo Magno* pro *somnio somniorum*, uti quidam a Catholica Fide alienus eam nuper impia blasphematione appellare ausus est, sed pro vera ac genuina & unanimi S. Catholicæ Ecclesiæ consensu semper approbata historia.

EXPOSITIO FIDEI CATHOLICÆ SCI. HIERONYMI.

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & invisibilium Conditorem. Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum, per quem creata sunt omnia: verum Deum unigenitum & verum Dei Filium, non factum aut adoptivum, sed genitum, & unius cum Patre substantiæ, (2) *atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate possit esse inferior, tantumque esse confitemur illum, qui est genitus, quantus est ille qui genuit.*

B *Non autem, quia dicimus, genitum a Patre Filium, Divinæ & ineffabili Generationi aliquod tempus adscribimus; sed nec Patrem aliquando cœpisse, nec Filium. Non enim aliter possumus confiteri æternum Patrem, nisi confiteamur etiam coæternum Filium: Ex Filio enim Pater dicitur, & qui semper Pater fuit, semper habuit Filium. Credimus & in Spiritum Sanctum, Deum verum ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, potestate, æternitate, substantia. Nec enim prorsus aliquis in Trinitate gradus; nihil, quod inferius superiusve dici possit.* (3) *Ita tota Deitas sui perfectione æqualis est, ut, exceptis vocabulis, quæ proprietatem indicant Personarum, quicquid de una Persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi. Atque* (4) *confutantes* (5) *Arium, unam*

C *eandemque dicimus Trinitatis esse substantiam, & unum in tribus Personis fatemur Deum. Ita impietatem Sabelli declinantes, tres Personas expressas sub proprietate distinguimus, non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Spiritum Sanctum esse dicentes; sed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti esse Personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci exprimunt,*

ΥΠΟ-

(1) ἄλ. ὅτῳ δὲ φίλον.

(2) *In Antverp. editione Mariani Victorii additur hic;* quod Græci dicunt ὁμοούσιον.

(3) *In edit. Antverp. pro* ita *legitur* sed.

(4) *In edit. Antverp. legitur* Atque ut confundentes Arium.

(5) *In ipso MSto legitur* Arrium *per duplex* rr.

ΥΠΟΣΤΑΣΕΙΣ, *hoc eſt Subſiſtentias confitemur. Nec Pater Filii, aut Sancti Spiritus Perſonam aliquando excludit, nec rurſus Filius, aut Spiritus Sanctus Patris nomen Perſonamque* (1) *recepit, ſed Pater ſemper Pater, Filius ſemper Filius, Spiritus Sanctus ſemper Spiritus Sanctus. Itaque ſubſtantia unum ſunt, Perſonis ac nominibus diſtinguuntur. Ipſum autem Dei Filium, qui abſque initio æternitatem cum Patre & Spiritu Sancto poſſidet, dicimus in fine ſeculorum perfectum naturæ noſtræ ſuſcepiſſe hominem ex Maria ſemper Virgine, & Verbum carnem eſſe factum, adſumendo hominem, non permutando Deitatem; nec, ut quidam ſceleratiſſime opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuiſſe pro ſemine, ſed potentia ac virtute Creatoris operatum. Sic autem confitemur in Chriſto unam Filii eſſe Perſonam, ut dicamus duas perfectas atque integras eſſe ſubſtantias, id eſt Deitatis, & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. Atque ut condemnamus* (2) *Photinum, qui ſolum & nudum hominem confitetur in Chriſto, ita anathematizamus Appollinarem & ejus ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura, & vel in carne, vel in anima, vel in ſenſu adſumptum hominem, his, propter quos adſumptus eſt, fuiſſe diſſimilem, quem abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt, nobis confitemur fuiſſe conformem. Illorum quoque ſimiliter* (3) *execramus blaſphemiam, qui novo ſenſu adſerere conantur a tempore ſuſceptæ carnis, omnia, quæ erant Deitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum, quæ humanitatis erant, in Deum eſſe transfuſa, ut, quod nulla unquam Hæreſis dicere auſa eſt,* (4) *hac confuſione utraque exinanita ſubſtantia Deitatis ſcilicet & humanitatis, & proprio ſtatu in aliud eſſe mutata, qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitentur, ut nec Deum vere nec hominem tenere credantur. Nos autem ita dicimus ſuſceptum a Dei Filio paſſibile noſtrum, ut* (5) *Dei tamen impaſſibile permaneret. Paſſus* (6) *enim Filius non putative, ſed vere, omnia, quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi, ſecundum illud: Paſſus eſt, quod pati poterat; id eſt, non ſecundum illam ſubſtantiam quæ adſumpſit, ſed ſecundum illam ſubſtantiam quæ adſumpta eſt. Ipſe enim Dei Filius ſecundum Deitatem ſuam impaſſibilis eſt ut Pater, incomprehenſibilis ut Pater, inviſibilis ut Pater, inconvertibilis ut Pater. Et quamvis propria Perſona Filii, id eſt Dei Verbum ſuſcepit paſſibilem hominem, ita tamen ejus habitatione, ſecundum ſuam ſubſtantiam Deitas Verbi nihil paſſa eſt, ut tota Trinitas, quam inpaſſibilem neceſſe eſt confiteri. Mortuus eſt ergo Dei Filius ſecundum Scripturas juxta id, quod mori poterat; reſurrexit tertia die; aſcendit in* (7) *cœlos; ſedit ad dexteram Dei Patris, manente ea natu-*

(1) *In edit. Antverp. legitur* recipit, ſed Pater ſemper Pater eſt, *&c.*

(2) *In ipſo MSto legitur* Fotinum per F *non autem per* Ph.

(3) *In edit. Antverp. legitur tam hic, quam paulo poſt* execramur.

(4) *In edit. Antverp. legitur:* dicere auſa eſt, videatur hac confuſione *&c.*

(5) *In edit. Antverp. legitur:* ut Deitas impaſſibilis permaneret.

(6) *In edit. Antverp. legitur:* Paſſus eſt enim Dei Filius.

(7) *In edit. Antverp. legitur:* in Cælum; ſedet *&c.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

natura carnis, in qua natus & passus A *est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, & in æternum cum Deitate mansura. Accepta ergo a Patre omnium potestate, quæ in cælo sunt & in terra, venturus est ad judicium vivorum ac mortuorum, ut & justos remuneret & puniat peccatores. Resurrectionem* (1) *carnis ita credimus, ut dicamus, nos in eadem, in qua nunc sumus, veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post* B *resurrectionem fuerimus effecti, perpetuo permansuros: Vnam esse vitam Sanctorum,* (2) *sed præmia pro labore diversa; e contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia.* (3) *Baptismum unum tenemus, quod iisdem Sacramenti verbis* (4) *infantibus, quibus etiam in majoribus,* (5) *esse celebrandum. Hominem, si post Baptismum lapsus fuerit, per pœnitentiam credimus posse salvari. Novum* C *& Vetus Testamentum recipimus in eo librorum numero, quem Sancta Catholicæ Ecclesiæ* (6) *tradidit auctoritas. Animas a Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus, anathematizantes eos, qui* (7) *animam quasi partem* (8) *Dei Divinæ dicunt esse substantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccasse, vel in cælis conversatas fuisse dicunt, quam in* (9) *corpore mitterentur. Execramus etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari; vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut secundas cum* (10) *Cataphrygis damnant. Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, & eum propter adsumptum hominem non omnia facere potuisse, quæ voluit. Joviniani quoque damnamus hæresim, qui dicit; nullam in futuro meritorum esse distantiam, nosque eas ibi habituros esse virtutes, quas hic habere negleximus. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errasse, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum* (11) *posse vitare, quam illos, qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper, & peccare & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc Fides est, Papa Beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus:* (12) *in qua si minus perite aut parum caute aliquid forte positum est,* (13) *emendari cupimus a Te, qui Petri* (14) *Fidem sedemque tenes: sin autem hæc nostra Confessio Apostolatus*

(1) *In editione Antverp. legitur* : Resurrectionem etiam carnis confitemur & credimus, ut *&c.*
(2) *In edit. Antverp. legitur* Sanctorum omnium.
(3) *In edit. Antverp. legitur* Baptisma.
(4) *In edit Antverp. legitur* in infantibus.
(5) *In edit. Antverp. legitur:* asserimus esse celebrandum.
(6) *In edit. Antverp. legitur* tradit.
(7) *In edit. Antverp. legitur* animas.
(8) *In edit. Antverp. deest* Dei.
(9) *In edit. Antverp. rectius legitur* in corpora.
(10) *In ipso MSto legitur* Catafrigis.
(11) *In edit. Antverp. rectius legitur:* hominem peccatum vitare non posse, *&c.*
(12) *In edit. Antverp. additur:* & tenemus.
(13) *In ipso MSto mendose legitur* emendare *pro* emendari, *ut alias* Apollenaris *pro* Apollinaris, fuesse *pro* fuisse, dedicimus *pro* didicimus; *& vice versa* malivolum *pro* malevolum.
(14) *In edit. Antverp. legitur* Petri & fidem & sedem tenes.

latus tui judicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum (1) *comprobavit.*

Sydereo Genitor residens in vertice cœli,
Nominis oramus veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alte, tui; (2) *tranquillaque mundo*
Adveniat Regnumque tuum lux alma recludat:
In Cœlo & (3) Terra tua fiat clara voluntas,
Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis: tua mox largitio solvat
Innumera indulgens erroris debita pravi,
Et nos haud aliter concedere fœnore nostris:
Tetri sæva procul tentatio Dæmonis absit,
Aque malis tua nos in lucem dextera tollat.
Sic etenim Genitor populis delicta remittit,
Si vestra alterni vobis peccata velitis
Cedere, & durum erratis intendere pectus.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus Te, benedicimus Te, adoramus Te, glorificamus Te, gratias agimus Tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex Cœlestis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite JEsu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad Dexteram Patris miserere nobis, quoniam Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus, JEsu Christe, cum Sancto Spiritu in Gloria DEI Patris.

SCHOLION.

Notandum est, præcedentem Expositionem Fidei ab Imp. *Carolo Magno* vocari *Catholicam* & *S. Hieronymo* expresse ac sine ulla dubitatione attribui. Cardinalis enim *Bellarminus* in libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis* verum ejus autorem non putat esse *S. Hieronymum*, sed *Pelagium Hæresiarcham*, quoniam videlicet *S. Augustinus* libro primo de *Gratia Christi* cap. 32. & 33. ex jam memorati *Pelagii Libello Fidei*, quem is purgandi sui causa ad *S. Innocentium I. PP.* Romam misit, duo citat loca *de Baptismo parvulorum* & *de adjutorio gratiæ*, quæ etiam nunc ἀυτολέξει, sive ad verbum extant in hac expositione Fidei, quam *S. Hieronymus* misit ad S. PP. *Damasum.* Verba illa libelli Pelagiani, a *S. Augustino* citata, leguntur in editione Operum ipsius a Theologis Lovanienſibus Antverpiæ typis Plantinianis A. 1577. Tomis X in fol. edita, & quidem Tomi septimi pagina 331, hoc modo: *Et Baptisma unum tenemus, quod iisdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam*

(1) *In edit. Antverp. rectius legitur* comprobabit. *Dominica autem Oratio metrica & cætera, quæ deinceps hic sequuntur usque ad novum Titulum majusculis literis exaratum, ea omnia ibi desunt.*

(2) *In ipso MSto mendose legitur* tranquilloque.

(3) *In ipso MSto mendose legitur* in Cœlo & in Terra &c.

etiam in majoribus dicimus esse celebrandum. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio. Propter hoc igitur a S. Augustino citatum libelli Pelagiani fragmentum existimat Card. *Bellarminus* Expositionem Fidei, quæ vulgo inscribitur *S. Hieronymi Explanatio Symboli ad Damasum*, non debere attribui *S. Hieronymo*, sed esse illum ipsum integrum *libellum*, quem *Pelagius* misit ad PP. *Innocentium*. Quam novam opinionem licet *Marianus Victorius* in editione sua Antverpiensi Operum S. Hieronymi approbaverit, ideoque jam memoratam *Explanationem Symboli ad Damasum* rejecerit in Tomum IX, quo Epistolæ S. Hieronymo falso adscriptæ continentur, ego tamen antiquæ *Imp. Caroli M.* sententiæ firmiter adhæresco, & constanter credo, Expositionem Fidei, de qua in præsens agitur, revera esse *S. Hieronymi*, & ab illo missam esse ad S. PP. *Damasum I*, qui integris septendecim annis ante (1) obiit, quam *S. Innocentius I* in Romanum Pontificem electus est. Verisimillimum enim est, Hæresiarcham *Pelagium*, cum purgandi sui causa Libellum Fidei suæ ad S. PP. *Innocentium* vellet mittere, hypocritica calliditate de industria eum ita composuisse, ut Expositioni Fidei *S. Hieronymi*, qui sine ulla controversia erat Catholicus & acerrimus ipsius *Pelagii* antagonista, tam sensu, quam verbis ipsis omnino videretur congruens; sperans quippe propter hanc Symboli verbalem similitudinem (mentalem enim ejus restrictionem ipse sibi reservaverat,) neminem fore, qui se reprehendere auderet, ne simul etiam *S. Hieronymum* culpare crederetur.

ORIGO (2) PROPHETIÆ DAVID REGIS PSALMORVM NVMERO CL.

David Filius Jesse, cum esset in Regno suo, quatuor elegit, qui Psalmos facerent, id est, Asaph, Eman, Ethan & Idithun Octoaginta octo ergo dicebant Psalmos, & ducenta subpsalma; & cytharam percutiebat Abiud, cum David reduxisset Arcam in Hierusalem, post annos viginti revocatam ab Azotiis; & mansit in domo Abinadab. Hanc inposuit in subjugale novo, & adduxit in Hierusalem electis viris ex omni genere filiorum Israel, septuaginta millia (3) viros; de Tribu autem Levi ducenta septuaginta octo millia viros, ex quibus quatuor Principes præesse cantionibus instituit, Asaph, Eman, Ethan & Idithun, unicuique eorum dividens septuaginta duos viros succlamantes laudem cantionum Domino; & unus quidem eorum feriebat Cymbalum, alius Cytharam, alius tuba cornea exaltans; in medio autem eorum stabat David, tenens ipse Psalterium, Arca autem antecedebat septem choris & sacrificium vitulos; Populus autem universus sequebatur Arcam. Sunt ergo

(1) *S. Damasus obiit A. C. 384: at S. Innocentius I electus est A. 402.*

(2) *De* Autore *Annotationis, quæ hoc Titulo de origine Prophetiæ David comprehenditur, nondum mihi in præsens satis liquet, ideoque Annotationes illas, quas partim corrigendi textus, partim autem illustrandi argumenti causa hic addere constitueram, in aliud opportunius tempus differo. Hæc* Lambecius. *Vide, quæ de hujuscemodi Psalmorum prolegom. adnot. Lib. III. ad cod. XI. &c.*

(3) *Ita in ipso MSto tam hic, quam paulo post legitur* viros, *non autem* virorum; & milia *pro* millia.

go omnes Pſalmi David numero CL; quorum omnium quidem novem fecit ipſe David; XXXII non ſunt ſuprascripti; LXXII in David; XII in Aſaph; XII in Idithun; VIIII filiis Chore; unus Moyſi; duo in Salomonem; duo in Aggeum & Zachariam. Fiunt itaque omnes Pſalmi David numero CL, Diapſalma numero LXXV, Canti graduum numero XV. Pſalmus primus nulli adſignatus eſt, quoniam omnium eſt. Deinde quis alius intelligitur in primo, niſi primogenitus, ut merito inſcriptio non fuerit neceſſaria? Deinde quia ipſe Pſalmus Chriſti mentionem facit: & adverſus Chriſtum tuum. Exponendo perſonam inſcribendi cauſam omnino non habent. Ordines hiſtoriæ immutatos legimus & in titulis Pſalmorum; ſed Pſalmi non ſecundum hiſtoriam, ſed ſecundum Prophetias leguntur. Ita ordinem Pſalmorum turbare non poteſt ordo titulorum. Pſalmi omnes, qui inſcribuntur ipſi David, ad Chriſti pertinent Sacramentum, qui David dictus eſt Chriſtus.

ITEM (1) VNDE SVPRA. (2) HIERONYMI.

*PSalterium Romæ dudum poſitus emendaram, & juxta Septuaginta Interpretes, licet curſim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rurſum videtis, o Paula & Euſtochium, ſcriptorum vitio depravatum, pluſque antiquum errorem, quam novam emendationem valere, cogitis, ut velut quodam novali ſciſſum jam arvum exerceam, & obliquis ſulcis renaſcentes ſpinas eradicem, æquum eſſe dicentes, ut quod crebro male (3) pullulat, crebrius ſuccidatur. Vnde conſueta præfatione commoneo, tam vos, quibus forte labor iſte deſudat, quam eos, qui exemplaria iſtius habere voluerint; ut, quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia tranſcribantur. Notet ſibi unuſquiſque vel jacentem lineam, vel ſigna (4) radiantia, id eſt, vel obelos vel aſteriſcos *, & ubicunque viderit virgulam præcedentem, ab ea uſque ad (5) dua puncta, quæ impreſſimus, ſciat in ſeptuaginta Translatoribus plus haberi. Vbi autem ſtellæ ſimilitudinem perſpexerit de Ebræis voluminibus additum noverit æque uſque ad dua puncta, juxta Theudotionis duntaxat editionem, qui ſimplicitate ſermonis a ſeptuaginta Interpretibus non diſcordat. Hæc ergo vobis & ſtudioſo cuique feciſſe me ſciens, non ambigo multos fore, qui vel invidia vel ſupercilio mallent contemnere, (6) videre præclara quam diſcere, & turbulento magis rivo, quam de puriſſimo fonte potare.*

DE

(1) *Verba hæc*, Vnde ſupra, *non de Autore, ſed de materia ſive argumento tantum intelligenda ſunt.*

(2) *Hæc eſt Præfatio* S. Hieronymi *ad* Paulam & Euſtochium, *in* ſecundam *editionem Pſalterii Davidici a ſe emendati* ſecundum translationem LXX Interpretum. *Opinor autem eam hactenus nondum eſſe vulgatam. Extat etiam alia ejuſdem ad* Sophronium *Præfatio in editionem Pſalterii* juxta veritatem Hebraicam, *quæ extat Operum, ipſius Tomo VII pag. 191. Epiſtola autem ad Paulam & Euſtochium de* Virtute Pſalmorum, *quæ extat Tomo IX pag. 257, creditur ſuppoſititia.*

(3) *In ipſo manuſcripto legitur* polulat.

(4) *In ipſo manuſcripto legitur* radientia.

(5) *Ita in ipſo manuſcripto tam hic, quam paulo poſt pro* duo *legitur* dua: *item* Theudotion *pro* Theodotion.

(6) *Ita quidem in ipſo Codice ſcriptum eſt, videtur tamen legendum eſſe:* mallent contemnere & videre præclara, quam diſcere.

DE (1) PROPHETIA.

Prophetia eſt adſpiratio Divina, quæ eventus rerum aut per facta aut per dicta quorundam immobili veritate pronuntiant. De qua bene quidam dixit: Prophetia eſt ſuavis dictio, cæleſtis doctrinæ favus, & dulcia Divini colloquii mella componens. Vnde & ipſe David in centeſimo octavo decimo Pſalmo dicturus eſt: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & favum ori meo. Multis autem modis gratiæ iſtius munera præſtabantur, ſed, ut de plurimis pauca complectar, acta eſt per operationes hominum, ut fuit arca Noë, & Sacrificium Abrahæ, & tranſitus maris rubri; per nativitates quoque geminorum Eſau & Jacob, qui futurarum rerum Sacramenta geſtabant; per Angelos, ſicut loquuti ſunt Abrahæ vel Loth, Zachariæ & Mariæ; per viſiones, ſicut Eſaiæ & Hiezechielo & cæteris Sanctis; per ſomnia, ſicut Salomoni & Danielo; per nubem & vocem de Cælo, ſicut Moyſi. Vnde conſtat Sanctum David non per operationes hominum, non per nativitates geminorum, non per Angelos, non per viſiones, non per ſomnium, non per nubem & vocem de Cælo, nec per alios quoſcunque modos, ſed cæleſti adſpiratione fuiſſe completum: ſicut de ipſo legitur in primo Regum volumine: Et directus eſt Spiritus Domini in David a die illa & deinceps. Ipſe quoque Dominus in Evangelio dicit: Si David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis quod filius ejus eſt? Quo dicto recognoſci-

A *mus evidenter, per Spiritum Sanctum Pſalmos fuiſſe prophetatos. Sciendum eſt ſane quod omnis Prophetia aut de præterito, aut de præſenti, aut de futuro tempore loquatur, aut agat aliquid. Animadvertendum eſt quoque, Spiritum Sanctum ſic fuiſſe Prophetis ſanctiſſimis adtributum, ut tamen ad tempus pro infirmitate carnis & contrarietate peccati ab ipſis offenſus abſcederet, & iterum placatus, ſub opportunitate temporis adveniret. Vnde & Sanctus Hieronymus exponens Evangeliſtam Marcum in loco, ubi ait de Johanne: Vidi apertos Cælos & Spiritum tanquam columbam deſcendentem & manentem in ipſo; ita evidenti ratione tractavit, ut nemo contra ſententiam ipſius venire præſumat. In Pſalmo quoque quinquageſimo Prophetа poſt peccatum rogat; Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Nam ſi ſemper, ut ait Beatus Hieronymus, in Prophetis eſſet ſermo Divinus, & juge in pectore eorum haberet hoſpitium, nunquam crebro Hiezechiel poneret: Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens. In libro quin etiam Regum Heliſeus Propheta dicit de muliere, cujus filius extremum clauſerat diem: Demitte eam, quia in amaritudine eſt, & Dominus celavit me, & non indicavit mihi. Apoſtolus quoque dicit: De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Ipſe commemorat: Hoc ego præcipio, non Dominus. Et alio loco ſic meminit: Quæ loquor, non loquor ſecundum Deum. Vnde ſimiliter etiam in cæteris*

(1) *De* Collectore *Annotationum, quæ hoc & ſequentibus duobus Titulis continentur, & partim ad generalem Prophetiam Divinam, partim autem ad ſpecialem* Pſalterii Davidici *vaticinationem pertinent, nondum mihi liquet. Certiſſimum autem eſt maximam earum partem ex* S. Hieronymi, S. Auguſtini & S. Iſidori Hiſpalenſis *Operibus depromptam eſſe; uti poſthac alio commodiori loco a me demonſtrabitur.*

teris Prophetis aliqua quidem Dominus locutus est, & non Prophetæ, & aliqua Prophetæ, & non Dominus. Nec illud specialiter de Domino JESU Christo Johannes Baptista diceret: Qui misit baptizare, ipse dixit mihi, super quem videris Spiritum Sanctum in specie columbæ descendentem & manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Nunquam enim proprium esset in Domino Christo, quod additur, & manentem, nisi ab aliis nonnunquam recedere probaretur. In Christo enim permansit, quia peccata non habuit; ab aliis jure discessit, quia pollutionis maculam perceperunt. Spiritui enim Sancto non potest esse communio cum delictis. Nam sic scriptum est in libro Sapientiæ Salomonis: Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Est autem Prophetia magnificum nimis & veriloquum dicendi genus, non humana voluntate compositum, sed Divina inspiratione profusum, sicut ait Petrus Apostolus: Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Nam & Paulus Apostolus dicit: Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & consolationem. Et paulo post: Qui prophetat, Ecclesiam ædificat. Ædificat plane, quando res incognitas nimisque necessarias per locutionis beneficia facit esse notissimas. Nam & quibus data est facultas bene intelligendi vel interpretandi Scripturas Divinas, a munere Prophetiæ non videntur excepti, sicut Apostolus ait in Epistola ad Corinthios prima: Spiritus Prophetarum, Prophetis subjectus est. Sed quoniam de Prophetiæ muneribus competenter forsan, quæ leguntur, agnovimus, nunc quæ restant sollicite perscrutemur.

CVR IN PSALMORVM TITVLIS QVASI AVCTORVM NOMINA DIVERSA REPERIANTVR.

In primo libro Paralipomenon legitur, cum Propheta David, devota Domino ætate senuisset, quatuor millia juvenum ex Israelitico populo elegisse, qui Psalmos, quos ipse Domini adspiratione protulerat, organis, citharis, nablis, tympanis, cymbalis, tubis propriaque voce in magnam jucunditatem supernæ gratiæ personarent. Quæ suavis adunatio tribus partibus divisa constabat. Rationalis pertinebat ad humanam vocem; irrationalis ad instrumenta Musica; communis autem de utrisque partibus aptabatur, ut vox hominis certis modulationibus cederetur & instrumentorum melos consona se vicinitate conjungeret. Sic suavis illa & jucunda Musica Ecclesiam Catholicam tali actu prædicebat, quæ ex diversis linguis varioque concentu in unam Fidei concordiam erat, Domino præstante, creditura. Ex quo numero indita nomina frequenter in Titulis invenimus, ut Idithum, Asaph, Filii Chore, & his similia; non quia ipsi, ut quidam volunt, auctores fuere Psalmorum, sed quoniam præpositi artificibus, administratores earum rerum probabiles extiterunt, ut honorem de tali commemoratione sumerent, qui Officio sancto devotis mentibus serviebant, maxime quia & nomina eorum intellectus rerum congruos indicare noscuntur. Non enim supradicti viri ad Psalmos faciendos electi sunt, sed

sed eos congregatos tantum legimus ad canendum. Psalmigraphos autem fuisse historia nulla testatur; & præsumptum est dicere, quod nulla possit auctoritate firmari. Psalmos enim ad solum Prophetam David pertinere, certis declaratur indiciis. Denique in Apocalypsi, volens istud opus intelligi, solius meminit David, dicens. Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. In Evangelio quoque Pharisæis ipse Dominus dicit: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, &c. Vnde probatur universos Psalmos, non multorum existere, sed tantum ipsius, quem a Domino constat esse nominatum. Vsus quoque Ecclesiæ Catholicæ Spiritus Sancti inspiratione generaliter & immobiliter tenet, ut quicunque eorum cantandus fuerit, qui diverso nomine prænotantur, Lector aliud prædicare non audeat, nisi Psalmus David. Quod si essent proprii, id est, aut Idithun aut filiorum Chore, aut Asaph aut Moysi, eorum nomina utique prædicarentur; sicut & in Evangeliis fit, quando aut Marci, aut Lucæ, aut Matthæi, aut Johannis vocabulo pronunciantur. Quod etiam secutus Pater Augustinus, congruenter omnes Psalmos dicit esse Davidicos.

QVID SIGNIFICET IN FINEM, QVOD FREQVENTER INVENITVR IN TITVLIS.

Finem duobus modis dicimus; primus est iste communis atque mortalis, quando res aliqua ad extremum deducta pervenerit, nec ulterius potest prodire, quæ motus sui terminum probatur accipere. Sic enim dicimus finitum cibum, qui sedula comestione consumptus est; finitam pecuniam, quæ docetur expensa, & cætera, quæ hoc modo probantur edici. Secundus dicitur finis perfectus atque perpetuus, quem modo quærimus, qui tunc nobis protendi magis ac dilatari incipit, quando ad eum mens devota pervenerit. Finis ergo legis ac plenitudo Dominus noster Jesus Christus, sicut Apostolus dicit: Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. Ad quem dum pervenerimus, nihil ultra perquiremus, sed in ipso beatitudinis fine contenti, plenissima jucunditate perfruemur; cujus tantum amor proficit, quantum intellectus noster, Domino præstante, claresçit. Et ideo quoties in titulis Psalmorum finem reperis, ad Dominum Salvatorem aciem mentis intende, qui est finis sine fine, & bonorum omnium completiva perfectio.

QVID SIT PSALTERIVM, VEL PSALMI QVARE DICANTVR.

Psalterium est, ut Hieronymus ait, in modum deltæ literæ formati ligni sonora concavitas, obesum ventrem in superioribus habens, ubi chordarum fila religata, disciplinabiliter plectro percussa, suavissimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharæ positio videtur esse contraria, dum quod ista in imo continet, illud conversa vice gestat in capite. Hoc autem genus Organi canorum atque singulare aptatur corpori Domini Salvatoris, quoniam sicut iste de altioribus sonat, sic & illud glorioſæ institutionis superna concelebrat. Sicut ipse in Evangelio dicit: Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur; qui autem de Cælo venit, quæ vidit & audivit testatur. Vn-

de quidam & hoc Opus Davidicum Pſalmos dictos eſſe præfiniunt, quia de ſuperno culmine reſonare noſcuntur. Cognoſce vero, quod iſti tantum pro excellentia ſui dicantur Pſalmi, qui hoc Volumine continentur. Nam & Pſalterium eſſe genus Muſicorum Daniel Prophetа teſtatur, inquiens: Vocem tubæ, fiſtulæ, ſambucæ, citharæ, Pſalterii & Symphoniæ, omniſque generis Muſicorum. Nam & Puralipomenon exponit, cum dicit de lignis thyinis, quæ vulgo evellina vocantur, gradus factos in domo Domini & in domo regia, citharas quoque & Pſalteria Cantoribus. Hoc apud Hebræos dicitur Nablum, quod tamen in ſuprascripto libro frequenti repetitione vulgatum eſt. Ipſum vero Pſalmum Græcum conſtat eſſe vocabulum, quem dictum quidam volunt (1) *apo tu pſalthin, hoc eſt, a tangendo; nam & Pſaltrias, Citharœdas vocamus, docto pollice modulationes muſicas exprimentes.*

A IN CHRISTI NOMINE INCIPIT EPISTOLA PAPÆ (2) DAMASI AD HIERONYMVM PRESB.

Damaſus Epiſcopus Fratri & Conpresbytero Hieronymo (3) *in Chriſto ſalutem. Dum multa corpora librorum in meo arbitrio* (4) *allata fuiſſent, contigit,* (5) *ut librum Pſalmorum in meo animo feſtinus cognoſcerem detineri, & memoriam capacitatis meæ inbuere* (6) *cogitavi, Frater amantiſſime & in Chriſto ſem-*
B *per Sacerdos, ut ſecundum LXX Interpretes,* (7) *id eſt, Matthiam, & Ptolomæum, Muchium, Sacreum,* (8) *Hydronum, Pampilum, Zoaſterem, Didimum, Samum, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, in quantum noſtra* (9) *recurrere conſcientia, de ſeptuaginta invenire veſtigia. Peto* (10) *Caritatem tuam, ut, ſicut* (11) *Alexandrum Coepiſcopum noſtrum didiciſti in gremio Græcorum pſallendum, ut ad nos dirigi tua Fraternitas delectetur, quæ tantæ ſimplicitatis inda-*

go

(1) *Ita quidem in ipſo MSto legitur, ſed legendum eſſe videtur ἀπὸ τοῦ ψάυειν. ψάυω enim idem eſt, atque ψῶ ſive ψάω, unde fit ψάλλω & conſequenter etiam ψαλμὸς. Vide Etymologicon Magnum Græcum v. ψάλλειν & ψαλμὸς.*

(2) *Hæ duæ epiſtolæ mutuæ* S. Damaſi PP. & S. Hieronymi *jam pridem extant impreſſæ Tomo IX Operum S. Hieronymi, editionis Antverp. Mariani Victorii pag. 255, 256, & in Severini Binii Corpore Conciliorum, editionis Colon. Tom. 1. pag. 498. Quoniam autem non ſolum ibi, verum etiam a Card. Baronio Annal. Eccleſ. Tom. III. ad A. C. 325, edit. Plantin. pag. 326 improbantur & rejiciuntur tanquam* ſuppoſititiæ, *idcirco valde notandum eſt, quod ex præſtantiſſimo illo Codice MSto, de quo in præſens agitur, certo conſtat, eas ab* Imp. Carolo M. *fuiſſe pro* genuinis *habitas. An autem argumentum illud, quo Card. Baronius genuitatem earum oppugnat, tanti ſit momenti, ut propterea Imp. Caroli M. teſtimonio derogetur fides, ea diſquiſitio prolixior eſt, quam ut hic in margine poſſit pertractari.*

(3) *In Severini Binii editione legitur* in Domino.

(4) *In Mariani Victorii editione legitur* oblata.

(5) *In edit. Bin. legitur* ut & librum.

(6) *In edit. Bin. & Victor. legitur* imbuere. Cogitavi

(7) *In edit. Bin. legitur* Interpretes & Presbyteros.

(8) *In edit. Bin. legitur* Hidronium, Pamphilum Zoaſtitem, Didymum, Sanium.

(9) *In edit. Bin legitur* in quantum noſtra recurrit conſcientia. *In Victoriana autem:* in quantum tua recurrit conſcientia.

(10) *In edit. Bin.* Peto etiam: *In Victor.* Peto item.

(11) *In edit. Bin. legitur:* ut ſicut a rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum pſallentiam ad nos dirigere tua Fraternitas delectetur: qui tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, *&c.; in Victoriana autem ita:* ut ſicut a creatore tuo Alexandro Coepiſcopo noſtro didiciſti in gremio Græcorum pſallere, ita ad nos tua Fraternitas dirigere delectetur; quia tantæ ſimplicitatis indago eſt apud nos, *&c.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

go est, ut tantum in die Dominica Apostoli Epistola una recitetur, & Evangelii capitulum unum dicatur, & nec (1) *Psallendum vox canitur, nec hymniticus in nostro ore cognoscitur. Peto ego per Fratrem & Conpresbyterum nostrum Bonifacium, ut* (2) *jubeat Fraternitas tua nobis aperire vestigium. Missa quinta Kal. Novembris per Bonifacium Presbyterum Hierusolimam.*

ITEM S. HIERONYMI AD DAMASVM.

Beatissimo Papæ Damaso Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ Hieronymus supplex. Legi literas Apostolatus vestri, (3) *ut secundum simplicitatem septuaginta Interpretum* (4) *canentes Psalmographum me interpretare festines propter fastidium Romanorum, ut obscuritas impedit, apertius & Latine trahatur sensus.* (5) *Precans ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in Sede* (6) *Romana die noctuque canatur,* (7) *ut fine Psalmi cujuslibet sive matutinis sive vespertinis conjungi præcipiat Apostolatus ordo finire, hoc est: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Istud carmen* (8) *omni Psalmo conjungi præcipias, ut fides CCCXVIII Nicæni Concilii* (9) *& nostri oris consortio declaretur, ubi Deus & homo honorabili voce dicatur. Alleluja semper cum omnibus Psalmis adfigatur, in omni loco communiter respondeatur nocturni temporis. In Ecclesia autem propter Resurrectionem, usque ad sanctum Pentecosten finiatur inter dierum spatia quinquaginta propter novitatem sanctum Paschæ, vox ista laudis canatur in Alepb, quod est Alleluja, quod Græce dicitur Prologus, Latine Præfatio.*

ITEM

(1) *In edit. Bin. legitur:* & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur. *In Victoriana:* & nec psallendi mos tenetur, nec hymnidicus in *&c.*

(2) *In edit. Biniana & Victoriana legitur:* ut jubeat Fraternitas tua rei hujus nobis aperiri vestigia.

(3) *In edit. Biniana & Victoriana legitur:* poscentes, ut.

(4) *In editione Biniana:* canendum Psalmographum interpretari festinem propter fastigium Romanorum, ut ubi obscuritas impedit, apertius latine trahatur sensus. *In Victoriana pro* canentes *legitur* canens.

(5) *In editione Biniana & Victoriana* Præcatur ergo *&c.*

(6) *In editione Biniana:* in sede tua Romana.

(7) *In editione Biniana legitur:* & in fine Psalmi cujuslibet sive matutinis vel vespertinis horis, conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo: *In Victoriana:* & ut in fine cujuslibet Psalmi sive matutinis horis, sive vespertinis, conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo.

(8) *In editione Biniana:* Istud carmen laudis omni *&c.*

(9) *In edit. Biniana legitur:* in vestro ore pari consortio declaretur. Ubi autem Deus & homo honorabili voce cantatur, Alleluja semper cum omnibus Psalmis affigatur, ut in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In Ecclesia autem a sancta Resurrectione usque ad sanctum Pentecostem finiatur, inter dierum vero spatia Quinquagesimæ propter novitatem sancti Paschæ, ut vox ista laudis canatur in aleph, quod Prologus Græce, Latine Præfatio dicitur. *In Victoriana autem editione legitur hoc modo:* ut fide CCCXVIII. Episcoporum Nicæni Concilii etiam vestri oris consortio declaretur. Ubi autem Deus & homo honorabili voce cantatur, Alleluja semper cum omnibus psalmis affigatur, ut in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus: in Ecclesia autem, post resurrectionem usque ad sanctum Petecosten finiatur: inter dierum vero spatia quinquagesimæ, propter novitatem sancti Paschæ, vox ista laudis canatur in Aleph; quod Græce Prologus, Latine Præfatio dicitur.

ITEM ALIA EPISTOLA (1) VNDE SVPRA.

Nunc autem exposuimus originem omnium Psalmorum, & nunc exponennus, quomodo Hebræi librum Psalmorum in quinque dividant libros; id est, primus liber sic continetur a primo Psalmo usque ad quadragesimum. Secundus liber sic continetur, a quadragesimo primo usque ad septuagesimum primum. Tertius liber sic continetur, a septuagesimo secundo usque ad octuagesimum nonum. Quartus liber sic continetur, ab octuagesimo nono usque ad centesimum quintum. Quintus liber sic continetur a centesimo sexto usque ad centesimum quinquagesimum. Nunc itaque exposuimus libros Psalmorum. Nunc igitur exponemus, literæ per capita versuum qualiter cognoscantur, & quid sit Psalterium. Psalterium dicitur a psallendo multorum modulamine vocis, quod ipse David tenens Psalterium manibus, sed cum octuaginta quatuor hymnificabat canens hoc. Dum ergo requiris legere vel psallere versum, literam Græcam invenies intitulatam, per quam numerum cognoscis, quot & quanti voce psallebant cum Rege. Rex incipiebat & numerus literarum tot vocibus chordarum cum tympanis & citharis vel tubarum cornearum clangore cum Christo, hoc est, Vncto, psallebant canentes hoc. Nam non solum octuaginta quatuor prima voce clamabant. Ergo cognoscis octuaginta quatuor per singulas literas quod canebant. Isti enim incipiebant & populi respondebant, qui erant numero septuaginta millia virorum. Quod enim Rex nocturno tempore hymnificabat, hoc octuaginta & quatuor cantabant. Interrogavit autem Rex David Notarios suos, id est Asaph, Eman, Ethan, & Idithun, si ita textus exceptionis eorum manifestaret; qui respondentes Notarii supramemorati adnuntiabant Regi omnia vera esse: Sicut isti voce testantur, inquiunt, ita & Tu Domine locutus es nocte. Mirabatur autem Rex, quod, sicut Ipse dixerat, ita & populus hymnificabat. Hinc ergo cognoscimus, omnes Psalmos esse David, quos nocturno tempore priusquam populus ille adnunciavit; quod & isti testantur Asaph, Eman, Ethan, & Idithun. In diebus enim quinque hos excipientes narrabant hos quinque libros, qui finem ita habent, & ita invenies in finem libri, fiat, fiat. Primus liber Psalmum XL, qui sic habet, fiat, fiat. Secundus liber finit Psalmum septuagesimum primum, qui sic habet, fiat, fiat. Tertius liber finit Psalmum octuagesimum, qui sic habet, fiat, fiat. Quartus liber finit Psalmum centesimum quintum, qui sic habet, fiat, fiat. Quintus liber finit Psalmum centesimum quinquagesimum, qui sic habet: Omnis Spiritus laudet Dominam.

ITEM

(1) *Verba hæc*, Vnde supra, *non de autore, sed de materia sive argumento tantum intelligenda sunt. Quod enim Epistola hæc non sit* S. Hieronymi, *sed alterius cujusdam autoris, satis liquet ex principio Præfationis ipsius* S. Hieronymi *in editionem suam Psalmorum juxta Hebraicam veritatem, quippe quæ sic incipit:* Scio quosdam putare, Psalterium in quinque libros esse divisum, ut ubicunque apud Septuaginta Interpretes scriptum est, γένοιτο, γένοιτο, id est, fiat fiat, finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur, amen amen. Nos autem Hebræorum auctoritatem secuti, & maxime Apostolorum, qui semper in Novo Testamento, Psalmorum librum nominant, unum afferimus Psalmorum Volumen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ITEM VNDE SVPRA (1) DAMASI ET HIERONYMI.

D. Pſallere qui docuit dulci modulamine Sanctis,
H. Noverat iſte decem legis qui verba dediſſet,
D. Quot digitis citharam chordis totidemque dicavit
H. Nomina vel ſignum numerum crux ipſa notaret.
D. Credere quid dubitas? virtus regit omnia Chriſti,
H. Qui varias junxit uno ſub carmine linguas,
D. Vt pecudes, volucreſque Deum cognoſcere poſſint.
H. Hic ſonus eſt fidei, mentes qui mulcit amaras.
D. Sic creatura prior tanto pro munere gaudet,
H. Offerat ut Domino ſalvet quos gratia vocis.
D. Nunc Damaſi monitis aures præbete benignas,
H. Quiſque ſitit veniat cupiens haurire fluenta,
D. Inveniet latices, ſervant qui dulcia mella,
H. Sordibus expoſitis purgant penetralia cordis.
D. Cor cum renovant Chriſto ſervire parati.
H. Prophetam Chriſti Sanctum cognoſcere debes
D. Paſtorem puerum multis de fratribus unum
H. Angelus ex ovibus rapuit, Regemque dicavit,
D. Organa qui ſciret manibus componere ſolus,
H. Pſallere per citharam populis cœleſtia Regna,
D. Ingente clypeo, quæ gravi fruſtra minantem
H. Impia maledicum, phaleras & tela gerentem,
D. Surdorum demens coleret qui templa Deorum,
H. Mactavit ſaxo teretri truncumque reliquit
D. Judicioque Dei ingenti mox cæde peracta,
H. Monſtravit populis tulerat quæ ex hoſte trophæa.
D. Hæc Damaſus ſcit Sancte tuos ipſe triumphos.

Hucuſque pertingunt *Prolegomena*, quæ Imp. *Carolus Magnus* Pſalterio Davidico præfigenda eſſe cenſuit, partim quidem ut Summo Pontifici *Hadriano I*, cui hunc Codicem aureis literis exaratum dono miſit, vere orthodoxum ſe eſſe oſtenderet, partim autem ut illuſtraret originem Pſalmorum eorumque lectionem commendaret. Sequuntur deinde Tituli *duo* generales, quorum *prior*, qui elegantiſſimis conſtat literis quadratis tantæ magnitudinis, ut paginam occupent integram, ita ſe habet:

A

IN XPI. NOMINE.
INCIPIT. PSAL
TERIVM. DE
TRANSLATIO
NE. SEPTVAGIN
TA. INTERPRE
TVM. EMENDA
TVM. A SCO.
HIERONIMO.
PRESBITERO.
IN NOVO.

Alter

(1) *Hos verſus* S. Damaſi & S. Hieronymi *nuſquam hactenus impreſſos reperi. Sunt autem valde mendoſi, ut alio commodiori loco per correctionem eorum demonſtrabitur.*

Alter autem Titulus *minor* extat proA xime ſequenti pagina, cujus fundus totus eſt purpureus, hoc modo:

IN NOMINE. SCAE TRI NITATIS. INCIPIT LIB PSALTERII.

Eadem etiam pagina incipit ipſe *Contextus Pſalterii* BEATVS VIR &c; ubi inprimis notandum, primum Pſalmum peculiari ſuo carere lemmate ſive titulo, nec ſine cauſa, uti ſupra jam monitum eſt in Prolegomenis. Sequentium autem Pſalmorum *Inſcriptiones* particulares non me piget integras hic ita exhibere, quemadmodum in illo ipſo præſtantiſſimo CodiB ce MSto leguntur. Sunt enim *Carolina* hæc lemmata iis, quæ in vulgata Sacrorum Bibliorum editione latina extant, non ſolum auctiora, ſed & nonnullis locis aliquantulum ab iisdem diſcrepant; uti quivis deprehendet, ſi exemplar eorum, ad S. Concilii Tridentini præſcriptum emendatum, ac cum *Sixti V. P. M.* recoC gnitione & approbatione Romæ A. 1590 in Typographia Apoſtolica Vaticana in fol. impreſſum, conſulueCrit. Diverſi ſunt etiam hi *Tituli* ab illis, qui extant in editione Pſalterii latina, quæ cognominatur *ſecundum Hebraicam veritatem*, & cum Præfatione ad *Sophronium* Tomo ſeptimo Operum *S. Hieronymi* inſerta eſt.

Titulus Pſalmi II.

Pſalmus David de conventu infidelium in paſſione Chriſti.

III. *Pſalmus David, cum fugeret a facie Abſalon filii ſui. Vox Chriſti ad Patrem de Judæis dicit.*

IV. *In finem Pſalmus Cantici David. Prophetа increpat Judæos.*

V. *In finem pro ea, quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus David. Vox Eccleſiæ.*

VI. *In finem pro octava in Carminibus David. Vox Chriſti ad Patrem.*

VII. *Pſalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chuſi filii Jemini. Prophetа dicit ad Chriſtum.*

VIII. *In finem pro torcularibus Pſalmus David. Vox Eccleſiæ veteris de Chriſto & de Fide dicit.*

VIIII. *In finem pro occultis Pſalmus David. Prophetа laudem dicit de Chriſto, & de Judæis ad Chriſtum.*

X. *In finem Pſalmus David. Vox Chriſti ad Patrem.*

XI. *In finem pro octava Pſalmus David. Chriſtus pro paſſione Sanctorum ſuorum dicit ad Patrem.*

XII. *In finem Pſalmus David. Vox Chriſti ad Patrem de Diabolo.*

XIII. *In finem Pſalmus David. Verba Chriſti ad divitem interrogantem ſe de populo Judaico.*

XIV. *Pſalmus David. De exemplo & Magiſterio Chriſti, de Apoſtolis & de Sanctis.*

XV. *In Tituli inſcriptione Ipſi David. Vox Eccleſiæ.*

XVI. *Oratio David. Chriſtus de Judæis dicit ad Patrem.*

XVII. *In finem puero Domini David. Qui locutus eſt Domino verba Cantici hujus, in die, qua eripui eum de manu Saul, & de manu omnium inimicorum ejus.*

XVIII. *In finem Pſalmus David. De prædicatione Apoſtolorum de Adventu Chriſti.*

XIX. *Pſalmus David. Prophetа operantem hortatur.*

XX. *Pſalmus David. Prophetа de Chriſto dicit ad Patrem.*

XXI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXI. *In finem Psalmus David pro adsumptione matutina. Verba Christi cum pateretur.*

XXII. *Psalmus David. Vox Ecclesiæ post Baptismum.*

XXIII. *Psalmus David. Vox Ecclesiæ post Baptismum.*

XXIV. *In finem Psalmus David. Canticum misit electis.*

XXV. *Psalmus David. Prophetа de se testatur.*

XXVI. *Psalmus David, priusquam ungeretur, ad eos qui primum ingrediuntur.*

XXVII. *Huic David Psalmus. De Judæis Christus dicit.*

XXVIII. *Psalmus David ad consummationem Tabernaculi. Post Passionem & Resurrectionem & Consummationem Ecclesiæ Christi.*

XXIX. *Psalmus Cantici David ad ædificationem domus David. Prophetа ad Patrem & ad Filium dicit.*

XXX. *In finem Psalmus David. Vox Christi positi in Cruce.*

XXXI. *Ipsi David intellectus. Vox pœnitentium.*

XXXII. *Psalmus David. Prophepheta cum laude Dei populum adhortatur.*

XXXIII. *Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit. Vox quædam justi.*

XXXIV. *Huic David. Christus de Judæis & Passione dicit ad Patrem.*

XXXV. *In finem servo Domini David Psalmus. Prophetа cum laude Dei opera ipsius Judæ.*

XXXVI. *Ipsi David. Hic hortatur Moysen ad Fidem demonstrans & salutem Ecclesiæ monet credentes.*

XXXVII. *Psalmus David in rememoratione Sabbati. Huic confessio insapientiæ virtus salutis.*

XXXVIII. *In finem pro Idithun Psalmus. Propheta increpat Judæos, qui divitias habent, & nesciunt, cui dimittunt.*

XXXIX. *In finem Psalmus David. Patientia populi.*

XL. *Psalmus David. Vox Christi de Passione sua, & de Juda traditore.*

XLI. *In finem Psalmus David. Intellectus filiis Chore. Vox pœnitentium, & desiderantium ad fontem lacrymarum.*

XLII. *Psalmus David, qui sequuntur. Vox Ecclesiæ orantis, ut dividatur ab infidelibus.*

XLIII. *Filiis Chore ad intellectum. Propheta pœnitentiam agens pro populo Judæ.*

XLIV. *In finem pro his, qui commutabuntur; filiis Chore ad intellectum canticis dilectis. Legendus ad intellectum Matthæi.*

XLV. *Psalmus filiis Chore, legendus ad lectionem Actus Apostolorum, & ad lectionem Marci.*

XLVI. *In finem pro filiis Chore Psalmus. Christus ascendit ad Patrem quia vox Apostolorum est.*

XLVII. *Psalmus cantici filiis Chore, Psalmus legendus ad Apocalypsin Johannis Apostoli. Figura Ecclesiæ Hierusalem futuræ.*

XLVIII. *In finem filiis Chore. Psalmus. Divites increpat, qui mortui ad inferna descendunt.*

XLIX. *In finem filiis Chore Psalmus.*

L. *In finem Psalmus David, quando venit ad eum Nathan Propheta, cum intrasset ad Betsabee. Vox pœnitentis.*

LI. *In finem intellectus David,* A *cum ivit Doech Idumæus, adnunciavit Saul, & dicit: venit David in domo Abimelech. Vox Christi de Juda.*

LII. *In finem pro Melech intelligentia David. Propheta increpat Judæos & infideles.*

LIII. *In finem pro carminibus intellectus, cum venissent Zefei, & dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos. Vox supplicantis ad Christum.*

LIV. *In finem intellectus in carminibus David. Vox Christi adversus Magnates Judæorum.*

LV. *In finem pro populo, quia San-* B *ctis longe factus est. David in Tituli inscriptione, cum tenuerint eum Allophyli.*

LVI. *In finem ne disperdas David in Tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in Spelunca. Vox Ecclesiæ ad Christum.*

LVII. *In finem ne disperdas in Tituli inscriptione: Propheta de senioribus Judæorum dicit.*

LVIII. *In finem, ne disperdas, David in Tituli inscriptione: quando misit Saul ad custodiendam domum ejus, ut interficeret eum & abiit.*

LIX. *In finem pro his, qui com-* C *mutabuntur. Testimonium in David in doctrina, cum succendit Mesopotamiam Syriæ & Syriam Sobal & convertit Joab, & percussit vallem salinarum XII. millium. Vox Apostolorum in Passione Christi.*

LX. *In finem in hymnis Psalmus David. Vox Ecclesiæ.*

LXI. *In finem pro Idithun Psalmus David.*

LXII. *Psalmus David, cum esset in deserto Judææ.*

LXIII. *In finem Psalmus David. Vox Pauli de Passione Christi.*

LXIV. *In finem Psalmus David. Canticum Hieremiæ & Agæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci. Vox Apost. cum laude Christi.*

LXV. *Psalmus David. Vox Apostolorum.*

LXVI. *In finem in hymnis Psalmus David. Propheta monet credentes. Vox Apostolica.*

LXVII. *In finem Psalmus Cantici Propheta adnuntiat Adventum Christi & Assumptionem in Cœlis.*

LXVIII. *Psalmus David in finem pro his, qui commutabuntur. Vox Christi tempore Passionis.*

LXIX. *In finem Psalmus David in rememoratione quod salvum fecit eum Dominus.*

LXX. *In finem Psalmus David filiorum Jonadab priorum captivorum. Vox Christi ad Patrem.*

LXXI. *In Salomone Psalmus David. Vox Ecclesiæ de Christo.*

LXXII. *Defecerunt laudes David filii Jesse Psalmus Asaph. Vox Prophetæ ad Deum de Judæis.*

LXXIII. *In finem intellectus Asaph. Vox Christi de Judæis.*

LXXIV. *Ne corrumpas Psalmus Asaph. Vox Christi de Judicio futuro.*

LXXV. *In finem in laudibus Psalmus canticum Assyrium. Vox Ecclesiæ ad Christum.*

LXXVI. *In finem pro torcularibus Psalmus Asaph. Vox Christi ad Patrem.*

LXXVII. *Asaph. Vox Prophetæ ad Judæos.*

LXXVIII. *Psalmus Asaph. Vox Martyrum de eorum effusione sanguinis.*

LXXIX. *In finem pro his, qui commutabuntur. Testimonium Asaph Psalmus Assyriorum. Vox Sacerdotum Dei pro Ecclesia & Christo.*

LXXX. *In finem pro torcularibus Domi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Domini Asaph Psalmus quarta Sabb. Vox Spiritus Sancti ad populum de Spiritu Sancto.

LXXXI. *Psalmus Asaph. Vox Ecclesiæ ad Judæos.*

LXXXII. *In finem Psalmus Asaph. Vox Ecclesiæ de Judæis.*

LXXXIII. *In finem pro torcularibus Psalmus filiorum Chore de eis, qui fidem sunt consecuti.*

LXXXIV. *In finem filiis Chore Psalmus.*

LXXXV. *Oratio David per jejunium. Vox Christi ad Patrem.*

LXXXVI. *In finem filiis Chore canticum. Vox Apostolica de Ecclesia.*

LXXXVII. *Canticum filiis Chore Psalmus ad respondendum pro Melech Æman Ezrahelitæ. Vox Christi de Passione ad Patrem.*

LXXXVIII. *Intellectus Eman Hiezrahelitæ. Vox Christi ad Patrem de Judæis.*

LXXXIX. *Oratio Moysi hominis Dei. Vox Apostolorum.*

XC. *Psalmus Cantici David.*

XCI. *Psalmus David in die Sabbati. Vox Ecclesiæ.*

XCII. *Laus Cantici David ante Sabbatum, quando inhabitata est terra. Vox Ecclesiæ de Regno Christi.*

XCIII. *Ipsi David Psalmus quarta Sabbati. Vox Ecclesiæ ad Dominum.*

XCIV. *Psalmus Cantici David. Vox Ecclesiæ ad Dominum de Judæis.*

XCV. *Psalmus David, quando domus ædificabatur post captivitatem. Vox Apostolorum ad populum de confusione idolorum.*

XCVI. *Psalmus David, quando terra ejus restituta est. Vox Ecclesiæ de adventu Christi.*

XCVII. *Canticum ipsi David. Sermones, quos locutus est, quando domus ædificabatur post captivitatem.*

XCVIII. *Ipsi David, quando terra ejus restituta est. Vox Ecclesiæ de adventu Christi.*

XCIX. *Psalmus David. Vox Apostolorum ad populum.*

C. *Psalmus David. Vox Christi ad Patrem.*

CI. *Oratio pauperis, cum anxiaretur, & coram Domino fuderit precem suam. Vox Christi & Ecclesiæ.*

CII. *Ipsi David. Vox Ecclesiæ ad populum suum.*

CIII. *Ipsi David. Vox Ecclesiæ laudans Deum, & opera ejus narrans.*

CIV. *Alleluja. Vox ad Apostolos de Judæis.*

CV. *Alleluja. Vox Ecclesiæ ad Apostolos & ad populum.*

CVI. *Alleluja. Vox Christi de Judæis, qui in prosperitate DEVM dereliquerunt & in adversitate clamaverunt.*

CVII. *Canticum Psalmi David. Vox timentis DEVM.*

CVIII. *In finem Psalmus David. Vox Christi de Judæis & de Juda traditore.*

CIX. *Alleluja. Psalmus David. Vox Ecclesiæ & Christi ad Patrem.*

CX. *Alleluja. Reversio Aggei & Zachariæ.*

CXI. *Alleluja.*

CXII. *Alleluja. Vox Ecclesiæ cum laude.*

CXIII. *Alleluja. Vox Apostolica cum Judæis increpans idola.*

CXIV. *Alleluja. Vox Christi est.*

CXV. *Vox Pauli Apostoli.*

CXVI. *Alleluja. Vox Apostolorum ad gentes.*

CXVII. *Alleluja, ut ostendatur hominibus via, id est Christus, per quam ingreditur portam, quam ingressus claudi non possit.*

CXVIII. *Alleluja*, (1) *Aleph.* *Vox Chriſti ad Patrem de Judæis & de Paſſione ſua, & de adventu ſuo & ejus Regno & Judicio.*

II. *Beth. Vox novelli populi.*
III. *Gemel. Vox Confeſſorum.*
IV. *Delech. Vox Secularium.*
V. *Het. Vox Monachorum.*
VI. *Vau. Vox Sacerdotum.*
VII. *Zain. Vox viri ſancti.*
VIII. *Eth. Vox Doctorum.*
IX. *Thet. Vox Sanctorum.*
X. *Caph. Vox Propoſitorum & Confeſſorum ac Virginum DEVM credentium.*
XI. *Japh. Vota pœnitentium hominum.*
XII. *Lamech. Vox Clericorum in gradu novo introeuntium.*
XIII. *Mem.*
XIV. *Nun.*
XV. *Samech.*
XVI. *Ain.*
XVII. *Phe.*
XVIII. *Sade.*
XIX. *Cof.*
XX. *Res.*
XXI. *Sen.*
XXII. *Tau.*

CXIX. *Canticum graduum. Vox Chriſti in Paſſione.*
CXX. *Canticum Graduum.*
CXXI. *Canticum Graduum.*
CXXII. *Canticum Graduum.*
CXXIII. *Canticum Graduum.*
CXXIV. *Canticum Graduum.*
CXXV. *Canticum Graduum.*
CXXVI. *Canticum Graduum.*
CXXVII. *Canticum Graduum.*
CXXVIII. *Canticum Graduum.*
CXXIX. *Canticum Graduum.*
CXXX. *Canticum Graduum. Vox Sanctæ Mariæ.*
CXXXI. *Canticum Graduum.*
CXXXII. *Canticum Graduum.*
CXXXIII. *Alleluja. Canticum Graduum.*
CXXXIV. *Alleluja.*
CXXXV. *Alleluja.*
CXXXVI. *Ipſi David. Lamentatio Hieremiæ.*
CXXXVII. *Ipſi David. Vox Chriſti ad Patrem.*
CXXXVIII. *In finem Pſalmus David.*
CXXXIX. *In finem Pſalmus David.*
CXL. *Pſalmus David.* Vox *Eccleſiæ.*
CXLI. Intellectus *David cum eſſet in ſpelunca Oratio. Vox Chriſti ad Dominum.*
CXLII. *Pſalmus David, quando perſequebatur filius ſuus Abſalon.*
CXLIII. *David adverſus Goliad. Vox Chriſti adverſus Diabolum.*
CXLIV. *Alleluja. Laudatio David.*
CXLV. *Alleluja. Vox Chriſti.*
CXLVI. *Alleluja.*
CXLVII. *Alleluja.*
CXLVIII. *Alleluja.*
CXLIX. *Alleluja.*
CL. *Alleluja.*

Finito igitur hac ratione ipſo *Pſalterii Davidici* contextu, ſequitur deinde *Appendix qua continentur.*

I, Canticum Iſaiæ Prophetæ: *Confitebor Tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, &c.

II, Canticum Hannæ: *Exultavit cor meum in Domino & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo*, &c.

III, Canticum Moyſis: *Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt*; &c.

IV, Canticum Habacuc Prophetæ:

(1) *Quamvis Alphabetum hoc Hebraicum nonnullis locis manifeſte mendoſum ſit, de induſtria tamen nihil correxi, ſed ita illud curavi imprimi ut i in ipſo Codice ſcriptum eſt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tæ: *Domine audivi auditionem tuam, & timui, Domine, opus tuum;* &c.

V, Canticum Moysis: *Audite Cœli, quæ loquor;* &c.

VI, Hymnus trium Puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino;* &c.

VII, Hymnus, quem S. Ambrosius & S. Augustinus invicem condiderunt: *Te Deum laudamus;* &c.

VIII, Canticum Zachariæ Prophetæ: *Benedictus Dominus Deus Israhel, quia visitavit & fecit redemptionem plebi suæ;* &c.

IX, Canticum Sanctæ Mariæ: *Magnificat anima mea Dominum,* &c.

X, Canticum Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace;* &c.

XI, Oratio Dominica: *Pater noster, qui es in Cœlis;* &c.

XII, Symbolum Sanctorum Apostolorum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem;* &c.

XIII, Fides S. Athanasii Episcopi Alexandrini: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem;* &c.

Et hactenus quidem recensui, quid insigni illo Codice MSto, cura & studio ipsius *Caroli Magni* literis aureis exarato, contineatur. Cæterum nec illud silentio prætereundum est, eundem illum pretiosissimum Codicem MStum *Carolinum* in Archiepiscopali Ecclesia *Bremensi* per integra *octo* secula & amplius adservatum, & ante defectionem ejus Vrbis & Archiepiscopatus a Catholica Fide ad Lutheranismum & Calvinianismum, quotannis Populo cum aliis sanctis Reliquiis debita veneratione ostensum esse. Ad cujus rei perpetuam memoriam præfixum est eidem Codici publicum pu-

A blici alicujus Notarii Imperialis Instrumentum, quod integrum hic subjungo.

Hocce Psalmorum Davidicorum Codice Beata Hildegardis Caroli Magni Conjux, dum viveret, usa fuit. Quem dein Ipse Imperator in Sui ac Suæ Conjugis memoriam inter cætera Cimelia Ecclesiæ Bremensi anno Christi DCC LXXXVIII donavit, in qua octo integris seculis, & quod excurrit, adservatus, & veluti sacer habitus, ac annuatim statо tempore cum reliquis ejusdem Ecclesiæ Sanctorum Reliquiis publice Populo ostensus est.

B *Testimonium de antiquitate hujus Codicis ex antiquissimis membranis, quæ continent fundationem Ecclesiæ Bremensis, & designationem omnium Reliquiarum, quæ hactenus in ea Ecclesia adservatæ fuerunt.*

Sequitur clausula concernens:

Ac Sanctus Carolus Magnus Imperator, comperta sanctitate ipsius Beati Willehadi, Ecclesiam Bremensem Regia munificentia largifluis fundavit honorum temporalium possessionibus; ac eidem Ecclesiæ etiam dedit suæ Regiæ Majestatis eximia Insignia, quæ in eadem Ecclesia honorifice conservantur,

C *videlicet Crucem argenteam deauratam, lapidibus pretiosis optime redimitam, coram qua devote adoravit crucifixum Dominum nostrum JEsum Christum, in quo est salus, vita & resurrectio nostra; ac etiam suam Trabeam seu Tunicam Imperialem, in qua Evangelium in eadem Ecclesia in summis Festis ob ipsius reverentiam solemniter legitur; ac Flasculam ejus argenteam deauratam, imaginibus diversis bene redimitam; ac Chirothecas & Calceamenta Ipsius, quibus utebatur in sua Regia Majestate; & etiam Psalte-*

rium Divæ Ipſius Conjugis, literis aureis bene & ſubtiliter confricatum.

Aliud Teſtimonium ex antiquiſſimis membranis ejuſdem Eccleſiæ, idiomate Saxonico antiquo ſcriptis, quæ indicant, quo ordine & cultu Reliquiæ illæ Sanctorum annuatim Populo monſtratæ ſint.

Clauſula concernens.

Men hefft hir in der hilgen Kercken oock ſiner Vrowen der Keyſerinnen Salter de al binnen mit gulden bocſtaven is geſcreven.

Hoc eſt:

In Sancta hac Bremenſi Eccleſia adſervatur etiam Ipſius Conjugis Pſalterium, aureis literis conſcriptum.

Iſtæc Teſtimonia ipſis Eccleſiæ Bremenſis membranis, ex quibus de verbo ad verbum exſcripta ſunt, eſſe per omnia conformia, atteſtor hac mea manu

Joannes Henſeler S. Cæſ. Majeſtatis autoritate Notarius publicus in fidem præmiſſorum.

Hucuſque Inſtrumentum illud publicum. Cujus illuſtrandi & corrigendi cauſa, notandum eſt, verum quidem eſſe, quod *Carolinus* ille Pſalterii Davidici Codex per integra *octo* ſecula & amplius in *Bremenſi* Eccleſia adſervatus ſit, ſed minus recte addi, uſam eo fuiſſe Reginam *Hildegarden*, & poſt ejus obitum ab ipſo *Carolo Magno* dono eum datum eſſe jam memoratæ *Bremenſi* Eccleſiæ. Si enim is, qui primus falſam hanc traditionem commentus eſt, ipſum illum antiquum Codicem debita diligentia inſpexiſſet, obſervaſſet certe primo intuitu, quod ipſe *Carolus Magnus* proprio carmine ſuo teſtetur, ſe illum Codicem Summo Pontifici *Hadriano I* dono miſiſſe, & quidem, ut ego arbitror, illo ipſo anno DCCLXXII, cujus die *decimo* Februarii jam memoratus *Hadrianus* in Summum Pontificem electus eſt. Cauſa enim & occaſio mittendi hujus muneris ſine dubio fuit Legatio, quam *Carolus Magnus* Romam miſit, ut recens electo *Hadriano* gratularetur de adeptione Pontificatus Maximi, & ex more multos annos eidem precaretur. Ita nempe interpretor hoc carminis iſtius principium.

Hadriano Summo Papæ Patrique Beato
Rex Carolus ſalve mando valeque Pater.
Præſul Apoſtolicæ munus hoc ſume Cathedræ
Vile foris viſu ſtemma ſed intus habens.

Item hæa duo diſticha:

Hoc vobis ideo munus pie dedo Sacerdos,
Filius ut mentem Patris adire queam
Ac memorere mei precibus ſanctiſque piiſque
Hoc donum exiguum ſæpe tenendo manu.

Nec non hanc ejuſdem carminis clauſulam:

Incolumis vigeas Rector per tempora longa,
Eccleſiamque DEI dogmatis arte regas.

Romam igitur, non autem *Bremam*, a *Carolo Magno* Codex iſte fuit miſſus, atque ibi in Bibliotheca Cubicolari Summi Pontificis *Hadriani I* permanſit, uſque ad annum DCCLXXXVIII, quo *S. Willehadus* ab eodem cum

cum consensu Caroli M. *primus Episcopus Bremensis* declaratus est. Tunc videlicet *PP. Hadrianus* eundem illum *Codicem Psalterii*, quem ipse in principio Pontificatus sui tanquam munus gratulatorium a *Carolo Magno* acceperat, eadem ratione donavit *S. Willehado*, ut & ille in novo Episcopatu suo frueretur usu sacri istius muneris. Quanto enim affectu jam memoratus Pontifex *S. Willehadum* sit prosecutus, & quam vehementer ipse *S. Willehadus* lectionem *Psalterii Davidici* adamaverit, ea de re in vita ipsius duo extant insignia loca, nempe capite *octavo*, ubi agitur de Itinere ejus Romano propter persecutionem Saxonicam; & capite *decimo*, ubi agitur de continentia ejusdem & aliis piis operibus. Prioris loci verba sunt hæc: *Rebellantibus postmodum odio nominis Christi Saxonibus, Vir Dei cognoscens nullam sibi tunc temporis prædicandi oportunitatem inesse, arrepto itinere Pippinum Longobardorum Regem adiit, sicque prospero cursu Romam pervenit; ubi consistens multis lachrymis & precibus ad Sedem sacratissimam Beati Petri Apostolorum Principis, se cunctamque fidelium turmam sedulus ac devotus Divinæ commendabat Clementiæ; illos præcipue, quorum cura maxime cordi erat, ne forsan suscepta in partibus Saxoniæ Christianitas machinatione diabolica tunc penitus annullaretur. Inde autem discedens & consolatione Venerabilis Papæ Adriani non modice corroboratus, Servus Dei gaudens repedabat in Franciam.* Posterioris autem loci verba sunt hæc: *A primævis temporibus magnæ Vir iste fuit continentiæ, ac devote Domino Omnipotenti ab ineunte servivit ætate. Vinum & siceram, ac omne, unde inebriari potest, non bibit. Esca autem ejus erat panis & mel, olera & poma. Namque ab esu carnium, a lacte & piscibus temperabat; nisi quod memoratus Apostolicus Adrianus ei jam in novissimo propter valetudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quo piscem comederet, præcepit. Cujus auctoritati ipse obtemperans, paululum indulgentius in hac parte agere cæpit. Præterea nullus fere dies transivit, quo non sacra Missarum solennia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi sanctæ doctrinæ. Psalmodiæ quoque pariter studiosissime invigilans, ita ut pæne quotidie Psalterium, aliquando etiam duo vel tria decantaret.* Hæc in vita *S. Willehadi* Autor coætaneus. Eo igitur, ut jam exposui, modo pervenit *Carolinus* iste Psalterii Codex A. DCCLXXXVIII *Roma Bremam*, approbante non solum haud gravatim, sed forte etiam procurante hanc muneris sui translationem ipso *Carolo Magno*, utpote qui eodem anno novum illum Episcopatum *Bremensem* amplissimis ditavit bonis, eundemque certis circumscripsit limitibus; uti patet ex ipsius *Diplomate*, quod etiamnunc integrum extat apud *Adamum Bremensem* Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 10, & apud Card. *Baronium* Annalium Ecclesiasticorum Tomo IX in actis anni 788. Brema denique pervenit idem ille eximius Codex *Vindobonam* sive *Viennam Austriæ* in potestatem Augustissimæ Domus *Austriacæ:* sed, sub quo nostri ævi Imperatore, & qua occasione illud contigerit, hactenus nondum investigare potui, etiamsi ea de re quam maxime fuerim solicitus. Si quid autem certi

posthac cognovero, inseretur id alio oportuno loco hisce Commentariis. Interim tamen in præsens non est silentio prætereundum, inventum a me esse hunc (1) Codicem in Glorioſiſſimi Imperatoris Nostri LEOPOLDI I. *Privata* sive *Cubiculari Bibliotheca*, plus quam *mille* & *trecentis* selectis Voluminibus constante, cum eam superiori anno MDCLXVI a die undecimo mensis Junii usque ad diem decimum tertium Julii, Indicis conficiendi causa pervolverem.

Secundus Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codex, ad Vitam & res gestas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias in hisce Commentariis prolixius acturus sum, est inter MStos Codices Theologicos Latinos *trecentesimus sexagesimus*, & continet præcipue *S. Gregorii Magni PP. I. Librum Sacramentorum.* Idcirco autem dixi, eum Codicem ad Historiam vitæ *Caroli Magni* pertinere, quia hic est ille ipse, quem Summus Pontifex *Hadrianus I* jam memorato *Carolo M.* ad petitionem Ipsius dono misit; uti videre est ex Epistola *octogesima secunda* Collectionis Epistolarum veterum studio & cura ipsius *Caroli Magni* adornatæ, quippe ubi *PP. Hadrianus* istius Codicis mentionem facit his verbis: *De Sacramentario a Sancto Prædecessore Nostro, Deifluo Gregorio Papa, dispositio, jampridem Paulus Grammaticus a nobis eum pro Vobis petiit, & secundum Sanctæ Nostræ Ecclesiæ traditionem per Joannem Monachum atque Abbatem Civitatis Ravennatium Vestræ Regali emisimus Excellentiæ, quatenus optantes pro Vestra Regali invictissima Excellentia, eundem Dei Apostolum vestrumq; Protectorem poscentes, quæsumus, ut semper ubique Vos comitans, victores super omnes barbaras nationes efficiat, & una cum Domna spiritali filia nostra excellentissima Regina, Vestræque Prosapiæ nobilissima Prole, longiori ævo in hoc regnantes Mundo, in Vitam æternam cum Sanctis omnibus regnare sine fine ejus interventionibus faciat. Incolumem Excellentiam Vestram Gratia superna custodiat.* Hucusque clausula Epistolæ PP. Hadriani I, in qua Libri Sacramentorum S. Gregorii Magni ad Carolum Magnum transmissi fit mentio. (a) Titulus autem ejusdem

(1) *Tectus nunc est ille Codex compactura* holoserica cærulea. *Carolus autem Magnus curaverat eum operiri* tabulis eburneis *eleganti* sculptura *exornatis: uti liquet supra ex hoc Carminis* Dagulfi *disticho:*

Hæc merito tabulis cultim decorantur eburnis,
Quas mire exsculpsit ingeniosa manus.

Dolendum profecto est, antiquam illam compacturam eburneam *ad hoc usque tempus non esse conservatam, sed periisse eorum culpa, quibus forte propter vetustatis cariem displicuit.*

(2) *Codex hic custoditur nunc in Classe Theolog. n. CXLIX. ad quem inter cætera* GENTILOTUS: Clarissimus, *inquit*, LAMBECIUS Tom. II. comment. pag. 299. de hoc codice agens rotunde & valde asseveranter ait, esse hunc illum ipsum codicem Sacramentorum, quem Summus Pontifex HADRIANUS I. CAROLO M. ad petitionem ipsius dono misit: uti videre est ex epistola octogesima secunda Codicis CAROLINI, cujus verba ibi adducit. Quo pacto ejus ætas ad octavum sæculum adsurgens, intra annum 772 & 795, quo intervallo HADRIANI Pontificatus definitur, figenda esset. Sed vereor vehementer, ne Vir doctissimus id paulo confidentius prænuntiaverit, atque huic libro plus tribuerit, quam res & veritas ipsa concedat. Ego quidem ipsius præstantiam & non mediocrem vetustatem, quæ ultro in oculos occurrit, agnosco, magnique æstimo; sed ita, ut illam sæculo nono putem circumscribendam: profecto id vel unico IMPERATORIS vocabulo evincitur, quod in oratione sextæ feriæ majoris legitur fol. 66. ad hunc modum: *Oremus? & pro Xpianissimo* imperatore *nostro:* tametsi secunda manus superscripserit REGE. Inde enim

dem Libri in ipſo Codice MSto ita ſe habet:

IN NOMINE DNI.
INCIPIT LIBER. SA
CRAMENTORVM. DE
CIRCVLO. ANNI. EXPO
SITVS. A SCO. GREGO
RIO. PAPA. ROMANO.
EDITVS. EX AVTHENTI
CO. LIBRO. BIBLIOTHECAE.
CVBICVLI. SCRIPTVS.

In eodem venerandæ vetuſtatis Codice poſt jam memoratum Librum Sacramentorum extat etiam ejuſdem *S. Gregorii Magni Benedictionale* ſive Syntagma ſolennium ſacrarum Benedictionum, in Sancta Eccleſia Catholica ante mille & ſexaginta annos uſitatarum; quod quoniam in (1) *Diario Sacri itineris Cellenſis* propter *Aſſumptionem* Beatiſſimæ Virginis Deiparæ aliquoties a me citatum eſt, & tam in Antverpienſi, quam Romana Operum S. Gregorii Magni editione deſideratur, operæ pretium me facturum arbitror, ſi integrum illud hic inſeruero, ne tam rarum & fructuoſum primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ monumentum diutius lateat. (a)

S. GRE-

planum fit, poſt annum IↃCCC atque adeo poſt delatum KAROLO MAGNO imperium exaratum fuiſſe. Vide MENARD. in præfat. Quod ſi Kalendarium Sacramentario prætextum eodem, quod apparet, tempore ſcriptum eſt, factum id ſuſpicor A. 802 vel 813, quibus dumtaxat uſque ad medium ſæculum nonum & ultra Paſcha in diem 27 Martii incidit, cum quo in eo Kalendario implicatur. *Hæc Gentilotus.* KOL.

(1) *Pag. 84, 85, 86, 93 & 268.*

(a) *Idem hoc aſſerit iterum Lib. II. Addit. IV. ubi tam de Sacramentorum libro, quam de hoc Benedictionali ſic ſcribit:* ADDITAMENTUM IV, pertinens ad pag. 298 & 299, ubi fit mentio pervetuſti Codicis MSti Cæſarei, quo continentur S. GREGORII MAGNI *Liber Sacramentorum*, & ejuſdem *Benedictionale* antehac ineditum. Quamvis S. GREGORII MAGNI *Liber Sacramentorum* exſtaret in Romana, Pariſina, Antverpienſi aliiſque omnium Operum S. GREGORII MAGNI editionibus ſeparatim tamen eum correctiorem & locupletiorem edidit ex Miſſali MSto Sancti ELIGII Bibliothecæ Corbejenſis, Notiſque & Obſervationibus illuſtravit Fr. HUGO MENARDUS, Monachus Congregationis S. BENEDICTI alias Cluniacenſis, & S. MAURI Pariſiis apud DIONYSIUM MOREAU, via Jacobæa, ſub Salamandra, A. 1642. in quarto. Quantum autem etiam ab hac editione, quæ nunc primum in poteſtatem meam pervenit, pervetuſtus ille Codex MStus Cæſareus, qui ad IMP. CAROLI M. Bibliothecam Cubicularem olim pertinuit, diſcrepet, alio poſthac commodiori tempore & loco in peculiari quadam *Diſſertatione* diligenter ac fideliter indicabitur. Cæterum quod ad S. GREGORII *Benedictionale, Libro Sacramentorum* ſubjunctum, & antehac ineditum, attinet, id nec in illo Codice MSto, quo MENARDUS uſus eſt, exſtitit. *Hæc* LAMBECIUS; *quorum tamen ultima obelo ſubducit Libro Comment. IV in Appendice Addit. V, quod eſt tale:* ADDITAMENTUM V, pertinens ad Libri ſecundi p. 299, 1003 & 1004; ubi fit mentio pervetuſti Codicis manuſcripti Cæſarei, in quo S. GREGORII MAGNI *Libro Sacramentorum Benedictionale* ejuſdem ſeparatim ſubjunctum eſt. Poſtquam S. GREGORII MAGNI Librum Sacramentorum a Fr. HUGONE MENARDO, Monacho Congregationis S. Benedicti, alias Cluniacenſis, & S. MAURI ex Miſſali MSto S. ELIGII Bibliothecæ Corbejenſis correctiorem & locupletiorem editum, & Pariſiis apud DIONYSIUM MOREAU A. 1642 in quarto impreſſum, peculiari quodam ſtudio nuper accurate pervolvi, tantam inter illum & ſupra memoratum pervetuſtum Codicem MS. Cæſareum inveni differentiam, ut ea non obiter & paucis verbis poſſit indicari, ſed ampliſſima graviſſimaque *Diſſertatione* indigeat. Cui elaborandæ cum in præſens non vacem, neceſſario illa eouſque differenda eſt, donec in Continuatione Catalogi Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ ad Codices manuſcriptos Theologicos Latinos pervenero. Interim autem in anteceſſum moneo, in ſupra memorata Libri Sacramentorum editione MENARDIANA *Benedictionale* non exſtare, ut in pervetuſto illo Codice MSto Cæſareo, tanquam ſeparatum aliquod Opuſculum & inſtar Appendicis Libri Sacramentorum, ſed

S. GREGORII PAPÆ ROMANI
BENEDICTIONALE.

BENEDICTIO IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

Omnipotens DEVS, qui incarnatione Vnigeniti ſui mundi tenebras effugavit, & ejus glorioſa Nativitate hanc ſacratiſſimam noctem irradiavit, effuget a vobis tenebras vitiorum, & irradiet corda veſtra luce virtutum, Amen.

Quique ejus ſacratiſſimæ Nativitatis gaudium magnum paſtoribus ab Angelo voluit nuntiari, Ipſe ſuper vos Bene-

eidem reſpectu temporis & argumenti Singularum Benedictionum ſparſim inſertum & permixtum eſſe. Ubicunque igitur hoc Benedictionale, tum in his de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Commentariis tum in (α) Diario Sacri Itineris Cellenſis, a me vocatur ineditum hactenus, non ſimpliciter ea appellatio accipienda, ſed vel reſpectu modi editionis reſtricte interpretanda vel potius omnino delenda eſt. Vide etiam infra Errata reſidua Libri ſecundi. *Hæc ille, porro in illis erratis*, Pagina, *inquit*, 299 vers. penult. & ult. deleantur hæc verba: *ne tam rarum & fructuoſum primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ monumentum diutius lateat.* CL. GENTILOTUS *Codicem hunc noſtrum cum editione* MENARDIANA *diligenter contulit & quas maximo numero obſervavit varias lectiones Commentariis ſuis intexuit; præmiſſo hoc monito:* Sæpius, *inquit*, hujuſmodi liber cum ceteris Sancti Pontificis operibus atque etiam ſeorſim typis deſcriptus fuit, notiſque eruditiſſimis illuſtratus. Nondum tamen omnibus iſtis editionibus ſatisfactum antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimo S. R. E. Cardinali JOSEPH MARIÆ TOMASIO qui ob excellentem doctrinam cum eximia vitæ ſanctimonia conjunctam in ore famæ eſt; Divorum numerum olim aucturus. Volvebat itaque is animo GREGORII *Sacramentarium* variis additamentis propterea interpolatum, quod non modo Romana, ſed & aliæ Eccleſiæ eo uterentur; ad priſtinam ſimplicitatem reducere. idque ope hujus Cæſarei codicis a LAMBECIO indicati ſe longe optime effecturum ſperaverat. Quam ob rem egit is mecum interprete per epiſtolam amiciſſimo magnique in republica literaria nominis viro JUSTO FONTANINO ut ad præſcriptam ab eo normam Chirographum iſtud exemplum cum PAMELII editione conferrem, quod eam ad nativam puritatem proxime accedere ſibi eſſet perſuaſum. Addixi ego lubens cum utriusque tum publicæ utilitatis cauſſa operam meam, interim non diſſimulans, quid ſalva LAMBECII auctoritate de iſtius codicis ætate ſentirem. Illi vero in meo, ſi quod eſt, judicio acquieſcentes, me tunc ejuſmodi labore levarunt. Confer fragmentum Vitæ Card. TOMASII tom. XXVI. Diar. erudit. Ital. p. 12. 13. quem poſtea ſponte ſumere, mihi collibitum nec forte omnino inutile viſum fuit; maluiſſem equidem, ut eminentiſſimi viri manibus facerem ſatis codicis noſtri comparationem cum PAMELIANA quam alia editione inſtituere; verum ea deſtitutus, MENARDIANA A. 1642 Pariſiis procurata uſus ſum, quaſque inter utrumque exemplum varietates deprehendi infra ſcripſi. *Hæc* GENTILOTUS; *varietates profectlo illæ & non leves ſunt, & numeroſæ adeo, ut quinque & XL. philyras impleant; dignæ hercle alia & meliori ſorte. Iis adſcriptis ſubdit* GENTILOTUS: Hactenus Syllabus variarum lectionum, quæ in Sacramentario obſervatæ ſunt. *Sequitur a fol. 199. Ejuſdem* S. GREGORII *Benedictionale*, ſeu ſolemnium ab Epiſcopis dicendarum benedictionum ordo & ſeries, quod Cl. LAMBECIUS, nondum viſa HUGONIS MENARDI editione, prorſus *ἀνέκδοτον* credidit adeoque integrum commentariis ſuis Tom. II. a pag. 300. intexuit: neque omnino operam luſit. Tametſi enim in memorata MENARDI editione earum benedictionum plurima ſparſim ſuis locis occurrant, id quod & LAMBECIUS ipſe diligentius ea editione conſiderata, agnovit, & ingenue faſſus eſt Lib. IV. comment. additam. V. & in erratis reſiduis libri ſecundi, nonnullæ tamen ibidem deſiderantur; quas a ceteris ſegregatas Monachii BENEDICTINI Congregationis S. MAURI in omnium operum S. GREGORII editione Tom. III. a pag. 621. exſtare voluerunt. KOL.

(α) Vide ibi pap. 85. & 268, ut & Indicem litera G., colum. 2. vers. 21. KOL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Benedictionis ſuæ gratiſſimum imbrem infundat, atque Ipſo Paſtore vos ad æternorum gaudiorum paſcua æterna perducat, Amen.

Et qui per ejus Incarnationem terrena cœleſtibus ſociavit, internæ Pacis & bonæ voluntatis vos nectare repleat, & cœleſtis militiæ conſortes efficiat, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus Regnum & Imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum, Amen.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

BENEDICTIO IN DIE NATALIS DOMINI.

Benedicat vobis Omnipotens Deus, veſtramque ad ſuperna excitet intentionem, qui hanc Sacratiſſimam diem Nativitate Filii ſui fecit eſſe ſolennem, Amen.

Et qui eum, qui panis eſt Angelorum, in Præſepi Eccleſiæ cibum fecit eſſe fidelium animalium, Ipſe vos & in præſenti ſeculo deguſtare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, & in futuro perducat ad ſatietatem æternorum præmiorum, Amen.

Quique ejus Infantiam vilibus voluit indui pannis, Ipſe vos cœleſtium veſtimentorum induat ornamentis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE SANCTI STEPHANI MARTYRIS.

DEUS, qui Beatum Stephanum Protomartyrem coronavit, & confeſſione Fidei, & agone Martyrii, mentes veſtras circumdet, & in præſenti ſeculo corona Juſtitiæ, & in futuro perducat vos ad coronam Gloriæ, Amen.

Illius obtentu tribuat vobis Dei & proximi charitate ſemper exuberare, qui hanc ſtuduit etiam inter lapidantium impetus obtinere, Amen.

Quo ejus & exemplo roborati, & interceſſione muniti, ab Eo, quem ille a dextris Dei vidit ſtantem, mereamini benedici, Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum &c.

IN NATIVITATE S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Omnipotens DEUS dignetur vobis per interceſſionem Beati Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ benedicere, qui per eum arcana Verbi ſui voluit Eccleſiæ revelare, Amen.

Concedat vobis, ut, quod ille Spiritus Sancti munere afflatus veſtris auribus infudit, ejuſdem Spiritus dono capere mente valeatis, Amen.

Quo ejus documento de Divinitate noſtri Redemptoris edocti, & amando quod tradidit, & prædicando quod docuit, & exequendo quod juſſit, ad dona pervenire mereamini, quæ Idem Jeſus Chriſtus Dominus noſter repromiſit, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE SS. INNOCENTUM.

Omnipotens DEUS, pro cujus Unigeniti veneranda infantia, infantum Innocentum catervas Herodis funeſti peremit ſævitia, ſuæ vobis benedictionis tribuat dona gratiſſima, Amen.

Et, qui eis conceſſit, ut unicum filium ejus Dominum noſtrum non loquendo, ſed moriendo confiterentur, concedat vobis, ut fidem veram, quam lingua veſtra fatetur, etiam mores probi, & vita inculpabilis fateatur, Amen.

Quique eos primitivum fructum sanctæ suæ susceptit Ecclesiæ, cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æternæ Patriæ, Amen.

Quod ipse præstare, ut supra.

BENEDICTIO IN OCTAVA D. N.

Omnipotens DEVS, cujus Vnigenitus hodierna die, ne legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem susceptit circumcisionem, spirituali circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, & suam in vos infundat Benedictionem, Amen.

Et qui legem per Moysen dedit, ut per Mediatorem nostrum benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum, & faciat perseverare in novitate virtutum, Amen.

Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc seculo vivatis, & in septenario inter Beatorum Spirituum agmina requiescatis, quatenus in octavo resurrectione renovati, Jubilæi remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniatis, Amen.

Quod ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN THEOPHANIA.

DEVS lumen verum, qui Vnigenitum suum hodierna die stella duce gentibus voluit revelare, sua vos dignetur Benedictione ditare, Amen.

Quo exemplo Magorum mystica Domino Jesu Christo munera offerentes, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum, Amen.

Detque vobis veram mentium innocentiam, qui super Vnigenitum suum Spiritum Sanctum demonstrari voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exerceantur ad intelligenda Divinæ Legis arcana, qua in Cana Galileæ limpha est in vinum conversa, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur &c.

BENEDICTIO IN PVRIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Omnipotens DEVS, qui Vnigenitum suum hodierna die in assumpta carne, in templo voluit præsentari, benedictionis suæ vos munere fultos, bonis operibus faciat exornari, Amen.

Et qui eum, ut legem adimpleret, ministrum voluit effici legis, mentes vestras instruat legis suæ spiritalibus documentis, Amen.

Quo ei & pro turturibus castitatis seu charitatis munera offerre valeatis, & pro pullis columbarum Spiritus Sancti donis exuberetis, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN ANNVNTIATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Dominus Jesus Christus, qui in seculorum fine processit ex Virgine, cor vestrum Virginitatis incorruptæ corona clarificet, Amen.

Et, qui annuntiante Angelo Virginis ingressus est uterum, ejus vos ministerii & instruat & muniat Sacramento, Amen.

Quique hodie Virginis Conceptionem devotissime celebratis, ad Nativitatem nostri Redemptoris exultantibus animis & mundo corde perveniatis, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, qui cum &c.

BE-

BENEDICTIO IN SEPTVAGESIMA.

A *DEus Omnipotens, qui unicuique noſtrum ita currere, ut comprehendamus, juſſit per Apoſtolum ſuum, infundat cordibus veſtris Paraclitum Spiritum, quo & feliciſſimum valeatis conſummare curſum, & in ejus vinea, licet diverſis vocationibus laborantes, promiſſæ tamen ab eo mercedis mereamini recipere nummum, Amen.*

Ejuſdem Sancti Spiritus illuſtrati gratia, vegetati clementia, taliter flagitia relinquatis, atque plangatis præterita, devitetis præſentia, caveatis futura, qualiter digne a vobis B *obſervanda hic inchoetur, & dignius etiam conſummetur ſacratiſſimæ Quadrageſimæ abſtinentia ventura, Amen.*

Quatenus peragentes competenter ipſum tempus Quadrageſimale, purificatis mentibus ab omni vitiorum labe, mereamini mundi venire ad celebrandum ſolemniter feſtum Paſchale, Amen.

BENEDICTIO SS. EVCHARISTIÆ.

OMnipotens Deus, Opifex totius fabricæ Mundi, qui in principio condidit omnia opera ſua perfectione C *Senarii numeri, dignetur vobis per ineffabilem gratiam ſuam largiri, ut omni vitæ veſtræ tempore continua ſuæ benedictionis mereamini protectione muniri, Amen.*

Concedatque vobis illa opera per ſex dierum curricula patrare, per quæ in ſeptimo tantam, & talem gratiam ejus valeatis impetrare, ut & ipſius poſitis laudibus delectabiliter vacare, & ſine crimine ſinceriſſima devotione ſacroſancto Corpori & Sanguini Dominico ad remedium communicare, Amen.

Quo ſpiritali alimonia recreati, ejus optabili cuſtodia tutati, perpetualiter placeatis Ei, ab omni opere ſervili penitus liberati & ab univerſo facinore pariter mundati, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN QVINQVAGESIMA.

BEnedicat vos Divina Pietas, & ejus æterna Majeſtas, qui per Legislatorem Moyſen famulum ſuum præcepit Judaicæ plebi, ut anno Jubilæo terræ foret remiſſio, & ſervorum etiam libertas, Amen.

Liberet vos a jugo Diabolicæ ſervitutis, & ſuperaddens vobis vigorem priſtinæ ſalutis, effundat ſuper vos clementer Spiritum ſervitutis, Amen.

Quo tales egredi mereamini de corpore ab omni ſcelerum contagione purgati, quales per Chriſti roſeum cruorem redimendo fuiſtis miſericorditer expiati, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO INITIO QVADRAGESIMÆ.

BEnedicat vobis Omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moyſi & Heliæ, nec non & Mediatoris noſtri jejunio conſecravit, concedatque vobis ita tranſigere præſentis vitæ diſpenſationem, ut accepto a Patrefamilias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remiſſionem, & ad glorioſam cum Sanctis omnibus reſurrectionem, Amen.

Detque vobis ſpiritalium virtutum invictricia arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hoſtis ſagaciſſima tentamenta, Amen.

Quo non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod de ore ejus procedit, ſpirita-

ritalem ſumentes alimoniam, per jeju-
niorum obſervationem, & cæterorum
bonorum operum exhibitionem percipe-
re mereamini immarceſcibilem gloriæ
coronam, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

HEBDOMADIS SECVNDÆ IN QVADRAGESIMA BENEDICTIO.

Omnipotens Deus, jejunii cætera-
rumque virtutum dedicator at-
que amator, ſua vos benedictione ſan-
ctificet, Amen.

Accendat in vobis piæ devotionis
affectum & præbeat ſupplicantibus
ſuum benignus auditum, Amen.

Quatenus mentes veſtræ ſinceris
purgatæ jejuniis bonorum omnium ex-
uberent incrementis, Amen.

Quod ipſe præſtare, &c.

DOMINICÆ III IN QVADRAGESIMA BENEDICTIO.

Omnipotens Deus jejuniorum ve-
ſtrorum victimas clementer acci-
piat, & ſua vos benedictione dignos
efficiat, Amen.

Mentes veſtras ita parſimoniæ bono
contra vitia muniat, præceptorum ſuo-
rum doctrinis erudiat, charitatis dono
repleat, ut vos in omnibus ſibi placere
concedat, Amen.

Quatenus præſentis Quadrageſimæ
diebus devotiſſime celebratis, ad Pa-
ſchalia Feſta purificatis cordibus acce-
dere valeatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

DOMINICÆ IIII IN QVADRAGESIMA BENEDICTIO.

Deus, qui vos ad præſentiam Qua-
drageſimalium dierum medieta-
tem dignatus eſt perducere, ipſe vos
ſua miſeratione dignetur benedicere,
Amen.

Abſtinentiam veſtram præteritam
acceptet, futuram ita ſibi placitam red-
dat, ut ſicut ab illicitis cibis, ita vos
etiam a vitiis omnibus abſtinere conce-
dat, Amen.

Quo de præteritis & de futuris ſpi-
ritalium cariſmatum frugibus Ei gra-
tes perſolventes, ad ſanctum Paſcha
pervenire poſſitis indemnes, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN DOMINICA V IN QVADRAGESIMA.

Accendat in vobis Dominus vim ſui
amoris, & per jejuniorum obſer-
vantiam infundat vobis donum ſuæ be-
nedictionis, Amen.

Sic Ei parſimoniæ victimas offera-
tis, ut contriti Ei cordis & humilita-
ti ſacrificio placeatis, Amen.

Quatenus oratio veſtra jejunii &
eleemoſynæ alis ſubvecta ita ad aures
veſtri Conditoris aſcendat, ut vos æter-
næ beatitudinis hæredes, & ſuperno-
rum civium conſortes efficiat, Amen.

Quod Ipſe præſtare, &c.

BENEDICTIO IN RAMIS PALMARVM.

Benedicat vobis Omnipotens Deus,
cui & jejuniorum maceratione,
& præſentium dierum obſervatione pla-
cere ſtudeatis, Amen.

Concedatque vobis, ut ſicut Ei cum
ramis Palmarum cæterarumve frondi-
um præſentare ſtuduiſtis, ita cum pal-
ma victoriæ, & fructu bonorum operum
Ei poſt obitum apparere valeatis, Amen.

Quique Vnigeniti Filii ejus Paſſio-
nem puro corde creditis, mente devo-
ta venerari ſtudetis, ad reſurrectionis
ejus Feſta, & veſtræ remunerationis

præ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

præmia ipſius fulti munimine veniatis, Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, &c.

ITEM ALIA BENEDICTIO DE PASSIONE.

Omnipotens Deus, qui Vnigeniti ſui Paſſione tribuit vobis humilitatis exemplum, concedat vobis per eandem humilitatem percipere ſuæ benedictionis ineffabile donum, Amen.

Quatenus Ipſius reſurrectionis percipiatis conſortia, cujus patientiæ veneramini documenta, Amen.

Quo ab eo ſempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem æternam vos evadere creditis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN COENA DOMINI.

Benedicat vos Deus, qui per Vnigeniti Filii ſui Paſſionem vetus Paſcha in novum voluit converti, concedatque vobis, ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perſeveret conſperſio, Amen.

Et qui ad celebrandam Redemptoris noſtri Cœnam mente devota conveniſtis, æternarum dapium vobiſcum epulas reportetis.

Ipſius quoque opitulante clementia mundemini a ſordibus peccatorum, qui ad inſinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare diſcipulorum, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN SABBATO SANCTO.

Deus, qui de Eccleſiæ ſuæ intemerato utero novos populos producens, ea in Virginitate manente nova ſemper prole fœcundat, Fidei, Spei & Charitatis vos munere repleat, & ſuæ in vos benedictionis dona infundat, Amen.

Et qui hanc ſacratiſſimam noctem Redemptoris noſtri Reſurrectione voluit illuſtrare, mentes veſtras peccatorum tenebris mundatas virtutum copiis faciat coruſcare, Amen.

Quo eorum, qui modo renati ſunt, innocentiam imitari certetis, & vaſcula mentium veſtrarum exemplo præſentium luminum illuſtretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad hujus Sponſi Thalamum, cujus Reſurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare poſſitis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Benedicat vos omnipotens Deus hodierna interveniente Paſchali ſolennitate, & ab omni miſeratus dignetur defendere pravitate, Amen.

Et, qui ad æternam vitam in Vnigeniti ſui Reſurrectione vos reparat, in ipſius adventu immortalitatis vos gaudiis veſtiat, Amen.

Et qui expletis jejuniorum, ſive Paſſionis Dominicæ diebus, Paſchalis Feſti gaudia celebratis, ad ea Feſta, quæ non ſunt annua, ſed continua, ipſo opitulante exultantibus animis veniatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN OCTAVA PASCHÆ.

Deus, cujus Vnigenitus hodierna die diſcipulis ſuis januis clauſis dignatus eſt apparere, ſuæ vos benedictionis dono locupletare, & cœleſtis vobis Regni januas dignetur aperire, Amen.

Et, qui ab eorum pectoribus attactu ſui Corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat, ut per fidem, qua eum reſurrexiſſe creditis, omnium delictorum maculis careatis, Amen.

Et, qui eum cum Thoma Deum & Dominum creditis, & cernuis vocibus invocatis, ab eo & in hoc ſeculo a malis omnibus tueri, & in futuro Sanctorum cœtibus adſciſci valeatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO DE RESVRRECTIONE.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miſeratione creavit, & in Reſurrectione Vnigeniti ſui, ſpem vobis reſurgendi conceſſit, Amen.

Reſuſcitet vos de vitiorum ſepulchris, qui eum reſuſcitavit a mortuis, Amen.

Vt cum eo ſine fine feliciter vivatis, quem reſurrexiſſe a mortuis veraciter creditis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ALIA.

Deus, qui per Reſurrectionem Vnigeniti ſui vobis contulit & bonum Redemptionis, & decus adoptionis, ſuæ vobis conferat præmia benedictionis, Amen.

Et, quo redimente percepiſtis donum perpetuæ libertatis, eo largiente conſortes efficiamini æternæ hæreditatis, Amen.

Et, cui conſurrexiſtis in Baptiſmate credendo, adjungi mereamini in cœleſti regione bene vivendo, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO DE JEJVNIO.

Omnipotens Deus devotionem veſtram dignanter intendat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat, Amen.

Indulgeat vobis mala omnia, quæ geſſiſtis, & tribuat vobis veniam, quam ab eo depoſcitis, Amen.

Sicque jejunii veſtri & precum vota ſuſpiciat, ut a vobis adverſa omnia, quæ peccatorum retributione meremini, avertat, & donum in vos Spiritus Paracliti infundat, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

Benedicat vos omnipotens Deus, cujus Vnigenitus hodierna die Cœlorum alta penetravit, & vobis, ubi Ille eſt, aſcendendi aditum patefecit, Amen.

Concedat propitius, ut, ſicut poſt Reſurrectionem ſuam diſcipulis viſus eſt manifeſtus, ita vobis in Judicium veniens videatur placatus, Amen.

Et, qui Eum conſedere Patri in ſua Majeſtate creditis, nobiſcum manere uſque in finem ſeculi ſecundum ſuam promiſſionem ſentiatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN VIGILIA PENTECOSTES.

Benedicat vos omnipotens Deus, ob cujus Paracliti Spiritus adventum mentes veſtras Jejunii obſervantia præparatis, & præſentem diem ſolennibus laudibus honoratis, Amen.

Inſtar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum Sancti Spiritus ipſo tribuente eſſe poſſitis, Amen.

Atque idem Sanctus Spiritus ita vos hodie ſua habitatione dignos efficiat, ut cras ſe veſtris mentibus vobiſcum perpetim habitaturus infundat, & peracto præ-

præsentis vitæ curriculo vos ad cælestia Regna perducat, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN PENTECOSTE.

Deus, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus Paracliti infusione dignatus est illustrare, faciat vos sua benedictione repleri & Ejusdem Spiritus donis exuberare, Amen.

Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, & sui luminis infusione corda vestra perlustret, Amen.

Quique dignatus est diversitatem B *linguarum in unius Fidei confessione adunare; in eadem vos faciat constantia Fidei perseverare, & per hanc ab spe ad speciem pervenire, Amen.*

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Benedicat vos Omnipotens DEVS, Beati Joannis Baptistæ intercessione, cujus hodierna die Natalitia celebratis, concedatque, ut cujus solennia colitis, patrocinia sentiatis, Amen. C

Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris Mundi nec dum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit, Amen.

Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ Patriæ felicitate possitis adjungi, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

ALIA.

A *Benedicat vos Omnipotens DEVS, qui Vnigeniti Filii sui per Beatum Joannem tandem nostri misertus nuntiavit in terris adventum, Amen.*

Ipse Spiritus Sanctus, qui eum replevit clausum in utero matris, & patris linguam solvit a vinculo, faciat vos sua benedictione repleri, & spiritalibus donis abundanter exuberare, Amen.

Ascendat vox deprecantis Præcursoris ad aures clementissimi Patris, qui Mundi Redemptorem ante novit confiteri, quam nasci, quique auctorem B *Lavacri sacris manibus suis tinxit in fonte, maculas delictorum vestrorum clementer sua intercessione expurget, atque copiis virtutum fœcundet, Amen.*

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN FESTIVITATE SANCTÆ CRVCIS.

Benedicat vos Omnipotens DEVS, qui per Vnigeniti sui Jesu Christi Domini nostri passionem, & Crucis patibulum, genus redemit humanum, Amen.

Concedatque vobis, ut cum omnibus Sanctis, quæ sit ejusdem Crucis C *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, mente devota comprehendere possitis, Amen.*

Quatenus vosmetipsos abnegando, crucemque gestando, ita in præsentis vitæ stadio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter Choros Angelorum post obitum mereamini adsciſci, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

A

Benedicat vos Omnipotens DEVS, qui vos Beati Petri ſaluberrima confeſſione in Eccleſiaſticæ Fidei fundavit ſoliditate, Amen.

Et quos Beati Pauli ſanctiſſima inſtruxit prædicatione, ſua tueatur gratiſſima defenſione, Amen.

Quatenus Petrus clave, Paulus Sermone, utrique interceſſione ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die meruerunt pervenire, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN ASSVMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

DEVS, qui Beatiſſimam Virginem Mariam Domini noſtri Jeſu Chriſti glorioſiſſimam Genitricem, hodierna die ad Cœlos voluit evocare, & ſuper Choros Angelorum ſublimiter exaltare, ſuæ vos benedictionis gratia per interceſſionem Ejus & merita dignetur taliter ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini tranſmigrare, Amen.

Concedatque vobis in hoc ſæculo, ſic C *fide vigere, ſpe gaudere, & charitate pollere, caſtitatis jugiter eminentia fulgere, & humilitatis etiam excellentia ſplendere, quo Ipſi per omnia bonis operibus adornati valeatis placere, Amen.*

Faciatque vos omnia præterita flagitia & facinora, ita die noctuque gemitibus & fletibus expiare, præſentia & futura tam ſalubriter evitare, quatenus cum Ipſa poſſitis æternaliter in cæleſtibus emicare, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN FESTO SANCTI JOANNIS DE MARTYRIO.

DEVS, qui vos Beati Joannis Baptiſtæ concedit ſolennia frequentare, tribuat vobis & eadem devotis mentibus celebrare, & ſuæ benedictionis dona percipere, Amen.

Et, qui pro legis ejus præconio carceralibus eſt retruſus in tenebris, interceſſione ſua a tenebroſorum operum vos liberet incentivis, Amen.

Et, qui pro veritate, quæ Deus eſt, caput non eſt cunctatus amittere, ſuo interventu ad caput veſtrum, quod B *eſt Chriſtus, vos faciat pervenire, Amen.*

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE SANCTÆ MARIÆ.

DEVS, qui per Beatæ MARIÆ Virginis partum genus humanum dignatus eſt redimere, ſua vos dignetur benedictione locupletare, Amen.

Ejuſque ſemper, & ubique patrocinia ſentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ ſuſcipere meruiſtis, Amen.

Et, qui ad ejus celebrandam Nativitatem hodierna die devotis mentibus C *conveniſtis ſpiritalium gaudiorum, & æternorum præmiorum vobiſcum munera reportetis, Amen.*

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c. ut ſupra.

BENEDICTIO DE ADVENTV DOMINI.

Omnipotens DEVS, cujus Vnigeniti adventum, & præteritum creditis, & futurum expectatis, ejuſdem Adventus vos illuſtratione ſanctificet, & ſua benedictione locupletet, Amen.

In

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In præsenti vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, & sè vobis in judicio placabilem ostendat, Amen.

Quo a cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem expectetis interriti, cujus Sanguine estis redempti, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Omnipotens DEVS vos placito vultu respiciat, & in vos suæ benedictionis donum infundat, Amen.

Et, qui hos dies Incarnatione Vnigeniti sui fecit solennes, a cunctis præsentis & futuræ vitæ adversitatibus vos reddat indemnes, Amen.

Vt, qui de Adventu Redemptoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo, cum in Majestate sua venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Benedicat vos ineffabilis gratia, & pietas Dei Vivi, & annuat vobis per admirabilem & salutarem adventum Filii sui, ne sub dominatione peccati remaneatis, quod absit, captivi, Amen.

Ab omni vos miseria tam potenter liberare, & in sua misericordia tam clementer dignetur perseveranterque confirmare, ut sibi vos faciat in præsenti seculo taliter deservire, qualiter ad eum in futuro gaudentes mereamini pervenire, Amen.

Quique pro vobis eundem Vnigenitum suum in Adventu primo voluit incarnari, Ipse vos in secundo faciat ab injustorum consortio separari, & justorum commercio secum perenniter mansuros aggregari, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Benedicat vobis Deus Omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris atque Redemptoris Mundi, & ita vos benedicendo justificet atque sanctificet illustratione primi Adventus ejusdem Vnigeniti sui, ne in secundo coram ipso appareatis immundi, Amen.

Fundet vos ejus Gratia tam firmiter in humilitate vera, & solidet tam stabiliter in charitate sincera, quo taliter vobis displiceant ea, quæ sunt Mundi, & placeant jugiter ea, quæ sunt Dei, ut in cœlesti Beatitudine pariter cum Sanctis cohæreatis, Amen.

Quique pro salute servorum eundem Filium suum tantum voluit humiliari, ut intra maternum uterum naturæ nostræ in unitatem personæ copulando dignaretur uniri, intra vos in hoc primo Adventu, splendore suæ visitationis atque inhabitationis faciat illustrari, quatenus in secundo mereamini cum Ipso perpetim gloriari, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, qui cum Patre, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE VNIVS APOSTOLI.

DEVS, qui vos in Apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur Beati Apostoli sui N. intercedentibus meritis, Amen.

Defendatque vos a cunctis adversis Apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari & muniri exemplis & documentis, Amen.

Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ Patriæ hæreditatem, per quorum doctrinam tenetis Fidei integritatem, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, qui cum Patre &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE VNIVS MARTYRIS.

Beati Martyris ſui N. interceſſione vos Dominus benedicat, & ab omni malo defendat, Amen.

Extendant in vos dexteram ſuæ propitiationis, qui eum ſuſcepit per ſupplicia paſſionis, Amen.

Quo ejus in Cœlo mereamini habere conſortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis triumphum, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

BENEDICTIO IN NATIVITATE PLVRIMORVM MARTYRVM.

Benedicat vos Dominus Beatorum Martyrum ſuorum N.N. ſuffragiis, & liberet ab adverſitatibus cunctis, Amen.

Commendet vos eorum interceſſio glorioſa, quorum in conſpectu ejus eſt mors pretioſa, Amen.

Vt, ſicut illi per diverſa genera tormentorum cœleſtis Regni ſunt ſortiti hæreditatem, ita vos eorum mereamini conſortium per bonorum operum exhibitionem, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

IN FESTO VNIVS CONFESSORIS.

Omnipotens Deus det vobis copiam benedictionis, qui Beatum N. ſibi aſſcivit virtute confeſſionis, Amen.

Et, qui illum fecit corruſcare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis, Amen.

Quo ejus exemplis eruditi, & interceſſione muniti, cujus depoſitionis diem celebratis, illi poſſitis in cœleſti Regione adjungi, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus &c.

A

BENEDICTIO IN NATIVITATE PLVRIMORVM CONFESSORVM.

Sanctorum Confeſſorum ſuorum NN. meritis vos Dominus faciat benedici, & contra adverſa omnia eorum interceſſione muniri, Amen.

Eorum vos efficiat ſuffragio felices, quorum feſtivitatis diem celebratis ovantes, Amen.

Quo eorum imitantes exempla, ad cœleſtia pervenire poſſitis promiſſa, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus Regnum, &c.

B

BENEDICTIO IN NATIVITATE VNIVS VIRGINIS.

Benedicat vos Dominus, qui Beatæ Virgini N. conceſſit & decorem Virginitatis, & gloriam paſſionis, Amen.

Et, cujus opitulatione illa meruit & ſexus fragilitatem, & per ſequentium rabiem devincere, vos poſſitis & veſtrorum corporum, illecebras, & antiqui hoſtis machinamenta ſuperare, Amen.

Quo, ſicut illa ſexu fragili virile niſa eſt certamen adire, & poſt certa-

C *men de hoſtibus triumphare, ita vos in hac mortalitate viventes, valeatis & antiquum hoſtem devincere, & ad Regna cœleſtia pervenire, Amen.*

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus Regnum, &c.

IN NATIVITATE PLVRIMARVM VIRGINVM.

Omnipotens Dominus intercedentibus Sanctis Virginibus ſuis vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoſte non ſolum per Viros, verum etiam per Fœminas voluit triumphare, Amen.

Et,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et, qui illis voluit centesimi fructus donum decore Virginitatis, & agone Martyrii conferre, vos dignetur & vitiorum squaloribus expurgare, & virtutum lampadibus exornare, Amen.

Quatenus virtutum oleo ita pectorum vestrorum lampades possint repleri, ut cum eis cœlestis Sponsi thalamum valeatis ingredi, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, cujus Regnum &c.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ BENEDICTIO.

DEVS Omnipotens, qui hoc Sanctum Templum suo glorioſissimo Nomini in honore Beati N. Apostoli sui voluit dedicari, Ipse vos precibus, & meritis illius benedictione sua justificari, & illustratione visitationis, atque inhabitationis suæ faciat sanctificari; Amen.

Quatenus, qui fuistis aliquando, sicut & cæteri, domicilia hostis antiqui, & sub ejus dominatione captivi, mereamini singuli gratissima fieri templa Dei Vivi, per ejus gratiam effecti de servis filii adoptivi, Amen.

Concedatque vobis, ut qui anniversariam Dedicationis hujus Tabernaculi sui celebratis Festivitatem, ad continuam cœlestis Templi perveniatis alacriter cum Sanctis Angelis celebraturi perenniter solennitatem, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

IN ANNIVERSARIO CONSECRATIONIS EPISCOPI.

Omnipotens Deus, qui me, quamvis indignum, per immensam suæ pietatis affluentiam, intra numerum Antistitum, ad ministrandum altari suo, laudis hostias immolando, dignatus est deputare, atque tam ad cœlestis Mensæ Sacramenta, quam etiam ad perennis vitæ alimenta populo suo eroganda destinare, ipse benedictionis copia dignetur locupletare, & sanctificando gratia Sancti Spiritus corda vestra misericorditer vegetare, Amen.

Dignetur etiam vos ab omnimoda nequitia clementer expiare, & in suæ pietatis excellentia potenter confirmare, Amen.

Concedat quoque vobis, de malis ad bona, & de bonis ad meliora quotidie proficiendo transmigrare, & post hujus terminum vitæ ad æternorum gaudia præmiorum feliciter transmigrare, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, &c.

BENEDICTIO QVOTIDIANIS DIEBVS.

Benedicat vobis Dominus, & custodiat vos, Amen.

Illuminet faciem suam super vos, & misereatur vestri, Amen.

Convertat vultum suum ad vos, & donet vobis pacem, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, cujus &c.

ITEM ALIA.

Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, & sensum in vobis Sapientiæ salutaris infundat, Amen.

Catholicæ fidei vos documentis emutriat, & in sanctis operibus perseverabiles reddat, Amen.

Gressus vestros ab errore convertat, & viam vobis pacis & charitatis ostendat, Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, cujus &c.

ALIA.

A Inclinet Dominus aurem ſuam ad preces veſtræ humilitatis, & det gratiam vobis ſuæ benedictionis, & præmium ſempiternæ ſalutis, Amen.

Semper & ubique Dominum propitium habeatis, & in ejus laudibus exultetis, Amen.

Omnium peccatorum veſtrorum vincula ſolvat, & ad gloriam ſempiternam pervenire vos faciat, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus &c.

ALIA.

Multiplicet in vobis Dominus copiam ſuæ benedictionis, & confirmet vos in ſpe Regni cæleſtis, Amen. B

Actus veſtros corrigat, vitam emendet, mores componat, & vos ad cæleſtis Paradiſi hæreditatem perducat, Amen.

Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, qui cum &c.

ALIA.

Devotionem veſtram Dominus dignanter intendat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat, Amen.

Talique vos in præſenti ſeculo ſubſidio muniat, ut Paradiſi vos in futuro C habitatores efficiat, Amen.

Sicque corda veſtra ſanctificando benedicat, & benedicendo ſanctificet, ut vobiſcum, imo in vobis Eum jugiter habitare delectet, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, cujus &c.

ALIA.

Omnipotens Deus det vobis gratiam ſuæ benedictionis, & repleat vos ſpiritu veritatis & pacis, Amen.

Quatenus ſic per viam ſalutis devota mente curratis, ut ſubrepentium delictorum laqueos ſalubriter evadatis, Amen.

Sicque efficiamini in ejus ſupplicatione devoti, & in mutua dilectione ſinceri, ut ad cæleſte Regnum pervenire poſſitis ſecuri, Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cujus Regnum &c.

ALIA.

Concedat vobis Omnipotens Deus, munus ſuæ benedictionis, qui veſtræ eſt conſcius infirmitatis, Amen.

Et, qui vobis tribuit ſupplicandi affectum, tribuat conſolationis auxilium, Amen.

Vt ab eo & præſentis & futuræ vitæ ſubſidium capiatis, cujus vos bonitate creatos eſſe creditis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ALIA.

Omnipotens Deus cæleſti vos protectione circumdet, & ſuæ benedictionis dono locupletet, Amen.

Concedatque vobis, ut qui in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innitemini, cæleſti etiam protectione muniamini, Amen.

Quatenus & in præſenti ſeculo mortalis vitæ ſolatia capiatis, & ſempiterna gaudia comprehendere valeatis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Omnipotens Deus dexteræ ſuæ perpetuo vos circumdet auxilio, & benedictionum ſuarum repleat dono, Amen.

Ab omni vos pravitate defendat, & donis cæleſtibus exuberare concedat, Amen.

Quo corpore mundati ac mente, talem Ei exhibeatis ſervitutem, per quam ſuam conſequi valeatis propitiationem, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ITEM

ITEM ALIA BENEDICTIO.

A *Purificet omnipotens Deus veſtrorum cordium arcana, & benedictionis ſuæ vobis tribuat incrementa, Amen.*

Ab omnibus vitæ præſentis periculis exuamini, & virtutum ſpiritalium ornamentis induamini, Amen.

Quo illius adjutorio fulti, ſic Ei ſerviatis in terris, ut Ei conjungi valeatis, in Cœlis, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Omnipotens Deus univerſa a vobis adverſa excludat, & ſuæ ſuper vos benedictionis dona propitiatus infundat, Amen.

Corda veſtra efficiat ſacris intenta doctrinis, quo poſſint repleri beneficiis ſempiternis, Amen.

Quatenus & exequenda intelligentes, & intellecta exequentes, & inter adverſa Mundi inveniamini indemnes, & Beatorum Spirituum efficiamini cohæredes, Amen.

Quod Ipſe præſtare dignetur, &c.

ITEM ALIA.

Omnipotens DEVS dies veſtros in ſua pace diſponat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat, Amen.

Ab omnibus vos perturbationibus liberet & mentes veſtras in ſuæ pacis tranquillitate conſolidet, Amen.

Quatenus Spei, Fidei & Charitatis gemmis adornati, & præſentem vitam tranſigatis illæſi, & ad æternam perveniatis ſecuri, Amen.

QVOD IPSE PRÆSTARE DIGNETVR, CVIVS REGNVM ET IMPERIVM SINE FINE PERMANET IN SECVLA SECVLORVM, AMEN.

Hucuſque *Benedictionale S. Gregorii Magni.* Extat præterea in eodem B pervetuſto Codice MSto *Formula Sacræ Confeſſionis*, priſca illa conſtans *Germanica* lingua, cujus *Grammaticam*, uti (1) *Eginhardus* teſtatur, ipſe *Imp. Carolus Magnus* componere orſus eſt. Minime autem dubium mihi videtur, quin hac ipſa Confeſſione, (mutatis tamen, quæ reſpectu propriæ perſonæ, propriæque conſcientiæ mutanda fuerunt,) idem ille Imperator uſus ſit, ideoque cum hoc nomine, tum quoque propter linguam Germanicam iſtius ævi digniſſimam eam cenſeo, ut integre hic inſeratur.

Ich werde Gott dem almächtigen bichtig und unſer Frauwen der heiligen
Ih uuirdu Gode almahtdigen bigihdic unde urouun ſcā
Mariæ, und dem heiligen Michaëli, und dem heiligen Petro: und allen Gottes
Mariun, unde ſcē Michahele, unde ſcē Petre, unde allen Godes
Heiligen, und dir ſeinem Botten, dieweil ich ſündig bin ja in gedancken, ja
Heilegon, unde dir ſinemo Boden, uuande ih ſundic bin ioh in gidahtdin, ioh
in thaten, ja in worten, ja in wercken, ja im huren ia im ſtelen, ia
in dadin, ioh in uuordon, ioh in uuerkon, ioh in huare, ioh in ſtalu, ioh
im beſprechen, ia in neid, ia in balgen, ia in ubereſſen, ia im
in bisprachidu, ioh in nide, ioh in abulge, ioh in uberazidu, ioh in
übertrincken, ia im fluchen, ia im ſchweren, deren ſünden alle,
ubardrunchidu, ioh in fluachenne, ioh in ſuerhine, dero ſundono allero,
ia anderer mancher, ſo bichte ich es dem almächtigen Gott, und
ioh anderero managero, ſo gi ih es domo almahtdigen Gode, unde

(1) *Vide ſupra col. 353. lin. 17.*

allen ſeinen Heiligen, und dir ſeinem Botten. Ich bichte Gott dem almächtigen
allen ſinen Heilegon, unde dir ſinemo Boden. Ib gibu Gode almahtdigen,
dieweil ich ſündig bin, daz ich den heiligen Sontag und andere heilige
uuanda ib ſundic bin, daz ib heilegan Sunntag unde andere heilege
tage ſo nicht gefeiret, noch ſo nicht geehret wie ſie Gott hat gebotten,
daga ſo no giuirida, nob ſo no geroda, ſo ſe God habet gibodan,
und meine ſchuld war. Ich bichte Gott dem almächtigen, daz ich meine Kirchen
unde min ſculd uuari. Ib gibu Gode almahtdigen, daz ib mina Chirichun
ſo nicht beſuchet durch meines leichnam noch meine veſper
ſo ne ſuahda duruhc mammendi mines lichamen, nob mine veſpera,
noch meine metten, noch meine Meſſe nicht gehöret, wie ſie Gott hat
nob mina metdina, nob mina Meſſa ni giloſeda, ſo ſe Got habet
gebotten, und meine ſchuld war. Ich bichte Gott dem almächtigen, daz ich in
gebodan, unde min ſculd uuari. Ib gibu Gode almahtdigen, daz ib in
Kirchen unrechtes that, und unrechte reden thäte mit anderm manne,
Chirichun unrehtdes dahda, unde unrehda reda deda mit anderemo manne,
daz ich daz Gottes lob nicht wolte hören, noch anderen nicht lies. Ich bichte
daz ib daz Godes lop ni uuolda giloſen, nob anderan ni liaz. Ib gibu
Gott dem almächtigen, daz ich das heilige mit unreinem
Gode almahtdigen, daz ib das heliega uuiz zud ueboda mit unreinemo
leichnam, daz ich ſo gereinet nicht war, wie es Gott hat gebotten, und
lichamen, daz ib ſo gireinit ni uuas, ſo ſe Got habet gibodan, unde
meine ſculdigkeit war. Ich bichte Gott dem almächtigen, daz ich hungrige nicht
min ſculd uuari. Ib gibu Gode almahtdigen, daz ib hungarege ni
geſpeiſet, durſtige nicht gedrencket, ſieche nicht beſuchet, wie es Gott hat
azda, dursdage ni gidrancda, ſiebbero ni uuiſoda, ſo ſe Gode habet
gebotten, und meine ſchuld war. Ich bichte Gott dem almächtigen, daz ich
gibodan, unde min ſculd uuari. Ib gibu Gode almahtdigen, daz ib
durſtige mann zu haus nicht geladet, noch denen ſpeiſe noch dranck nicht gab,
durfdige man ci hus ni giladoda, nob denin az nob dranc ni gap,
noch , noch wie es Gott hat gebotten, und meine ſchuld war.
nob flezzi, nob betdi, ſo ſe Got habet gibodan, unde min ſculd uuari.
ich bichte Gott, daz ich meinen Vatter und meine Mutter, und andere
Ib gibu Gode, daz ib minan Uader unde mina Muader, unde andere
nechſte meine ſo nicht liebete, noch ſo nicht ehrete, wie es Gott hat
nabiſton mine ſo ne minnoda, nob ſo ne eroda, ſo ſe Got habet
gebotten, und meine ſchuld war. Ich bichte, daz ich meine
gibodan, unde min ſculd uuari. Ib gibu, daz ib mine funt divillola
ſo nicht Ich bichte Gott, daz ich
ſo ne lerda ſo ſe ib indar antheizo uuard. Ib gibu Gode, daz ib
der mann war, der ieh werden nicht ſolte. Ich bichte Gott, daz ich
thie man uuar, thie ib uuerran ni ſolda. Ib gibu Gode, daz ib
meinen zehnden ſo nicht vergalt, noch meines Herren ſache ſo nicht hielt,
minan decimon ſo ne vergalt, nob minas Heren ſacha ſo ne bielt,
wie es Gott hat gebotten, und meine ſchuld war. Alles des ich nun
ſo ſe Got habet gibodan, unde min ſculd uuari. Alles des ib nu
gemeinet habe, ſo ſo ich wiſſend heutigen tag ſo ſo es mir bey drunckenheit
gimeinit haben, ſo ſo ib uuizzant beidigidag, ſo ſo iz mir bi druncanheidi
gebürte, ſo wie mir es anders gebürte.
giburidi, ſo ſo miz iz anders giburidi, ſo uuas ſo ſib nit theſemo.

Huc-

Hucuſque antiqua illa Confeſſio Germanica. (a) Extat denique in eodem illo inſigni Codice manuſcripto antiquum *Kalendarium Eccleſiaſticum* hactenus ineditum, quod alias commodiori occaſione in hiſce Commentariis publici juris faciam, indicaturus ſimul etiam qua ratione ea, quæ partim ante *Imp. Caroli Magni* tempora, partim autem ſub eodem in illo ſunt ſcripta, diſtinguenda ſint ab iis, quæ ſub *Imp. Ludovico Pio* & deinceps adjecta ſunt.

XV. *Tertius* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codex, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias in hiſce Commentariis prolixius acturus ſum, eſt inter A MStos Codices Hiſtoricos Latinos *centeſimus nonageſimus octavus*, & continet Volumen *Epiſtolarum*, quas Romani Pontifices *Gregorius III*, *Stephanus III*, *Zacharias I*, *Paulus I*, *Stephanus IV*, *Hadrianus I*, & Antipapa *Conſtantinus* miſerunt ad Principes & Reges Francorum *Carolum Martellum*, *Pipinum* & *Carolum Magnum* ſtudio & cura ipſius *Caroli* B *Magni* anno Chriſti *ſeptingenteſimo nonageſimo primo* collectum, uti liquet ex antiqua Inſcriptione, majusculis literis exarata, quæ ab illo ipſo, qui juſſu *Caroli Magni* ſupra memoratas Pontificum Romanorum Epiſtolas in unum corpus redigendas deſcripſit, Collectioni earum præfixa eſt hoc modo:

A Ω REGNANTE IN PERPETVVM DNO ET SALVATORE NRO IHV XPO. ANNO INCARNATIONIS EIVSDEM DNI NRI DCCXCI. CAROLVS EXCELLENTISSIMVS ET A (1) DO ELECTVS REX FRANCORVM ET LANGOBARDORVM AC (2) PATRICIOS ROMANORVM. ANNO FELICISSIMO REGNI IPSIVS XXIII. DIVINO NVTV INSPIRATVS. SICVT ANTE

(a) Præclarum iſtud veteris Eccleſiæ Germanicæ monumentum, intexta recentiore dialecto a LAMBECIO explicatum typis iterum edidit Cl. Vir DIEDERICUS VON STADE in ſpecimine lectionum antiquarum Francicarum a pag. 20. Alia ſed brevior formula exſtat apud GOLDASTUM Tom. II. Rer. Alam. pag. 174. GENTILOTUS. LAMBECIUS *libro Comment. II. Addit. V. præter iſta notat.* ADDITAMENTUM V, pertinens ad pag. 317, 318, 319, & 320, ubi Confeſſionis ſacræ antiqua Formula Theotiſca tempore IMP. CAROLI MAGNI uſitata exhibetur: Alia ejuſdem generis antiqua Confeſſio Sacra Theotiſca exſtat in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ pervetuſto Codice membranaceo, tempore IMP. OTTONIS I. ſive MAGNI ſcripto, qui inter MStos Codices Theologicos Latinos eſt trecenteſimus quinquageſimus tertius. Exhibebitur autem & illa alias a me integra in peculiari quadam *Diſſertatione* de jam memorato præſtantiſſimo Codice. Ibidem quoque eamdem Confeſſionem, quæ libro huic ſecundo jam inſerta eſt, ſecundum edam, una cum verſione Latina & neceſſariis quibusdam Notis atque Animadverſionibus: ſimul etiam tunc indicabo, quid ſentiendum ſit, de duabus illis antiquis Theotiſcis Confeſſionis Sacræ Formulis, quæ a (α) MATTHIA FLACIO ILLYRICO & (β) MELCHIORE HEIMINSFELDIO GOLDASTO editæ ſunt. KOL.

(α) Ante volumen Evangeliorum; ab Otfrido Monacho Weiſſenburgenſi antiquis rhythmis Theotiſcis compoſitum.

(β) Tomo ſecundo Rerum Alamanicarum pag. 174. KOL.

(1) *Deo.*

(2) *Ita ibi ſcriptum eſt, non autem* Patricius.

ANTE OMNES. QVI ANTE EVM FVERVNT. SAPIENTIA ET PRVDENTIA EMINET. ITA IN HOC OPERE VTILISSIMVM SVI OPERIS INSTRVXIT INGENIVM. VT VNIVERSAS EPISTOLAS. QVAE TEMPORE BONAE MEMORIAE (1) DOMNI CAROLI AVI SVI NEC NON ET GLORIOSI GENITORIS SVI (2) PIPPINI SVISQVE TEMPORIBVS. DE SVMMA SEDE APOSTOLICA BEATI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS. SEV ETIAM DE (3) IMPERIO AD EOS DIRECTAE ESSE NOSCVNTVR. EO QVOD NIMIA VETVSTATE. ET PER INCVRIAM IAM EX PARTE (4) DIRVTAS ATQVE DELETAS CONSPEXERAT. DENVO (5) MEMORIALIBVS MEMBRANIS SVMMO CVM CERTAMINE (6) RENOVARE AC RESCRIBERE DECREVIT.

INCIPIENS IGITVR. VT SVPRADIXIMVS. A PRINCIPATV PRAEFATI PRINCIPIS CAROLI AVI SVI. VSQVE PRAESENS TEMPVS. ITA OMNIA (7) EXARANS VT NVLLVM PENITVS TESTIMONIVM SCAE ECCLESIAE PROFVTVRVM (8) SVIS DEESSE SVCCESSORIBVS VIDEATVR. VT SCRIPTVM EST. SAPIENTIAM OMNIVM ANTIQVORVM EXQVIRET SAPIENS ET CETERA.

Quamvis igitur non tantum ex hac Inſcriptione, ſed vel ex ſola ævi Carolini ſcriptura vetuſtas iſtius Codicis ſatis eluceat, huc tamen inſuper accedit, quod in ejuſdem principio majuſculis literis ſcriptum legitur:

LIBER VVILLIBERTI ARCHIEPI.

Minime enim dubium mihi videtur, quin per Archiepiſcopum *Willibertum*, ad quem Codex iſte olim pertinuit, haud alius intelligendus ſit, quam *Willibertus Archiepiſcopus Rotomagenſis*, qui memoratur (9) in Capitulis Imp.

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt, non autem* Domini.
(2) *Ita hoc nomen ibi ſcriptum eſt per duplex* PP.
(3) *Nempe* Orientali *ſive* Conſtantinopolitano. *Sed, quod dolendum eſt, Epiſtolæ illæ Imperatorum Conſtantinopolitanorum, quarum hic fit mentio, non extant in hoc Codice. Videtur ergo totum illud Corpus Epiſtolarum fuiſſe diviſum in* duo *Volumina, quorum* primum, *quod etiammunc extat in Auguſtiſſ. Bibliotheca Cæſarea, & illud ipſum eſt, de quo in præſens agitur, continuit* Epiſtolas Summorum Pontificum, *alterum autem, quod longinquitate temporis periiſſe exiſtimo, comprehendit* Epiſtolas imperatorum Conſtantinopolitanorum.
(4) *In ipſo MSto mendoſe legitur* diruta atque deleta.
(5) *In ipſo MSto mendoſe legitur* memoralibus; *pro qua voce depravata in editione impreſſa legitur* memorabilibus, *ſed revera legendum eſt* memorialibus. *Vocantur enim* membranæ memoriales, *quæ alicujus rei conſervant memoriam & ab oblivione vindicant. Eodem ſenſu apud* Suetonium *legitur* Memoriales Libri, *& apud Aulum Gellium* Memoriales Tituli.
(6) *Infinitivi* activi *hic ponuntur pro* paſſivis, *ut paſſim apud alios mediæ ætatis ſcriptores latino barbaros.*
(7) *Hinc liquet, autorem hujus Inſcriptionis eſſe illum ipſum Scribam ſive Librarium, qui ſua manu totum exaravit Codicem. Puto autem, quantum ex ſimilitudine ſcripturæ & mendorum judicare licet, eum haud alium eſſe, quam* Dagulfum, *qui juſſu Caroli Magni* Pſalterium Davidicum, *de quo ſupra col. 347. actum eſt, aureis ſcripſit literis.*
(8) *In ipſo MSto mendoſe legitur* ſuæ.
(9) *Vide Capitul. Impp. Caroli M. & Ludovici Pii lib. 2. cap. 25, & Card. Baron. Annal. Eccleſ. Tom. IX. ad an. 819.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Imp. Ludovici Pii inter Legatos diversarum Provinciarum, qui Conventui Aquisgranensi, A. C. 819 habito, interfuerunt. Verisimile autem est, Archiepiscopum *Willibertum* comparasse sibi istum Codicem post mortem Imp. Caroli Magni ex *Bibliotheca* ipsius (1) *privata* sive *cubiculari*; quippe circa quam, ut *Eginhartus* refert, in testamento suo statuit, *ut libri, quorum magnam in ea copiam congregaverat, ab iis, qui eos habere vellent, justo pretio redimerentur, & pretium erogaretur in pauperes.* Cæterum per quam varias rerum vicissitudines, & quo tempore ac modo idem ille præstantissimus Codex tandem pervenerit in Augustissimam Bibliothecam Cæsaream *Vindobonensem*, id mihi prorsus est incognitum. Primus autem jam memoratas Summorum Pontificum epistolas ex eo describi curavit V. Cl. *Sebastianus Tengnagelius*, Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ tertius ante me Præfectus, easque publicandas misit ad R. P. *Jacobum Gretserum*, Societatis Jesu celeberrimum Theologum, cujus cura postmodum Ingolstadii typis Andreæ Angermarii A. M DCXIII in quarto editæ sunt. Quo nomine licet utrique suam deberi laudem haud abnuam, necessario tamen monendum est, operæ pretium fore, si prima illa editio de integro accurate conferatur cum ipso supra memorato Codice authentico. (a) Quod enim

(1) *Vide supra col. 353.*

(a) *Is Codex in Classe Juris Canonici nunc est LXXXIII. eo ipse etiam nuper diligentius usus sum; & a* Cl. GENTILOTO *recte adnotatum video:* mendorum incredibilem in eo esse numerum. Confixit pleraque omnia Tengnagelius sua manu, sed nimia licentia non modo ad marginem veram lectionem adscribens, sed passim radens, inducens, reficiens, & inculcans; id quod probari non potest, tametsi ea mente id fecerit, ut GRETSERVM corrigendi labore levaret. GRETSERI ἐκδόσει *subrogavit* LAMBECIUS *aliam, diligentius ad eundem hunc Codicem castigatam & typis* COSMEROVII *anno* CIↃIↃCLXXIII *exscriptam; sed sine* chronologia accurata & necessariis adnotationibus, *quibus eas epistolas in* Catalogo editorum *illustraturum se receperat. Quippe ab eximio isto monumento initium edendi fecerat ampliss. illius* Syntagmatis Rerum Germanicarum, *quod, uti pleraque alia* LAMBECII *promissa, lucem nunquam vidit. Vide adnotationes meas in idem illud* Syntagma *in Supplementis meis ad Lib. Comment. I & II.* Cl. GENTILOTUS *variarum lectionum, quas inter Ingolstadiense exemplum & chirographum codicem intercedere deprehendit, servatis etiam mendis, quas librarii fudit incuria, Commentariis suis syllabum intexuit. Qui novum celeberrimi codicis exemplum typis evulgare vellet varietates istas, aut si mavelit apographum codicis, nullus dubito, obtinuerit ab Ill. Præfecto nostro* GERARDO L. Barone VAN-SWIETEN *cujus indefessum bonas literas juvandi studium & in hujuscemodi prisci ævi leipsanis communicandis humanissima facilitas jam nota omnibus præconio heic meo non eget. Sed en! dum hæc olim a me adnotata prælum jam subeunt, commodum in manus venit Commentariorum Historiæ Literariæ, quæ Venetiis eduntur, tomulus V. cujus P. VI. p. 57. maxima animi mei cum voluptate legi, absolutissimum hujus Codicis nostri exemplum in manibus jam esse Viri, cum virtute tum doctrina & dignitate vere* Eminentissimi. *Dum enim Vaticanæ Bibliothecæ Custodes certiores reddunt viros doctos, quid* EMINENTISSIMO PASSIONEO, *integram Apostolicæ Bibliothecæ possessionem adepto, sperare valeant; subdunt denique, proditurum quoque esse* Codicem *hunc* Carolinum, *multis aliis diplomatibus auctum,* ex absolutissimo emendatissimoque Codicis Cæsarei exemplari; *proditurum autem opera & studio* Ejusdem S. R. E. Bibliothecarii & Arcanorum Brevium a Secretis Cardinalis PASSIONEI. *Enimvero nihil jucundius, nihil honorificentius Augustæ Bibliothecæ nostræ nuntiari poterat; quæ eruditissimis ejus Purpurati Patris laboribus ornari se nunc læta intuetur, quem olim codices nostros summo studio evolventem sæpissime est admirata.* KOL.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

enim is, qui eum deſcripſit, nimiam in nonnullis locis corrigendis & mutandis ſibi arrogaverit licentiam, apparet vel ex ipſa prima pagina, quippe ubi non modo vocabulum *memorialis* prava emendatione transformatum eſt in *memorabilis*, verum etiam *Inſcriptio primæ Epiſtolæ* pro lubitu mutata & mutilata eſt. In ipſo nempe Codice authentico ea ſe habet hoc modo: EPISTOLA GREGORII PAPAE AD CAROLVM MAIOREM DOMVS MISSA PRO DEFENSIONE SANCTAE DEI ECCLESIAE. In editione autem impreſſa ſic legitur: *Epiſtola Gregorii III. Pontificis ad Carolum Martellum.*

XVI. *Quartus* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codex, ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias in hiſce Commentariis prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in folio, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *quadrageſimus ſeptimus.* Continet is cum alia plura veterum Autorum monumenta, tum quoque vitam Imp. Caroli Magni ab *Eginharto* vel, ut ibi legitur, *Enchardo* conſcriptam. *Præfatio* Eginharti ibi deeſt; principium autem Vitæ ita ſe habet: *Gens* (1) *Meringorum, de qua Franci Reges ſibi* (2) *procreare ſoliti erant, uſque in Hildericum Regem, qui juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus ac detonſus atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur. Quæ licet* &c. In fine Vitæ, poſt verba *adimplere curavit* leguntur hi verſus hactenus, quod ſciam, inediti: (a)

Hos tibi verſiculos ad laudem, Maxime Princeps,
Edidit æternam memoriamque tuam
Gerwardus ſupplex famulus, qui mente benigna
Egregium extollit nomen ad aſtra tuum.
Hanc prudens (3) *Geſtam noris tu ſcribere Lector,*
Enchardum Magni magnificum Karoli.

XVII. *Quintus* Codex, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in folio, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *ſexageſimus tertius.* (b) Continet is cum alia varia veterum Autorum monumenta, tum quoque eandem ſupra memoratam Imp. Caroli Magni Vitam, ab *Eginharto* vel, ut ibi legitur, *Einchardo* compoſitam. Inſcriptio ejus ibi hæc eſt: GESTA KAROLI. *Præfatio* Eginharti æque deeſt ac in proxime præcedenti Codice; principium autem ipſius Vitæ ita ſe habet: (4) *Gens Meroingorum, de qua Franci Reges ſibi* (5) *procreare ſoliti erant*, &c. In fine Vitæ, poſt verro eſt hic Codex nunc in Claſſe Hiſt. Prof. CLXXVIII. Kol.

(1) *Ita ibi ſcriptum legitur pro* Merovingorum.
(2) *Ita ibi ſcriptum legitur, non autem* creare.
(3) Geſta *ſubſtantive pro* Re geſta *ſive* Hiſtoria.
(4) *Ita ibi ſcriptum legitur pro* Merovingorum.
(5) *Ita ibi ſcriptum legitur, non autem* creare.

(a) *Pridem jam typis vulgati legebantur in Scriptoribus Hiſt. Francorum, a Cl. Viro* Andrea du Chesne *anno* CIↃIↃXXXVI *Lutetiæ Pariſiorum vulgatis Tom. II. p. 106.*

(b) *Nunc in Claſſe Hiſt. Prof. CCCXXXVIII* Kol.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verba *adimplere curavit.*, leguntur eadem tria diſticha, quæ in proxime præcedenti Codice, & quidem ſine ulla vel minima differentia, præterquam quod pro *Enchardum* ſcriptum eſt *Einchardum.*

Sextus Codex, ad Vitam & res geſtas Imp. Caroli Magni pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in quarto & inter MS. Codices Hiſtoricos Latinos *centeſimus quadrageſimus ſextus.* (a) Continet is quoque inter alia varia monumenta antiqua eandem ſupra memoratam Imp. Caroli Magni Vitam, ab *Eginharto* vel, ut ibi legitur, *Enhardo* literis conſignatam. Inſcriptio ejus ibi hæc eſt: *Incipit Vita Karoli Magni Imperatoris Auguſti & Saxonum Apoſtoli ab Enhardo Capellano ſuo compoſita.* (b) Ubi notandum eſt, *Capellam* ea ætate non tantum ſignificaſſe Sacellum Deo conſecratum, verum etiam *Cancellariam* & *Chartophylacium* ſive *Archivum*, hoc eſt, locum, in quo mandata & epiſtolæ Principum aliæque tabulæ publicæ vel componuntur & exarantur, vel conduntur & adſervantur. Hinc igitur apud mediæ ætatis latino-barbaros ſcriptores per *Capellanos* intelligendi ſunt *Secretarii* & *Scribæ*, qui Cancellariæ & Chartophylacio inſerviunt, per *Archi-Capellanum* autem ſupremus Cancellariæ & Chartophylacii Præfectus, qui nunc appellatur *Cancellarius* vel *Archi-Cancellarius.* Sic ergo & *Eginhartus* primo quidem fuit Imp. Caroli Magni *Capellanus*, hoc eſt, *Scriba* & *Secretarius*, tandem autem evaſit ejuſdem *Archi-Capellanus* ſive *Cancellarius;* uti erudite ſimul ac ſolide demonſtrat *Henricus Spelmannus*, Eques Anglo-Britannus in Gloſſario ſuo Archaiologico, ubi de ſignificatione vocabulorum *Cancellarius, Capella* & *Capellanus* agitur. Cæterum, ut ad rem revertar, deeſt etiam in hoc Codice *Præfatio* Eginharti; principium autem Vitæ ita ſe habet, uti in impreſſis editionibus: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant*, &c. Finis eſt: *adimplere curavit.* Sequuntur deinde in eodem Codice, & quidem ſine ullo novo Titulo ſive Inſcriptione, *libri duo de Geſtis Caroli Magni*, quos compoſuit anonymus quidam *Monachus* vetuſtiſſimi illius potentiſſimique Monaſterii Benedictini in Helvetia, quod a fundatore ſuo & primo Abbate cognomen accepit *S. Galli.* (c) Principium Præfationis libri primi hoc eſt: *Omnipotens* (1) *rerum Diſpoſitor Ordinatorque Regnorum & temporum*, &c. Teſtatur autem

(a) *Eſt in Claſſe Hiſt. Eccleſ. CX.* KOL.

(b) *Cum ultima editione quæ cura* JOANNIS HERMANNI SCHMINKII *Trajecti ad Rhenum A.* CIↃIↃCCXI *in quarto prodiit*, GENTILOTUS *contulit, & diſcrepantiam lectionum, ſervatis etiam mendis librarii, Commentariis ſuis inſeruit.* KOL.

(c) CL. GENTILOTUS *in recenſione codicis Hiſt. Prof.* IↃCCCCXC. *ad hoc opuſculum notat:* Sangallenſis monachi, ut putant, Libri II. de vita & geſtis CAROLI MAGNI quocum primus dumtaxat inſcriptionem habet &c. Vulgavit hos libros H. CANISIUS tom. I. Antiqu. lect. a pag. 359. ex codice Bavarico; ac recognitos ad vetuſti codicis Moiſſiacenſis fidem AND. DUCHESNIUS tom. II. Scriptor. Hiſt. Franc. a pag. 107. intexuit. *Hæc* GENTILOTUS. Porro qui Caniſium eruditiſſime recenſuit *Cl. Vir* JACOBUS BASNAGIUS *idem hoc opuſculum vulgavit in* Theſauro monumentorum Tom. II. Par. III. a pag. 53. *præmiſſa erudita obſervatione de vero auctoris nomine & ætate, quem vide.* KOL.

(1) *In Caniſiana editione mendoſe legitur:* Omnipotens Regum Diſpoſitor, *&c.*

tem ipſe autor in Præfatione libri ſecundi, *primum eorum librorum proceſſiſſe ex ore Magiſtri ſui Werinberti*, qui *Monachus* fuit & *Sacerdos* ejuſdem Monaſterii. Primus hoſce duos libros ex Codice MSto Bibliothecæ Bavaricæ Monacenſi in lucem edidit *Henricus Caniſius* Tomo primo Antiquæ Lectionis, ſed mendoſiſſime & nonnullis locis mutile, uti ex collatione iſtius editionis cum præſtantiſſimo hoc optimæque notæ MSto Codice Cæſareo videre eſt. Animadvertit hoc jam pridem doctiſſimus *Caſpar Barthius*, ideoque Adverſariorum ſuorum libro XLV, capite XI, nonnulla loca conjecturaliter emendare tentavit, ſed, quemadmodum nunc ex vetuſto hoc MSto Codice patet, non ſatis feliciter. Libri enim primi capite primo, ubi de *Clemente Scoto* & *Flacco Albino Alcuino*, Sapientiam venalem proclamantibus, hæc leguntur: *Karolus* (1) *cum omni celeritate ad ſuam eos præſentiam evocatos interrogavit, ſi vere, ut* (2) *ipſe fama comperit, ſapientiam ſecum haberent? Qui dixerunt: Et habemus eam, & in nomine Domini digne quærentibus dare parati ſumus. Qui cum inquiſiſſet ab illis, qui pro SVA IPSA peterent? reſponderunt: loca tantum opportuna & ANIMO INGENIOSI;* perperam ille putat locum mendoſum *pro ſua ipſa* ita corrigendum eſſe, ut legatur *pro ſua gaza*, & paulo poſt pro *animo ingenioſi* legendum eſſe *animos ingemuos*. Sed utrique emendationi reclamat Codex Cæſareus, utpote ubi, omiſſa mendoſa voce *ſua*, recte legitur, *quid pro ipſa peterent*. Subintelligitur nempe præcedens nomen ſubſtantivum *Sapientia*. Ibidem etiam pro *animo ingenioſi* recte legitur *animos ingenioſos*, non autem, ut Barthius perperam & ſine ulla cauſa mutandum exiſtimat, *ingenuos*. Animus enim *ingenioſus* idem hic eſt atque animus *docilis*; quippe cum *docilitas* & *memoria*, quæ ad comparandam Sapientiam maxime requiruntur, uno *Ingenii* nomine comprehendantur, ut teſtatur *Cicero* libro quinto de Finibus bonorum & malorum his verbis: *Animi, & ejus animi partis, quæ princeps eſt, quæque mens nominatur, plures ſunt virtutes, ſed duo prima genera, unum earum, quæ ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntariæ; cujus generis ſunt DOCILITAS & memoria: quæ fere omnia appellantur uno INGENII nomine, eaſque virtutes qui habent, INGENIOSI vocantur.* Hæc Cicero. Retinenda igitur eſt apud Monachum Sancto-Gallenſem vox *ingenioſus*, utpote ſignificantiſſima, nec mutanda eſt in *ingenuus*. Secundus ejuſdem Monachi Sancto-Gallenſis corruptus locus, quem Barthius emendare conatur, extat libri primi capite ſecundo, ubi de Albini Alcuini ad Carolum Magnum profectione agitur his verbis: *Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum Karolus ſuſciperet, conſcenſa navi venit ad eum. Qui erat in omni latitudine Scripturarum ſupra cæteros modernorum temporum exercitatus, ut puta diſcipulus Doctiſſimi Bedæ, QVI SANCTVM GREGORIVM TRACTATORIS.* Hujus igitur loci verba hæc corrupta, *qui Sanctum Gre-*

(1) *In Caniſiana editione pro* cum *mendoſe legitur* ſub.

(2) *In Caniſiana editione pro* ipſe *mendoſe legitur* ipſa.

Gregorium Tractatoris, emendat Barthius hoc modo: *ut puta discipulus doctissimi Bedæ, qui Sancti Gregorii tractator, tractatoris.* Sed veram lectionem exhibet nobis insignis ille Codex MStus Cæsareus, quæ est hæc: *ut puta discipulus doctissimi Bedæ, post Sanctum Gregorium Tractatoris.* *Tractator* videlicet antonomastice hic ponitur pro *Tractatore Sacræ Scripturæ*, hoc est, Commentatore illius & Explanatore. Sensus itaque est, inter eos, qui post *S. Gregorium Magnum* Sacram Scripturam Commentariis suis illustrarunt, Venerabilem *Bedam* esse præcipuum, ideoque *Tractatoris* titulum æque illi deberi, ac aliis, qui eo modo de Ecclesia Catholica bene meruerunt. Quod enim Doctores & Interpretes Sacræ Scripturæ olim κατ' ἐξοχὴν sive per excellentiam *Tractatores* appellati sint, testatur *Vincentius Lerinensis* in aureo adversus Hæreses libello his verbis: *Quosdam quidam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, quorum ipse unus erat; secundo Prophetas, qualem in Actibus Apostolorum legimus Agapum; tertio Doctores, qui Tractatores nunc appellantur.* Exempla ejus rei satis multa, quæ apud *Arnobium, Sulpicium Severum, S. Hieronymum, S. Augustinum*, aliosque antiquos Scriptores Ecclesiasticos passim occurrunt, studiosissime collegit doctissimus *Joannes Savaro* in Commentario ad Epistolam nonam Libri secundi *Sidonii Apollinaris*, quippe ubi legitur, *Adamantium Origenem a quibusdam Protomystis tanquam scævum cavendumque Tractatorem esse improbatum.* Tertius Monachi Sancto-Gallensis corruptus locus, quem Barthius emendare conatur, extat eodem capite secundo libri primi, ubi de Albino Alcuino agitur his verbis: *Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni GALLIÆ sive Franci antiquis Romanis & Athenienſibus æquarentur.* Hic Barthius pro *moderni Galliæ sive Franci* scribendum censet *moderni Gallici sive Franci*, & persuadere nobis annititur, Monachum illum Sancto-Gallensem de industria voluisse potius uti vocabulo *Gallici* quam *Galli.* Sed reclamat Codex MStus Cæsareus, utpote in quo manifeste simul ac recte scriptum legitur *moderni Galli sive Franci.* Quartus Monachi Sancto-Gallensis corruptus locus, quem Barthius conatur emendare extat ejusdem libri primi capite quarto, ubi narratur, Reginam *Hildegardam* Carolo Magno supplicasse, ut cuidam Clerico suo daret Episcopatum vacantem, quem ipse alicui adolescenti, suo jussu post cortinam Regii conclavis auscultandi causa latitanti, jam ante promiserat. Ibi nempe hæc leguntur: *Tunc adolescens ille, quem post cortinam, juxta quam consederat Rex, stare* (1) *præceperat, ut audiret, quomodo singuli supplicarent cum ipsa CORTINA, Domine Rex, tene fortitudinem tuam, ne potestatem a Deo tibi collatam de manibus tuis quisquam extorqueat.* In quibus verbis cum nullus sit sanus sensus, credidit Barthius, pro *supplicarent cum ipsa cortina* legendum esse *supplicarent cum ipsa Regina.* Quo licet concesso; nondum tamen liquet, qua ratione sequentia verba, *Domine Rex tene fortitudinem tuam, ne* &c., præcedenti-

(1) *In Canisiana edit. minus recte legitur* præcepit.

dentibus cohæreant. Opportune igitur hic nobis ſuccurrit præſtantiſſimus ille Codex MStus Cæſareus, utpote cujus beneficio patet, locum hunc mutilum ita ſupplendum eſſe: *Tunc adoleſcens ille, quem poſt cortinam, juxta quam conſederat Rex, ſtare præceperat, ut audiret, quomodo ſinguli ſupplicarent, cum ipſa cortina* (1) *ipſum circumplexus, in hos queſtus erupit: Domine Rex, tene fortitudinem tuam, ne poteſtatem, a Deo tibi collatam, de manibus tuis quiſquam extorqueat.* Quod itaque ſupereſt, exiſtimo ex ſola jam memoratorum quatuor locorum vera emendatione ſatis elucere, non tantum quam neceſſarium ſit, ut Hiſtoria illa anonymi iſtius Monachi Sancto-Gallenſis de rebus geſtis Caroli Magni ex ſupra laudato antiquo Codice MSto Cæſareo de integro accurate (2) edatur, verum etiam quam ſit periculoſum & incertum, veterum Scriptorum monumenta corrupta abſque ope & adminiculo bonorum Codicum MStorum *ſola conjectura* velle corrigere. (a)

Septimus Codex ad Vitam & res geſtas Imp. Caroli Magni pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in octavo, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *centeſimus quadrageſimus ſeptimus.* (b) Continet is cum alia quædam monumenta antiqua, tum præcipue *libros quatuor de Rebus a Carolo Magno geſtis*, quorum *primus* eſt *Eginhardi* ille ſupra jam memoratus, cujus principium: *Gens Merowingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant*, &c. Nomen *Eginhardi* & ejusdem *Præfatio*, quæ incipit, *Vitam & converſationem* &c., deeſt ibi; loco autem Procemii generalis in omnes quatuor libros habetur *primum* caput *Eginhardi* a verbis, *Gens Merowingorum*

(1) *Scilicet* Carolum Magnum.

(2) *In anteceſſum illud quoque obiter hic monendum eſt, in Codice illo Cæſareo librum* ſecundum *Monachi Sancto-Gallenſis vocari librum* tertium *de rebus geſtis Caroli Magni; nempe quia liber* Eginhardi *ſequentibus duobus libris quaſi primus præmittitur. Item illud monendum eſt, eum, qui in Præfatione libri ſecundi mendoſæ editionis Caniſianæ vocatur* Kekardus, *rectius in MSto illo Cæſareo vocari* Keroldum *ſive* Geroldum. K *enim poſitum eſt pro* G, *uti paſſim in antiquis Codicibus MStis Germanicis videre eſt.*

(a) *In horum cumulum adjecit* LAMBECIUS *in Appendice Libri II. Additamentum his verbis:* ADDITAMENTUM VI. pertinens ad pag. 323. 324. 325. 326. & 327. ubi agitur de Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo codice membranaceo, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos centeſimo quadrageſimo ſexto. Præter Vitam IMP. CAROLI MAGNI ab EGINHARDO compoſitam, & præter libros duos de geſtis ejuſdem Imperatoris, ab anonymo quodam monacho SANCTI GALLI conſcriptos, continentur etiam eodem præſtantiſſimo codice MS. Cæſareo EGINHARDI *Annales Regum Francorum* PIPINI CAROLI MAGNI & LUDOVICI PII ab anno IↃCCXLI, uſque ad annum IↃCCCXXIIII. incluſive, quorum infra ad codicem VII & XXI fiet mentio. Notandum autem eſt, memoratis locis pro IↃCCCXXVIII, legendum eſſe IↃCCCXXVIIII; eumdemque numerum non ſolum in prima & antiquiſſima eorundem Annalium editione NUENARIANA, ſed & in editione REUBERIANA perperam eſſe omiſſum, & inſeri debere ante verba, *Poſt exactam hyemem &c.* utpote ubi Acta anni 829 incipiunt, quemadmodum in editione QUERCETANI recte videre eſt, Tomo Secundo Scriptor. Vet. Hiſtor. Francorum p. 272. *Hæc* LAMBECIUS CL. *autem* GENTILOTUS *in recenſione codicis Hiſt. Prof.* IↃCCCCXC *ſic:* Annales Francorum ab anno IↃCCXLI usque ad A. IↃCCCXXIX, quos HERMANNUS a NUENARE Sacri imperii Germanici Comes de auctoris nomine dubius, princeps edidit; MARQUARDUS FREHERUS ADELMO, vel ſecundum alios ADEMARO, monacho BENEDICTINO; JUSTUS REUBERUS Aſtronomo cuidam LUDOVICI Regis domeſtico, DUCHESNIUS EGINHARTO adſcriptos reduci fecerunt. KOL.

(b) *Nunc in Claſſe Hiſt. Prof.* IↃCCCCXC. KOL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gorum &c. uſque ad verba, *nihil de iis, quæ cognitu vel digna vel neceſſaria ſunt, prætermittam.* Huic enim capiti præfixus eſt hic titulus: *Incipit Prologus librorum de Geſtis Karoli Imperatoris.* Finito hoc capite primo; ſequitur *ſecundus* hic titulus: *Explicit Prologus. Incipit Liber primus de adminiſtratione Regni & fine Karoli. Omnium bellorum, quæ geſſit, primo Aquitanicum, a Patre inchoatum, ſed nondum finitum,* &c. Finis hujus libri eſt; uti in impreſſis editionibus, *adimplere curavit.* Sequitur deinde novus hic titulus: *Incipit Liber ſecundus de rebus a Karolo Magno geſtis.* Continentur eo *Annales* Regum Francorum Pippini, Caroli Magni & Ludovici, a quodam ejus ætatis *Aſtronomo,* Ludovici Regis domeſtico conſcripti, quos *Juſtus Reuberus* in Syntagmate ſuo veterum Scriptorum Rerum Germanicarum jam pridem edidit. Incipiunt illi ab anno DCCXLI his verbis: *Hoc anno Carolus Major Domus diem obiit* &c.; pertingunt autem uſque ad annum DCCCXXVIIII incluſive & deſinunt his verbis: *nec non & ipſum* (1) *ſacroſanctum Dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia exultationis celebravit.* Reuberiana autem editio multo eſt auctior; quippe quæ pertingit uſque ad annum DCCCXLII incluſive. Reliqui *duo libri* de Geſtis Caroli Magni, qui in eodem Codice MSto extant, nempe *tertius* & *quartus*, ſunt prorſus iidem illi ab anonymo quodam *Monacho Sancto-Gallenſi* conſcripti, & ab *Henrico Caniſio* primum editi, de quibus proxime præcedenti hujus capitis Segmento ſeparatim jam facta eſt mentio. Titulus *primi* illorum duorum poſteriorum librorum in hoc Codice ita ſe habet: *Incipit Liber tertius de moribus & ſtudiis virtuoſis Karoli Magni.* Secundus eorundem librorum, qui in hoc Codice eſt quartus, nullo peculiari titulo inſignitus eſt. (a) Quod reſtat, illud

(1) *In Reuberiana editione legitur* ſacroſanctæ; *& paulo poſt* cum magna lætitia & exultatione.

(a) *Hunc codicem* GENTILOTUS *noſter longe diligentius legit, cujus recenſionem adſcribere non pigebit.* Continetur eo primo KAROLI MAGNI vita per EGINHARTUM ſcripta atque ita diſtributa, ut omiſſo prologo illo, qui incipit: *Vitam & Converſationem &c.* initium vitæ uſque ad verba: *Omnium bellorum, quæ geſſit*, ad modum procemii præponatur, cum hujuſmodi miniata epigraphe: *Incipit prologus librorum de geſtis* KAROLI *Imperatoris. Gens Merowingorum &c.* Prologo ſubjicitur novus titulus miniatus hoc exemplo: *Explicit prologus. Incipit liber primus de amminiſtratione regni & fine* KAROLI *omnium bellorum &c.* Finis ut in vulgatis: *adimplere curavit.* II. a fol. 15. Annales Francorum ab anno IↃCCXLI. uſque ad annum IↃCCCXXIX.... DUCHESNIUS EGINHARTO adſcriptos recudi fecit. DUCHESNII conjecturas confirmat hic codex. Vide ejus præfationem tom. II. Script. Hiſt. Franc. pag. 232. Inſcriptio horum annalium miniata ſic ſe habet: *Incipit liber de geſtis rebus a* KAROLO MAGNO. (α) Initium: *Hoc anno Karolus Major Domus diem obiit, tres filios heredes relinquens* CARLOMANNUM *ſcilicet* PIPPINUM *atque* GRIFFONEM *&c.* Finis: *Ibi & miſſam Sancti Martini ac feſtivitatem beati Andreæ Apoſtoli, nec non & ipſum ſacroſanctum dominicæ nativitatis diem cum magna letitia exultationis celebravit.* Atque ad hunc modum deſinunt editiones NUENARII FREHERI & DUCHESNII. REUBERUS laciniam adtextam habet e vita LUDOVICI PII deſumptam. III. a fol. 57. SANGALENSIS monachi, ut putant, libri II. de vita & geſtis CAROLI MAGNI, quorum primus dumtaxat inſcriptionem habet eamque miniatam hoc exemplo: *Incipit liber tertius de moribus & ſtudiis virtuoſis Karoli Magni.* Initium: *Omnipotens Regum diſpoſitor &c.* Finis: *ad neceſſariæ nature ſecedens tibiarium gelacione deficio.* Initium ſecundi: *In præfatione hujus opuſculi &c.* Finis: *Officium quidem tuum*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

illud quoque notandum eſt, Codicem hunc, de quo in præſens agitur, ſcriptum eſſe ante annos tantum trecentos vel circiter, & quidem ab homine negligentiſſimo ſimul ac imperitiſſimo, ideoque plurimis eum mendis & lacunis ſcatere, & quidem, quod mirandum eſt, prorſus iiſdem, quibus *Caniſiana* editio referta eſt. Quapropter & veriſimillimum mihi videtur, vel Codicem illum MStum, quo *Caniſius* uſus eſt, ex hoc Codice *Cæſareo*, vel viceverſa *Cæſareum* hunc ex illo olim deſcriptum eſſe.

XX. *Octavus* Codex, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in quarto, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *centeſimus quadrageſimus octavus.* (a) Continet is Vitam Caroli Magni ab *Eginhardo* conſcriptam, cujus principium: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant*, &c. Nomen *Eginhardi* & *Præfatio* ejuſdem, quæ incipit, *Vitam & Converſationem*, &c. deeſt etiam in hoc Codice, nec alius ibi legitur Titulus, quam hic: VITA KAROLI IMPERATORIS. Finis autem ita ſe habet, uti in impreſſis editionibus, *adimplere curavit.* Sequitur deinde ibidem ſine ullo novo titulo *Vita Imp. Ludovici Pii*, ab anonymo quodam autore coætaneo compoſita, quam *Petrus Pithœus* primus in lucem edidit. Principium ejus eſt: *Cum geſta priſcorum bona malave*, &c; finis autem: *& in Baſilica Sancti* (1) *Amulfi, quo & mater ejus condita erat, nobiliter ſepelivit.* Eſt profecto Codex hic digniſſimus, qui totus a capite ad calcem cum utriuſque Vitæ impreſſis editionibus accuratiſſime conferatur. (b) Ex ſola enim ſcriptura, utpote quæ ſupra memorato *Caroli Magni Pſalterio*, cæteriſque ævi Carolini Codicibus MStis ad unguem congruit, primo apparet intuitu, Codicem hunc non multo poſt obitum *Imp. Ludovici Pii* vel ſub filio ipſius *Imp. Lothario I*, vel certe ſub ipſius nepote *Imp. Ludovico II* eſſe exaratum. Notandum denique & hoc eſt, in fine ejusdem Codicis legi hæc verba: *Codex Sancti* (2) *Eucharii primi Trevirorum Archiepiſcopi. Si quis eum abſtulerit, anathema ſit, Amen.*

XXI. *Nonus* Codex, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in quarto, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *centeſimus quadrageſimus nonus.* Continet

habere te permittimus. Vulgavit hos libros H. CANISIUS tom. I. Antiqu. lect. a pag. 359. ex Codice Bavarico hujus Cæſarei ſimillimo ut ex ejus præfatione liquet, ac recognitos ad vetuſti codicis Moiſſacenſis fidem A. DUCHESNIUS tom. II. Scriptor. Hiſt. Franc. a pag. 107. intexuit. *Hæc ille. De* BASNAGII *editione vide quæ adnoto ad codicem præcedentem.* KOL.

(a) *Male a Lambecio ſic ponitur: Incipit Liber Secundus de rebus a Karolo Magno geſtis.* KOL.

(a) *Nunc in Claſſe Hiſt. Prof.* IↃCLXVII. KOL.

(1) *In Pithœana editione legitur* Arnulfi, *& paulo poſt* eſt *pro* erat.

(b) *Egregie hoc exequutus eſt* CL. GENTILOTUS *noſter; qui* CAROLI MAGNI *vitam cum Joannis* HERMANNI SMINKII, LVDOVICI *autem* PII, *cum* DVCHESNII *editionibus diligenter contulit, & quæ inter illa exempla intercedebant lectionum diſcrimina Commentariis ſuis intexuit; monet tamen vir doctus in fine comparationis vitæ Ludovici Pii:* Atque hæc, *inquit*, ſunt variæ lectiones, quæ in Aſtronomo occurrunt, prætermiſſis manifeſtis librarii erratis, nec non innumeris verborum transgreſſionibus, atque ordine præpoſtero, qui ut oſtendi poſſit, integra plane editione opus foret. KOL.

(2) *Pertinuit ergo olim hic Codex ad celeberrimum Monaſterium Benedictinum extra muros Vrbis Trevirenſis, quod nunc* S. Matthiæ *dicitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tinet is Vitam Imp. Caroli Magni, ab *anonymo* quodam autore ſub *Imp. Friderico I*, cognomine *Ænobarbo* ſive *Barbaroſſa*, circa annum MCLXV conſcriptam, & hactenus nondum in lucem editam; quam licet alio commodiori loco integram poſthac publicare decreverim, operæ pretium tamen me facturum arbitror, ſi hic interim *Præfationes trium librorum*, in quos ea diviſa eſt, una cum *Capitum* cujuſque Libri Lemmatibus ſive Titulis & *concluſione* totius Hiſtoriæ, in anteceſſum præmiſero. (a)

DE SANCTITATE MERITORVM ET GLORIA MIRACVLORVM BEATI CAROLI MAGNI AD HONOREM ET LAVDEM NOMINIS DEI.

Etſi paſſim & varie odoris pigmentarii veneranda orthodoxi Karoli Magni celebretur memoria, ejuſque ſparſim per diverſa terrarum ſpatia mirifice & magnifice ſcripta vulgentur, placuit tamen de tanto horto deliciarum, in quo conſita ſunt tot genera florum, carptim & breviter quædam odoramenta virtutum diligere, quæ ſitibundis animis Chriſti fidelium in odorem ſuaviter valeamus exhibere. Quia vero arguendæ temeritatis eſt, noſtræ ariditatis canalem tanti fluminis torrentem ſibi præſumere, ſperantes tamen in eum, qui ex ore infantium & lactentium ſibi laudem perficit, roſas quaſdam & lilia de late patenti viridario excerpſimus, quæ præſenti opuſculo pro loco & tempore inſeruimus. Intendimus igitur ſuccincte quædam inſignia virtutum & celebrem glorioſamque miraculorum ſeriem in laudem Dei & præfati piiſſimi Imperatoris contexere, quatenus verus ille Chriſti cultor

(a) *Eſt nunc in Claſſe Hiſt. Prof. cod.* IↃCLXVI. *Ad quem* CL. GENTILOTVS: Ampliorem, *inquit*, hujus codicis recenſionem repræſentavit LAMBECIVS lib. II. comment. a pag. 329. ubi tam præfationem generalem quam cujuſque libri peculiarem una cum capitum argumentis edidit; pollicitus inſuper ſe integrum opus iſtud olim vulgaturum. At miror ego virum cætera diligentem & ingenuum aut non animadvertiſſe, non modo præfationem generalem cum totius commentarii argumentis; ſed & ejus fragmenta quædam ex codice cœnobii Corſendoncani prolata fuiſſe a BOLLANDO ad diem XXVIII. Januarii, aut ejus rei mentionem non feciſſe. Ad totius operis editionem quod attinet, ſequor ejuſdem Bollandi judicium, cui viſum non fuit, illud integrum in apertum referre. Eſt enim otioſi, &, ut BOLLANDVS ſuſpicatur, Schiſmatici hominis cento, partim quidem ex EGINHARTO aliiſque ipſiu CAROLI æqualibus ac ſinceris ſcriptoribus; partim vero ex turpiſſimis PSEVDO-TVRPINI fabulis aliiſque commentitiis viſionibus ac oſtentis, epiſtolis ac diplomatibus contextus; adeo ut ſcriptoris animus parum ſeverus ac prudens undequaque ſe prodat. Nuſquam tamen magis jocularem ac deridendum ſe præbet, quam dum literas ab Imperatore CPolitano ad Carolum ſcriptas ac lingua Græca confectas ſeu potius conſictas recitat; conflatæ enim ſunt ex vocabulis quibuſdam hebraicis; maximam vero partem ex ignotis, barbaris, ac a male feriato veteratoris iſtius ingenio excogitatis; quorum ſpecimen eciſtud. (α) EXEMPLAR EPLE CONSTANTINOPOLITANI IMPERATORIS. *Aias anna bonac ſaaca labzi milac pholi auſilau bennuni ſegen lamithei bercelin ſade abraxion ſanotium.* Hoc eſt: *Conſtantinus Imperator & Leo filius ejus eque Imperator & rex orientalium omnium minimus & vix Imperator dici dignus Karolo Magno Regi occidentalium famoſiſſimo fidelium regnum & Dominium & coronam utriuſque vite feliciter. Jephet alas calabri caa milaſpholi anna bonac berche leoni aucilau dochatahel lamieth helau abraxion atheday barach iſrahel aithamime ithamil ſizima mucheta david, dabiæ iohet ſanothium &c.* ſed nugarum ſatis ὥσπερ δρυός. KOL.

(α) Affert hanc epiſtolam cum eadem interpretatione JACOB DOVBLETVS Hiſt. de L'Abbaye de ST. DENIS, pag. 1207. ex m. s. codice ejuſdem cœnobii depromptam, qui codex ut apparet, ex iisdem fabulis ac Cæſareus iſte contextus eſt. KOL.

tor Fridericus Romanorum Imperator vere Auguſtus certior de ſanctitate morum & vitæ Beatiſſimi Karoli Magni in amplius & perfectius gaudeat, ſe Solem illum, (1) trecentis annis & quinquaginta uno occultatum, in lucem gentium divina cooperante gratia produxiſſe. Vere etenim ſperamus, eum hujus Canonizationis autorem ad id præelectum, quem a primo illo juſtiſſimo Karolo Magno alterum Magnum Karolum Mundo credimus illuxiſſe. Egregia vero ipſius Beati Karoli geſta & triumphalem bellorum ejus Hiſtoriam aliis relinquimus, quæ in Catalogo Virorum fortium & in Chronicis ejuſdem multifariam reperitur; cujus & nos officioſa ſedulitate (2) Micrologum conſcripſimus. Implorata igitur Sancti Spiritus gratia, quæ tarda neſcit molimina, ad ampliandam laudem tantæ propaginis, attingamus radicem hujus ipſius plantationis, quam vere plantavit & rigavit Pater cæleſtis. Ad evidentiam tamen ſubſequentium capitulatim totius ſummam Operis prædiſtinguimus.

CAPITVLA PRIMI LIBRI.

I. Genealogiæ ſeries Beati Karoli.

II. Viſio Stephani Papæ.

III. De Vita & meritis Beatiſſimi Karoli.

IV. Quanto affectu omnium Imperator factus ſit.

V. De clavibus Sepulchri Imperatori tranſmiſſis.

VI. De primitiis ſui Imperii Deo conſecratis.

VII. De doctrina & eloquentia Imperiali.

VIII. De cura ipſius in jure Poli.

IX. De vigilantia ipſius in juſtitia fori.

X. Qualiter filium ſuum Ludovicum hæredem paternæ ſanctitatis & regni Aquiſgrani inſtituerit.

VI. De condemnatione Hæreſiarcharum Felicis & (3) Elipandi.

XII. De auctoritate Romanæ Sedis adhibita.

XIII. De abdicatione ſeptimæ Synodi.

XIV. De pio affectu ipſius in Eccleſiis ædificandis.

XV. Nomina viginti trium monaſteriorum ſecundum ordinem literarum diſtinctorum.

XVI. De excellentia Aquenſis Eccleſiæ.

XVII. De virtute hoſpitalitatis Imperatoriæ.

XVIII. De liberali munificentia eleemoſynæ Imperialis.

Explicit prima Diſtinctio. Incipit ſecunda.

PROLOGVS.

Quia brevi compendio aliquid de ſanctitate morum fidelis Dei athletæ Karoli Magni pro minima licet parte attigimus, deguſtatis quaſi ſanctitatis ejus meritis, ſecundario illam ejus peregrinationem beatam & ſalutarem exequi intendimus, in qua Dei virtute & opera magna & multa claruerunt miracula. Quanta igitur pius Imperator devotione, quanta æternæ retributionis expectatione, nullum pro Chriſti nomine laborem ſubterfugerit, ex his patenter innuitur, quibus etiam vemuſta & frequenti ſerie eventuum exuberat

(1) Facta enim eſt elevatio, translatio & canonizatio S. Caroli Magni *A.* 1165. Qua de re vide plura infra ſub finem hujus Segmenti XXI.

(2) Locus ſingularis de Micrologo Geſtorum Imp. Caroli Magni ab eodem autore conſcripto.

(3) In ipſo MSto mendoſe legitur Elefanti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

berat divinitus ordo ſignorum. Primo igitur abinde dicendi ſumamus exordium, quibus de cauſis, & qua revelatione cœlitus oblata, Jeruſalem Civitatem Sanctam adierit, & quid in ipſo expeditionis itu aut reditu glorioſe & laudabiliter ipſi acciderit.

CAPITVLA SECVNDI LIBRI.

I. De peregrinatione Beatiſſimi Karoli in laudem Dei facta, & qualiter a Conſtantinopoli apud Aquilæ capellam clavum & coronam Domini attulerit.

II. De expulſione Hieroſolymitani Patriarchæ.

III. De legatione ad Imperatorem directa.

IV. Exemplar Epiſtolæ Joannis Patriarchæ.

V. Exemplar Epiſtolæ Conſtantinopolitani Imperatoris.

VI. Viſio Conſtantinopolitana.

VII. Qualiter Legati (1) *Pariſius ad Regem pervenerint.*

VIII. De oraculo alitis voce quaſi humana Francorum Regem vocantis & iter præmonſtrantis.

IX. De reſtitutione Sedis Hieroſolymitanæ.

X. De munificentiſſima liberalitate Conſtantini.

XI. De diſcretiſſima deliberatione conſilii beati Karoli.

XII. Amicabilis altercatio duorum Imperatorum.

XIII. Devota petitio pœnarum Chriſti.

XIV. De theca ſpineæ coronæ reſerata.

XV. Qualiter corona floruerit in odore ſuavitatis & ſplendore lucis inæſtimabilis.

XVI. De ſuſceptione florum in (2) *guanto Imperiali.*

XVII. De guanto Imperiali in aëre mirabiliter ſuſpenſo.

XVIII. Vox in laude Chriſti pſallentium.

XIX. De curatione trecentorum & unius.

XX. De quodam puero ſanitati reſtituto.

XXI. De repoſitione reliquiarum in tergore bubalino.

XXII. De reſuſcitatione cujuſdam pueri & quadraginta novem aliorum ſalute apud Ligmedon.

XXIII. Quæ & quanta Dei fuerint miracula apud Aquaſgrani.

XXIV. De convocatione Principum & totius populi.

Explicit ſecunda Diviſio. Incipit tertia.

PROOEMIVM.

Propoſiti noſtri negotii, lingua licet balbutienti, affectu tamen affluenti, parte tranſcurſa, ſupereſt de exuberanti amœnitate vernantis agri floſculos adhuc quam plures collectos, in præſentis ſerie Operis conferre, & quaſi de abſtruſis favorum cellulis aromatici ſaporis mella producere. Quia vero Chriſtianiſſimi Karoli virtutes & merita, licet pro modica parte, attingimus, interim adhuc etiam glorioſam ſeriem ſignorum ipſius delibemus, ſola ea nunc quoque deguſtantes, quæ per Annales ejuſdem Principis ipſi legimus,

(1) Pariſius *vox latino-barbara indeclinabilis pro* Lutetia Pariſiorum. *Occurrit eadem paſſim apud alios mediæ ætatis ſcriptores.*

(2) Guantus *latino-barbare pro* chirotheca.

mus, vel quæ noſtris temporibus mirifice contigiſſe gloriamur. Si quis vero, ut prædictum eſt, noſſe deſiderat inſignia præfati victorioſi Romanorum Principis prælia & multiplices celeberrimaſque ipſius victoriæ palmas, quas deificæ virtutis gratia frequentiſſime obtinuit, manifeſte & notabiliter in præclariſſimis illius Geſtis reperire poterit univerſa. Inde enim patenter declaratur, qualiter ſagitta ejus nunquam retrorſum abierit, nec declinaverit clypeus ejus a bello, & haſta ejus non ſit averſa, cum tamen vigilantiſſima atque Deo devota Sublimitas pro Chriſti nomine nullum ſubterfugerit periculum vel ſanctæ Fidei nomen propagare, vel hoſtes ſanctæ Dei Eccleſiæ expugnare. In præſentiarum igitur tertiæ hujus Diſtinctionis initium ab ea Epiſtola aſſumemus, quam (1) Tulpinum Remenſem Archi-Epiſcopum Leobrando Aquiſgranenſi Decano tranſmiſiſſe in (2) Chronicis Francorum apud Sanctum Dionyſium in Francia reperimus. Eſt enim eadem Epiſtola per omnes & ſingulos ſuæ porrectionis articulos juſtiſſimi & victoriosiſſimi Karoli Magni approbativa; cujus cum ſit continentia ordo præliorum in Hiſpania a præfato Imperatore geſtorum, pro arbitrio tamen noſtro, ut præſens exigebat intentio, de multis pauca declaravimus, quæ in præſenti ad miraculorum gloriam congeſſimus, hiſtorialia ipſius geſta, ut ſæpe jam diximus, ab hac ſerie excludentes. Summæ igitur Trinitatis exorato auxilio, executionis inſiſtamus propoſito.

CAPITVLA TERTII LIBRI.

I. Epiſtola Tulpini Remenſis Archiepiſcopi Leobrando Aquiſgranenſi Decano tranſmiſſa, ſanctitatis Beati Karoli aſſertiva.

II. De beata viſione ſtellaris viæ.

III. Qualiter Sanctus Jacobus Beato Karolo apparuit.

IV. De ſubita ruina murorum Pampilone.

V. De ſubverſione Idolorum Hiſpaniæ, & de Idolo Mahumetb.

VI. Imperialis largitio Eccleſiæ Beati Jacobi & aliis venerabilibus locis collata.

VII. De ultione cujuſdam infidelis divinitus facta in exercitu Cæſariano.

VIII. De haſtis nocte in terra fixis, & mane facto corticibus & frondibus veſtitis.

IX. De productione fontis a concavo torrentis.

X. De duobus ſcutis ſanguinei coloris apud Heresburch viſis.

XI. Qualiter duo juvenes in albis veſtibus apud Friedislar viſi ſunt divinitus.

XII. Miraculum in conſecratione Anianenſis archiſterii revelatum.

XIII. De venerabili Apoſtolatu beatiſſimi Karoli Magni.

XIV. De cœleſtibus præſagiis auguſtalis tranſitus præambulis.

XV. Exemplar beatæ memoriæ.

XVI. De ſalutari diſtributione teſtamentariæ miſerationis.

XVII. Nomina (3) XXI. Metropoleorum illius temporis.

XVIII. De glorioſo, ſed lachrymoſo tranſitu Ipſius.

XIX.

(1) *Ita ibi ſcriptum legitur, non autem* Turpinum.

(2) *Locus ſingularis.*

(3) Metropoleorum *pro* Metropoleon.

XIX. Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.

XX. De beata viſione translationis.

VLTIMA SIVE CONCLVSIO TOTIVS OPERIS.

Sed jam quia continua ſeries Operis in noſtri temporis eventus uſque defluxit, finem præſenti negotio imponentes, veniam non cujuſquam prolixitatis, ſed circumciſæ & interciſæ brevitatis imploramus, eo quod de innumera ſanctitatis beatiſſimi Karoli Magni multitudine perpauca attingimus. Vix enim ſanctitatis Imperatoriæ, & laudabilium ipſius morum, & cæleſtium ſignorum in ejus gloriam conſcriptorum ſummam deguſtavimus. Qua in re id nobis ſolatium relinquimus, quod Chriſti fideles in laudem & honorem ejuſdem Principis conſtantius & devotius animatos eſſe in Domino confidimus, & exemplo noſtro lectores & ſcriptores ad hæc & his ſimilia excitavimus, quibus ſine invidia in his biantia ſupplere intervalla annuimus. Conſulto vero humanæ imperfectionis defectu non maciem noſtræ orationis, ſed ardentem affectum noſtræ intentionis, pii judices advertant & approbent, &, qui ſperant, iidem in ſimilibus noſtrum ſudorem deguſtent & ſuppleant. Sunt enim & alia quam plura, quæ præterea in Geſtis Francorum & ante noſtra tempora noſtris quoque diebus divinis laudibus plena audivimus & cognovimus paſſim & variæ in odorem ſuavitatis meritis ejuſdem mitiſſimi Imperatoris mirifice & magnifice obtigiſſe, quibus omnibus & ſingulis glorioſius & mirabilis in Sancto ſuo Deus apparuit.

Finitis hac ratione tribus jam memoratis libris, quorum *tertius* in principio (1) fragmenta quædam ex ſuppoſititii (2) *Tulpini* ſive *Turpini* Opuſculo excerpta continet, ſequitur porro in eodem Codice MSto ipſa illa *Tulpini* Hiſtoria *integra;* (a) ſine *Præfatione* tamen ſive *Epiſtola dedicatoria ad Leobrandum Decanum Aquiſgranenſem*, quippe quam librarius de induſtria omiſit, quoniam ea extat in principio præcedentis Libri tertii. Titulus autem & principium ejus ita ſe habent: *GESTA BEATI KAROLI IN HISPANIA. Glorioſiſſimus itaque Chriſti Apoſtolus Jacobus, &c.* Quod ad variantes lectiones attinet, diſcrepat non ſolum plurimis locis manuſcriptum hoc exemplar a *Simonis Schardii* & *Juſti Reuberi* (3) editionibus impreſſis, verum etiam aliquanto eſt auctius. Poſt Caput enim *trigeſimum primum*, in cujus fine de Palatio Aquiſgranenſi, a Carolo Magno extructo & variis picturis exornato, hæc leguntur: *Bella namque, quæ ipſe in Hiſpania devicit, & ſeptem liberales artes inter cætera miro modo in eo* (4) *depinguntur.*; additur (5) ibi

(1) *Pertingunt ea a capite primo incluſive uſque ad capitis octavi verba hæc:* Hæc igitur excerpta de præſtantiſſimi Tulpini Epiſtola hoc in loco ſufficiant.

(2) *Vide Voſſium de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 32, pag. 298, 299.*

(a) *Aut verius rectiuſque fabula de geſtis* KAROLI MAGNI, *cui vulgo* TURPINI *vel* TILPINI, *Rhemenſium Archiepiſcopi, nomen præteditur.* KOL.

(3) *Inter antiquos rerum Germanicarum Scriptores, ab illis editos in fol.*

(4) *In Schard. & Reuber. edition. legitur* depicta ſunt.

(5) *Idem hoc Supplementum extat etiam in Codice MSto Bibliothecæ* Amſtelodamenſis, *ut teſtatur Gerard. Joan. Voſſius de Hiſtor. Latinis lib. 2. cap. 32. pag. 299.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ibi particularis illarum artium descriptio his verbis:

Grammatica scilicet, quæ est omnium artium mater, per quam omnes scripturæ, & cœlestia & terrestria noscuntur; quæ docet, quot & quales literæ debent exerceri, & quando scribi, & quibus literis partes & syllabæ debent adscribi, & quibus locis diphthongon componi, ut duo Orthographiæ codices, qui primum inter cæteros ostendunt. Orthographia est scientia recte scribendi. Nam orthos græce dicitur recte; graphia scriptura. Per hanc artem lectores in sancta Ecclesia, quæ legunt, intelligunt. Quam qui ignorat, lectionem quidem legit, sed plenarie minime intelligit; sicut qui non habet thesauri clavem, & nescit quid intus latet.

Rhetorica, quæ scienter & convenienter, placide & pulchre docet loqui (1) *& recte rectos græce dicitur facundus. Verbis enim facundum & eloquentem scientiam se ars reddit.*

Dialectica in Aula Regis depingitur, quæ docet verum a falso discernere, disputare, de verborum ingeniis tractare, stultos concludere, scientes verbis abundare. In qua si pedem firmiter posueris, inde extrahere non poteris.

Arithmetica depingitur ibi, quæ loquitur de numeris omnium rerum; quam qui plenarie intelligit, cum turrim aut murum videt excelsum, scit quot lapides in eo sunt, vel quot guttæ lymphæ sunt in scypho, vel nummi in uno cumulo, vel quot in uno exercitu homines vel millia habeantur comprehendit. Per hanc artem lapicidæ, quamvis ignorantes eam, turres excelsas & muros operantur.

Musica ibi depingitur, quæ est scientia bene & recte cantandi; qua etiam divina Ecclesiæ officia celebrantur & decorantur, unde carior habetur. Hac vero arte cantores in Ecclesia canunt & organizant; quam qui ignorat, & more quidem bovis valet ululare, sed vocum melos & gradus nequit scire; sicut qui in pergameno torta regula lineas facit, si vocem suam emittit. Et sciendum, quia non est cantus secundum Musicam, nisi per quatuor lineas scribatur. Per hanc etiam artem David cum sociis suis in psalterio decachordo & cithara, & tubis ductilibus & cimbalis, in tympano & choro & organo, diu cecinerunt psalmos. Omnia musicorum Instrumenta per hanc facta fuere. Hæc namque ars ab angelicis vocibus & cantibus divinitus in cœlo edita fuit. Quis ergo dubitet voces canentium, ante altare Christi in Ecclesia dulci corde emissas, angelicis vocibus in Cœlis ammisceri. Ait namque (2) *Liber Sacramentorum sic: Cum quibus, id est cum Angelis, & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur. A terra usque ad aures summi Regis vox digne canentium fertur. In hac arte magna Sacramenta, magna Mysteria continentur. Nam quatuor lineæ, quibus scribitur, & octo toni, quibus continetur, quatuor virtutes, Prudentiam scilicet, Fortitudinem, Temperantiam & Justitiam, & octo beatitudines, quibus anima nostra munitur & decoratur, designant.*

Geometria ibi depingitur, quæ mensuratio terræ dicitur. Hæc ars terra

(1) *In altero Codice MSto Cæs. inter Hist. Lat. N. 202. legitur*, & recte Rectos græce dicitur facundus latine. Verbis enim, &c. *Quare puto mendosum hunc locum ita corrigendum esse:* & recte, qui Rhetor græce, dicitur facundus latine. Verbis enim, &c.

(2) Sancti Gregorii Magni.

terrarum, montium & vallium & marium ſpatia & milliaria & leucas menſurare docet; quam qui intelligit ad plenum, cum ſpatium cujuslibet regionis, vel loci, vel campi, vel provinciæ, vel urbis videt, quot vel quantis brachiis, vel pedibus, vel milliariis poteſt longitudine & latitudine menſurari, ſcit. Per hanc artem Senatores Romani cæteras antiquas urbes componentes, & milliaria & vias de urbe ad urbem, & Filii Iſrael terram deſiderabilem funiculo diſtributionis latitudine & longitudine olim menſuraverunt. Hæc etiam ante agricolæ, quamvis ignorantes, terras & vineas, prata & lucos & campos menſurant & laborant.

Aſtronomia in opere Regis pingitur, quæ dicitur rimatio ſtellarum; qua accidentia bona ſive mala, præterita, ſive præſentia, ſive futura, quæ alibi fiunt, noſcuntur. Quam qui plenarie intelligit, cum in itinere ire, vel aliquid magnum facere appetit, quid ſibi futurum eſt, prænoſcit. Similiter cum duos viros pugnaturos videt, quis illorum victus erit, prænoſcit. Per hanc artem Romæ Senatores necem virorum & bella in oris barbaris facta, Regumque & Regnorum detrimentum, ſtatum & ſtabilimentum noverunt. Magi & Herodes ſtella apparente, Chriſtum natum per eam cognoverunt. Vnaquæque iſtarum artium filiam ſibi ſubjectam de ſe habet. Nigromantia, ex qua oritur Pyromantia, Hydromantia & Liber ſacratus, imo execratus, in Aula Regis non pingitur; quæ libera ars minime habetur. Sciri enim libere poteſt, ſed operari niſi dæmonum familiaritate nullatenus valet. Et idcirco ars adultera dicitur, quod etiam ejus nomine adprobatur. Mantia enim græce divinatio dicitur, & (1) nigro quaſi nigra, unde Nigromantia nigra divinatio, quia ad atra dæmoniorum vincula utentes ſe adducit. (2) Pyros græce ignis vel rogus dicitur, (3) hydros lympha; unde Pyromantia ignea divinatio, & Hydromantia lymphatica dicitur, quia ad rogum & lympham inferni operantes ſe adducunt. Unde Job Propheta ait: A nimio calore tranſibunt ad aquas nimium. Quapropter quicunque hunc Turpini libellum fidelis legis, ſtude illam evitare: Titulus enim Nigromantiæ ſic dicit: Incipit mors animæ.

Hucuſque Supplementum illud ſuppoſititii Tulpini ſive Turpini, quod extat in ſupra memorato Codice MSto Cæſareo poſt caput *trigeſimum primum.* Poſt *trigeſimum ſecundum* autem caput, quod in impreſſis editionibus eſt *ultimum*, & his verbis deſinit: *In hoc (4) exemplo datur intelligi, (5) quod, qui Eccleſiam ædificat, (6) Regiam Dei ſibi præparat, (7) a dæmonibus, ut Karolus, eripitur; & in cæleſti (8) Regno ſubſidiis Sanctorum, quorum (9) ædificat baſilicas, collo-*

(1) *Vulgus corrupte dicit* Nigromantia *pro* Necromantia, *quæ eſt divinatio per evocationem τῶν νεκρῶν, hoc eſt*, mortuorum, *ut reſponſa dent de futuris.*

(2) Pyros *corrupte pro* πῦρ.

(3) Hydros *corrupte pro* ὕδωρ.

(4) *In MSto. Cæſ. legitur :* In hoc ergo exemplo &c.

(5) *In MS. Cæſ. legitur* quia, qui &c.

(6) *In MS. Cæſ. legitur* Regnum Dei.

(7) *In MS. Cæſ. legitur*, & a Dæmonibus &c.

(8) *In MS. Cæſ. legitur* Cœleſti Regia.

(9) *In MSto Cæſ. rectius legitur*, quorum ædificaverit Eccleſias.

collocatur; sequitur in eodem Codice MSto aliud (1) Supplementum quod hic subjungo.

Sed valde dignum est, ut inter cætera ad Domini nostri JESV Christi decus revocetur ad memoriam quoddam optimum exemplum, quod Beato (2) Rotolando, dum adhuc viveret, antequam etiam ingrederetur Hispaniam, ut fertur, accidit. Cum igitur Vir venerandus Rotolandus Comes Granopolim urbem cum innumeris Christianorum exercitibus septem annorum spatio per circuitum obsedisset, velox advenit paranymphus, nuncians ei, quod Carolus ejus avunculus in arce quadam urbis Germaniæ obsidione trium Regum, Wandalorum scilicet, Saxonum & Frisonum, omnique eorum exercitu tenebatur, mandans & efflagitans, ut sibi cito cum suis exercitibus succurreret, eumque a paganis liberaret. Tunc nepos Avunculi sui dilecti anxietate mœstus præmeditari studuit, quid sibi melius esset faciendum, aut urbem, pro qua tantos labores passus fuerat, relinquere, aut Avunculum liberare, aut illum dimittere & urbem expugnare, & Domino nostro JESV Christo eam subjugare. O Virum per omnia laudabilem, pietate redundantem, inter duas fortunas meditatione angustatum! Sed quid Vir venerandus egerit, nobis est diligenter audiendum. Tribus diebus totidemque noctibus non manducans aut bibens, sacris precibus cum suis exercitibus vacat, Deumque sibi in auxilium invocat, dicens: Domine JESV Christe, Fili Patris altissimi, qui divisisti mare rubrum in divisiones, & eduxisti Israel per medium ejus, & præcipitasti Pharaonem in mari rubro, & transduxisti populum tuum per desertum; qui percussisti gentes multas ejus adversarias, & occidisti Reges fortes, Seon Regem Ammorræorum & Og Regem Basan, & omnia regna Chanaan, & dedisti terram eorum hæreditatem populo tuo Israel; qui Jericho muros, quibus adversantium cingebatur exercitus, sine humana pugna & absque machinatione humani artificis, optima processione facta, tubis clangentibus præcipitasti, Tu, Domine, destrue urbis hujus fortitudinem totamque ejus armaturam in manu tua potenti & brachio tuo invicibili confringe, ut gens pagana, quæ in sua feritate non in Te confidit, agnoscit Te DEVM vivum omnium Regum fortiorem, omnipotentem Christianorum auxiliatorem & protectorem esse; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas DEVS per omnia secula seculorum, Amen. Quid plura? facta hac prece, tertia die sine humano tactu lapsis undique muris urbis detrusisque paganis & effugatis, Rotolandus Comes gavisus cum suis exercitibus ad Karolum, in terram scilicet Teutonicam, cito profectus est, eumque potenti virtute Dei ab inimicorum nexibus eripuit. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Qui legis hoc carmen, Turpino posce juvamen,
Ut pietate Dei subveniatur ei.

Beatus itaque Turpinus Remensis Archiepiscopus, Christi Martyr post Beati Karoli

(1) *Idem hoc Supplementum extat etiam in Codice MSto Bibliothecæ* Amstelodamensis, *ut testatur Gerardus Joannes Vossius de Historicis Latinis lib. 2. cap. 32. pag. 299.*

(2) *Ita ibi scriptum est, non autem* Rolandus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Karoli Regis (1) *tranſitum ex hoc mundo, modico tempore vivens, apud Viennam doloribus vulnerum & laborum ſuorum anguſtiatus, digna nece ad Dominum migravit, & ibi juxta urbem, ultra Rhodamum ſcilicet verſus orientem, in quadam Eccleſia olim ſepultus extitit. Cujus ſanctiſſimum corpus noſtris temporibus quidam ex noſtris Clericis in quodam ſarcofago optimo Epiſcopalibus veſtibus inductum, pelle etiam propria & oſſibus adhuc integrum invenerunt, & ab Eccleſia illa, quæ erat vaſtata, detulerunt illud contra Rhodanum in urbem, & ſepelierunt in alia Eccleſia, ubi nunc veneratur. Modo coronam victoriæ obtinet in Cœlis, quam laboribus multis acquiſivit in terris. Credendum, quod hi, qui in Hiſpania martyrium pro fide Chriſti acceperunt, in Cæleſtibus Regnis merito coronantur, & quamvis Karolus & Turpinus una cum Rotolando & Olivero cæteriſque martyribus in Runtia valle necem minime accepiſſent, tamen ab eorum corona perpetua non alienantur, qui ſenſere, quamdiu vixere, plagarum & percuſſionum & laborum dolores, quos cum illis in agone acceperunt. Si ſocii paſſionum, inquit Apoſtolus, fuerimus, ſimul & conſolationis erimus. Rotolandus interpretatur* (2) *rotolus ſcientiæ, quia omnes Reges & Principes omnibus ſcientiis imbutus excellit. Oliverus interpretatur beros miſericordiæ, quia clemens & miſericos ſuper omnes extitit, clemens ſermonibus, clemens operibus, clemens martyrii generibus.*

A *Karolus interpretatur lux carnis, quia omnes Reges carnales poſt Chriſtum luce omnium virtutum & ſanctitatum excellit. Turpinus interpretatur pulcherrimus ſive non turpis, quia aut turpia opera aut verba in nullo, ſed honeſta dilatavit. Sexto decimo Kalendas Julii, illa die ſcilicet, qua de mundo ad Dominum tranſierunt, officium defunctorum, vigilia ſcilicet & miſſa Requiem æternam cum propriis exequiis & horis debent celebrari, non ſolum pro Karoli defunctis pugnatoribus,* B *ſed etiam pro his cunctis, qui a tempore ejuſdem Karoli uſque in hodiernum diem in Hiſpania & in Hieroſolymitanis oris pro Chriſti fide martyrium ſumpſerunt. Quot & quanta Karolus pro animarum eorum ſalute die paſſionis eorundem egenis uſus ſit impertiri, ſuperius legendo fas eſt inveniri.*

Quid patriæ Gallæciæ poſt Karoli necem accidit, nobis eſt memoriæ tradendum. Cum igitur poſt Karoli necem Gallæciæ tellus per multa tempo- C *ra in pace temporali quieſceret, Dæmonis inſtinctu ſurrexit quidam Saracenus Altumajor Cordubæ, dicens, quod terram Gallæcianam & Hiſpanicam, quam Karolus ab anteceſſoribus ſuis olim abſtulerat, ipſe ſibi acquireret legibuſque Saracenis ſubjugaret. Tunc coadunatis ſibi exercitibus multis, & terram & patriam huc & illuc devaſtando, uſque ad Beati Jacobi* (3) *Urbem pervenit, & quicquid invenit in ea, totum vi abſtulit. Similiter Baſilicam Apoſtolicam indigne totam devaſtavit, codices & menſas argenteas*

&

(1) *Hoc omnino falſum eſt. Obiit enim Archiepiſcopus* Turpinus *ante Imp.* Carolum Magnum, *quippe a quo ſucceſſor ejus in Archiepiſcopatu Rhemenſi conſtitutus eſt* Wulfarius; *teſte* Flodoardo *lib. 2. cap. 18.*

(2) *Etymologiæ nominum propriorum* Rotolandi *ſive* Rolandi, Oliveri, Karoli & Tulpini, *quæ deinceps ſequuntur, ineptiſſimæ ſunt & riſu potius, quam refutatione dignæ.*

(3) *Nempe* Compoſtellam.

& tintinnabula ab ea abſtulit. Cumque in ea Saraceni ipſi cum equis ſuis hoſpitati eſſent, gens dira digeſtionem etiam circa altare Apoſtolicum agere cœperunt. Quapropter alii ex illis, divina ultione operante, ſolutione ventris commoti, quicquid corpore continebant, per poſteriora foras ejiciebant, alii vero oculorum lumina, per Baſilicam & Vrbem ut cæci errantes, amittebant. Quid plura? Hac ægritudine idem Altumajor tactus, etiam excæcatus, conſilio cujuſdam captivi ſui, ejuſdem Baſilicæ Sacerdotis, cœpit invocare DEVM Chriſtianorum in auxilium, his verbis dicens: O Deus Chriſtianorum, Deus Jacobi, Deus Mariæ, Deus Petri, Deus Martini, Deus omnium Chriſtianorum, ſi me ad priſtinam ſanitatem revocaveris, Mahummet Deum meum abnegabo, & Jacobi Viri magni ad patriam rapacitatis cauſa amplius non veniam. O Jacobe Vir magne, ſi utero meo, & oculis meis ſalutem dederis, quicquid a domo tua abſtuli, omnia reſtituam. Tunc poſt quindecim dies omnibus dupliciter reſtitutis, ad priſtinam ſalutem Altumajor revocatur, a patria S. Jacobi recedit, promittens ſe non amplius venire in oras ejus cauſa rapacitatis, prædicans Deum Chriſtianorum eſſe magnum, Jacobum magnum eſſe virum. Poſtea vero oras Hiſpanicas devaſtando, pervenit ad villam, quæ vulgo dicitur (1) Orntz, in qua Beati Romani Baſilica optima ac pulcherrima erat, palliis ac codicibus optimis & crucibus argenteis & textis aureis decorata. Ad quam cum iniquus Altumajor venit, rapuit quicquid in ea invenit, & villam ſimiliter devaſtavit. Cumque in eadem villa cum ſuis exercitibus hoſpitatus eſſet, quidam Dux exercituum ejus ingreſſus, in eadem Baſilica vidit columnas pulcherrimas lapideas, quæ ejuſdem Eccleſiæ tecta ſuſtentabant; quæ etiam in ſummitate deargentatæ & deauratæ erant, nequitiæ invidia tactus, quendam cuneum ferreum inter baſes cujusdam columnæ & eandem columnam fixit. Cum itaque cuneum illum malleo ferreo fortiter magniſque ictibus feriret, totamque Baſilicam præcipitare tentaret, divino operante judicio idem homo lapis efficitur. Qui etiam lapis uſque hodie in effigie hominis in eadem Baſilica perſiſtit, habens talem colorem, qualem ejuſdem Saraceni tunica tunc gerebat. Solent etiam peregrini enarrare, qui illuc precum cauſa tendunt, quod lapis ille fœtorem emittit. Quod ut Altumajor vidit, ait domeſticis ſuis: Magnus eſt revera Deus Chriſtianorum & glorificandus, qui tales habet alumnos qui cum ſint ab hac vita migrati, tamen in nos ſibi rebelles ita juſtificant, quod uni oculorum lumen auferunt, & alium lapidem mutum faciunt. Jacobus lumen oculorum a me abſtulit, Romanus lapidem fecit. Sed magis Jacobus clementiſſimus eſt, quam iſte Romanus. Jacobus enim oculos meos reddidit mihi miſertus, ſed hominem meum reddere non vult Romanus. Fugiamus ergo ab his oris. Tunc confuſus abceſſit pagamus cum ſuis exercitibus, nec fuit poſtea per multum tempus, qui Beati Jacobi (2) patriam debellare auderet. Sciant igitur ſe dam-

(1) Orenſe *ad Minium fluvium in Gallæcia Vid. Ortel. Theſaur. Geogr. v.* Aquæ calidæ & Auria.

(2) *Per* Patriam S. Jacobi *intelligenda hic eſt* Gallæcia, *quia Metropolis ejus* Compoſtella *propter venerandas* S. Jacobi Apoſtoli, *fratris S. Joannis Evangeliſtæ, reliquias eſt celeberrima, ideoque etiam nunc* Santiago *dicitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mnandos in ævum, qui ejus tellurem amplius inquietaverint. Qui vero a poteſtate Saracenorum illam cuſtodierint, cœleſti munere remunerantur.

Finito libro ſit maxima laus Rotolando.

Hucuſque ſecundum illud Supplementum ſuppoſititiæ Hiſtoriæ Pſeudo-Tulpini. Sequitur deinde in eodem illo Codice MSto *Officium Eccleſiaſticum*, quod in honorem & memoriam *S. Caroli Magni* peculiariter compoſitum eſt eodem anno MCLXV, quo is cura & ſtudio *Imp. Friderici I*, cognomine *Ænobarbi* ſive *Barbaroſſæ*, qui corpus ipſius, divina revelatione manifeſtatum, Aquisgrani ſolenniter elevavit, ab Antipapa *Guidone Cremenſi* ſive *Paſchale III* in numerum Sanctorum relatus eſt. Quam canonizationem Papa *Alexander III*, poſtquam A. MCLXXVII cum jam memorato *Imp. Friderico* rediit in gratiam, approbavit & confirmavit. Extat etiam nunc ipſius *Imp. Friderici I* de hac *Caroli Magni* elevatione & relatione in numerum Sanctorum inſigne teſtimonium in eo (1) Diplomate, quo A. MCLXVI, ſexto Idus Januarii, Privilegium, a *S. Carolo Magno* Eccleſiæ & Vrbi *Aquiſgranenſi* conceſſum, confirmavit; quippe cujus principium, ad rem præſentem, pertinens, hoc eſt: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis: Fridericus, divina favente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Ex quo primitus, Divina ordinante clementia, Imperii Romani faſtigia gubernanda ſuſcepimus, voluntatis noſtræ atque propoſiti ſummum deſiderium fuit, ut Reges & Imperatores, qui nos præceſſerunt, præcipue maximum & glorioſum Imperatorem Carolum, quaſi formam vivendi atque ſubditos regendi ſequeremur, & ſequendo præ oculis ſemper haberemus; ad cujus imitationem jus Eccleſiarum, ſtatum Reipublicæ incolumem & legum integritatem per totum Imperium noſtrum ſervaremus. Ipſe enim tota cordis intentione ad æternæ vitæ præmia anhelans, ad dilatandam gloriam Chriſtiani nominis & cultum Divinæ religionis propagandum, quot Epiſcopatus conſtituerit, quot Abbatias, quot Eccleſias a fundamento erexerit, quantis prædiis ac beneficiis illas ditaverit, quantarum largitate eleemoſynarum non ſolum in ciſmarinis, ſed etiam in tranſmarinis partibus reſplenduerit, ipſa ejus opera & geſtorum volumina, quæ plurima & maxima ſunt, fide oculata plenius declarant. In fide quoque Chriſti dilatanda, & in converſione gentis barbaricæ fortis Athleta fuit & verus Apoſtolus, ſicut Saxonia, & Freſonia atque Weſtphalia, Hiſpani quoque teſtantur, & Wandali, quos ad fidem Catholicam verbo convertit & gladio. Licet etiam ipſius animam non pertranſierit gladius, diverſarum tamen paſſionem tribulatio & periculoſa certamina, & voluntas moriendi quotidiana pro convertendis incredulis, eum (2) Martyrem fecit. Nunc vero electum & Sanctiſſimum Confeſſorem eum fatemur & veneramur in terris, quem in Sancta converſatione vixiſſe & pura confeſſione & vera pœnitentia ad Deum migraſſe, & inter Sanctos Confeſſores, San-*

Vid. Card. Baronii Not. ad Martyrolog. Roman. d. 25. Julii.

(1) *Extat illud integrum in* Petri Bekæ *Aquisgrano* & Auberti Miræi *Faſtis Belgicis.*

(2) *De incruento hujuſmodi Martyrio vide ſupra ſingularem locum col. 364, ubi agitur de S. Gregorio Thaumaturgo.*

Sanctum & verum Confessorem credimus coronatum in Cœlis. Inde est, quod nos glorioſis factis & meritis Sanctiſſimi Imperatoris Caroli confidenter animati & ſedula petitione cariſſimi amici noſtri (1) *Henrici Regis Angliæ inducti, aſſenſu & authoritate Domini* (2) *Paſchalis & ex Conſilio univerſorum Principum, tam Secularium quam Eccleſiaſticorum, pro elevatione & exaltatione ſanctiſſimi corporis ejus atque canonizatione, ſolennem curiam in natale Domini apud Aquiſgranum celebravimus; ubi corpus ejus Sanctiſſimum, præ timore hoſtis exteri, vel inimici familiaris, caute reconditum, ſed Divina revelatione manifeſtatum, ad laudem & gloriam nominis Chriſti, & corroborationem Romani Imperii, & ſalutem dilectæ Conſortis noſtræ Beatricis Imperatricis & filiorum noſtrorum Friderici & Henrici, cum magna frequentia Principum & copioſa multitudine Cleri & Populi, in hymnis & canticis ſpiritualibus cum timore & reverentia elevavimus & exaltavimus IV. Kal. Januarii. His autem omnibus glorioſe peractis, cum in prædicto loco, cujus ipſe fundator extiterat, de ipſius loci liberalitate, inſtitutis legum & pacis atque juſtitiæ, quibus totum Orbem rexerat, diligenter inquireremus, ecce Fratres ejuſdem Eccleſiæ Privilegium S. Caroli de fundatione & dedicatione ipſius nobiliſſimæ Eccleſiæ, & de inſtitutionibus legum humanarum, & Civilis Juris ejuſdem Civitatis, nobis in medium protulerunt, quod ne vetuſtas aboleret, vel ne per oblivionem deperiret, noſtra Imperiali authoritate renovavimus. Ejuſdem vero Privilegii tenor & inſtitutio talis eſt: Ego Carolus*, &c. Hucuſque prior illa pars Diplomatis *Imp. Friderici I,* in quo elevationis & canonizationis *Caroli Magni* fit mentio. Cæterum, quamvis ſupra memoratum *Officium Eccleſiaſticum*, quod ad eundem Imperatorem tanquam in numerum Sanctorum relatum ſpeciatim pertinet, alio commodiori loco integrum poſthac publicaturus ſim, haud ingratum tamen fore arbitror, ſi *Antiphonas* tantum & *Hymnum*, a quibus incipit, nec non unam aliquam ejus *Collectam* ſpeciminis inſtar hic exhibuero. (a) Anti-

(1) *Is eſt Rex Angliæ* Henricus *ejus nominis* Secundus, *ſub quo* Sanctus Thomas *Cantuarienſis Epiſcopus occiſus eſt.*

(2) *Is eſt* Paſchalis III *ſive* Guido Cremenſis, *qui contra Summum Pontificem* Alexandrum III *Antipapa electus eſt anno 1164.*

(a) *De hoc* LAMBECII *propoſito* GENTILOTUS ſic: Officium Eccleſiaſticum, ſeu horæ canonicæ & miſſa in honorem & memoriam S. CAROLI MAGNI compoſitum, cum notis muſicis ſuper hymnos verſus & antiphonas. Principium hujus liturgiæ edidit Lambecius atque integram a ſe editum iri ſpopondit. Miſſam prætermittere potuiſſet; cum exſtet tom. VI. Antiq. lect. CANISII pag. 438. 439. & quidem integra, quæ in hoc Codice, propter folium unum avulſum, eſt mutila. *Hæc ille poſtea veſtigia* LAMBECII *premens, ea, quæ inter verſus ab eo & miſſam a* CANISIO *vulgatam interjecta ſunt, protulit, & commentariis ſuis intexuit, adjecto hoc epilogo:* Sequitur, *inquit*, miſſa, ut apud CANISIUM. Cæterum, ut integrum officium de S. Carolo M. confletur, accipiendæ ſunt lectiones tres propriæ a BULÆO Hiſt. Univerſitatis Paris. tom. II. pag. 345. ex breviario Eccleſiæ S. QUINTINI Viromanduenſis depromptæ. Illuſtrari hæc poſſunt verbis P. de MARCA Marc. Hiſpan. lib. III. Cap. VI. extremo, qui narrat ARNALDUM de MONTEROTUNDO Gerundenſem Epiſcopum inſtituiſſe ſolennia miſſarum & horarum canonicarum officia in honorem Caroli Regis edita conſtitutione A. 1345. qua lectiones in ea feſtivitate recitandas ordinavit juxta rei geſtæ tunc receptam fidem. Additque earum lectionum uſum in Eccleſia Gerundenſi viguiſſe uſque ad tempora Conc. Tridentini, ex cujus Decretis factum, ut ceſſet officiorum iſtiusmodi recitatio. KOL.

Antiphona prima.

Regali natus de ſtirpe Deoque probatus,
Karolus illicitæ ſprevit contagia vitæ.

Antiphona ſecunda.

Angelici cultus dulcedine miles adultus
Dum ſublimatur, cæleſti pane cibatur.

Antiphona tertia.

Sacros effectus virtutis Cæſar adeptus,
Humani faſtus populares reſpuit æſtus.

Antiphona quarta.

Juſtitiæ palma fidei ſecurus ad arma,
Mentibus infeſtum ſuperavit criminis æſtum.

Antiphona quinta.

Nec mundi terror, nec avarus muneris error
Fregerunt mentem Chriſti mandata ſequentem.

Hymnus.

O Rex Orbis triumphator,
Terræ Regum Imperator,
Tui gregis, noſtri cætus
Pios audi pie fletus.

Verſiculus ſecundus.

Cujus prece mors fugatur,
Languor cedit, vita datur,
Qui de petra ducis undas,
Et baptiſmo gentes inundas.

Verſiculus tertius.

Arte duros & natura
Frangis muros prece pura
Devotoſque Chriſto dicas,
Et rebelles enſe necas.

Verſiculus quartus.

O quam dignus verna cælis,
A *Servus prudens & fidelis,*
Verbis & re qui ſervivit
Et ad locum pacis ivit.

Verſiculus quintus.

Ergo rupem ferro fode,
Fontem vivum nobis prode;
Ora prece pia Deum
Et fac pium nobis eum.

Verſiculus Sextus.

Sit majeſtas Trinitati,
Laus & honor unitati,
Quæ virtute principali
Jure regnat coæquali.

B Collecta.

Deus, qui ſuperabundanti fæcunditate bonitatis tuæ Beatum Karolum Magnum, Imperatorem & Confeſſorem tuum, depoſito carnis velamine, beatæ immortalitatis trabea ſublimaſti, concede nobis ſupplicibus tuis, ut, quem ad laudem nominis tui & honorem Imperii exaltaſti in terris, pium & propitium interceſſorem mereamur habere in Cælis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

XXII. *Decimus* Codex, ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* perti-
C nens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in quarto, & inter Codices MStos Hiſtoricos Latinos *centeſimus ſexageſimus ſecundus.* Continet is Geſta *Imp. Caroli Magni*, quæ *Petrus Pithœus* inter antiquos Rerum Francicarum Scriptores, tanquam a Cœnobii *Egolismenſis S. Eparchii* anonymo quodam *Monacho*, qui ſub *Imp. Ludovico Pio* vixit, conſcripta, primus in lucem edidit. Diſcrepat autem *Pithœana* illa editio non mediocriter a pervetuſto hoc & optimæ notæ Codice MSto

Bibliothecæ Cæſareæ, ejuſque beneficio plurimis locis poteſt emendari. (a) Pro exemplo ſit unus hic notabilis locus: *Quadam autem die, cum bellum præpararent (pagani) adverſum Francos, qui ipſum caſtrum (Eresburg) cuſtodiebant apparuit manifeſte GLADIVS ſupra Eccleſiam, quæ eſt infra ipſum caſtrum, videntibus cunctis tam a foris, quam de intus. Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidiſſe ſe inſtar duorum ſcutorum colore rubeo flammantium & agitantium ſupra ipſam Eccleſiam. Cum hoc ſignum vidiſſent pagani, qui a foris erant, ſtatim confuſi ſunt, & magno timore perterriti, fugere cæperunt ad caſtra.* Haud facile profecto quis crederet, locum hunc mendoſum eſſe, niſi beneficio ſupra memorati Codicis MSti certo conſtaret, pro *apparuit manifeſte GLADIVS* legendum eſſe *apparuit manifeſte GLORIA DEI.* (b) In ipſo videlicet antiquo illo Codice abbreviate ſcriptum eſt, *glā dī*; quas duas voces abbreviatas imperitus deſcriptor perperam mutavit in unam vocem *gladius*. *Gloria* autem *Dei* ſignificat hic eadem ratione, qua paſſim in (1) *Sacris Bibliis*, miraculoſam majeſtatis Divinæ apparitionem per ſignum aliquod extraordinarium; cujuſmodi fuere *ſcuta* illa *duo rubei coloris*, quæ tanquam Divinæ Protectionis indicium ſuper Eccleſiam a paganis oppugnatam apparuerunt. Meminit ejuſdem miraculi etiam ſupra memoratus anonymus Autor, qui ſub *Imp. Friderico I* de Sanctitate Beati *Caroli Magni* libros tres hactenus ineditos compoſuit, & confirmatur in utroque Codice MSto Cæſareo veritas emendationis ſupra citati loci his verbis: *quadam itaque die cum iterum redivivo certamine bellum præparaſſent, apparuit GLORIA DEI manifeſte ſupra domum Eccleſiæ, quæ erat infra caſtrum, videntibus multis tam Chriſtianis, quam paganis. Nam duo ſcuta apparuerunt ſupra præfatam Eccleſiam flammantia & velut in prælio quibuſdam motibus agitata. Itaque pagani hoc ſignum aſpicientes, timore & formidine repleti, mox in fugam converſi ſunt.* Hæc ille anonymus. Dereliquo, ut ad rem revertar, Titulus Hiſtoriæ de rebus geſtis Imp. Caroli Magni, a *Petro Pithœo*, qui eam primus edidit, *Monacho Egoliſmenſi* attributæ, in Codice MSto Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, de quo in præſens agitur, hic eſt: *INCIPIVNT CERTAMINA MAGNI KAROLI REGIS CONTRA*

(a) *Hic codex nunc in Claſſe Hiſtoriæ Prof. eſt* IↃCCCCLXXXIX. *ad cujus præſens opuſculum* CL. GENTILOTUS *monet ſequentia:* KAROLI MAGNI Francorum Regis & Imperatoris vita; non ea profecto, quam cum aliis Francicarum rerum vetuſtis ſcriptoribus tanquam a monacho cænobii Egoliſmenſis S. EPARCHII conſcriptam P. PITHOEUS princeps edidit, ut viſum fuit CL. LAMBECIO tom. II. comment. pag. 343. monenti, beneficio hujus codicis poſſe plurimis locis Pithœanam editionem emendari. Sed illa, quam H. CANISIUS tom. III. antiq. lect. primum, tum A. DUCHENIUS ex vetuſto exemplari Bibliothecæ Thuanæ plenius ac emendatius intexuit tom. II. Hiſt. Franc. Scriptor. a pag. 24. id quod mihi ex diligenti collatione cum m. s. facta eſt exploratum. Decepit LAMBECIUM nota a TENGNAGELIO ad oram hujus codicis adſcripta hoc exemplo: A PYTHOEO *editus eſt hic auctor ſub nomine monachi Egoliſmenſis vid. fol. 236. ibid. Emendatius eſt multis locis hoc m. s. excuſo Pythœano.* Præterea adnotavit is loca quædam tanquam in editione omiſſa, aut aliter poſita, quæ tamen in memorato Duchenii exemplo totidem verbis inveni. KOL.

(b) *In memorato Duchenii exemplo legitur perſpicue* GLORIA DEI. *in Egoliſmenſibus* GLADIUS. KOL.

(1) *Vide Concordantias Biblicas ſub titulo* Gloria Dei.

TRA SAXONES ET ALIAS MVLTAS GENTES. Principium autem ita ſe habet: *Egregius Karolus Rex Synodum habuit ad Valentinas, & eodem anno Karlomannus Rex defunctus eſt in villa, quæ dicitur Salmanciacus* (1) *pridie Nonas Decembris. Dominus Rex Karolus venit ad Corbonacum villam, ibique venientes Wilcharius Archiepiſcopus & Fulradus Capellanus cum aliis Epiſcopis & Sacerdotibus*, &c. Quæcunque igitur in Pithœana editione ante hæc verba extant, ea in hoc Codice deſunt. Quod porro ad finem vitæ Imp. Caroli Magni attinet, is in eodem Codice MSto memoratur his verbis: *Dominus Karolus Imperator, dum Aquiſgrani hiemaret, anno ætatis circiter ſeptuageſimo primo, Regni autem quadrageſimo ſeptimo, ſubactæque Italiæ quadrageſimo tertio, ex quo vero Imperator & Auguſtus appellatus eſt, anno decimo quarto,* (2) *quinto Kalendas Februarii rebus humanis exceſſit.* Quæcunque autem in *Pithœana* editione deinceps narrantur de ſepultura *Imp. Caroli Magni* uſque ad verba: *Qui vivit & regnat ſolus Deus in ſecula ſeculorum.*; ea omnia in iſto Codice MSto deſunt, eorumque loco ſequitur immediate in eodem verſu ſive linea Hiſtoria rerum geſtarum *Imp. Ludovici Pii*, ab eodem anonymo & coætaneo Autore conſcripta, & hactenus, quod ego ſciam, nec a *Pithœo*, nec a quoquam alio edita, his verbis: *Cujus rei nuntium cum Ludowicus filius ejus in Aquitania apud Tedoaldum villam, ubi ipſe tunc hibernabat, plurimis deferentibus accepiſſet, triceſimo, poſtquam id acciderat, die Aquaſgrani venit, ſummoque omnium Francorum conſenſu ac favore Patri ſucceſſit, & ad ſuſcepti Regni adminiſtrationem cura converſa primo legationes gentium, quæ ad Patrem venerant, auditas abſolvit. Alias deinde ſimili modo, ad Patrem quidem miſſas, ad ſe vero venientes, ſuſcepit. Inter quas præcipua legatio fuit de Conſtantinopoli*, &c. Conſtat hæc de Vita *Imp. Ludovici Pii*. Narratio integris *triginta foliis* in quarto & his definit verbis: *Poſt exactam hyemem in ipſo Sancto Quadrageſimali jejunio, paucis ante Sanctum Paſcha diebus, Aquiſgrani terræ motus nocte factus, ventuſque tam vehemens coortus eſt, ut non ſolum humiliores domus, verum etiam ipſam Sanctæ Dei-Genitricis Baſilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret. Imperator vero in diverſis occupationibus uſque ad Kal. Julii Aquiſgrani moratus, tandem ad Generalem Conventum Wormatiæ habendum cum comitatu ſuo menſe Auguſto ſtatuit proficiſci: ſed priuſquam inde promoveret, nuncium accepit, Nordmannos velle Transalbianam Saxoniæ Regionem invadere, atque exercitum eorum, qui hoc facturus eſſet, noſtris finibus appropinquare. Quo nuntio commotus, miſit in omnes Franciæ partes, & juſſit, ut cum ſumma feſtinatione tota populi ſui generalitas poſt ſe in Saxoniam veniret, indicans ſimul velle ſe apud Noveſium medio circiter Julio Rhenum trans-*

(1) *In Pithœana editione deſunt hæc verba* pridie Nonas Decembris.

(2) *In Pithœana editione corrupte ac perperam legitur* quinto decimo Cal. Februarii. *Quod enim Imp. Carolus Magnus* quinto Cal. Februarii, *hoc eſt, die 28. Januarii obierit, teſtatur etiam* Eginhartus.

transire. Sed vana ubi esse comperit, quæ de Nordmannis fama dispersérat, sicut prius dispositum habebat, mense medio Augusto Wormatiam venit, ibique habito Generali Conventu, & oblata sibi annua dona solenni more suscepit, & Legationes plurimas, quæ tam de Roma & Benevento, quam & de aliis longinquis terris ad eum venerant, audivit atque absolvit. Lotharium quoque filium suum finito illo Conventu in Italiam direxit ac Berenhardum Comitem Barcinoniæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius Placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnalis venationis exercitium Franchonofordum Villam profectus est. Quo transacto, ad hiemandum Aquisgrani reversus est; ibi & Missam Sancti Martini ac festivitatem Beati Andreæ Apostoli, nec non & ipsum Sacrosanctum Dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebravit. Hucusque Supplementum illud de rebus gestis *Imp. Ludovici Pii*, quod in *Pithœana* Annalium Monachi *Egolismensis* editione deest, eamque ob causam alio commodiori tempore & loco posthac, volente DEO, integrum a me publicabitur. (a)

Undecimus Codex, ad vitam & res gestas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus sum, est membranaceus in octavo, & inter MStos Codices Historicos Latinos *centesimus sexagesimus tertius.* Continet is incerti, sed vetusti Scriptoris Annales sive Gesta Francorum, a *Petro Pithœo* primum in lucem edita, quorum principium: *Pippinus Filius* (1) *Ansgisi* &c. Quandoquidem autem antiquus hic Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codex multo emendatior est & auctior, quam ille fuit, quo *Pithœus* usus est, eamque ob rem alias commodiori occasione eosdem Annales correctos & suppletos de integro editurus sum, interim tamen paucorum quorundam locorum emendationes & supplementa specimnis instar in antecessum hic præmitto. (b)

In

(a) *In Commentariis* CL. GENTILOTUS *suis de hoc Lambecii proposito scripsit hunc in modum:* Vitam hanc LUDOVICI nec a PITHOEO, *inquit*, nec a quoquam alio editam credidit LAMBECIUS, ac propterea se illam commodiori tempore ac loco integram publicaturum pollicitus est. Verum & hic vir doctissimus falsus est; nam diu antequam hæc scriberet, vulgo exstabat in Annalibus scilicet, qui a quibusdam ADELMO monacho, aut ADEMARO, ab aliis EGINHARTO tribuuntur ab anno IↃCCXIV usque ad finem; tom. II. Ducheſnii a pag. 259. usque ad pag. 272. Cujus rei mihi, qui m. s. cum editione contuli, fidem haberi postulo. KOL.

(1) *In* Pithœana *editione perperam legitur* Anchisi.

(b) *Libri hi Annales sunt in Codice nunc Hist. Prof.* IↃCCCCXCIII. *de iis* CL. GENTILOTI *hæc sententia est:* ANNALES FRANCORVM, qui Fuldenses appellantur: ab A. C. IↃCCXIV. usque ad annum IↃCCCLXXXVII. inclusive. Primos hos annales edidit P. PITHOEUS usque ad annum IↃCCCLXXXIII. quam editionem pluribus in locis suppletam, emendatam & usque ad annum IↃCCCC. productam renovarunt MARQUARDUS FREHERUS tom. I. Script. rer. German. & ANDREAS DU CHESNE tom. II. Scriptor. Hist. Franc. a pag. 531. In Codice nostro sine ulla inscriptione sic incipiunt: PIPPINUS FILIUS ANSGISI DUX FRANCORUM *post mortem UUolfaldi Ducis partem Austriæ regebat &c.* Desinunt: *Unde mente consternati pariterque confusi discesserunt.* SEBASTIANUS TENGNAGELIUS, diligens plane Cæsareæ Bibliothecæ olim curator, contulit hunc codicem cum Pithœana editione & ad oram m. s. adnotavit locos cum discrepantes tum in vulgato exemplo non inventos. Eos locos, Tengnagelii indicia secutus LAMBECIUS Tom. II.

In actis anni DCCXVII. post verba, *persequitur usque Parisios*, addenda sunt hæc: (a) *His temporibus Wynfridus, qui & postea, cum Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, Doctor Catholicus, natione Anglus, primum Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum* Dei venit. (b)

In actis anni DCCXIX post verba, *quo tempore Hlotharius Rex mortuus est*, addenda sunt hæc: (c) *Bonifacius, vir sanctissimus, a Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Mogontiacæ Civitati, Metropoli Germaniæ, Archiepiscopus ordinatur, & Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur, qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessionum & Austrasiorum, ad fidem rectam, a qua diu aberraverant, convertit: monasteria quoque monachorum & virginum primus in partibus Germaniæ constituit.*

In actis anni DCCXLVI post verba, *res novas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit.*, addenda sunt hæc: (d) *Bonifacius Archiepiscopus, cum auctoritate Sedis Apostolicæ, annuente Carlomanno, duas Sedes Episcopales constituit, unam in castro Wirziburg, ubi Burchartum collegam suum ordinavit Episcopum, alteram in loco, qui vocatur Eihstat, cui Willibaldus Episcopus ordinatus est.*

Post acta anni DCCLXIV, quæ his constant verbis: *Hoc anno contigit hyems valida & præter solitum prolixa.*, addenda sunt hæc: (e) *Anno DCCLXV Hruodgangus Metensis Vrbis Archiepiscopus corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris & Nazarii a Paulo Romanæ Sedis Apostolico de Roma in Franciam transtulit. Anno DCCLXVI Corpus Sancti Gorgonii conditum est in monasterio, cui vocabulum est Gorzia, Sancti vero Naboris in alio monasterio, quod dicitur Nova Cella, Nazarii autem in monasterio Lauresham, quod est in Germania. In quibus locis miraculis vivunt & gloria. Anno DCCLXVII Lemovica (1) Æquitaniæ, Pippino expugnante capta est.*

Acta illa, quæ deinceps immediate sequuntur, & his incipiunt verbis, *Pippinus interfecto Waiphario*, &c., non pertinent, uti in Pithœana editione perperam legitur ad annum DCCLXV sed ad annum DCCLXVIII. (f)

In actis anni DCCLXXIV post verba, *interea Saxones in Hessis Francorum terminos vastant.*, addenda sunt hæc: (g) *Erat autem ibi in loco, qui vocatur*

pag. 345. ubi hunc codicem recensuit, omnes protulit. At si posteriores editiones FREHERI & CHESNII, quas ignorare is non potuit, aut saltem non debuit, cum m. s. contuliſſet, tunc utique eo labore supersedere potuisset; cum omnia illa supplementa vel in utraque vel in alterutra editione habeantur, ut cuivis, qui comparationem instituet, perspicuum fiet. *Hæc* GENTILOTUS. *Nos editiones post paulo ubique indicabimus: tu modo vide, quæ de isto Tengnagelii & Sambuci adnotationes sublegendi Lambecii more adnoto Lib. III. Cod. VII. n. VI. & Cod. XVII.* KOL.

(a) *Exstant in editione* DUCHESNII *tom. II. Scriptor. Franc.* KOL.
(b) DUCHESNIUS: ad prædicandum verbum divertit. KOL.
(c) *Exstant in* DUCHESNIO. KOL.
(d) *Exstant in* DUCHESNIO. KOL.
(e) *Exstant in* DUCHESNIO, KOL.
(f) *Atque ad eum modum in* DUCHESNII *edit. consignantur.* KOL.
(g) *Habentur hæc omnia in* DUCHESNII *edit.* KOL.
(1) *Ita hic scriptum est nempe* Æquitaniæ *in prima syllaba per* Æ *pro* Aquitaniæ, *eademque scribendi ratio etiam in aliis nonnullis reperitur antiquis Cod. MStis August. Biblioth. Cæs.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

catur Friteslar Basilica, quam S. Bonifacius Martyr olim dedicans, prophetico spiritu nunquam igne cremandam esse prædixit; cui cum pagani toto nisu ignem subponere conarentur, divino pavore perterriti fugæ præsidium sumunt. Duo namque juvenes in vestibus albis Basilicam ab igne defendebant, quos & Christianis & (1) Barbaris quibusdam divinitus videre concessum est. Unus tamen ex hostibus juxta Basilicam flexis genibus adelinis lignis & igni incumbens, specie flantis repertus est mortuus. His temporibus dedicata est Basilica Sancti Nazarii Martyris in Lauresham, & translata sunt ossa ejus in illam.

In actis anni DCCLXXVII, & DCCLXXVIII ubi in Pithœana editione perperam legitur *Ainalarabi Saracenus*, rectius in Codice nostro scriptum est *Ibinalarabi;* ut & *Abitauro* pro *Habitauro.* (a)

In iisdem actis anni DCCLXXVIII post verba, *pars maxima eorum interfecta est*, addenda hæc sunt: (b) *Eo tempore monachi Fuldensis cœnobii propter timorem Saxonum, assumptis secum S. Bonifacii Martyris, ossibus fugerunt de monasterio per millia passuum fere, XIIII.*

In actis anni DCCLXXIX post verba, *Hiltibrandus Dux Spoletanus ad Karolum venit*, addenda sunt hæc: (c) *Sturm Abbas Fuldensis cœnobii moritur, cui successit Baugolf ejusdem monasterii monachus.*

In actis anni DCCLXXXI post verba, *inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissime visum est*, addenda sunt hæc verba: (d) *Sanguis etiam e terra ac de Cœlo perhibetur fluxisse.*

In actis anni DCCLXXXII, ubi in Pithœana editione hæc leguntur: *Carolus habuit CONFLICTVM in loco, ubi Lippia oritur cum omnibus Primatibus Saxonum, excepto Widichindo rebelle & eis, qui cum eo erant: ubi ad eum venerunt missi GODEFRIDI Regis Daniæ* &c.; rectius in Codice MSto legitur *Carolus habuit CONVENTVM* &c., & pro *Godefridi* scriptum est *Sigifridi.* (e)

In actis anni DCCLXXXV verba hæc, *Conjuratio Orientalium Francorum contra Regem exorta, & cito compressa est.*, ita supplenda sunt: *Conjuratio Orientalium Francorum, quæ vocatur Hartrati* (f) *contra Regem exorta, & cito compressa est. Hartrati* purum putum est vocabulum antiquæ linguæ Theotiscæ sive Germanicæ, pro quo nunc dicitur *ein harter Raht*, hoc est, *durum Consilium.*

In actis DCCXCVIII (g) post verba, *Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de sepulchro Domini per monachum quendam Regi transmisit*, addenda sunt hæc: (h) *& Azan Præfectus urbis, quæ dicitur Osca, claves Civitatis per Legatum suum cum aliis muneribus misit.*

In actis anni DCCCII pro *Hemgaudum* Comitem legendum est *Helmgaudum.*

In actis anni DCCCIII pro *Ribitto* legendum est *Ribboto.* (i) In

(1) Barbari *pro* paganis.
(a) *Variæ lectionis in modum ad marginem.* KOL.
(b) *Exstant in* DUCHESNIO. KOL.
(c) *Exstant in* DUCHESNIO. KOL.
(d) *Absunt ab editione* DUCHESNII. KOL.
(e) Conventum *habet* DUCHESNIUS & Sigifridi *ad oram.*
(f) Quæ vocatur Hartrati *non exstant in* DUCHESNIO *habet tamen editio* FREHERI. KOL.
(g) *Scribe:* IↃCCXCIX. KOL.
(h) *Exstant in* DUCHESNIO KOL.
(i) *Scribe:* IↃCCCIV. Rihboto *habent* DUCHESNIUS & FREHERUS. KOL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In actis anni DCCCV, ubi in Pithœana editione legitur: *Capcanus Princeps Hunorum Aquis ad Regem venit, & ut postulans inter Sariam & Carnontum habitandi locum accepit*, rectius in Codice Cæsareo scriptum est: *Capcanus Princeps Hunorum Aquas ad Imperatorem venit, &, ut postulavit, inter Sarabiam* (a) *& Carnontum habitandi locum accepit. Sarabia* sine dubio eadem est urbs, quæ nunc *Zagrabia* vocatur, & ad sinistram *Savi* fluminis ripam e regione *Segestica* insulæ sita est. *Carnontum* autem sive *Carnuntum* est oppidum *Haimburg* ad *Danubium.*

In actis anni DCCCXI ultima hæc verba editionis Pithœanæ, *Hemmingo Danorum Rege defuncto*, pertinent revera ad sequentem annum DCCCXII hoc modo: *Hemmingo Danorum Rege defuncto, Sigifridus nepos Godafridi Regis & Anulo nepos Herioldi succedere volentes*, &c. (b)

In actis anni DCCCXV, ubi in Pithœana editione legitur: *Exercitus Francorum a Ludovico Imperatore ad auxilium Herioldo Danorum Regi ferendum contra filios Godefridi in Nordmanniam missus, cum adversarii eis congredi non auderent, circumquaque vicinis pagis * & acceptis populorum obsidibus XL, reversus est.*; legendum est: *circumquaque ex vicinis pagis* (c) *acceptis popularium obsidibus XL*, &c.

In actis anni DCCCXXIX verba hæc mutila, *Bulgari navibus per Dravum fluvium venientes, quasdam villas nostrorum flumini vicinas * in palatio Camerarius constitutus, & Hludharius in Italiam profectus est.*, supplenda sunt hoc modo: (d) *quasdam villas nostrorum flumini vicinas incenderunt. Bernhardus Comes Barcinonensis in palatio Camerarius constitutus, & Hlotharius in Italiam profectus est.*

Acta anni DCCCXXXV & acta anni DCCCXXXVI in Pithœana editione perperam confunduntur propter omissionem posterioris numeri, qui collocari debet ante hæc verba: *Imperator in palatio Thædenhove* &c.; utpote ubi acta anni DCCCXXXVI incipiunt. Quæcunque autem in eadem editione Pithœana referuntur ad annum DCCCXXXVI & his incipiunt verbis: *Ticinium in Italia* &c.; ea revera pertinent ad annum DCCCXXXVII, ideoque numerus ibi corrigendus est. Similiter & sequentium quatuor annorum numeri corrupti sunt, & pro DCCCXXXVII scribendum est DCCCXXXVIII, pro DCCCXXXVIII scribendum est DCCCXXXIX, pro DCCCXXXIX scribendum est DCCCXL, pro CDCCCXL scribendum est DCCCXLI. (e)

In actis anni DCCCLII pro eo, quod in principio mendose legitur, *Genaldus* (f) *Normannus*, legendum est *Herioldus Nordmannus.* In ejusdem anni actis locus ille, quem Pithœus in editione sua asterisco notavit,

(a) Sabariam Chesniuss, & Frehervs rectius. Kol.
(b) *Ad hunc annum referuntur a* Frehero & Duchesnio. Kol.
(c) *Hæc emendatio est a secunda eaque recenti manu.* Kol.
(d) *Ita supplentur a* Frehero & Duchesnio. Kol.
(e) *In* Freher. & Duchesnio *numeri annorum recte se habent.* Kol.
(f) Freh. & Duchesn. Henaldus. Kol.

vit, corrigendus & ſupplendus eſt hoc modo: *profectus eſt in Saxoniam ob eorum vel maxime cauſas* (1) *JVDICANDAS, qui a pravis & ſubdolis* (2) *JVDICIBVS neglecti, & multis modis, ut dicunt, legis ſuæ dilationibus decepti, graves atque diuturnas patiebantur injurias.* (a)

In actis anni DCCCLIV, ubi in Pithœana editione mendoſe & mutile legitur: *Ibique inter Horuc Regem Danorum & Guduym filium fratris ejus, qui * etaneus ab eo Regno pulſus piratico more JVSSIT, orta contentione* &c.; corrigendus & ſupplendus eſt iſte locus hoc modo: *Ibique inter Horic Regem Danorum & Godrum filium fratris ejus, qui eatenus ab eo Regno pulſus, piratico more VIXIT, orta contentione*, &c. (b)

In actis anni DCCCLVIII, ubi in Pithœana editione legitur: *ille intrinſecus ſubdole ſæviendo* videndo diſperderet;* ſublato afteriſco & deleta ſuperflua voce *vivendo* legendum eſt: *ille intrinſecus ſubdole ſæviendo diſperderet.* (c) Erroris anſam præbuit negligentia librarii; quippe qui tres poſteriores ſyllabas verbi *ſæviendo* perperam repetiit, ſcribens *ſæviendo viendo*, unde porro mendum mendo auctum, & ex *viendo videndo* factum eſt.

In actis anni DCCCLIX, ubi in Pithœana editione mendoſe legitur: *A quibus honorifice ſuſceptus, cum de geſtis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excuſaret * infamiæ, Apoſtolica fultus EPISCOPVS rediens,* &c.; ſublato afteriſco, legendum eſt hoc modo: *cum de geſtis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excuſaret infamiæ, Apoſtolica fultus EPISTOLA rediens,* &c. (d) *Excuſare aliquem infamiæ* idem hic eſt atque *Excuſando liberare aliquem infamia.*

In actis anni DCCCLXIII poſt verba, *injuſte vero, ſicut illi reſcriptis & aſſertionibus firmare conantur.*, ſequitur in Pithœana editione: *Propterea partis utriuſque ſcriptorum ſeriem his annalibus inſerendam eſſe judicavi, diſcernendæ rei veritatem lectoris arbitrio relinquens. Et hæc quidem ſunt Apoſtolicæ Sedis Decreta Synodalia: Nicolaus ſervus ſervorum Dei*, &c. In antiquo autem Codice MSto, de quo in præſens agitur, omiſſa ſunt ſcripta illa utriuſque partis, eorumque loco poſt verba, firmare conantur, leguntur hæc: *Scripturam autem utriuſque partis, quisquis curioſus ſcire deſiderat, in nonnullis Germaniæ locis poterit invenire.* Sequuntur deinde in eodem Codice MS. immediate acta anni DCCCLXIV, quæ ibi incipiunt his verbis: *Hludowicus Rex menſe Auguſto ultra Danubium cum manu valida profectus* &c. Corrigenda ergo eſt Pithœana editio, utpote in qua verba hæc, *Guntharius Coloniæ Civitatis Epiſcopus pœnitentia ductus, quod contra Dominum Apoſtolicum injuſtæ rationis contentionem inchoaverat, reconciliationis ſuæ & emendationis gratia Romam profectus, in præſentiam Apoſtolici Viri Nicolai venit, ſed veniam minime conſecutus eſt.*, perperam referuntur ad annum DCCCLXIV, cum revera ad præcedentem annum DCCCLXIII adhuc pertineant. (e)

In iiſdem actis anni DCCCLXIV ſub

(1) *In Pithœana editione perperam legitur* vindicandas.
(2) *In Pithœana editione perperam legitur* Judicium.
(a) *Ita utraque editio habet.* KOL.
(b) *Sic utraque editio.* KOL.
(c) *Ita in ambabus editionibus legitur.* KOL.
(d) *Ita* FREHER. & DVCHESN. KOL.
(e) *Hic locus abeſt a manuſcripto.* KOL.

ſub finem pro *Guntharius Comæ Civitatis Epiſcopus* legendum eſt *Guntharius Coloniæ Civitatis Epiſcopus* &c. (a)

Acta annorum DCCCLXV, DCCCLXVI & DCCCLXVII in Pithœana editione confuſim permixta, & ſecundum antiquum hunc Codicem MStum diſtinguenda ſunt hoc modo. Acta anni DCCCLXV deſinunt his verbis: *Romam profectus eſt.* Acta anni DCCCLXVI incipiunt his verbis: *Hludowicus Hludowici Regis filius graviter ferens* &c.; pertingunt autem incluſive uſque ad hæc verba: *Quapropter iſti, accepta a Rege licentia, redierunt in ſua.* Acta denique anni DCCCLXVII incipiunt his verbis: *Hlotharius Rex promiſſionem ſuam* &c.

In actis anni DCCCLXXIII, ubi in Pithœana editione mutile legitur: *Venerunt quoque illuc Sigifridi Danorum Regis Legati pacis faciendæ gratia inter illos & Saxones * poſitis*; ſupplendus eſt iſte locus hoc modo: *pacis faciendæ gratia in terminis*, (b) *inter illos & Saxones poſitis.* Ibidem paulo poſt pro *permiſit* legendum eſt *promiſit.*

In actis anni DCCCLXXV locus hic, tanquam mutilus, aſteriſco notatus: *Menſe Auguſto Rex Hludowicus cum filiis & fidelibus ſuis colloquium habuit in villa Tribure. Interea Hludowicus Italiæ Imperator * cujus corpus translatum Mediolanum, in Baſilica S. Ambroſii ſepultum eſt.*, ſupplendus eſt hoc modo: *Interea Hludowicus Italiæ Imperator MORITVR,* (c) *cujus corpus*, &c.

In Pithœana editione ſunt hi Annales in fine mutili, & pertingunt tantum uſque ad principium anni DCCC LXXXIII; in Codice autem hoc MSto Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ pertingunt illi uſque ad annum DCCC LXXXVII incluſive. Ne igitur notabile illud Supplementum diutius latitet, eapropter integrum hic ſubjungo, incipiens ab anno DCCCLXXXII; quippe cujus acta in Pithœana editione non ſolum aliquanto aliter narrantur, quam in codice hoc Cæſareo, verum etiam nonnulla comprehendunt perperam admixta, quæ revera ad ſequentes annos DCCCLXXXIII, DCCCLXXXIV & DCCCLXXXV pertinent. (d)

DCCCLXXXII.

Stella cometes XV Kal. Februarii prima hora noctis apparuit, comas ſuas ſupra modum ſpargens, & rem infauſtam, quæ cito ſecuta eſt, ſua apparitione præmonſtrans. Nam Hludowicus, invaleſcente morbo, XIII Kal. ejuſdem menſis diem ultimum clauſit, cujus corpus translatum, & in monaſterio Sancti Nazarii, quod dicitur Laureſham, juxta patris ſui tumulum ſepultum eſt. Quod audiens exercitus, qui contra Nordmannos fuerat miſſus, ab expugnatione hoſtium deſiſtens, infecto negotio rediit. Quorum Nordmanni inde tranſeuntium veſtigia ſecuti, cætera, quæ prius dimiſerant, incendio cremaverunt uſque ad Confluentem caſtellum, ubi Moſella Rhenum in-

(a) *Ita exhibet utraque editio.* KOL.
(b) In terminis, *abeſt ab utraque editione.* KOL.
(c) *Utraque editio* obiit: moritur *a ſecunda manu ad oram codicis adjectum eſt.* KOL.
(d) *Quod hoc ſupplementum a* LAMBECIO *vulgatum attinet, exſtant quidem eorum ac etiam plurium annorum geſta in* FREHERO & DUCHESNIO, *ſed diſſimili oratione ac ſtylo ſcripta.* GENTILOTUS. *Nos ingentem horum annalium lacunam ex alio codice Cæſareo explebimus, uti poſt paulo videbis.*

ingreditur. Murus Mogontiæ Civitatis reſtaurari cæptus, & foſſa murum ambiens extra Civitatem facta. Nordmanni de ſua munitione egreſſi, Trevirenſem urbem invaſerunt, & habitatoribus Civitatis partim expulſis, partim occiſis, totam in Nonis Aprilis incenderunt. Quibus Walah Metenſis Epiſcopus incaute cum paucis occurrens, occiſus eſt. Karolus Imperator, audito fratris ſui obitu, de Italia perrexit in Bajoariam, & Optimates, qui fuerant fratris ſui, ad ſe venientes, in ſuum ſuſcepit Dominium. Deinde Wormatiam veniens cum ſuis undique venientibus conſiliatus eſt, quomodo Nordmannos de ſuo Regno expelleret. Statuto itaque & condicto inter eos tempore convenerunt de diverſis provinciis viri innumerabiles, & omnibus hoſtibus formidandi, ſi Ducem habuiſſent idoneum ſibique conſentientem. Hoc eſt Franci, Norici, Alamanni, Thuringii atque Saxones, parique intentione profecti ſunt contra Nordmannos pugnare cupientes. Quo cum perveniſſent, munitionem illorum, quæ vocatur Aſcloba, obſederunt. Cumque jam expugnanda eſſet munitio, & hi, qui intus erant, timore perculſi mortem ſe evadere poſſe deſperaſſent, quidam ex Conſiliariis Auguſti, nomine Liutwardus, Pſeudo-Epiſcopus, cæteris Conſiliariis, qui patri Imperatoris aſſiſtere ſolebant ignorantibus, junctо ſibi Wicberto Comite fraudulentiſſimo, Imperatorem adiit, & ab expugnatione hoſtium pecunia corruptus deduxit, atque Gotafridum Ducem illorum Imperatori præſentavit, quem Imperator more Achabico quaſi amicum ſuſcepit, & cum eo pacem fecit, datis ex utraque parte obſidibus: quod Nordmanni acceperunt pro omine. Et ut pax ex illorum parte rata non dubitaretur, clypeum juxta morem ſuum in ſublime ſuſpenderunt, & portas munitionis aperuerunt. Noſtrates autem calliditatis illorum expertes, eandem munitionem ingreſſi ſunt; alii quidem cauſa negotiandi, alii vero pro loci firmitate conſideranda: at Nordmanni ad conſuetam calliditatem converſi, clypeum pacis deponunt, portas claudunt, & omnes ex noſtris intus inventos aut occiderunt, aut catenis ferreis ligatos ad redimendum ſervaverunt. Sed Imperator tantam contumeliam exercitui ſuo illatam flocci pendens, prædictum Gotafridum de fonte Baptiſmatis levavit, & quem maximum inimicum & deſertorem Regni ſui habuerat, conſortem Regni conſtituit. Nam Comitatus & beneficia, quæ Rorich Nordmannus, Francorum Regibus fidelis, in Kinnin tenuerat, eidem hoſti ſuisque hominibus ad inhabitandum delegavit. Et, quod majoris eſt criminis, a quo obſides accipere & tributa exigere debuit, huic, pravorum uſus conſilio, contra conſuetudinem parentum ſuorum, Regum videlicet Francorum, tributa ſolvere non erubuit. Nam theſauros Eccleſiarum, qui propter metum hoſtium abſconditi fuerant, abſtulit, & auri puriſſimi atque argenti, ad confuſionem ſui totiuſque exercitus, qui illum ſequebatur, libras (1) II CCCC XII eiſdem dedit inimicis. Præterea quiſquis de ſuo exercitu, in defenſione ſanctæ Eccleſiæ Zelo Dei commotus, aliquem de Nordmannis, qui caſtra invadere tentabant, occidit, aut eum jugulare, aut ei oculos eruere præcepit. Vnde exercitus valde contriſtatus, dolebat ſuper ſe talem veniſſe Prin-

(1) 2412.

Principem, qui hostibus favit, & eis victoriam de hostibus subtraxit, nimiumque confusi redierunt in sua. Nordmanni vero de thesauris & numero captivorum CC naves onustas miserunt in patriam, ipsi in loco tuto se continentes, iterum tempus opportunum prædandi opperientes. Imperator inde transiens Mogontiacum venit, & inde ad villam Tribure, ibique per plures moratus est dies. Qui etiam Wangioni placitum habuit, & parum utilitatis decrevit. Nordmanni portum, qui Frisiaca lingua (1) Taventeri nominatur, ubi Sanctus (2) Liobomus requiescit, plurimis interfectis succenderunt. Johannes Pontifex Romanus decessit; in cujus locum Marinus, antea Episcopus, contra statuta Canonum subrogatus est. Quidam Gregorius nomine, quem Romani Superistam vocitabant, dives valde, in Paradiso Sancti Petri a suo Collega occisus est, & pavimentum Ecclesiæ, per quam trahebatur, totum sanguine illius infectum.

DCCCLXXXIII.

Imperator Italiam petens apud urbem Veronam cum suis fidelibus de statu Regni sui consiliatus est. (3) Boppo & Egino, Comites & Duces Thuringorum inter se confligentes, non paucas hominum strages dabant; in quo conflictu Boppo superatus, vix cum paucis viris effugit, cæteris omnibus occisis. Gotafrid Nordmannus, qui superiore anno fuerat baptizatus, cum Hugone, Hlutarii filio, fœdus iniit ejusque sororem duxit in conjugium. Unde idem Hugo audacior effectus, Regnum patris sui suæ ditioni subjugare studuit. Imperator omne tempus æstivum mansit in Italia, animosque Optimatum Regionis illius contra se concitavit. Nam Uuitonem, aliosque nonnullos exauctoravit, & beneficia, quæ illi, & patres, & avi, & atavi illorum tenuerant, multo vilioribus dedit personis. Quod illi graviter ferentes, pari intentione contra eum rebellare disponunt, multo etiam plura, quam ante habuerant, sibi vindicantes. Mons quidam in Italiæ partibus de loco suo motus in Athesin fluvium cecidit, ejusque meatum intercluſit. Hi autem, qui apud Veronam & in contiguis locis ejusdem fluminis habitabant, tamdiu utilitate illius carebant, donec idem fluvius, per eundem montem quasi cavernulas faciens, ad suum alveum rediret. Nordmanni per alveum Rheni fluminis ascendentes, plurima loca nuper restaurata succenderunt, prædam inde capientes non modicam; quibus Liutbertus Mogontiensis Archiepiscopus cum paucis occurrit, sed non paucos ex eis prostravit & prædam excussit. Agrippina Colonia absque Ecclesiis & Monasteriis reædificata, & muri ejus cum portis & vectibus & seris instaurati.

DCCCLXXXIV.

Nordmanni Saxones invadere tentaverunt, quibus (4) Heimrich Comes & Arn Episcopus cum manu valida Orientalium Francorum occurrerunt,

(1) *Nunc* Daventria *sive* Deventer *in Belgio Fœderato ad* Isalam *fluvium.*

(2) *Singularis locus de* S. Liobomo, *cujus nec in Martyrologio Romano fit mentio, nec in Philippi Ferrarii Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt.*

(3) *In Pithœana editione referuntur hæc perperam ad annum DCCCLXXII.*

(4) *In Pithœana editione referuntur hæc perperam ad annum DCCCLXXXII.*

runt, conſertoque prælio plurimi ex utraque parte ceciderunt; ſed tamen adjuvante Domino Chriſtiani obtinuere victoriam. In quo certamine tales viri de Nordmannis cecidiſſe referuntur, quales nunquam antea in gente Francorum viſi fuiſſent, in pulchritudine videlicet ac proceritate corporum. Imperator circa Purificationem Sanctæ Mariæ cum ſuis colloquium habuit in Alſatia, in loco, qui vocatur Coloburg, & inde Epiſcopos, Abbates atque Comites deſtinavit contra Nordmannos ad tuendas Regni ſui partes. Nordmanni, non ſemel neque bis cum Heimricho dimicantes, ſuperantur, & ubicunque prædatum ire volebant, fugabantur, interficiebantur, Domino illis reddente quod meruerunt. Tandem Chriſtianis in unum congregatis, & munitionem illorum expugnare cupientibus, illi timore perculſi, noctu fuga lapſi ſunt, quos Heimrich Rheno tranſito ſecutus, & in quodam repertos loco, centum duos ex eis abſque detrimento ſuorum occidit. Imperator menſe Majo mediante placitum habuit Wormatiæ, & inde tutores partium ſuarum contra Nordmannos deſtinavit. Venit etiam illuc filia Hluthарii a Gotafrido, cui tradita fuerat in matrimonium, ad Imperatorem tranſmiſſa; quam Imperator ſecum aliquanto retinuit tempore, & ad maritum redire non permiſit. Imperator in terminis Noricorum & Sclavorum cum Zwentibaldo colloquium habuit; inde in Italiam profectus cum Witone & cæteris, quorum animos anno priore offenderat, pacificatur. Nordmanni cum Friſionibus in loco, qui vocatur Norditi, dimicantes ſuperantur, & plurimi ex eis occiduntur. Super quo prælio extat Epiſtola (1) Rimberti Epiſcopi ejuſdem loci ad Liutbertum Mogontienſem Archiepiſcopum deſtinata hunc modum continens. Karolus juvenis Rex Galliæ in quadam venatione ictibus cujuſdam apri fertur occiſus; re autem vera a ſuo ſatellite in eadem venatione non ſponte vulneratus occubuit. Vnde Nordmanni, qui Regnum illius prædis & incendiis longo tempore fatigaverant, audaciores effecti, XII millia librarum auri & argenti ab illa Regione tributi nomine exegerunt, & tamen fidem pollicitam nequaquam ſervaverunt. Nam & obſides occiderunt, & a prædationibus minime ceſſaverunt.

DCCCLXXXV.

Idem Nordmanni pagum (2) Hiſpannicum invadentes, cæteros in circuitu vicinos occupaverunt, atque fruges diverſi generis congregantes, ſibi ad hyemandum & inhabitandum, quaſi nullo reſiſtente, diſpoſuerunt, viris ac mulieribus, quos invenire potuerunt, ad ſuum ſervitium reſervatis. Quibus Liutbertus Archiepiſcopus & Heimrich Comes, aliique nonnulli inſperate ſupervenerunt, & plurimis proſtratis, cæteros in quandam munitiunculam fugere compulerunt, frugibus quas congregaverant ſublatis. Cumq; diu obſeſſi & fame fatigati manum conſerere non auderent, nocte quadam fuga lapſi ſunt. Gotafrid Nordmannus, qui Chriſtianus effectus, fidem Imperatori & Chriſtiano populo ſe ſervaturum eſſe ſacramento firmavit, fidem mentitus, exercitum non modicum de ſua

(1) *Is eſt S.* Rimbertus *ſive* Rembertus, *ſecundus Hamburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopus, qui* S. Anſchario *ſucceſſit A. 865, & A. 888 obiit. Vide librum primum & ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis.*

(2) *Per* Pagum Haſpannicum *ſive* Hasbanicum *intelligitur hic* Comitatus Hasbaniæ, *qui in Epiſcopatu Leodienſi ſitus eſt.*

sua gente congregavit, & per alveum Rheni fluminis ascendere, & plurima loca suæ ditioni subjugare disposuit; quod dum mediante mense Majo facere instituisset, Deo renuente perficere non potuit. Nam ab Heimricho aliisque fidelibus Imperatoris ad colloquium invitatus & infidelitatis correptus, cum eos convitiis variisque ludibriis exacerbaret, occisus est, & omnes qui cum illo erant, Domino illi condignam infidelitatis suæ mercedem retribuente. Nordmanni autem ab eo invitati, nescientes quid factum erat, in Saxoniam prædatum ire pergebant; quibus cum pauci Saxones occurrissent, & tantæ multitudini rebellare timuissent, terga verterunt. At illi longo spatio a suis navibus remoti, fugientes persecuti sunt, quasi eos essent comprehensuri. Interea Frisiones, qui vocantur Destarbenzon, quasi a Domino destinati, (1) pravissimis, ut eis est consuetudo, naviculis vecti supervenerunt; & eos a tergo impugnare cæperunt; quod cum vidissent Saxones, qui prius fugerant, reversi sunt, & graviter eis repugnando insistebant, (2) ingratumque est prælium ex utraque parte contra Nordmannos. Tanta denique in eos Christiani cæde bacchati sunt, ut pauci de tanta multitudine relinquerentur. Quibus gestis iidem Frisiones eorum naves invaserunt, tantumque thesaurum in auro & argento, variaque suppellectile repererunt, ut omnes a minimo usque ad maximum divites efficerentur. Hugo Hlutharii Regis filius, cujus sororem prædictus Gotafrid duxit uxorem, insimulatus est apud Imperatorem, quod ejusdem conspirationis Gotafridi contra Regnum Imperatoris fautor existeret. Quamobrem ad Imperatorem vocatus, & noxæ convictus, lumine oculorum una cum avunculo suo privatus est, & in Monasterium Sancti Bonifacii apud Fuldam retrusus, finem suæ habuit tyrannidis. Cæteri vero qui cum eo erant, equis & armis ac vestibus spoliati, vix nudi evaserunt. Imperator cum suis apud Franconofurt colloquium habuit, missisque Romam nuntiis, Hadrianum Pontificem invitavit in Franciam. Voluit enim, ut fama vulgabat, quosdam Episcopos irrationabiliter deponere, & Bernhartum filium suum ex concubina hæredem Regni post se constituere, & hoc quia per se posse fieri dubitavit, per Pontificem Romanum quasi Apostolica auctoritate perficere disposuit. Cujus fraudulenta consilia Dei nutu dissipata sunt. Nam Pontifex Romanus ab urbe digressus, & (3) Heridano flumine transito, vitam præsentem finivit, sepultusque est in monasterio Nonantulas. Quod cum Imperator comperisset, contristatus est valde, eo quod in tali negotio voti compos effici non potuit. Post paucos vero dies Mogontiacum venit, & inde Wormatiam, ibique cum Episcopis & Comitibus Galliarum habita collocutione, in Bajoariam profectus est, ibique Natalem Domini celebravit. Romani, Pontificis sui morte comperta, Stephanum in locum ejus constituerunt. Vnde Imperator iratus, quod eo inconsulto ullum ordinare præsumpserunt, misit Liutwartum & quosdam Romanæ Sedis Episcopos, qui eum

(1) *Ita quidem ibi scriptum est, sed legendum est* parvissimis.

(2) *Ita quidem ibi scriptum est, sed legendum est* integratumque est.

(3) Heridano *pro* Eridano. Eridanus *autem idem est atque* Padus *fluvius.*

deponerent; quod perficere minime potuerunt. Nam prædictus Pontifex Imperatori per Legatos suos plus quam XXX Episcoporum nomina, & omnium Presbyterorum & Diaconorum, Cardinalium atque inferioris gradus personarum, nec non a Laicorum Principum Regionis scripta destinavit, qui omnes unanimiter eum elegerunt, & ejus ordinationi subscripserunt.

DCCCLXXXVI.

Mense Februario exercitus Orientalium Francorum missus est contra Nordmannos in Galliam juxta Parisios consistentes, qui in itinere propter imbrium inundationem & frigus imminens non modicum equorum suorum perpessi sunt dammum. Cum autem illuc pervenissent, Nordmanni rerum omnium abundantiam in munitionibus suis habentes, manum cum eis conserere nec voluerunt, nec ausi sunt. Igitur diebus Quadragesimæ & usque ad tempus Rogationis inani labore consumptis, excepto quod Heimrich quosdam extra munitionem inveniens occidit, equis & bubus plurimis inde sublatis, redierunt in sua. Interea Hugo & Gozilin Abbates & Duces præcipui Galliæ regionis, in quibus omnis spes Gallorum contra Nordmannos posita erat, defuncti sunt. Vnde Nordmanni audaciores effecti, & de sua munitione egressi, omnique Regione potiti, venationes & varios ludos nullo prohibente exercebant. Optima pars Mogontiæ Civitatis, ubi Frisiones habitabant, post mediam Quadragesimam mense Martio conflagravit incendio. Mense vero Majo, Junio, atque Julio tanta vis imbrium diu noctuque sine intermissione cælitus lapsa est, ut nullus ævi præsentis tantam aquarum abundantiam se vidisse fateatur. Vnde flumina in diversis locis intumescentia frugibus variis extitere pernoxia. Nam Rhenus alveum suum egressus, cuncta loca sibi contigua ab ortu suo usque ad introitum maris omnibus frugibus & lino & fæno evacuavit. Padus quoque in Italia similia feciisse perhibetur. Mense Julio Imperator cum suis colloquium habuit in urbe Metensi, & inde contra Nordmannos profectus est. Vbi dum aliquanto tempore moraretur, Heimrich Comes a suis desertus, & ab hostibus circumdatus occiditur. Interea Sigifrid cum magna multitudine Nordmannorum cæteris, qui ibi residebant, auxilium laturus venit, ac Christianis magnum intulit metum. Vnde Imperator perterritus, quibusdam per Burgundiam vagandi licentiam dedit, quibusdam plurimam promisit pecuniam, si a Regno ejus statuto inter eos tempore discederent. Ipse vero inde concito gradu in Alsatiam se recepit, ibique per plures dies jacuit ægrotus.

DCCCLXXXVII.

Hyems aspera & solito prolixior, boum quoque & ovium pestilentia supra modum grassata est in Francia, ita ut pæne nulla ejusdem generis animalia relinquerentur. Imperator cum suis colloquium habuit in Weibilingon, qui priscis temporibus, id est, ex quo Rex in Alamannia constitutus est, quendam de suis ex infimo genere natum, nomine Liutwardum, supra omnes qui erant in Regno suo, exaltavit, ita ut Aman, cujus mentio facta est in libro Hester, & nomine & dignitate præcelleret. Ille enim post Regem Assuerum erat secundus, iste vero prior Imperatore, & plus quam

Im-

Imperator ab omnibus honorabatur & timebatur. Nam nobiliſſimorum filias in Alamannia & Italia nullo contradicente rapuit, ſuiſque propinquis nuptum dedit. Qui etiam ad tantam devolutus eſt ſtultitiam, immo veſaniam, ut monaſterium puellarum in Brixia Civitate ſitum invaderet, & per quosdam amicos ſuos filiam Unruochi Comitis, propinquam Imperatoris, vi raperet, ſuoque nepoti in conjugium daret. Sanctimoniales vero ejuſdem loci ad preces converſæ orabant Dominum, ut contumeliam loco ſancto illatam vindicaret; quarum preces illico exauditæ ſunt. Nam is, qui puellam conjugii more ſibi ſociare diſpoſuit, eadem nocte Dei judicio interiit, & puella manſit intacta. Quod cuidam Sanctimoniali e ſupradicto monaſterio revelatum eſt, & illa cæteris indicavit. Cum autem memoratus Liutwart talia in Regno Imperatoris per plures annos actitaret, tandem cenodoxia inflatus & phylargyria cæcatus, fidem Catholicam pervertere & Redemptori noſtro detrahere laborabat, dicens eum unum eſſe unitate ſubſtantiæ, non perſonæ; cum ſancta Eccleſia credat & confiteatur, eum in duabus ſubſtantiis unam habere perſonam, quod quicunque negaverit, profecto blaſphemat eum, qui venit quærere & ſalvare quod perierat. Niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium; niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum. Sed idem Rex Regum hoc anno concitavit animos Imperatoris in blaſphemum, qui habita cum ſuis collocutione in loco, qui vocatur (1) Kiribheim, eum depoſuit, ne eſſet (2) Archi-Cappellanus, multiſque beneficiis ab eo ſublatis, ut hæreticum & omnibus odioſum cum dedecore de Palatio expulit. At ille in Bajoariam ad Arnulfum ſe contulit, & cum eo machinari ſtuduit, qualiter Imperatorem Regno privaret; quod & factum eſt. Nam cum idem Imperator in villa Tribure conſedisſet, ſuorum undique opperiens adventum, Arnulfus cum manu valida Noricorum & Sclavorum ſupervenit, & ei moleſtus efficitur. Nam omnes Optimates Francorum, qui contra Imperatorem conſpiraverant, ad ſe venientes in ſuum ſuſcepit Dominium; venire nolentes, beneficiis privavit, nihilque Imperatori, niſi viliſſimas ad ſerviendum reliquit perſonas. Cui Imperator lignum Sanctæ Crucis, in quo prius ei fidem ſe ſervaturum juraverat, per Liutbertum Archiepiſcopum deſtinavit, ut ſacramentorum ſuorum non immemor tam ferociter & barbare contra eum non faceret. Quo viſo lacrymas fudiſſe perhibetur. Tamen diſpoſito prout voluit Regno in Bajoariam ſe recepit. Imperator vero cum paucis, qui ſecum erant, in Alamanniam repedavit. Nordmanni, audita Francorum diſſenſione, & Imperatoris eorum abjectione, plurima loca, quæ prius minime tetigerant, vaſtaverunt. Ad Remenſem quoque Urbem veniſſe referuntur; ſed Deus per merita Sancti Remigii & monaſterium extra Civitatem poſitum, & ipſam Civitatem nebula denſiſſima per trium dierum ſpatia circumdedit, ita ut neutrum invenire nec ſaltem videre potuiſſent. Vnde mente conſternati

(1) Kirihheim *pro* Kirchheim. *In antiquis enim ævi Caroli Magni Codicibus MStis ſola litera* H *nonnunquam idem valet atque* CH: *ut* Heimrih *pro* Heimrich, ih *pro* ich, Almahtdig *pro* Almachtig &c.

(2) *Hoc eſt* Archi-Cancellarius.

nati pariterque confusi discesserunt. (a)

In Freherianis & Ducheſnianis *Annalium Fuldenſium* exemplis ingens lacuna ex Cod. Cæſ. Hiſt. Prof. IOC. expleta.

HOs Annales princeps edidit PETRUS PITHOEUS, ſed non ultra annum IↃCCCCLXXXII. Annorum XVII. auctarium adjecit MARQUARDUS FREHERUS, & utraque iſta editione inter ſe comparata eosdem corpori ſcriptorum Hiſtoriæ Francicæ inſeruit Andreas Quercetanus Tom. II. a pag. 531. Quoniam vero Codex Marci Velſeri, ex quo acceſſionem illam deprompſit Velſerus, folio uno imminutus erat, eamque ob cauſam tam in Freherianis quam Ducheſniano exemplis in anno IↃCCCXCIII. ingens eſt lacuna, idcirco eam beneficio ejuſdem præſtantiſſimi hujus Cæſarei Codicis explebimus. Itaque poſt verba: exercitum per circuitum diſtribuit, ubi deſinunt geſta anni IↃCCCXCIII. in excuſis, in m. s. ſequuntur hæc:

Ipſe ſuper verticem montis ad auxiliandum aggredientibus, murum cum ſignis conſtabat. Mirabilis vigor animi utriuſque datur, & expugnandis, & expugnatoribus, utrique in acie, ut murus inter eos conſtanter applicati ſunt. In primo enim impetu pugnæ talis ſonitus ferentium per ſcuta lapidum datur ſentiri, ut hominibus caſtra regis ſervantibus, quę ultra unum miliarium poſitę erant, tonitrum ſimulabatur, audire maximis cum laboribus palatinis militibus coram Rege certantibus. Tandem ad murum uſque perventum eſt. Scuta ſuper ſe in modum tecti conducta ſuſtollunt, murum antiquitus fundatum perfodere temptant, ut deſuper miſeri Urbani lapidibus dolia plena incaſſum ſubmittentes, lanceis periactatis ad ultimum propugnacula murorum conantes ſuper eos projicere omni niſu impulſu pectorum Inſtantes Dei nutu murum, uſque ad fundamentum prolabi fecerunt. Fit a populo clamor forinſecus perturbato cum fuga intrinſecus ex omni parte exercitus urbem invadendo, ut turbo diſpoliat. Ambroſius Comes auctor contentionis contra Regem quandam turrim, fuga præſidium querens, aſcendit, ſed non utile: Nam præ furore judicio exercitus captus, & mox patibulo ſuſpenſus eſt. Uxor vero ejus & filii cum magno theſauro Regi præſentati ſunt. Epiſcopus etiam ejuſdem Civitatis nomine Adalbertus ibi comprehenſus eſt, & Haddoni Epiſcopo ſervandus conceditur. Hinc tantus terror totam Italiam invaſit, ut maximę urbes Mediolanum ſcilicet, & Papia ſponte ad Regem venientes ſe ſubdidiſſent. Primores itaque Marchenſes, qui fuerunt Italici Regni Adalbertus videlicet fraterque ejus Bonifacius, Hildibrandus quoque & Gerhardus Regi ſe preſentavere. Se preſumptuoſe ſe inbeneficari ultra modum jactantes omnes capti ſunt, & in manus Principum dimiſſi ad cuſtodiendum. Sed non diu Rex hoc ſuſtinuit. Nam miſericordia motus permiſit eis abſolutionem, juramento ei fidelitatem promittere eis diſpoſuit. Quorum duo Adalbertus & Bonifacius fidem mentientes fuga a Rege

(a) *Hucuſque ſupplementa* LAMBECII; *adeſt autem & alter codex membraneus Cæſareus, ſæculi undecimi, ut videtur, ac probæ notæ, in quo iidem hi* annales, *vulgo* Fuldenſes *dicti, habentur. Is codex nunc in claſſe Hiſt. Prof. eſt* IↃC. *Ex eo* CL. GENTILOTUS *dictorum* ANNALIUM *hiatum bene magnum erudite explevit prœmio, & exemplo, quod exſcripſi:*

Rege defecerunt. Rex propter ni-
miam longitudinem itineris languescente exercitu usque Placentiam veniens reversus est Pascha prope castello Choregia, quod tunc & firmissimas clausa obseratas desuper posito lapideo castello Comes Widonis nomine Ansger cum satellitibus Rodulfi Regis de Burgundia ad hoc transmisit, ne via ibi redeunti Regi daretur obsessum defendebat. Rex namque per occupatam viam sine periculo suorum non posse expugnari sentiens, per viatores cum duro labore exercitus alpes ascendens, propter magnitudinem exercitus per prærupta saxi devians cum magno periculo suorum mirum in modum cum equis per præcipitium rupis, quasi per murum a summo deorsum transilientes passim per scopulos datis quibusdam gradibus, quasi locus respirandi in angustam vallem tertio demum die prolapsi convenerunt. Rex ante se directo exercitu Rodulfum Regem fugere compulit. Ipse per superiorem Burgundiam in Alamanniam curtem Chirichheim Regina sibi occurrente se recepit. Vormaciæ habitum est generale conventum. Ibi inter alia Karolus puer indole juventutis Hludouvici Karoli de occidentali Francia Regis filii filius, nepos regis ad eum veniens, quem Rex cum dilectione suscepit, & absolvit. Alamanni cum manu valida super Rodulfum Regem cum Zuentibaldo filio Regis de Concubina transmittuntur. Ille se defendens objectione alpium; Alamanni devastata magna illius regionis parte revertuntur in sua. Vuido Italici Regni tyrannus morbo correptus obiit. Cujus filia (sic) Lantbertus eodem modo Regnum invadendo affectatus est.

A *Zuentibaldus Dux Maravorum & vagina totius perfidiæ, cum omnes regiones sibi affines dolo & astucia perturbando, humanum sanguinem siciens circumiret: ultimum hortando suos, ne pacis amatores, sed pocius inimici domesticis persisterent, diem ultimum clausit infeliciter. Auari, qui dicuntur Ungari in his temporibus ultra Danubium peragrantes multa miserabilia perpetravere. Nam homines, & vetulas matronas penitus occidendo, juvenculas tantum, ut jumenta pro libidine*
B *exercenda secum trahentes, totam Pannoniam usque ad internecionem deleverunt. Pax tempore autumni inter Bajoarios & Maravos compacta est. Missus Leonis Imperatoris Græcorum ad Regem urbe Radisbona Anastasius cum muneribus venit, quem Rex audivit, & eodem die absolvit.*

DCCCXCV.

Fames valida per universam Bajoariorum provinciam excrevit, ita ut per-
C *plurima loca inedia morte consummerentur. Engildico Marchensis Bajoariorum honoribus privatus est, in cujus locum Luitboldus nepos Regis subrogatus est. Hildegardis filia Hludouvici Francorum Regis contra fidelitatem Regis agere accusata, inde publicis honoribus deposita in Bajoaria quadam insula palude Chiemisce nominata inclusa est. Convenientibus itaque de toto Hlutharico Regno Saxonia Bajoaria & Alamannia & Francia XX. & VII. (1) Episcopis corte Tiburia magnus synodus habebatur præsidentibus scilicet Metropolitanis Addone Magontinæ urbis Archiepiscopo, Herimanno Coloniæ Agrippinæ urbis Archiepiscopo*

(1) *In subscriptoribus actorum XXII. tantum nomina consignata sunt.*

ſcopo, Ratbodo Treverenſi Archiepiſcopo, multa quidem pro utilitate Chriſtianę religionis tractantes, eademque ſtatuta memoria retinendum ſucceſſoribus ſuis propriis capitulis ſcripta commendaverunt. Regale equidem placitum Vormacia habitum eſt. Ibi Edo Rex Gallię ad fidelitatem Regis cum muneribus veniens ab eo honorifice ſuſceptus, & poſt paucos dies in ſua, prout venerat, placabili licentia reverſus eſt. Zuentibaldus ergo filius Regis inſulam Regni a patre ſuſcipiens in Burgundia & omni Hlutharico Regno, receptis ejuſdem Regni primoribus Rex creatus eſt, per idem tempus magni terręmotus in plurimis locis occidentalium Francorum viſi ſunt. Legatos Obodritorum Curte Regia Salz munera ſecum deferentes ad Regem pacifica optantes pervenerunt. Quos Rex, ut audivit ſine mora poſtulata annuens & abire permiſit. Avari terminos Bulgarorum invadentes ab ipſis preventi ſunt & magna pars eorum exercitus interfecta eſt. Mediante menſe Julio habitum eſt urbe Radisbona generale conventum. Ibi de Sclavonia omnes Duces Boemanicorum, quos Zuentibaldus Dux a conſortio & poteſtate Bajoaricę gentis per vim dudum divellendo detraxerat, quorum primores erant ſpitigneuuo Viutizla ad Regem venientes, & honorifice ab eo receptus per manus, prout mos eſt, Regię poteſtati reconciliatos ſe ſubdiderunt. Iterum Rex a formoſo Apoſtolico &c. Quæ dehinc ſequuntur jam ſunt edita. Male tamen in exemplis vulgatis narrationi anni inſequentis, quę incipit: *Igitur propter nimiam intempeſtatem (m. s. tempeſtatem)* præfigitur nota anni DCCCXCV loco DCCCXCVI quæ ſignata eſt in hoc Codice: id quod jam obſervavit Pagius Critic. in annal. Baronii ad a. 894. n. 1. Porro non modo nobile hoc fragmentum ſuppeditat Codex iſte, quem recenſemus; verum etiam non contemnendam acceſſionem ad finem, quam licet celeberrimus Leibnitius ex Codice m. s. ſibi a R. P. Papebrochio ſubminiſtrato tomo I. *ſcriptorum res Brunsvicenſes illuſtrantium pag.* 192. illigaverit, & Cl. Struvius noviſſimæ ſcriptorum Germanicorum Freheri editioni adtexuerit; nihil vetat, quin eadem ex hoc Codice, ubi purius legitur, exſcribatur hoc exemplo: *Nam in prima congreſſione belli tanta Dei Gratia Chriſtianis occurrit, ut mille CC gentilium inter occiſos & qui ſe in Danubio merſerant, (1) perempti inveniretur. (2) Vix tantum unum de Chriſtianis occiſum in apparatu belli inveniunt. In eodem loco poſt victoriam celitus datam congreſſi clamore magno in celum (3) inde Deo gratias (4) clamantes (5) ferebant, qui non in multitudine hominum, ſed miſericordiarum ſuarum pietate liberat (6) ſperantes in ſe. Tandem lęti poſt tantam victoriam ad ſocios, unde venerant, regreſſi ſunt & citiſſime in idipſum tempus pro tuicione illorum regni validiſſimam urbem in littore Aneſi fluminis muro (7) oppoſuerunt. Quo peracto unuſquiſque redierunt in ſua.*

DCCCCI.

(1) Struv. *merſerunt.*
(2) Leibnit. *inveniuntur.* Struv. *inveniantur.*
(3) Struv. *Cœlo* & omiſit pericopen, quæ antecedit uſque *inveniunt.*
(4) Leibnit. *grates.*
(5) Struv. *omiſit clamantes.*
(6) Leibnit. & Struv. *liberet.*
(7) Struv. *pro muro nunc.*

DCCCCI.

Generale placitum Radisbona (1) civitate habitum est. Ibi inter alia missi Maravorum pacem optantes pervenerunt. Quod mox, ut petierunt complacuit, & juramento firmatum est. Inde ob hoc ipsum Richarius Episcopus & Udalricus (2) Comes Marabaha (3) missi sunt, qui eodem tenore, ut in Bajoaria firmatum fuit, ipsum Ducem & omnes primates ejus eandem pacem sè servaturos juramento constrinxerunt. Interdum vero Ungari (4) australem partem regni illorum Caruntamum (5) devastando invaserunt. Rex vero per Alamanniam causas ibi disponendo Paschа Domini (6) celebrandum Franciam petiit. Non incurrit in Lambecii manus hic codex, dum ageret de XXIII præstantissimis veteribus manuscriptis ad vitam & res gestas Caroli M. pertinentibus lib. II. comment. a pag. 261. usque ad pag. 465. absque eo enim non prætermisisset superius supplementum edere ac monere digniſſimum esse hunc Codicem, ut cum editis conferatur. Hæc Cl. Gentilotus.

XXIV. *Duodecimus* Codex, ad vitam & res gestas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus sum, est partim membranaceus, partim chartaceus in folio, & inter MStos Codices Historicos Latinos *ducentesimus secundus*. Continet is in fine eosdem *tres* hactenus ineditos *Libros De Sanctitate Meritorum & Gloria Miraculorum Beati Caroli Magni*, ab anonymo autore sub *Imp. Friderico I* circa annum Christi MCLXV conscriptos, quorum *tres Præfationes*, una cum *Capitum* cujusque Libri *Lemmatibus* sive *Titulis* & *Conclusione* totius Historiæ, speciminis loco (7) supra jam inserui Segmento hujus Capitis vigesimo primo, ubi de Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ inter MStos Historicos Latinos *centesimo quadragesimo nono* agitur. Notandum autem est, *priorem* illum Codicem MStum *posteriori* hoc non solum antiquiorem esse, verum etiam, quod ad *tertium* Librum attinet, multo accuratiorem. In *priori* enim Codice extat *tertius* iste sive ultimus Liber sine ulla interpolatione, ita nempe, ut, quæ anonymus temporum *Imp. Friderici I* scriptor ex supposititia *Pseudo-Tulpini* Historia excerpsit, a reliqua narratione, quæ ex genuinis Rerum Francicarum Annalibus antiquis desumpta est, manifeste distinguantur; in *posteriori* autem Codice culpa imperiti & negligentis librarii *tota Pseudo-Tulpini Historia* reliquæ narrationi scriptoris temporum *Imp. Friderici I* adeo confuse permixta est, ut genuina a suppositiis discerni nequeant, nisi posterior Codex adminiculo prioris corrigatur, & duorum autorum confusa scripta a se invicem recte separentur.

XXV. *Decimus tertius* Codex, ad *Imp. Caroli Magni* ævum pertinens, de quo alias prolixius acturus sum, est membranaceus in octavo, & inter MStos Codices Historicos Latinos *ducentesimus quadragesimus nonus*. Continet

(1) Struv. *Ratisbonæ*.
(2) Leibnit. & Struv. *Waldaricus*.
(3) Leibnit. & Struv. *Marahaa*.
(4) Leibnit & Struv. *Ungarii*.
(5) Leibnit. & Struv. *Coruntanum* & uterque monet legendum esse. *Caruntanum* id est *Carinthiam*.
(6) Leibnit. & Struv. *Paschа diu* & legunt *ad Paschæ diem*.
(7) *Col. 469. & deinceps.*

tinet is *Ermoldi Nigelli Exulis Poëma elegiacum de rebus geſtis Imp. Ludovici Pii in quatuor diviſum libros*, quos ille, ut exilii ſui impetraret remiſſionem, in jam memorati Imperatoris honorem compoſuit. Scriptura Codicis perantiqua eſt, & cæteris temporum Imp. Caroli Magni ac Ludovici Pii manuſcriptis Codicibus ſimillima, ideoque affirmare auſim, hunc vel illum ipſum eſſe authenticum Codicem, qui Imp. Ludovico Pio oblatus eſt, vel ſaltem eodem ævo ex illo eſſe deſcriptum. Fuit is olim, priuſquam in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream* translatus eſt, V. CL. *Wolfgangi Lazii*, ut apparet non ſolum ex propria ipſius manu, quæ nonnullis locis in margine cernitur, verum etiam ex teſtimonio *Joannis Jacobi Friſii*, quod in Bibliotheca *Geſneriana*, ab illo auctius edita, extat his verbis: *Ermoldi Nigelli Exulis ad Ludovicum primum Imperatorem de rebus ab eo geſtis libri quatuor, elegiaco carmine conſcripti, extant Viennæ Auſtriæ apud Wolfgangum Lazium. Hic nominatur etiam* (1) *Helmoldus Niger*. Hæc Friſius. Cæterum quamvis illud Poëma alio commodiori tempore & loco integrum poſthac editurus ſim, ut interim tamen qualecunque de eo, tanquam ex ungue, fieri poſſit judicium, haud ingratum fore arbitror, ſi principium ejus & finem in anteceſſum hic præmiſero. Quemadmodum igitur antiqui Poëtæ ethnici a *Deorum Dearumve* ſuarum invocatione ordiri conſueverant, ita Ermoldus iſte ab invocatione *Chriſti* incipit hiſce verſibus hexametris: (a)

Editor ætherea ſplendes qui Patris in arce,
Regnator Mundi, Fautorque Redemptor & Auctor,
Militibus dignis reſeras qui Regna polorum,
Olim (2) *concluſos culpa parientis Averno;*
Luminis æterni revehis qui, CHRISTE, tribunal:
David pſalmicamus præſaga carminis illud
Voce pius modulans, dudum miranda relatu
Sacra futurorum qui prompſit dogmata vates:
Confer ruſticulo, quo poſſim Cæſaris in hoc
Eximii exiguo modulanter (3) *poſcito rite*
Carmine geſta loqui. Nymphas non deprecor iſtuc,
Inſani quondam ut (4) *priſci fecere periti,*
Nec rogo Pierides, nec Phœbi tramite lumen

Ingre-

(1) *Errat Friſius.* Ermoldus *enim* & Helmoldus *duo ſunt diverſa nomina.* Ermoldus *quippe ſive* Ermenoldus *idem eſt atque* Armenhold *vel* Armenhuld, *hoc eſt*, amator pauperum; Helmoldus *autem idem eſt atque* Helmhold *vel* Helmhuld, *hoc eſt* amator galeæ, *quemadmodum* & Wilhelmus *idem eſt atque* cupidus galeæ.

(a) *Celebre iſtud* ERMOLDI NIGELLI *exulis* Poëma *Commentariis ſuis* CL. GENTILOTUS *intexuit, quam ob cauſam non prius, quam ab ejus ad plures abitu obtinere a* GARELLIO *apographum potuit* C. V. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, *qui illud primus ex unico hoc codice communis utilitatis gratia in lucem protulit* in Scriptoribus Rerum Italicarum Tom. ſecundi Parte altera a pag. 1. KOL.

(2) *Ita ibi ſcriptum legitur pro* concluſa *vel* concluſorum.

(3) *Locus mendoſus.*

(4) *Confirmat hoc* Livius *in præfatione Hiſtoriæ Romanæ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ingrediar capturus opem, nec Apollinis almi;
Talia cum facerent, quos vana peritia luſit
Horridus & teter depreſſit corda (1) *Vehemoth:*
Limina ſiderei potius peto luminis ut Sol,
Verus juſtitiæ dignetur dona precatu
Dedere. Namque mihi non flagito verſibus hoc, quod
Omnia geſtorum percurram pectine parvo,
In quibus & magni poſſunt ceſſare magiſtri;
Cæſaream flectant aciem ſed cantibus huchuc
Incipiam celebrare, fave modo CHRISTE precanti,
Carmina, me exilio pro (2) *quis nunc Principis ab hoc*
Auxilium miſerando levet, qui celſus in Aula
Erigit abjectos, parcit peccantibus, atque
Spargit in immenſum clari vice lumina Solis.
Alta regis CHRISTI, Princeps, qui, Maxime, ſceptra,
Rex HLVDOVVICE Pie, & pietatis munere CÆSAR
Inſignis meriti, præclarus dogmate CHRISTI
Suſcipe gratanter, profert quæ dona NIGELLVS
Auſulus acta tamen qui tangere carmine veſtra.
Regis ob æterni, veſtro qui pectore ſemper
Manſit amor, CÆSAR, famulum relevato cadentem,
Altitonans CHRISTVS vos quo ſublimet in æthra.

Hucuſque carmen illud hexametrum. Sequitur deinde ipſe liber primus carminis elegiaci hoc modo.

IN HONOREM HLVDOVVICI XPIANISSIMI CAESARIS AVGVSTI (a) ERMOLDI NIGELLI EXVLIS ELEGIACI CARMINIS LIBER INCIPIT PRIMVS.

Auguſtos opibus celebres præcellis & armis,
Sed, HLVDOVVICE, DEI, Cæſar, amore magis.

Prin-

(1) *Per* Vehemoth *ſive* Behemoth, *terminatione plurali, ſed ſenſu ſingulari, ſignificatur hoc loco* Diabolus. *Eadem vox extat* Jobi *cap. 40. verſ. 10:* Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet. *Vbi plerique interpretes Chriſtiani per* Behemoth *intelligunt* Elephantem, *Samuel autem Bochartus in doctiſſimo Opere de Animalibus Sacræ Scripturæ aſſerit intelligendum eſſe* Hippopotamum. *Thalmudici Doctores fabulantur, monſtrum illud eſſe horrendum & ingens, quod mille depaſcatur montes, & in futuro* Meſſiæ *convivio piis* Judæis *ſit apponendum.*

(2) Quis *pro* queis *ſive* quibus.

(a) *In Appendice Libri tertii pro hoc loco additamentum* LAMBECIUS *ſcripſit hoc exemplo:*

ADDITAMENTUM X, *pertinens ad Libri Secundi pag. 360, ubi* Imp. Ludovicus Pius *ab* Ermoldo Nigello, *eorundem temporum Poëta, vocatur* CHRISTIANISSIMUS CÆSAR AUGUSTUS. Notatu digniſſimum eſt, titulum CHRISTIANISSIMI *Ludovico Pio* hic non attribui tanquam *Regi Francorum*, ſed tanquam CÆSARI AUGUSTO, eademque ratione pag. 220. ejuſdem *Libri ſecundi* etiam *Carolum Magnum* in *Inſcriptione* antiquiſſimi Codicis Epiſtolarum, propria ipſius cura anno Chriſti *ſeptingenteſimo nonageſimo primo* collecti & exarati, non appellari CHRISTIANISSIMVM, ſed tantum EXCELLENTISSIMVM ET A DEO ELECTVM REGEM FRANCORVM ET LONGOBARDO-

Principis opto loqui præconia promptulus almi,
Conferat Omnipotens, qui valet, arma mihi.

Cæsa-

RVM AC PATRICIVM ROMANORVM; nempe quia demum anno Christi *octingentesimo*, & quidem ipso *Natalis Dominici die*, *Romæ* a Papa *Leone tertio Imperator Romanorum* declaratus est. Vt enim SOLI IMPERATORES & REGES ROMANORVM, tanquam *Imperatorum C. Julii* CÆSARIS & *Octaviani* AVGVSTI legitimi Successores, singulari quadam debiti juris prærogativa CÆSARES & AVGVSTI appellandi sunt, sic quoque iisdem SOLIS, tanquam legitimis *Imp. Constantini Magni* Successoribus, *Titulus* CHRISTIANISSIMI summo optimoque jure competit, & a *S. Ecclesia Catholica* velut *proprius* ac *peculiaris* attributus est; quemadmodum luce meridiana clarius apparet non solum ex *Actis veterum Conciliorum* & *Scriptis Sanctorum Patrum*, verum etiam ex *solennibus Precationum Ecclesiasticarum formulis.* Quandoquidem autem mihi in præsens non vacat argumento huic illustrando diutius immorari, exhibeo hic Viri Clarissimi (α) *Henrici Bebelii Dissertationem Apologeticam*, jam olim temporibus *Imp. Maximiliani I* de eodem argumento compositam, uti ea extat pag. 254, 255 & 256 *Tomi primi Scriptorum Rerum Germanicarum*, a *Simone Schardio* Jurisconsulto & Politico celeberrimo collectorum, & A. 1574 Basileæ typis Henricpetrinis editorum quatuor Tomis in folio.

HENRICI BEBELII DISSERTATIO APOLOGETICA, QVOD IMPERATOR ROMANORVM JVRE SIT DICENDVS CHRISTIANISSIMVS.

Quod ego in scriptis meis Regem nostrum MAXIMILIANVM (β) *appellito* CHRISTIANISSIMVM *exemplo Divi* (γ) *Ambrosii; & aliorum, qui* IMPERATORES CHRISTIANISSIMOS *scribunt, exemplo Romanæ Ecclesiæ, quæ in die Paraseeves* (δ), *pro* CÆSARE *orans, dicit:* PRO CHRISTIANISSIMO IMPERATORE ROMANORVM; *(ita enim habent Libri sacri tam recentes, quam vetusti) sunt, qui* (ε) *minus recte factum existiment, quod is Titulus jure quodam hæreditario peculiariter sit* REGIBUS FRANCORVM *tributus, ut citra eorum injuriam nemo alius Rex sibi vendicare posset. Quorum sententiæ neque suffragabor, neque accedo; quin imo* IMPERATORI ROMANO *jure meritissimo tribuendum contendo. Sive enim dignitatem, sive merita consideraverimus, Germanos Imperatores* CHRISTIANISSIMOS *vocabimus. Primum enim, cum* ROMANORVM REX *sit super omnes Reges, atque Ecclesiæ Christianæ omnium consensu Advocatus, ut ita loquar, & Defensor, ejus partes erunt, omnes Ecclesiæ Christi Status defendere, eosque in pace ac tranquillitate conservare, universamque Rempublicam Fidei, ut unicus & maximus Christiani exercitus Dux & Imperator pro viribus amplificare. Propterea enim a Christo gladium accepit. Quæ quidem Officia, cum imprimis ad Christi laudem & gloriam spectent, non incongruenter, quin potius jure proprio,* ROMANORVM REX *titulum sibi* CHRISTIANISSIMI *assumere ac vendicare potest, quemadmodum Pontifex Romanus* SANCTISSIMI *appellationem ab Officio & Dignitate, cui præest, etiamsi opera ejus essent pessima. Si autem merita inspexerimus, soli Germani* CHRISTIANISSIMI *appellabuntur. Pipinus enim, Germanus & Francus Orientalis, ut nemo sanus negat, primus meruit istum titulum* (ζ) *a Stepha-*

(α) *Vita ejus extat inter Vitas celebrium* Germanorum Philosophorum, & Philologorum, *collectas a* Melchiore Adamo & *editas Heidelbergæ A. 1615 in 8vo.*

(β) *Nempe* Primum *ejus nominis.*

(γ) *Nempe in Epistola ad* Imp. Gratianum, *quæ* Libris quinque de Fide *præfixa est, atque incipit his verbis:* Beatissimo Augusto Gratiano & CHRISTIANISSIMO Principi Ambrosius Episcopus. Non mihi affectus defuit, CHRISTIANISSIME PRINCIPVM; (nihil enim habeo, quod hoc verius & gloriosius dicam;) non, inquam, mihi affectus defuit, sed effectum verecundia retardavit, quo minus Clementiæ Tuæ occurrerem: &c.

(δ) *Vide incorruptas* Missalis Romani *editiones Feria sexta Majoris Hebdomadæ in Paraseeve.*

(ε) *Vide* Roberti Cœnalis, *Episcopi Arboricensis & Doctoris Theologi ordine atque origine Parisini, Scriptoris præ odio* Gallico *in* S. Imperium Romano-Germanicum, in Augustissimam Domum Austriacam, *& in* totam Nationem Germanicam, *furibundi prorsus ac rabidi*, Historiam Gallicam, *in duos Libros divisam, & A. 1557 Parisiis apud Galeotum a Prato in folio editam, fol. 65. pag. 1. & fol. 116. pag. 1. Consule insuper etiam* Joannis Limnæi *Notitiam Regni Franciæ lib. 2. cap. 6, & aliorum Autorum ab eodem ibidem citatorum Testimonia.*

(ζ) *Ita hic sine dubio scripsit* Bebelius, *nempe a* STEPHANO *Secundo, non autem ut in editione Basileensi perperam legitur, ab* VRBANO Secundo. Stephanus *enim* Secundus *obiit A. C. 757 regnante in Francia* Pipino, Vrbanus, *autem* Secundus *obiit A. C. 1099. sub* Imp. Henrico IVto. *Exempla Epistolarum Papæ* Stephani II, *quæ in supra citato* Imp. Caroli Magni Codice Epistolari *etiamnunc extant, incipiunt his verbis:* Domno Excellentissimo Filio & nostro spiritali Compatri Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa. *Titulus autem* Christianissimi *usurpatur ibidem in ipso Epistolæ* sextæ *contextu ad hunc modum:* Jam credimus CHRISTIANISSIME & Excellentissime Fili & spiritalis Compater, omnia Nobilitati Tuæ esse cognita, &c. *Eundem quoque Titulum* Christianissimi *tribuit eidem* Pipino, *nondum* Regi Francorum, *sed tantum* Majori Domus, *Papa* Zacharias, Stephani II *proximus antecessor, ut videre est ex ejusdem* Codicis Carolini *Epistola* quinta, *quæ incipit his verbis:* Domno Excellentissimo atque CHRISTIANISSIMO Pippino Majori Domus. *Extat etiam in eodem Codice Papæ* Gregorii Tertii, *qui* Zachariam *proxime præcessit, Epistola ad* Carolum Martellum, Majorem Domus, *Patremque Regis* Pipini & *Avum* Imp. Caroli Magni, *quæ incipit his verbis:* Domno Excellentissimo Filio Carolo Subregulo Gregorius Papa. *In ipso autem Epistolæ contextu tribuitur quo-*

Cæſaris armigeri conor deſcribere geſta,
Quæ recitat merito Mundus amore pio.

phano Secundo; qui ob egregiam virtutem, & inſignem amorem, quo Chriſti Eccleſiam eſt proſecutus, accepit & hunc Titulum, & Regnum Francorum Occidentalium, quos potius Francigenas appellabimus. Carolus poſtea Magnus, in quo & Succeſſoribus continuatus eſt is Titulus, quod (α) Germanus & Francus Orientalis fuit, ideo conſenſu Romanæ Plebis atque approbatione S. Romanæ Eccleſiæ Imperium in perſona ejus, utpote Germani, fuit translatum in Germanos, non autem in Gallos Francigenas. Quod ſi ex hoc CHRISTIANISSIMUS *fuiſſet dictus, vel quod Francigena eſſet, vel Francigenæ tam bene meriti de Republica Chriſtiana fuiſſent, Imperium non in Francos Germanos, ſed Francigenas eſſet translatum, quod nemo dicere poteſt. Carolus inſuper dictus eſt* CHRISTIANISSIMUS IMPERATOR, *non* CHRISTIANISSMUS REX FRANCIGENARUM. *Hoc ejus Sepulchrum declarat cum tali inſcriptione: Caroli Magni* CHRISTIANISSIMI IMPERATORIS ROMANORUM, *corpus ſub hoc ſepulchro conditum eſt. Quare Francorum Orientalium Reges, qui fuerunt Natione & Imperio Germani, habebantque ſub ſe Regnum Francigenarum, illi ſua virtute Imperium Germanis meruerunt, Titulo*que CHRISTIANISSIMI *decorati ſunt ob admirandam ipſorum Religionem, Eccleſiæque Chriſtianæ propagationem, quod nemo de Francigenis & Gallis dicere poteſt. Poſt ſtirpem autem Carolinam, quæ ut dixi Germana fuit, cum jam Francia Occidentalis ab Orientali Imperioque Germanico eſſet diviſa, comparemus*

Forte

Geſta Germanorum Principum atque Imperatorum cum Gallis cunctiſque Europæis Regibus, & nemo non dicet Germanos eſſe CHRISTIANISSIMOS. *Nam ſi parvo aliquo volumine enarrare poſſem, qua diligentia & reverentia Noſtrates Imperatores ſinc Divinum Cultum proſecuti, ſi Fidem Chriſti dilatatam, Regnaque & Populos ad Fidem per eos revocatos atque converſos, ſi Donationes & Privilegia Romanæ Eccleſiæ liberaliter collata, ſi item enumerare vellem conſtructiones & reparationes multorum Monaſteriorum & Sacrarum Ædium, Donationeſque & Privilegia commemorarem: intelligerent omnes homines nullam eſſe ſub Cælo Gentem, quæ poſſet ullâ ex parte cum noſtris comparari; ſed quia hoc (β) Lupoldus Bebenburgius luculenter tradidit, non eſt in præſentia opus, ut plura dicam. Quis inſuper unquam egregiam aliquam Expeditionem contra infideles proferet, in qua Germani copioſiſſimo non affuerint Exercitu, clariſſimiſque virtutibus enituerint? Teſtatur hoc militia Germanorum ſub Henrico Quinto, dum Gotfridus, cum fratribus Germanus & Francus Orientalis, Comes Bulionis natus, & poſtea Dux noſtratium Lotharingorum, cum Germanis Sacrum Sepulchrum e manibus infidelium eripuit, Regnumque Hieroſolymitanum conſecutus eſt glorioſiſſime; non tamen negabo, eo tempore & alios etiam Francos ſtrenue pro Fide decertaſſe. Quod ſi nunc commemorare vellem, quid egerit pro Fide Chriſtiana Conradus Secundus, Fridericus Primus Ænobarbus, Henricus Sextus per Fratrem & Duces ſuos, itemque alii,*

que *eidem Titulus* Chriſtianiſſimi *hoc modo:* Tamen ut rei veritas Vobis declaretur, CHRISTIANISSIME Fili, jubeas &c. *Notandum itaque hic eſt* Carolo Martello & Pipino *Titulum* Chriſtianiſſimi *a Pontificibus Romanis non fuiſſe tributum, niſi ob* defectum Imperatorum Romanorum Occidentalium, *quem jam memorati* duo Principes, & *deinceps etiam ipſe* Carolus Magnus, *tanquam* Patricii Romanorum, *vicaria S. Sedis Apoſtolicæ contra* Longobardos *defenſione piiſſime fortiſſimeque ſuppleverunt.*

(α) *Vide ſupra Colum. 353, & infra ad Cod. XXIII. Parag. XXXIV. ubi de* Imp. Caroli Magni Sermone Patrio, *quem ſine ulla controverſia* Theotiſcum, *ſive* Germanicum *fuiſſe conſtat, ſatis prolixe agitur.*

(β) *Is eſt* Lupoldus *ſive* Leopoldus Baro de Bebenburg, vigeſimus ſeptimus Epiſcopus Babenbergenſis *ſive* Bambergenſis, *qui A. C. 1352 electus eſt, & A. 1363 obiit; ut teſtantur* Guilielmus Eiſengreinius *in Catalogo Teſtium Veritatis* & Caſpar Bruſchius *in Catalogo Epiſcoporum Bambergenſium. Quod autem* Joannes Trithemius *in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ ſcribit*, Lupoldum de Babenburg *floruiſſe A. C. 1340 ſub Papa* Benedicto XII. & *Imp.* Ludovico Bavaro, *id non de tempore adminiſtrationis Epiſcopatus, ut* Henricus Pantaleon *Parte ſecunda Proſographiæ Illuſtrium Virorum Germaniæ falſo refert, ſed de tempore ante electionem ejus in Epiſcopum Bambergenſem intelligendum eſt. Tunc enim, cum, ut ipſe teſtatur, tantum adhuc eſſet De-*

cretorum Doctor, *ſcripſit atque edidit Tractatum* de Sacri Imperii & Regni Romanorum Juribus; *ut & alterum illud inſigne Opuſculum* de Zelo Catholicæ Fidei veterum Principum Germanorum, *cujus* Henricus Bebelius *in hac ſua Diſſertatione de Titulo* CHRISTIANISSIMI *cum laude meminit. Vterque jam memoratus Libellus extat conjunctim in* Simonis Schardii *Syntagmate variorum veterum Tractatuum* de Jurisdictione, Autoritate & Præeminentia Imperiali, *primum quidem Baſileæ typis Joannis Oporini A. 1566, deinde vero Argentorati apud Laſarum Zetznerum A. 1609 edito in folio. Falſo autem in utraque editione pro* Lupoldus de Bebenburg *legitur* Lupoldus de Babenberg. *Multo etiam corruptius appellatur idem Autor a* Gerardo Joanne Voſſio *lib. 2. de Hiſtor. Lat. cap. 47.* Ludolphus Bebenbergius, *ab* Eiſengreinio *autem &* Bruſchio *æque perperam nuncupatur* Ludovicus, *eundemque errorem etiam* Gabriel Bucelinus *in Germania ſua Sacra Catalogo Epiſcoporum Bambergenſium inſeruit. Quod de cætero ad Libelli* de Zelo Catholicæ Fidei veterum Germaniæ Principum *ſeparatas editiones impreſſas attinet, inter eas, quas in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea *hactenus reperi*, antiquiſſima *eſt illa, quæ A. C. 1497 Baſileæ typis Joannis Bergmanni in folio impreſſa eſt cum* Sebaſtiani Brant *Carmine dedicatorio ad* Joannem Dalburgium *Epiſcopum Wormatienſem, & cum* Jacobi Wimpfelingii Sletſtatini *Præfatione projaica ad jam memorati Epiſcopi fratrem*, Fridericum Camerarium de Dalburg, *Equitem auratum.*

Forte foret ſatius cœptis inſiſtere rebus,
Plangere delicti geſta nefanda mei;
Cum ſim ruſticulus, norim nec clauſtra Camœnæ,
Nec poſſim comptos promere in arte modos.
Sed me cunctantem refovet clementia Regis;
Qui potius votum, munera quam recipit.
Cogit & exilium fateor nos talia noſtrum,
Muneribuſque carens porrigo, quæ mihi ſunt.
Non ego geſtorum per ſingula quæque recurram,
Nec fas, nec potis eſt, nec valet ingenium.
Si Maro, Naſo, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,
Tullius & Macer, Cicero ſive Plato,
Sedulius, nec non Prudentius atque Juvencus,
Seu Fortunatus, Proſper & ipſe foret,
Omnia famoſis vix poſſent condere chartis,
Atque ſuum celebre hinc duplicare melos.
Aſt ego lintre rudi rimoſo navita remo
Immenſi pelagi hoc æquor adire volo.
Dextera, quæ Petrum fluctu ſuperante fidelem,
Ne pereat, relevat, addidit atque rati,

Hæc

alii, ut ſuo tempore copioſius ſcribam, nimis longum eſſet, & ſuperfluum, dum nemo, cui paucæ Hiſtoriæ ſunt cognitæ, ignoret; adeo ut nullo unquam tempore ſicut nec hodie Religione & meritis in Fidem Chriſti cedere Francigenis jure debeamus. Quare jure tam dignitatis, quam meritorum GERMANI IMPERATORES CHRISTIANISSIMI *dici debent. Sed quod ad nos uſque ſingulariter* REGES FRANCORUM *ita honeſtati ſunt, credo ſolam illam eſſe conſuetudinem, quæ in Stirpe Carolina inolevit, & quandam incuriam Imperatorum quorundam, qui, quod ſuum eſt, ut aliis in rebus multis, ſibi vendicare non ſtuduerunt; ego autem, quod jure fieri debere, & quod* MAXIMILIANUM CÆSAREM *non neglecturum exiſtimo, pronunciandum putavi. Dimitto autem illam cauſam, quam hodie quidam ſuis Libris complexi ſunt, quod Reges Franciæ recentiores, (α) Carolus Struмoſus, de quo ante dixi, & (β) Ludovicus, qui nunc imperat, ſuis conjugiis non parum* CHRISTIANISSIMI *Nomen ob-*

tenebraverint. Nam, ut de Carolo taceam, cujus (γ) factum nunquam ſine dolore meminiſſe poſſum, nonne Ludovicus ille Aurelianus, (contra præceptum illud Chriſtianum: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;) cujus ante habuit ſororem, hac dimiſſa atque repudiata, illius mortui duxit uxorem, quod vix uſquam auditum eſt apud Chriſtianos. Quæ ego non in detractionem loquor, quoniam manifeſtaria ſunt, & (δ) Robertus ipſe tetigit, & diſpenſatione Apoſtolica excuſavit; quam ego nec vitupero, nec negabo, mallem tamen ſine diſpenſatione non peccare; ſed ideo dicenda putavi, ut intelligant homines, ſive vetera tempora repetimus, ſive illa recentia, me jure ſcripſiſſe MAXIMILIANUM CHRISTIANISSIMUM *tam Dignitate, quam Meritis, quod omnium confeſſione præter alias virtutes maximas, Vitæ Innocentia atque Religione non ſolum hodie vix habeat inter Reges ſecundum, ſed poſſit etiam cum omni Antiquitate in omni genere Virtutum & Gloriæ conferri.*

(α) *Intelligitur hoc loco Rex Galliæ* Carolus *ejus nominis* Octavus, *qui A. C. 1483 cœpit regnare, & A. 1498 obiit.*

(β) *Intelligitur hoc loco Rex Galliæ* Ludovicus *ejus nominis* Duodecimus, *qui A. C. 1498 cœpit regnare, & Calendis Januarii A. 1515. obiit.*

(γ) *Intelligitur hoc nefandum facinus Regis Galliæ* Caroli Octavi, *qui* Imp. Maximiliano I. *filiam ipſius* Margaritam, *quam in Gallia apud ſe jam diu habuerat* Sponſam, *ignominioſe remiſit domum, & vice verſa* Annam *Britanniæ Minoris unicam hæredem, cum qua idem* Imp. Maximilianus *per* Legatos *ſuos ſolenniter jam contraxerat & celebraverat matrimonium, contra datam fidem publicam fraudulenter in itinere intercœpit, raptamque coegit ſibi nubere.*

(δ) *Intelligitur hoc loco* Robertus Gaguinus, *qui Capite ſecundo Libri undecimi Hiſtoriæ Franco-Gallicæ de Regis* Ludovici XIImi *facto, quod a* Bebelio *obiter hic memoratur, ſic ſcribit:* Secundum hunc, (*nempe Regem Carolum Octavum,*) quoniam ſine liberis deceſſerat, Ludovicus Aurelianorum & Valeſii Dux, Maria Clivienſi matre natus, qui quarto ſtirpis gradu Carolum contingebat, dum Bleſis agit, Rex aſſumitur, ſtatimque, ſepulto Carolo, Remis inungitur. Mox JUDICIO ECCLESIÆ dimiſſa Joanna, quam uxorem Ludovici metu, cum gibboſa deformiter eſſet, invitus duxerat, Annam Caroli relictam ſibi copulavit, dato Joannæ in partem ſucceſſionis Biturigum Ducatu.

Hæc me præcipitem ſervet miſerando per undas,
Conferat ad portum, Cæſar opime, tuum.
Jam mihi carmen eat Hludowici promere geſta
Paucaque de multis pagina noſtra legat.
Tempore Francorum Caroli dum ſceptra vigebant;
Quem celebrat totus Orbis honore patrem,
Francia dum latos ſparſiſſet ubique fragores,
Atque ſuum celebre nomen in Orbe foret,
Tum Carolus ſapiens, ſceptrorum inſignia proli
Diviſit, Procerum conſiliante choro.
Scilicet æquivoco ceſſiſſet Francia ſorte,
Succeſſor tandem ſi valet eſſe patris.
Italiæ Regnum Pippino ceſſit amato,
At, Hludouuice, tibi Regna Aquitana dedit.
Partibus æquatis crebreſcit fama per Orbem,
Et Hludouuicus ovans credita Regna petit.
Prodigium fuerat &c.

Finis autem Libri quarti ſive ultimi hic eſt:

Hoc tibi CAESAR, opus ſtolida crocitante cicuta
Porrigit ERMOLDVS exul, egenus, inops.
Munere quippe carens fero carmina pauca potenti,
Divitiis liber offero namque melos.
Regia corda manu, CHRISTVS, qui ſtringit & ornat,
Vertit & in partes quas ſibi cunque placet,
Qui tua præcipue virtutum flore replevit,
Atque redundare de pietate dedit,
Conferat, ut noſtram propius, Rex inclyte, cauſam
Reſpicias, aurem accommodando pie.
Veridicis poteris forſan cognoſcere verbis,
Criminis objecti me minus eſſe reum.
Non tamen (1) excuſo me illius, crede, reatus,
Infelix quo ſum truſus in exilium.
Sed pietas immenſa reis quæ debita laxat
Deprecor ut noſtri ſit memor exilii.
Tu quoque digna ſibi Conjux, pulcherrima JVDITH,
Quæ ſecum Imperii culmina jure tenes,
Confer opem lapſo, alliſum ſolare miſellum,
Erige labentem, carcere ſolve reum,
Ut vos Altitonans per plurima tempora ſecli
Sublimet, ſalvet, ditet, honoret, amet.

Et

(1) Excuſo me reatus *pro* excuſo meum reatum, *vel* excuſo me de reatu.

Et hic quidem est finis libri *quarti* sive ultimi. Quod porro autem ad *causam*, propter quam *Ermoldus* in exilium pulsus fuit, attinet, & an *Ermoldus* hic idem sit atque *Ermoldus Abbas*, quem coætaneus Vitæ *Imp. Ludovici Pii* (1) Scriptor, a *Pithœo* primum editus, refert a jam memorato Imperatore anno (2) 834 missum esse ad filium *Pippinum* in Italiam cum mandato, *ut res Ecclesiasticas, quæ in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restituerent*, utraque de re cum integrum illud *Ermoldi Exulis* Poëma posthac a me publicabitur, opinionem meam aperiam. (a)

XXVI. *Decimus quartus* Codex, ad vitam & res gestas *Imp. Caroli Magni* pertinens est chartaceus in folio, & inter MStos Codices Historicos Latinos *ducentesimus sexagesimus quartus*. Continet is incerti cujusdam, sed vetusti Autoris Relationem quandam Historicam hactenus, quod sciam, nondum editam, cujus in ipso Codice MSto hic est titulus:

Relatio, quomodo Carolus Magnus a Constantinopoli Aquasgrani attulerit clavum & coronam Domini, & qualiter hæc eadem Carolus Calvus retulerit in Ecclesiam S. Dionysii Areopagitæ, ac de institutione Indicti, utque corpus ejusdem Caroli in præfatam Ecclesiam translatum est.

Principium ejus hoc est: *Tempore, quo Rex & Imperator Carolus Magnus Gallias regebat, multæ & variæ contrarietates sanctæ DEI Ecclesiæ imminebant*, &c. In fine est Relatio hæc mutila, definitque his verbis: *Tribus itaque illis defunctis, Carolus Calvus quatuor Regna solus gubernavit; qui etiam quiete degens in Regno, omnia Regna eorum suo junxit Imperio. Præterea incomparabilis pietatis ac bonitatis cumulo præcellens, priores & futuros Francorum Reges Ecclesiastica munificentia superavit. Namque totius Regni sui monasteria largitate præcipua augendo multiplicavit. Cœnobium insuper Beatissimi Dionysii Areopagitæ, ubi ipse Dominus noster corpore quiescit, mirabiliter ornamentis incomparabilibus & terris ditavit, Monasteriumque Compendii Sancti Cornelii funditus construxit. Præterea post multorum annorum curricula, quoniam quidem de auro & argento aliisque pluribus* - - - - Cætera desunt. Notandum autem est, quicquid ab anonymo Autore, qui sub *Imp. Friderico I.* de sanctitate vitæ & gloria miraculorum *Imp. Caroli Magni* (3) supra memoratos *tres libros* composuit, toto *libro secundo* narratur, id omne fere ad verbum ex hac Relatione desumptum esse, ipsumque illum anonymum Autorem id testari capite *vigesimo quarto* sive *ultimo* ejusdem libri *secundi* his verbis: *Si quis vero scire affectat nomina & numerum Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum ad idem solenne Indictum convocatorum, HISTORIAM VNDE HÆC EXCERPTA SVNT, perlegat.* Hæc ipse ille Autor anonymus; respiciens sine dubio ad Catalogum Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum, qui in Hi-

(1) *Vide supra Parag. XXII.*
(2) *Vide Card. Baron. Annal. Eccles. Tom. IX. ad an. 834.*
(a) *Vide* CL. MURATORII *eruditam præfationem editioni Poëmatis Nigelli præfixam* Scriptorum Ital. Tomi secundi Parte altera. KOL.
(3) *Vide supra Parag. XXII.*

Hiſtoriæ ſive Relationis ab illo citatæ Codice MSto Cæſareo, de quo in præſens agitur, extat hoc modo: *Inprimis Romanæ Eccleſiæ Papa: Tulpinus Remenſis Archiepiſcopus, Juſtinus Laudunenſis Epiſcopus, Joannes Lugdunenſis Archiepiſcopus, Macarius Belgæ Epiſcopus, Arnulphus * Churonenſis Archiepiſcopus, Fromundus Leodii Epiſcopus, Robertus Sueſſionenſis Epiſcopus, Harimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, Josbertus Bituricenſis Archiepiſcopus, * Buibertus Sconenſis Epiſcopus, Gerbertus Aurelianenſis Epiſcopus, Urimoldus Rotomagenſis Epiſcopus, Joannes Abrincarum Epiſcopus, Goſſridus Noviomenſis Epiſcopus, Iſraël Metenſis Epiſcopus, Rodulphus Cameraci Epiſcopus, Josbertus Trecarum Epiſcopus, Richardus Ambianenſis Epiſcopus, Rothardus Flandriæ Præſul, Veroinus Papiæ Præſul, Harduinus Vercellenſis Præſul, Euſebius Babyloniæ Epiſcopus, Achilleus Alexandriæ Præſul, Theophilus Antiochiæ Præſul, Stephanus Auguſtæ Præſul, Petrus Mediolani Epiſcopus, Vrſus Ravennæ Antiſtes, Theodorus Pentapolis Lybiæ Præſul, Antoninus Placentiæ Præſul, * Torpeus Piſanæ Vrbis Epiſcopus, Deſiderius * Veligonenſis Epiſcopus, Lupicinus quoque Valentiæ Epiſcopus, Lichinus * Andragamus Epiſcopus, qui ſuper cadaver cujuſdam mortui, & Philippus Coloniæ Epiſcopus, & Fortunatus Archidiaconus, ſudarium Domini poſuerunt, qui ſtatim ſurrexit incolumis. Et hoc miraculum voluit Deus oſtendere coram populo, ut præſentibus & poſteris eſſet in probationem credulitatis. Hoc etiam præſcripti & ſubſcribendi præſenti multitudini a Deo factum eſſe teſtati ſunt Florianus Abbas montis Caſſini, Pontianus Arelatis Epiſcopus, Nicolaus Viennæ Præſul, & Suldamus Archidiacomus ejus, Narciſſus Toloſæ Epiſcopus, Antonius Virduni Epiſcopus, Felix Presbyter, & Fortunatus Diacomus Valentiæ, Macarius * Vulecti Epiſcopus & Antonius Archidiaconus, Lupicinus Abbas Lugdunenſis, * Pigmenius Lunis Archidiacomus, Severinus Pictavienſis Antiſtes, Petrus Abbas Lauduni, & Sergius Cabilonis Epiſcopus, Sergius * Andraganenſis Abbas Remenſis territorii, Joannes Cabilonenſis Abbas, Petrus Abbas * Niviellæ, Albertus Abbas S. Quintini de Monte, Joannes Abbas S. Quintini de Inſula, Frabodus Prior S. Projecti, Guido ejuſdem S. Quintini, Rabodus * Ligmedonenſis Epiſcopus, Carbonellus ejuſdem Vrbis Abbas, & Specius Archidiaconus, Raimbaldus Marſiliæ Antiſtes, Rigomerus Meldis Epiſcopus, Fulradus Abbas Beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ.* Hic igitur eſt ille Catalogus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum, qui ab anonymo iſto temporum *Imp. Friderici I* Autore capite ultimo libri ſecundi de *Imp. Caroli Magni* Sanctitate & Miraculis citatur, & alio commodiori loco & tempore neceſſariis quibuſdam Animadverſionibus & Notis a me corrigetur & illuſtrabitur. Si quis autem interea ſummatim, & quaſi in compendio cognoſcere deſideret, quinam Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates tempore *Imp. Caroli Magni* in *Gallia*, *Germania* & *Italia* vixerint, is conſulat *Claudii Roberti* Galliam Chriſtianam, *Gabrielis Bucelini* Germaniam Sacram, & *Ferdinandi Vghelli* Italiam Sacram.

XXVII. *Decimus quintus* Codex, ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in folio, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *ducenteſimus ſexageſimus quintus.* Continet is incerti cujuſdam Autoris *Annalas Francorum* ab anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo decimo quarto, uſque ad annum Imperatoris *Ludovici Pii*, quartum ſive annum Chriſti octingenteſimum decimum ſeptimum. Scriptus eſt hic Codex antiquis illis literis *Gothicis* ſive *Toletanis*, ab *Vlphila* Gothorum Epiſcopo, qui circa (1) annum Chriſti CCCLXX temporibus Impp. *Valentiniani* & *Valentis* floruit, inventis, & in *Hiſpania* olim præcipue uſitatis; quarum figuram, ſi quis noſſe deſideret, conſulat *Bonaventuræ Vulcanii* libellum, *de Literis & Lingua Getarum ſive Gothorum* inſcriptum, & Lugduni Batavorum typis Franciſci Raphelengii A. 1597 in octavo editum; ut & *Bernardi Aldrete*, Canonici Cordubenſis, eruditum Opus (2) *de Origine Linguæ Caſtellanæ* ſive *Caſtilianæ*, eadem lingua compoſitum, & Romæ A. 1606 impreſſum in quarto: cujus Operis libro ſecundo, & quidem capite decimo octavo, pag. 252 & 254, inſignia duo extant ſpecimina antiquæ iſtius *Gothicæ* ſive *Toletanæ* ſcripturæ, quæ non ſolum cum iſto Codice, de quo in præſens agitur, verum etiam cum aliis pluribus ejuſdem generis Codicibus MStis, quæ in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* adſervantur, optime conveniunt. Cæterum quod ad ipſos *Annales*, qui jam memorato Codice continentur, attinet, certo conſtat Autorem eorum diverſum eſſe ab altero illo, qui (3) *Annales* itidem ab anno Chriſti DCCXIV incipientes, & a *Petro Pithœo* A. 1588 Lutetiæ Pariſiorum in 8tvo (4) primum editos, compoſuit. Noſter enim hic Autor utitur ſupputatione temporis ſecundum *annos Regni Francorum*, & Annales illos perducit uſque ad annum *quartum Imp. Ludovici Pii* ſive annum Chriſti DCCXVII; Pithœanus autem ille utitur ſupputatione temporis ſecundum *annos ab Incarnatione Domini*, nec tantum contextui priorum Annalium multa de ſuo paſſim inſerit, verum etiam eoſdem continuat uſque ad annum DCCCLXXXVII, utpote ubi (5) ſupra laudatus Codex Cæſareus definit. Opere prætium igitur me facturum arbitror, ſi illos quoque Francorum Annales, qui reſpectu *Autoris* ſui non ſolum (6) *Fuldenſes*, verum etiam *Laurisbaimenſes* cognominandi

1) *Vide Card. Baron. Annal. Eccleſ. Tom. IV. ad an. 370.*

(2) *Del Origen y Principio de la Lengua Caſtellana o Romance, que oi ſe uſa en Eſpana.*

(3) *Vide ſupra Col. 500. & deinceps.*

(4) *Edidit eoſdem Annales ſecundum* Marquardus Freherus *Tomo primo Scriptorum Rerum Germanicarum, ubi eos appellat* Annales Francorum Fuldenſes, *eo quod in Fuldenſi Cœnobio cœpti & continuati ſint. Quamvis autem Freheriana illa editio paſſim auctior ſit, quam* Pithœana, *& pertingat incluſive uſque ad annum DCCCC, multis tamen locis mendoſa & corrupta eſt, & æque ac* Pithœana *beneficio Codicis MSti Cæſarei inter Hiſtoricos Latinos* centeſimi ſexageſimi tertii, *de quo ſupra col. 500. & deinceps egi, emendari poteſt & corrigi. Illud quoque moneo, narrationem rerum geſtarum ab anno DCCCLXXXII uſque ad annum DCCCLXXXVII in* Freheriana *editione, æque ac in* Pithœana, *diſcrepare a Narratione, quæ extat in jam memorato Codice Cæſareo, uti ſupra videre eſt a col. 510. uſque ad 522.*

(5) *Vide ſupra col. 500. & deinceps uſque ad col. 522.*

(6) *Reſpectu inquam* Autoris; *quippe qui rerum geſtarum Regis Pippini anno XXVI & rerum*

nandi ſunt integros hic publicavero, quoniam nec nimium prolixi ſunt, nec, quod ſciam, antehac editi. (a)

Pippinus (1) *Dux Francorum, filius* (2) *Anſchiſi, poſt mortem* (3) *Wolfobaldi Ducis partem* (4) *Auſtriæ regebat, obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII cum Regibus* (5) *ſibi ſubjectis* (6) *Hluduwigo, Hildiberto & Dagaberto; moritur anno ſecundo Anaſtaſii Imperatoris, qui eſt ab Incarnatione Domini annus DCCXIIII. Hujus Pippini ex* (7) *Alpheida filius.*

I. (8) *Karlus regnavit annos XXVII. Hic auxilio Dei de cuſtodia, qua tenebatur a* (9) *Plictbrude,* (10) *matrona relicta Pippini, liberatur, qui primo certamine adverſus Ratbodum Regem* (11) *Freſonum congreditur; in quo dum fortiter dimicat, plurimum exercitus ſui dammum conſequitur.*

II. (12) *Raginfridus Majordomus &* (13) *Hilpbricus Rex Coloniam cum exercitu adeunt, regiones illas, quæ contiguæ Rheno vaſtantes, acceptiſque muneribus a Plichtrbude redeunt,* (14) *atque inde* (15) *abeuntes Karlus cum exercitu occurrit in loco, qui dicitur Amblava.*

III. (16) *Sequenti anno* (17) *Reginfridus & Hilpbricus Rex bellum Karlo parant in loco nuncupato Vinciaco die Dominico ante Paſcha; in quo prælio vires Francorum conciderunt. Hilpbricus Rex & Reginfridus terga vertunt, inſequiturque eos Karlus uſque* (18) *Pariſius.* (19) *Inde victor rediens Coloniam petit.*

IV.

geſtarum Imp. Caroli Magni anno XLI utrumque monaſterium, nempe tam Laurishaimenſe, *quam* Fuldenſe, *vocat* monaſterium noſtrum.

(a) *Is Codex nunc in Claſſe Hiſt. Prof. eſt* IↃXV, *a* CL. GENTILOTTO *recenſitus his verbis:* Membraneus foliorum 8. Eſt codex ille antiquiſſimus litteris Gothicis ſive Toletanis, ab ULPHILA Gothorum Epiſcopo inventis, ſcriptus, ut putat LAMBECIUS, qui de eo agit, & annales Francorum ab anno Incarnationis Domini IↃCCXIV uſque ad annum LUDOVICI PII quartum, ſeu annum Chriſti IↃCCCXVII in eo comprehenſos integros edidit comment. lib. II. a pag. 364. uſque ad pag. 377. At enimvero eos annales pauciſſimis verbis exceptis, diu ante LAMBECIUM ex codice Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi vulgaverat QUERCETANUS Scriptor. Hiſt. Franc. Tom. III. pag. 504. uſque 509. Sunt pars prior Chronici quod ipſe *Hildensheimenſe* inſcripſit. *Hæc* GENTILOTTUS. KOL.

(1) Pippinus *cognomine* Craſſus, *pater Caroli Martelli.*

(2) *Apud Pithœum mendoſe legitur* Anchiſi; *rectius autem apud Freherum* Ansgiſi. *Fuit is filius S. Arnulfi Epiſcopi Metenſis.*

(3) *apud Pithœum & Freher. legitur* Wolfaldi.

(4) Auſtria *pro* Francia Orientali. *Eodem ſenſu uſurpatur illud nomen in antiquis* Langobardorum *legibus, nempe Libro 1. Tit. 25. leg. 73. nec non Libro 2. Tit. 21. leg. 24. & Tit. 55. leg. 14.*

(5) *Verba hæc,* ſibi ſubjectis, *deſunt apud Pithœum & Freherum.*

(6) *Nomen hoc in hiſce Annalibus promiſcue ſcriptum legitur* Hluduwigus, Hludowichus, Hlodoveus.

(7) *Apud Pithœum legitur* Alheyde; *apud Freherum autem* Altheida. *Fuit ea Pippini Craſſi* concubina.

(8) *Apud Pith. & Freh. incipiunt hic acta anni ab Incarnat. Domini 715.*

(9) *Nomen hoc in hiſce Annalibus promiſcue ſcriptum legitur* Plictrudis, Plichtrudis & Plihtrudis.

(10) Matrona *pro* Conjuge legitima. *Apud Pithœum & Freh. deeſt hæc vox.*

(11) *Apud Pithœum mendoſe legitur* Freſorum.

(12) *Apud Pithœum & Freh. incipit hic A. C. 716.*

(13) Hliphricus, *Hülphreich, Dives auxilii.*

(14) *Quæ deinceps ſequuntur a voce* atque *uſque ad vocem* Amblava, *ea deſunt apud Pithœum & Freherum.*

(15) Abeuntes *pro* abeuntibus.

(16) *Apud Pith. & Freh. incipit hic A. C. 717.*

(17) *Nomen hoc in hiſce Annalibus promiſcue ſcriptum legitur* Raginfridus & Reginfridus.

(18) Pariſius *vox latino-barbara indeclinabilis.*

(19) *Apud Pithœum & Freherum incipit hic A. C. 718.*

IV. Receptisque a Plibtrude (1) *thesauros patris sui, Regem sibi constituit Hlutharium, nomine, non potestate. Hilpbricus & Raginfridus auxilium postulant Eudonis Ducis Aquitaniarum; adversus quos Karlus pergens, hostes in fugam conpulit* (2) *mortuo Chlutbario Rege.*

V. (3) *Karlus ad Eudonem mittit, & Hilpbricum Regem per Legatos recipit,* (4) *quo non post multum temporis mortuo, Theodricum Regem in sedem regni statuunt.*

VI. (5) *Karlus Raginfridum persequitur; Andegavis civitatem capit.*

VII. (6) *Karlus Saxones vastando victor regreditur.*

VIII. (7) *Karlus Alamannos & Bajoarios armis subegit.*

IX. (8) *Per idem tempus Eudo pacis jura temerare nititur.*

X. (9) *Karlus transito Ligere Eudonem in fugam vertit vastata regione.*

XI. (10) *Eudo Sarracenos in auxilium sui adsciscit, qui venientes cum Rege suo Abdirama transeunt Garunnam, Burdigalem usque perveniunt cuncta vastantes* (11) *Ecclesias igne crematis; Pictavis Basilicam Sancti Hilarii incendunt.*

XII. (12) *Contra quos Karlus auxilio Dei fretus Sarracenorum infinitam multitudinem simul cum Rege eorum prostravit, devictisque hostibus cum triumpho regreditur.*

XIII. (13) *Karlus Burgundiam petens, Lugdunum & civitates reliquas suæ ditioni subegit.* (14) *Beda Presbyter moritur anno DCCXXX Incarnationis Domini.*

XIV. (15) *Eudo Dux hac tempestate moritur: quo mortuo* (16) *Carlus Aquitaniæ regionem absque bello recipit.*

XV. (17) *Karlus navali evectione Fresonum Regnum penetravit, interfectis Fresonibus Popponem Ducem interimit, locos & fana subvertit, victor cum præda magna revertitur.*

XVI. (18) *Sarraceni collecta manu valida* (19) *Avinnionem urbem capiunt, regiones circumquaque vastantes.*

XVII. (20) *Adversus quos Karlus arma corripiens ad prædictam urbem adcurrit; civitas obsidione vallata machinis instructis capitur, magnaque strages hostium efficitur.*

XVIII. (21) *Karlus Gothorum fines penetravit, Narbonam obsedit,*

Rege

(1) Thesauros *pro* thesauris. *Eadem loquendi ratio alias passim occurrit in hisce Annalibus, ita nempe, ut participium præteritum passivum regat accusativum.*

(2) *Apud Pithœum & Freh. refertur mors* Hlutharii *sive* Chlutharii *ad A.C. 719.*

(3) *Apud Pithœum & Freherum incipit hic A. C. 719.*

(4) *Apud Pith. & Freh. incipit hic A. C. 720.*

(5) *A. C. 721. apud Pith. & Freher.*

(6) *A. C. 721. apud Pithœum & Freher.*

(7) *A.C. 722. apud Pithœum & Freher.*

(8) *Apud Pithœum & Freher. incipit hic A. C. 723, & quod de* Eudone *hic legitur, id* Alemannis & Noricis *ibi adscribitur.*

(9) *A. C. 724 apud Pithœum & Freher.*

(10) *A.C. 725. apud Pithœum & Freher.*

(11) Ecclesias *pro* Ecclesiis; *uti sæpe hic alias accusativus pro ablativo usurpatur.*

(12) *A. C. 726. apud Pithœum & Freher.*

(13) *A.C. 727. apud Pithœum & Freher.*

(14) *Quæ de tempore obitus Venerabilis Bedæ hic referuntur, ea desunt apud Pithœum & Freherum. Obiit autem Beda non, ut hic perperam traditur, anno DCCXXX, sed anno DCC XXXV, die XXVI Maji.*

(15) *Apud Pithœum & Freherum incipiunt hic acta anni 728.*

(16) *Nomen hoc in hisce Annalibus promiscue scribitur per* C. & K.

(17) *Apud Pithœum & Freherum incipit hic A. C. 729.*

(18) *A. C. 730. apud Pithœum & Freherum.*

(19) Avinnionem *pro* Avenionem.

(20) *A.C. 731. apud Pithœum & Freherum.*

(21) *A. C. 732. apud Pithœum & Freherum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rege Sarracenorum (1) *Athima intus incluſo.*

XIX. (2) *Sarraceni in Hiſpania, qui commorabantur in vicinia, hæc audientes, armati cum Rege ſuo occurrunt.*

XX. (3) *Contra quos Carlus dimicans, Regem cum populo ſuo interficit.* (4) *Qui gladium evadere poterant, aſcendentes, navibus in mare demerſi ſunt.*

XXI. (5) *Francis ſuper eos cum navibus & jaculis infeſtantibus, ſicque Franci de hoſtibus triumphantes, prædam magnam & captivorum multitudinem capiunt.*

XXII. (6) *Regionem Gothicam urbeſque famoſiſſimas* (7) *Nœmauſum,* (8) *Agatem, & reliquas capiunt, deſtructis mœniis uſque ad fundamenta.*

XXIII. (9) *Karlus tributarios fecit Saxones.*

XXIV. (10) *Karlus regionem Provinciæ ingrediens fugato* (11) *Ducem Auronto.*

XXV. (12) *Qui Sarracenos per dolum jam dudum invitaverat,* (13) *cunctam Provinciam & maritima illa loca ſuæ ditioni ſubegit.*

XXVI. (14) *Karlus poſt Gothos ſuperatos, Saxones & Freſones ſubactos, Sarracenos expulſos, Provinciales receptos, Regnum Francorum feliciter poſſidens,* (15) *moritur in villa publica* (16) *Wermbria.*

XXVII. (17) *Anno DCCXLI Incarnationis Dominicæ, poſt quem duo liberi ejus regnant annos XXVII. Carlmannus cum fratre Pippino regnavit annos VII.*

I. (18) *Carlmannus & Pippinus Hunoldum res novas molientes obprimunt, & in ipſo itinere Regnum inter ſe, quid quiſque haberet, dividunt.*

II. (19) *Per idem tempus rebellante Theotbaldo Karlmannus vaſtavit Alamanniam.*

III. (20) *Carlmannus & Pippinus in Bajoariam exercitum ducunt adverſus* (21) *Huodilonem.*

IV. (22) *Carlmannus adverſus Saxones dimicat, & caſtrum* (23) *Onſeburg capit.*

V. (24) *Bonifacius vir ſanctus, de*

(1) *Apud Pithœum legitur* Athirvâ.
(2) *A. C. 733 apud Pithœum & Freherum.*
(3) *A. C. 733. apud Pithœum & Freherum.*
(4) *A. C. 734. apud Pithœum & Freherum.*
(5) *A. C. 735. apud Pithœum & Freherum.*
(6) *A. C. 736. apud Pithœum & Freherum.*
(7) *Ita ibi ſcripta legitur prima ſyllaba hujus nominis per Æ.*
(8) *Vide Abrahami Ortelii Theſaurum Geographicum v.* Agatha.
(9) *A. C. 737. apud Pithœum & Freherum.*
(10) *A. C. 738. apud Pithœum & Freherum.*
(11) Fugato Ducem *pro* fugato Duce; *quæ ratio loquendi latino-barbara paſſim occurrit in hiſce Annalibus.* Aurontum *autem ſive* Auruntum *eadem eſt Vrbs, quæ alias* Arauſio *ſive* Orange *dicitur. Apud Pith. & Freher. pro* fugato Duce Provinciæ Auronto *hoc eſt,* Aurafione, *mendoſe legitur* fugato Duce Maurorum. *Falſitatem enim hujus lectionis etiam ſine adminiculo Codicis MSti Cæſarei ſatis manifeſte indicant ſequentia verba:* Qui dudum Sarracenos per dolum invitaverat. *Recte videlicet hinc colligitur, præcedentibus verbis non de Duce aliquo* Maurorum, *qui ſine dubio ipſe* Sarracenus *fuiſſet, ſed de perfido quodam* Chriſtiano Duce Arauſionenſi *actum eſſe.*
(12) *A. C. 738. apud Pithœum & Freherum.*
(13) *A. C. 739. apud Pithœum & Freherum.*
(14) *A. C. 740. apud Pithœum & Freherum.*
(15) *A. C. 741. apud Pith. & Freher.*
(16) *Apud Pith. & Freherum legitur,* moritur Pariſiis.
(17) *A. C. 741. apud Pith. & Freher.*
(18) *A. C. 742. apud Pith. & Freher.*
(19) *A. C. 742. apud Pith. & Freh.*
(20) *A. C. 743. apud Pith. & Freher.*
(21) *Apud Pith. & Freh. legitur* Odilonem.
(22) *A. C. 745. apud Pith. & Freher.*
(23) *Apud Pith. & Freher. legitur* Ohſeburg.
(24) *A. C. 746. apud Freher. In Pithœana autem editione omnia hæc, quæ de S. Bonifacio*

de genere Anglorum Legatus Germanicus Romanæ Eccleſiæ, Mogontiacæ Civitatis Epiſcopus ordinatur; qui prædicatione ſua multos populos Thuringeorum, Heſſorum, nec non & Auſtraſiorum ad fidem rectam & Chriſtianam religionem, a qua diu aberraverant, convertit, ſed & monaſteria monachorum ac virginum primus in partibus Auſtriæ exorſus eſt ipſe in Caſtro Wirziburg ſedem Epiſcopalem conſtituens, annuente Carlomanno & auctoritate Apoſtolici Papæ.

VI. (1) *Burghardus collega Bonifacii Wirziburgæ ordinatur Epiſcopus; Willibaldus in Eichſteti Epiſcopus conſtituitur.*

VII. (2) *Carlmannus regnum temporale pro æterno regno deſpiciens, fratri regnum derelinquit, & Romam ad limina Beatorum Apoſtolorum devotus pervenit; ibique tonſoratus, religionis habitum ſuſcepit, & in* (3) *Serapte monte monaſterium ædificavit, & non poſt multum in monaſterio Sancti Benedicti* (4) *monachus efficitur* (5) *Gripho frater Pippini in Saxoniam aufugit. Pippinus, qui jam per annos VII regnaverat, regnat poſtea annos XX.*

VIII. (6) *Pippinus in Saxoniam per Thuringeam ingreditur. Saxones cum Griphone adunati, ſuper fluvium* (7) *Hobacar in loco, qui dicitur Horobeim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt. Sororem Pippini cum Thaſſilone filio parvulo adquiſivit.*

IX. (8) *Idem Gripho non credens ſe Saxonibus neque Francis, de Saxonia Bajoariam petit, Bajoaros & Hiltrudem ſororem Pippini cum Taſſilone filio parvulo adquiſivit.*

X. (9) *Pippinus in Bajoariam pergens, Griphonem & Lantfridum inde educit; Taſſilonem Ducem conſtituit ibidem.*

XI. (10) *Griphoni in partibus* (11) *Nuiſtriæ XII Comitatus dedit; Gripho vero nec ſe ibidem credens, ad* (12) *Weiferium Ducem Aquitaniæ ſe contulit.*

XII. (13) *Anno DCCL Incarnationis Dominicæ mittit Pippinus Legatos Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus Francorum, qui ex ſtirpe Regia erant, & Reges appellabantur, nullamque poteſtatem in Regno habebant, niſi tantum quod cartæ & Privilegia in nomine eorum conſcribebantur, poteſtatem vero Regiam penitus nullam habebant, ſed quod Majordomus Francorum volebat, hoc faciebant. Certo enim die ſemel in anno in Martis campo ſecundum antiquam conſuetudinem dona illis Regibus a populo offerebantur; & ipſe Rex ſedebat in Sella Regia circumſtante exercitu, & Majordomus coram*

& inſtitutis ab eo Epiſcopatibus Wirzburgenſi & Eichſtatenſi narrantur, deſunt.

(1) *A. C. 746. apud Freherum.*

(2) *A. C. 747. apud Pithœum & Freherum.*

(3) Serapte *pro* Soracte. *Eſt autem Soractes ſive Soracte mons Faliſcorum in Hetruria apud Tiberim, de quo Horatius Lib. 1. carmin. Od. 9. canit;*

Vides ut alta ſtet nive candidum Soracte.

In Adonis Viennenſis Chronico corrupte nominatur Sarepta.

(4) *In monte Caſino.*

(5) *A. C. 748. apud Pithœum & Freher.*

(6) *A. C. 748. apud Pithœum & Freher.*

(7) *Apud Pithœum & Freher. legitur* Obacrâ.

(8) *A. C. 748. apud Pithœum & Freherum.*

(9) *A. C. 749. apud Pithœum & Freherum.*

(10) *A. C. 750. apud Pithœum & Freherum. Omiſſum autem hic eſt nomen* Pippini. *Is enim Gryphoni illos dedit Comitatus.*

(11) *Apud Pithœum legitur* Neuſtriæ; *apud Freherum autem* Niuſtriæ.

(12) *Apud Pithœum & Freherum legitur* Waifarium.

(13) *Apud Pithœum & Freherum legitur* Anno DCCLI.

ram eo, præcipiebatque is die illo, quicquid a Francis decretum erat; die vero alia & deinceps Rex domi ſedebat. (1) *Zacharias igitur Papa ſecundum auctoritatem Apoſtolicam ad interrogationem eorum reſpondit, melius atque utilius ſibi videri, ut ille Rex nominaretur & eſſet, qui poteſtatem in Regno habebat, quam ille, qui falſo Rex appellabatur. Mandavit itaque præfatus Pontifex Regi & populo Francorum, ut Pippinus, qui poteſtate regia utebatur, Rex appellaretur, & in ſede Regali conſtitueretur. Quod ita & factum eſt per unctionem Sancti Bonifacii Archiepiſcopi Sueſſionis civitate appellatur Pippinus Rex, & Hildricus, qui falſo Rex appellabatur, tonſoratus in monaſterium mittitur.*

XIII. (2) *Pippinus Rex in Saxoniam pergit. Hildigarius Epiſcopus Colonienſis a Saxonibus interimitur.*

XIV. (3) *Gripho Italiam cupiens penetrare, a Theodoino Comite in valle* (4) *Maurienna obprimitur, idemque Theodoinus in ipſo certamine occiditur.*

XV. (5) *Per idem tempus Stephanus Papa Romanus venit ad Pippinum Regem, poſtulans adjutorium & defenſionem adverſus Heiſtulfum Regem, eo quod res Sancti Petri abſtulerat, & deprædationes multas Langobardi faciebant.*

XVI. (6) *Stephanus Papa unxit duos filios Pippini in Reges, Karlum & Carlmannum.*

XVII. (7) *Bonifacius Archiepiſcopus evangelizans genti Freſonum verbum Dei, martyrio coronatur anno DCCLV; qui ſedit in Epiſcopatu annos* (8) *XIII: poſt quem Lullus Epiſcopus annos XXXII.*

XVIII. (9) *Pippinus in Italiam ingreditur juſtitiam Sancti Petri ad perquirendum, Heiſtulfum ſibi in bello occurentem ſuperat. Heiſtulfus fuga lapſus Papiæ includitur, datis obſidibus XL ſacramento conſtrictus res Sancti Petri reſtitui.*

XIX. (10) *Stephanus Papa Romam revertitur. Karlmannus monachus in Franciam fratrem viſitare veniens, Viennæ moritur.*

XX. (11) *Pippinus in Italiam proficiſcitur, Heiſtulfum Papiæ incluſum obſedit, &, ut res Sancti Petri redderet, ſacramento conſtringit, Ravennam cum Pentapoli Sancto Petro tradidit.*

XXI. (12) *Heiſtulfus in venatione equo lapſus regnum cum vita perdidit.*

XXII. (13) *Pippinus Saxones bello ſuperat; equos CCC reddere in tributum promittunt, & reſtitutionem, quicquid injuſte abſtulerunt.*

XXIII. (14) *Pippinus Weiferium*

(1) *A. C. 752. apud Pithœum & Freherum.*
(2) *A. C. 753. apud Pithœum & Freherum.*
(3) *A. C. 753. apud Pithœum & Freherum.*
(4) *Sive* Mauriana.
(5) *A. C. 753. apud Pithœum & Freherum.*
(6) *A. C. 753. apud Pithœum & Freherum.*
(7) *A. C. 754. apud Pithœum & Freherum.*
(8) *Apud Pithœum & Freherum legitur S. Bonifacium martyrio coronatum eſſe anno Epiſcopatus ſui XXXVI. In vita autem ipſius S. Bonifacii a Laurentio Surio edita attribuuntur illi Epiſcopatus* anni triginta ſex, menſes ſex & dies ſex. *De hac igitur notabili differentia annorum Apoſtolatus & Epiſcopatus S. Bonifacii vide Card. Baronii Annal. Eccleſ. Tom. IX. ad an. 719, & 755, ubi Epiſcopatus ipſius, quem a* Zacharia *Papa accepit, annos tantum numerat* decem.
(9) *A. C. 754. apud Pithœum & Freherum.*
(10) *Hæc apud Pithœum & Freherum deſunt.*
(11) *A. C. 756. apud Pithœum & Freherum.*
(12) *A. C. 757. apud Pithœum & Freherum.*
(13) *A. C. 758. apud Pithœum & Freherum.*
(14) *A. C. 760. apud Pithœum & Freherum.*

rium Ducem in Aquitania Eccleſiarum juſtitias facere remuentem coegit promittere emendationem.

XXIV. (1) *Weiferius ſacramenta mentitus, vaſtando & depopulando uſque Cavillonem pervenit.* (2) *Pippinus cum Karlo filio exercitum ex adverſo movet, caſtella & civitates pugnando capit, Burbonem,* (3) *Cantela, Clarmontem, aliæque quamplurimæ ejus dominatui ſe ſubjiciunt, deinde* (4) *Beturicam expugnat.*

XXV. (5) *Taſſilo de exercitu Regis ſe ſubducens, Bajoariam petit.* (6) *Facta eſt hiems valida anno D CCLXIV.*

XXVI. (7) *Hruotgangus Metenſis Urbis Archiepiſcopus poſtulavit a Paulo Romanæ Sedis Apoſtolico corpora ſanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris & Nazarii, & impetravit, adduxitque ab Urbe Roma cum honore, &* (8) *condidit ſanctum Gorgonium in monaſterio ſuo, quod ipſe a novo ædificaverat, cui vocabulum eſt Gorzia; ſanctum Naborem in monaſterio alio, quod dicitur Novacella; ſanctum vero Nazarium in monaſterio* (9) *noſtro Lauresham; ubi in præfatis locis in multis miraculis clareſcunt.*

XXVII. (10) *Pippinus omnem Aquitaniam peragrando ſuæ ditioni ſubdit, nec tamen, ut voluit, Weiferium capit, ſed ille ſemper vaſtationi & fugæ intentus, donec dolo Warattonis peremptus, & fugæ & tyrannidi finem dedit. Pippinus ab Aquitania regrediens, ad Sanctum Dionyſium VIII Kal. Octobris diem obiit anno ætatis LIV.*

I. Karlus cum Karlmanno fratre regnavit annos III.

II. (11) Karlus cum fratre Karlmanno Hunoldum in Aquitania rebellantem capiunt.

III. (12) Karlmannus Rex obiit villa Salmunciaco; ſepellitur Remis.

IV. (13) Karlus in Saxonia caſtrum Æresburg expugnat, famum & lucum eorum famoſum Irminſul ſubvertit.

V. (14) Interea cum exercitus ſiti fatigaretur præ ſiccitate, ſubito in quodam torrente media die divinitus aquæ largiſſimæ effuſæ ſunt. Saxones ad Regem ſuper (15) Wiſaraba venientes, obſidibus datis pacem rogant.

VI. (16) Karlus invitante Hadriano Pontifice Romano Italiam ingreditur; Deſiderius Rex obſiſtere nititur; clauſas Alpium obſeratis obviam pergit; Franci clauſas reſerant; Deſiderius Papiæ includitur.

VII. (17) Karlus Papiam civitatem

(1) *A. C. 761. apud Pithœum & Freherum.*
(2) *A. C. 762. apud Pithœum & Freher.*
(3) *Apud Pithœum legitur* Canitelam.
(4) *Apud Pithœum & Freher. rectius legitur* Biturican *hoc eſt*, Berry.
(5) *A. C. 763. apud Pithœum & Freher.*
(6) *A. C. 764. apud Pithœum & Freher.*
(7) *A. C. 765. apud Freherum. In Pithœana autem editione hæc omnia deſunt. Vide etiam ſupra Col. 500.*
(8) *A. C. 766. apud Freherum.*
(9) *Hinc colligi poſſe videtur, autorem horum Annalium pertinuiſſe ad Monaſterium* Laureshamenſe, *ideoque eoſdem Annales jure & merito appellandos eſſe* Annales Francorum Laureshamenſes. *In Freherianis autem Annalibus, quorum autor non pertinuit ad illud monaſterium, legitur iſte locus hoc modo:* Sanctum vero Nazarium in monaſterio Lauresham, quod eſt in Germania, condidit. *Vide etiam ſupra Col. 500.*
(10) *A. C. 768. apud Freher. In Pithœana autem editione perperam hæc referuntur ad annum 765. Vide ſupra Col. 500.*
(11) *A. C. 769. apud Pithœum & Freher.*
(12) *A. C. 771. apud Pith. & Freher.*
(13) *A. C. 772. apud Pith. & Freher.*
(14) *A. C. 772. apud Pith. & Freher.*
(15) *Hoc eſt*, Viſurgim, *nunc* die Weſer.
(16) *A. C. 773. apud Pith. & Freher.*
(17) *A. C. 773. apud Pith. & Freher.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tem obſedit; nullum ingredi vel egredi permittit. Interim Karlus orationis cauſa ad limina Sancti Petri pergit. Adrianus Papa gaudens cum magna gloria Regem advenientem ſuſcipit; diem ſanctum Paſchæ ſolenniter celebrant, & cum lætitia Regem proſequitur. (1) *Revertente Karlo Rege a Roma, Langobardi obſidione pertæſi, civitate cum deſiderio Rege egrediuntur ad Regem. Rex vero alia die cum hymnis & laudibus ingrediens, theſauros Regis ibidem repertos dedit exercitui ſuo, & cunctum Italiæ Regnum adeptus regreditur in Franciam, adducens ſecum Deſiderium & conjugem ejus ac* (2) *filiam. Adalgiſius filius ejus fuga lapſus per mare Conſtantinopolim venit.*

VIII. (3) *Karlus ab Italia regrediens dedicationem Eccleſiæ Sancti Nazarii & translationem corporis ipſius in Monaſterio Lauresham celebrat anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXIV, die Kalendarum Septembris* (4) *Carlus* (5) *Saxones vaſtatis Heresburg & Sigiburg caſtella capit, cuſtodias ibidem dimiſſis revertitur in Franciam.*

IX. (6) *Karlus in Italia* (7) *Hruotgauzum tyrannidem molientem interimit.*

X. (8) *Saxones poſt multas cædes & varia bella adflicti non valentes reſiſtere, tandem Chriſtiani effecti, Francorum ditioni ſubduntur.*

XI. (9) *Karlus contra Saracenos Pampalonam civitatem capit. Abitaurus Saracenorum Rex dedit obſides fratrem ſuum & filium, & reddidit civitates, quas tenebat; inde proficiſcitur ad* (10) *Cæſaris Auguſtam, adducit ſecum* (11) *Ibimlarbi Regem Saracenorum. Wituchindus Saxo tyrannidi nititur.*

XII. (12) *Saxones rebellioni inſtſtunt, ſtrages & incendia in Franciam uſque in Rhenum peragunt. Carlus ex itinere Hiſpanorum regrediens, exercitum obviam mittit, Saxones in fugam vertit.*

XIII. (13) *Karlus Saxones obprimit, & adverſantes ſibi Dei auxilio ſuperat.*

XIV. (14) *Karlus Romam denuo adiens,* (15) *Adrianus Papa Pippinum filium Regis baptizavit, & a ſacro fonte ſuſcepit, & Regem ſuper Italia unxit, ſimiliter & Hluduwigum fratrem ejus ſuper Aquitaniam, celebrabantque Paſcha Domini cum magna gloria.*

XV.

(1) *A. C. 774. apud Pith. & Freher.*
(2) *Filiæ hujus nulla fit mentio apud Pithœum & Freherum.*
(3) *A. C. 774. apud Freherum. In Pithœna autem editione hæc deſunt. Vid. ſupra Col. 503.*
(4) *A. C. 775. apud Pith. & Freher.*
(5) Saxones vaſtatis *pro* Saxonibus vaſtatis; *quæ ratio loquendi alias ſæpe occurrit in his Annalibus: uti paulo poſt* cuſtodias dimiſſis *pro* cuſtodiis dimiſſis.
(6) *A. C. 776. apud Pith. & Freher.*
(7) *Apud Pith, & Freher, legitur* Ruodgaudum & Hruodgaudum.
(8) *A. C. 777. apud Pith. & Freher.*
(9) *A. C. 778. apud Pith. & Freher.*
(10) Cæſarauguſta *ſive* Cæſarea Auguſta, *nunc* Saragoza, *Metropolis Arragoniæ.*
(11) *Apud Pith. & Freher. legitur* Ainalarabi. *Vid. ſupra Col. 503. ubi rectius legitur* Ibinalarabi.
(12) *A. C. 778. Apud Pith. & Freher.*
(13) *A. C. 779. apud Pith. & Freher.*
(14) *A. C. 780. apud Pith. & Freher. Notandus etiam hic eſt modus loquendi latino-barbarus, qui in his Annalibus alias quoque occurrit,* Karlus Romam denuo adiens, Adrianus &c. *pro* Karlo Romam denuo adeunte, Adrianus &c.
(15) *A. C. 781. apud Pith. & Freher.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

XV. (1) *Karlus Rex Daſſilonem Ducem ad ſe accerſit Wormaciam.*

XVI. (2) *Taſſilo promittit fidem ſervare Regi cum jurejurando; quem dimittit Rex honorifice & imperat ſibi obſides mitti, quod ita & fecit.*

XVII. (3) *Widuchindus Saxo poſt multam tyrannidem peractam in ſemet revertitur, venit ad Regem, fidelis effectus baptizatur.*

XVIII. (4) *Per idem tempus multa ſigna apparuerunt, inter quæ ſignum Crucis in veſtimentis hominum frequentiſſime apparuit. Sanguis etiam e terra ac de cœlo perhibetur fluxiſſe.*

XIX. (5) *Karlus Romam adveniens, Haragiſius Dux Beneventanus mittens filium ſuum* (6) *Rumaldum Regi & munera, ut in terram ſuam ne intraret, &, quicquid imperaret, faceret: quod Apoſtolicus audiens non credidit, neque Franci, ſed perſuaſit Regem proficiſci in terram Beneventi.* (7) *Haragiſius relinquens Capuam civitatem, in Salerno concluditur, mittit Regi munera & Grimoltum filium ſuum & XII obſides; obtinuit, ut terra illa non vaſtaretur. Karlus Romam remeans, Taſſilonis Legati poſtulant Adrianum, ut pacem inter illum & Regem faceret; quod Rex libenter annuit, ſi hoc faceret, quod Pippino Regi cum juramento patri ſuo promiſerat, & denuo ipſi & filiis ſuis ſub jurejurando firmaverat: quod remuentes Legati Taſſilonis, Adriamus Papa eum ſub anathematis vinculo conſtringit, ſi aliter facere vellet. Taſſilo promiſit & poſtea fefellit, & ad Regem venire contemnit.*

XX. Karlus pergit Bajoariam, Taſſilonem ex omni parte cum exercitu concludit; qui coactus venit ad Regem, renovat ſacramenta, dedit obſides & Theodonem filium ſuum, permittitur ei habere Ducatus: (8) *qui poſtea convictus iterum de infidelitate, ejicitur de Principatu & in monaſterio tonſoratur.*

XXI. (9) *Karlus Sclavorum gentem, qui dicuntur Wilzi transfluvium* (10) *Helbia, ditioni ſuæ ſubegit.*

XXII. (11) *Karlus Avarorum gentem ſubegit armis.*

XXIII. (12) *Saxones iterum ad Idololatriam revertuntur.*

XXIV. (13) *Hac tempeſtate filius Regis Pippinus ex concubina Himildruda cum aliquibus Comitibus Francorum conſiliatur, ut Regem interficeret, & loco ejus regnaret. Quo comperto Rex Pippinum juſſit tonſorari, & cæteros ejus conſentaneos diverſis mortibus interfici.*

XXV. Karlus direxit filios ſuos Pippinum & Hluduwigum in Beneventum cum exercitu, factaque eſt fames valida, ita ut nec in Quadrageſima a carnium eſu abſtineretur. (14) *Per idem tempus Synodus congregatur ad Franconofurt.* *XXVI.*

(1) *A. C, 781. apud Pith. & Freher.*
(2) *A. C. 781. apud Pith. & Freher.*
(3) *A, C. 785. apud Pith. & Freher.*
(4) *Hæc apud Pith. & Freher. referuntur ad A. C. 781.*
(5) *A. C. 786. apud Pith. & Freh.*
(6) *Idem paulo poſt appellatur* Grimoltus. *Apud Pith. & Freher. legitur* Grimaldus.
(7) *A. C. 787. apud Freherum, In Pithœana autem editione perperam hic confunduntur acta anni 786, & 787. Ibidem, ut & apud Freherum, pro* Haragiſus *legitur* Aragiſus.
(8) *A. C. 788. apud Freherum, In Pithœana autem editione refertur hoc perperam ad A. C. 787.*
(9) *A, C. 789. apud Pith. & Freher.*
(10) Helbia *idem eſt atque* Albis *Fluvius qui vernaculo ſermone nunc dicitur* die Elbe.
(11) *A. C. 791. apud Pith. & Freher.*
(12) *A. C. 793. apud Pith. & Freher.*
(13) *A. C. 792. apud Pith. & Freh.*
(14) *A. C, 794. apud Pith. & Freher.*

XXVI. (1) *Karlus in Saxoniam pergens Saxones obtinuit, & tertium de eis hominem in Franciam educens conlocavit. His temporibus Alcuinus Rhetor Britannicus, Diaconus & Abbas monasterii Sancti Martini sanctitate & doctrina clarus habetur.* (2) *Adrianus Papa obiit, cui succedit Leo* (3) *XCVIII.*

XXVII. (4) *Humorum Legatio ad Regem veniens, Thesauros adducunt; quos Rex Optimatibus suis distribuit, Legatos abire permittit.*

XXVIII. (5) *Pippinus Rex Italiæ Pannoniam pergit.*

XXIX. Karlus in Saxoniam Francos conlocat, Saxones inde educens cum uxoribus & liberis, id est, tertium hominem.

XXX. Karlus iterum in Saxoniam pergit.

XXXI. (6) *Per idem tempus Romani Leonem Papam de Pontificatu ejiciunt, oculos eruere moliuntur, linguam abscindunt, in custodiam retrudunt, unde per Albinum cubicularium noctu per murum in funde deponitur, ad Winigisum Ducem Spolitanum, qui circa Vrbem cum exercitu consederat, pervenit, qui curam ei adhibuit, & in Saxoniam ad Regem dirigit; qui eum honorifice susceptum, in Sedem Apostolicam restituit, & Romanos, qui A banc tyrannidem exercuerunt, in exilium mittit.*

XXXII. (7) *Karlus Romam pergit; Leo Papa ante diem Natalis Domini tertium de omnibus, quæ a populo Romano ei objiciebantur, coram Rege & Populo Francorum dato sacramento purificatur, &* (8) *in die Natalis Domini ante Missarum solennia in Ecclesia Sancti Petri coram sacratissimum corpus ejus, Coronam Impe-* B *rialem capiti Regis Leone Pontifice imponente, ab ipso Pontifice, & ab omni Populo Romano atque Francorum Augustus appellatur anno Incarnationis Dominicæ DCCC.*

XXXIII. (9) *Legatio* (10) *Græcorum ad Augustum veniens pacem petit.* (11) *Hraban Diaconus factus.*

XXXIV. (12) *Amormulus Sarracenorum elefantum unum cum aliis muneribus pretiosis dirigit. Paulinus Patriarcha Forijulienses obiit, &* C *Ratgarius* (13) *Abbas factus.*

XXXV. (14) *Item Legatio* (15) *Græcorum simul cum Legatis Imperatoris Karli, quos dixerat in Græciam, ad Villam Regiam, quæ dicitur Salz, venit. Imperator pergit in Bajoariam; ibi venit Legatio Avarorum, qui omnem terram Imperii sui sub ditione Imperatoris Karli subdunt.*

XXXXI.

(1) *A.C. 794. apud Pith. & Freher.*
(2) *A.C. 796. apud Pith. & Freher.*
(3) *Quod Leo III. fuerit* nonagesimus octavus *Pontifex Romanus, testatur etiam Anastasius Bibliothecarius.*
(4) *A.C. 795. apud Pith. & Freher.*
(5) *A.C. 796. apud Pith. & Freher.*
(6) *A.C. 799. apud Pith. & Freher.*
(7) *A.C. 802. apud Pith. & Freher:*
(8) *A.C. 801. apud Pith. & Freher.*
(9) *A.C. 802. apud Pith. & Freher.*
(10) Irenes *videlicet Imperatricis Constantinopolitanæ.*
(11) *Rabanus Maurus.*
(12) *A. C. 802. apud Pith. & Freher. Vtrobique autem pro* Amormulus Saracenorum *legitur* Aaron Rex Persarum.
(13) *Is est* Ratgarius *Abbas Fuldensis. Vide Annal. Francorum a Pithœo & Frehero editos ad annum 802.*
(14) *A.C. 803. apud Pith. & Freher.*
(15) Nicephori *videlicet* Logothetæ, *Imperatoris Constantinopolitani.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXVI. (1) *Karlus Imperator Saxones abſque bello a propriis finibus expulſos in Franciam conlocat. Alcuinus XIV. Kal. Maji obiit, & (2) Richoto eodem anno moritur.*

XXXVII. (3) *Leo Papa iterum in Franciam venit.*

XXXVIII. (4) *Imperator Karlus inter filios ſuos, id eſt, Karlum, Pippinum, Hludowichum dividit.*

XXXIX. Grimoaldus Dux Beneventanus moritur, & mortalitas maxima in monaſterio (5) *Sancti Bonifacii, ita ut fratrum juniorum plurimi morirentur, & Eggi moritur, & Hutuman, & Meginrat ſanctorum aufugiunt pueri puerorum, & peſſime* (6) *cuſto conſiliis pravis conviciis multis tunc lacera erat.*

XL. (7) *Et Carlus filius Imperatoris Carli perrexit cum exercitu Francorum in Winidos ultra flumen* (8) *Albia, ſed tamen eo tempore non proſperatus eſt tranſitus ejus, ſed plurimi Francorum occiſi ſunt.*

XLI. Imperator ad Aquis totum annum ſedit, & (9) *Richolfus ad monaſterium* (10) *noſtrum Fulda, id eſt Sancti Bonifacii miſſus eſt Abbatis & Fratrum cauſa; & Eccleſia Sanctæ Mariæ in monte dedicata.*

XLII. Mortalitas boum maxima pæne in tota Europa, nec non & hominum plurimorum. & (11) *Hruothruda filia Imperatoris & Pippinus filius ejus. Imperator venit in Saxoniam. Eclipſis Solis II. Kal. Decembris.*

XLIII. Hiems fuit duriſſima, perdurans uſque ad finem Martii menſis, & duo filii Imperatoris, id eſt, (12) *Pippinus moritur &* (13) *Karlus moritur.*

XLIV. Facta eſt conturbatio non minima in monaſterio Sancti Bonifacii, & fratres XII. ex ipſa familia perrexerunt ſimul cum Abbate Ratgario ad judicium Imperatoris Karli, nec tamen ita commotio illa quievit, ſed poſt Richolfus Archiepiſcopus Magontiacenſis, & Bernharius Epiſcopus Civitatis Wangionum, & Hunto Epiſcopus Auguſtenſis, & Wolgarius Epiſcopus Eccleſiæ Wirzaburg, cum cæteris fidelibus, qui ſimul ad illud Placitum convenerunt, juſſu Imperatoris ſanaverunt commotionem illam in monaſterio Sancti Bonifacii. Eo anno dedicata eſt Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ in auſtrali parte monaſterii juxta flumen Giralabha.

XLV. Richulfus Archiepiſcopus Magontiacenſis Eccleſiæ defunctus eſt V. Idus Auguſti, & Placidum magnum in menſe Auguſto ad Aquis factum eſt, & Karlus Imperator conſtituit

(1) *A. C. 804. apud Pith. & Freh.*
(2) *Is eſt* Richodo *ſive* Richboto, *qui ex Abbate Laureshamenſi factus eſt Archiepiſcopus Treverenſis. Vide Chronicon Laureshamenſe a Frehero editum in actis annor. Dominicæ Incarnationis 785. & 805.*
(3) *A. C. 804. apud Pith. & Freher.*
(4) *A. C. 806. apud Pith. & Freher.*
(5) *Hoc eſt, Fuldenſi.*
(6) *Locus corruptus de cujus emendatione & vero ſenſu nondum mihi liquet.*
(7) *A. C. 806. & 808: apud Pith. & Freh.*
(8) Albia *pro* Albis. *Supra Col. 564. legitur etiam* Helbia *ſive* Elbia.
(9) Richolfus *ſive* Richulfus, *Archiepiſcopus Moguntinus. Eſt autem* Richolfus *ſive* Richulfus *idem nomen atque* Hilphricus *ſive* Hülphreich. *Vid. ſupra Col. 550.*
(10) *Hinc colligi poſſe videtur, auctorem horum Annalium pertinuiſſe ad monaſterium* Fuldenſe. *Sed eodem modo appellat idem autor ſupra Col. 559. etiam Monaſterium Laureshamenſe* Monaſterium noſtrum.
(11) *A. C. 810. apud Pith. & Freher.*
(12) *A. C. 810. apud Pith. & Freher.*
(13) *A. C. 811. apud Pith. & Freher.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtituit (1) *Hlodoveum filium ſuum ſimul imperare cum eo, imponens diadema capiti ejus; poſtmodum in Majo menſe habitum apud* (2) *Magontiam, in quo præſederunt Riulfus Archiepiſcopus & Hiltibaldus Archiepiſcopus Colonienſis.*

I. (3) *Karlus Imperator moritur ad Aquis V. Kal. Februarii, die Sabbati, anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV, Indictione III, & regnavit Hlodoveus filius ejus pro eo. Eo anno Placitum ſuum cum Francis Imperator Hludowichus habuit Kalendis Auguſti menſis, & Legati Græcorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares & cæteras barbaras gentes. Eo tempore Hieroſolyma vaſtata eſt a Perſis, & perſecutionem magnam in orientalibus partibus Chriſtiani habebant.* (4) *Hraban ordinatur ad Presbyterum X. Kal. Januarii ab* (5) *Heiſtolfo Archiepiſcopo Magontiacenſi.*

II. Hludowichus Imperator ſuum Placitum cum Francis in Saxania ad Phaderobrunnen habuit, & illuc venit filius ejus Hludharius Rex Bajorum, & alius filius, id eſt, Pippinus Rex (6) *Æquitaniorum, Bernhartus quoque filius Pippini Rex Longobardorum, & erat illud Placitum Kal. Julii menſis.*

III. Anno III. Hludowichi factum eſt Concilium magnum in Aquiſgrani in menſe Auguſto, & præceptum eſt, ut monachi omnes curſim Sancti Benedicti cantarent ordine regulari, & duo Codices ſcripti ſunt, unus de vita Clericorum, & alter de vita (7) *Nonnarum. Eo anno Leo Papa obiit, & ordinatus eſt Stephanus pro eo in Epiſcopatum Romanæ Eccleſiæ; qui in menſe Octobre venit ad Hludowichum Imperatorem civitate Remis, & reverſus eſt in pace. Piccopimus de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris duxit uxorem, defunctus eſt.*

IV. (8) *Anno quarto conventum ſuum habuit Hludowichus Imperator cum Francis in Aquiſgrani menſe Junio, & indicto ordinatus eſt filius ejus Hludharius in Imperatorem, ut conſors Regni fieret cum patre. Eo anno Stephanus Papa deceſſit, cui ſucceſſit* (9) *Paſcualis in Pontificatu. Bernhardus quoque Rex Italiæ ſeditionem levavit contra Imperatorem, & Hludowichus Auguſtus Italiam cum exercitu perrexit. Eodem anno Ratgarius Abbas* (10) *depoſitus eſt.*

Hucuſque vetuſtiſſimi illi Annales Francorum *Laureshamenſes* & *Fuldenſes*, ab A. C. DCCXIV. uſque ad A. DCCCXVII pertingentes, qui poſtea diverſis temporibus & locis a diverſis aucti & continuati ſunt. (a)

XXVIII. *Decimus ſextus* Codex, ad vitam & res geſtas Imp. Caroli Magni pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt. Qui quidem locus valde eſt notabilis, quoniam eo probari poteſt, unum atque idem eſſe nomen* Ludovici & Clodovæi.
(2) *A. C. 813. apud Pith. & Freher.*
(3) *A. C. 814. apud Pith. & Freher.*
(4) *Rabanus Maurus.*
(5) *Succeſſit in* Richulfo.
(6) Æquitania *pro* Aquitania.
(7) Nonna *pro* ſanctimoniali *ſeu* fœmina Deo consecrata. *Vid. Voſſ. Gloſſar. Latino-barbarum lib. 2. cap. 13.*
(8) *A. C. 807. apud Pith. & Freher.*
(9) Paſcualis *pro* Paſchalis.
(10) *Nempe* Fuldenſis. *Apud Pithœum & Freherum ea de re hæc leguntur:* Ratgarius Abbas Fuldenſis Cœnobii, accuſatus a Fratribus & convictus, deponitur.
(a) *De his* Annalibus *vide, quæ adnoto ad Codicem proxime ſequentem.* Kol.

in quarto, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *ducenteſimus ſexageſimus ſextus.* Continet is incerti cujuſdam Autoris antiqui, qui tempore Imp. Caroli Magni vixit, Annales Francorum ab anno Chriſti DCCXCIV uſque ad annum DCCCIII. Scriptus eſt hic codex tempore ipſius Caroli Magni, uti manifeſte apparet cum ex charactere, qui aliis ejuſdem ævi Codicibus MStis ad unguem congruit, tum ex notabili quodam antiquæ iſtius Theotiſcæ ſive Germanicæ linguæ, qua ipſe Carolus Magnus tanquam patria uſus eſt, fragmento, quod jam memoratis Annalibus immediate ſubjungitur. Quandoquidem igitur Annales iſti nec nimium prolixi ſunt, nec antehac, quod ſciam, ab aliis editi, bona fide integros eos hic publico, quantum per defectum, qui eſt in principio, & per non nulla præ vetuſtate vix amplius legibilia loca poteſt fieri. - - - - - - - - - - -

cum (1) *reliquo devoto populo. Quibus* (2) *reſedentibus apud Chriſtianiſſimum Principem Carolum, pervenit ad aures eorum Hæreſis illa, quam Elipantus* (3) *Dolitanus Epiſcopus cum alio Epiſcopo Felice nomine, ſed* (4) *infelix in dictis cum ſociis eorum adſerebant.* (5) *Agebant namque, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus in quantum ex Patre ineffabiliter ante ſecula genitus, vere ſit Filius Dei, & in quantum ex Maria ſemper Virgine carnem adſumere dignatus eſt, non verus ſed adoptivus filius eſſet. Sed Sancta & Vniverſalis Synodus hoc nefandum dictum non conſenſit, ſed ita allo-*

quitur, dicens: Dei ergo Filius hominis factus eſt; Filius natus ſecundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & ſecundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, ſed in utraque nativitate Filii nomen naſcendo haberet, & eſſet verus Deus & verus hominis filius. Et in ipſa Synodo advenit Taſſilo & pacificavit ibi cum (6) *Domno Rege, abnegans omnem poteſtatem, quam in Bajoaria habuit, tradens eam Domno Regi nec non & Faſtrada Regina ibi defuncta eſt. Et Rex inde revertens perrexit in Saxoniam, & Saxones venerunt ei obviam ad Eresburg, promittentes Chriſtianam fidem, & jurantes quod ſæpe fecerunt, & tunc Rex credidit eis, & dedit eis Presbyteros, & reſedit apud Aquiſgranum.*

XXVIII.

DCCXCV. Sed & etiam tunc apud (7) *Aquis-Palatio Domnus Rex celebravit Paſcha, & infidelitas, unde conſueverat, a parte* (8) *Saxanorum exorta eſt; quia, cum Domnus Rex ſuper alias gentes venire voluiſſet, nec ipſe ad eum pleniter venerunt, nec ei ſolatium, ut ipſe juſſerat, transmiſerunt. Tunc iterum cognita infidelitate eorum, Rex cum exercitu ſuo ſuper eos veniens, alii ei pacifice obviam venientes ex parte Saxanorum, & cum eo in ſolatio ſuo ipſum iter expleverunt; & ipſe cum exercitu ſuo ad* (4) *Albiam pervenit, ſed alii circa paludes Albiæ & in Wihmuodingas ad eum pleniter non venerunt. Domnus rex tamen reſe-*

(1) *Pertinent hæc ad annum DCCXCIV.*
(2) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* reſidentibus.
(3) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* Toletanus.
(4) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* revera infelice.
(5) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* Ajebant.
(6) *Ita ibi ſcriptum eſt* Domnus *pro* Dominus.
(7) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* in Aquiſgrani Palatio.
(8) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* Saxonum,
(9) Ad Albiam *pro* ad Albim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

reſedens apud (1) *Bardunwib tantam multitudinem obſidum inde tulit, quantam nunquam in diebus ſuis, aut in diebus patris ſui, aut in diebus Regum Francborum inde aliquando tulerint. Sed & tunc omnes ad eum venientes, excepto* (2) *bis, quos jam ſupra commemoravimus, & bi qui trans* (3) *Albe erant; ipſi ad eum pleniter adhuc non venerunt, eo quod* (4) *Vaſſum Domini Regis* (5) *Wizzin Regem Abotridarum occiderunt; ideo non credebant, quod in gratia ejus pervenire potuiſſent. Cæteri autem ad eum omnes pacifice venerunt, & juſſionem ſuam promittentes implere, & ita Domnus Rex iterum credens eis nullum voluntate interficiens fidem ſuam ſervando. Tunc ad* (6) *Aquis palatio de terra* (7) *Avarorum Regulus quidam, nomine* (8) *Todanus, ad Domnum Regem veniens cum comitibus ſuis; quem Domnus Rex honorifice ſuſcepit, & baptizari juſſit, & eos, qui cum eo venerunt & cum magno honore & donis eum remeare fecit ad propria. Et in eo anno a parte Avarorum venerunt theſauri, magna multitudo; pro quibus Domnus Rex Omnipotenti Regi gratias agens, diſtribuit ipſum theſaurum inter Eccleſias, Epiſcopos ſeu Abbates & Comites, nec non & univerſos fideles ſuos de eodem theſauro mirifice honoravit.*

Et in ipſo die id eſt VIII. Kal. Januarii ſanctæ memoriæ Domnus Adrianus Summus Pontifex Romanus obiit, pro quo Domnus Rex poſtquam a planctu ceſſavit, orationes per univerſum Chriſtianum populum infra terminos ſuos fieri rogavit, & eleemoſyna ſua pro eo multipliciter transmiſit, & (9) epitaphium aureis literis in marmore conſcriptum juſſit in Francia fieri, ut illud (10) *partibus Romæ tranſmitteret ad ſepulturam Summi Pontificis Adriani ornandam.*

XXIX.

DCCXCVI. In ipſa æſtate transmiſit Rex Carolus Pippinum filium ſuum cum ſuis, quos in Italia ſecum habebat, & Bajoarios cum aliqua parte Alamaniæ, (11) *in finibus Avarorum; & coadunatus eſt Pippinus cum omnibus, quos Pater ejus ei tranſmiſit in ſolatium, & tranſito* (12) *Danovio cum exercitu ſuo pervenit ad locum ubi Reges Avarorum cum Principibus ſuis ſedere conſueti erant, quem & in noſtra lingua* (13) *Hringe nominant, & inde tulit theſauros multiplices, & tranſmiſit patri ſuo; & ipſe poſtea cum exercitu ſuo & magnis theſauris Avarorum pervenit in Franciam. Et ipſo anno ipſe Rex Carolus demoratus eſt in Saxonia cum duobus filiis ſuis, id eſt Caro-*

(1) Bardunwih *pro* Bardunwich; *uti alias ſæpe ſolum* H *uſurpatur pro* CH.
(2) Excepto his *pro* Exceptis his.
(3) Albe *pro* Albim.
(4) Vaſſus *pro* vaſallo *ſive* cliente *certa fide obſtricto. Vid. Voſſ. Gloſſar. Latino-barbaro lib. 3. cap. 54.*
(5) *Apud Pith. & Freher. vocatur* Witzan.
(6) Ad Aquis Palatio *pro* ad Aquisgrani Palatium.
(7) Avarorum *pro* Avarum *ſive* Abarum. *Vide Ortelii Theſaur. Geograph. v.* Abares.
(8) *Apud Pith. & Freher. legitur* Tudun: *& qui hoc loco* Avari *ſive* Avares *vocantur, illi appellantur ibi* Hunni.
(9) *Vide integrum hoc Epitaphium ſupra Col. 355.*
(10) Partibus Romæ *pro* Romam.
(11) In finibus *pro* ad fines.
(12) Danovio *pro* Danubio.
(13) Hringe *ſive* Ring *vocabulum eſt mere Germanicum, & ſignificat hic locum rotundum ſive orbiculatum, in meditullio caſtrorum, vel munimenti, vel conſeſſus alicui ſitum, quem honoris & ſecuritatis cauſa Rex cum Optimatibus ſuis obtinet.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Carolo & (1) Clodoveo, & circuivit terram Saxanorum, ubi rebelles fuerunt, incendendo & vaſtando eam, & captivos inde ducebat viros, & mulieres & parvulos & prædæ innumerabilem multitudinem. Et tertium exercitum ſuum Carolus Rex in eadem æſtate tranſmiſit in fines Saracenorum cum miſſis ſuis, qui & ipſi ibi fecerunt ſimiliter; vaſtaverunt terram illam, & redierunt cum pace ad Regem Carolum ad Aquis palatium.

XXX.

DCCXCVII. Iterum (2) eodem anno introivit Rex Carolus in (3) Saxonia, & pervenit ad pagum, qui dicitur Wibmuoti, ubi firmitas eorum facta fuit, & ipſa firmitate interrupta, introivit. Rex cum exercitu ſuo in pagum illum, vaſtavit & incendit pagum illum. Et tunc demuo venerunt ad eum omnes (4) Saxoni de univerſis finibus & angulis ubi habitabant; & tulit inde aut obſides, aut de ipſis, quantum ipſe voluit, & de Freſionibus ſimiliter; & Rex Carolus rediit in Franciam. Et poſt aliquantas hebdomadas iterum intravit in Saxonia, & ibi habitavit ipſam hyemem, & fecit ſedem ſuam juxta locum, ubi Timella fluit in (5) Wiſaraha, quem etiam (6) Heriſtelli appellavit, eo quod ab exercitu ſuo fuerunt conſtructæ ipſæ manſiones, ubi habitabant.

XXXI.

DCCXCVIII. Ipſo anno fuit Rex Carolus in Saxonia, & apud (7) Hariſtallio novo ipſam hyemem ibi reſedit, & ibi celebravit Paſcha; quem locum, ut nos audivimus, ipſe Rex ita appellavit, quia ab (8) hoſte ipſo ipſæ manſiones, in quibus habitabant, conſtructæ ſunt. Et in ipſa æſtate pervenit cum exercitu ſuo ad Bardunwih, & illi omnes ſe tradiderunt in manus ejus, & tulit inde illos (9) capitanios quos voluit, & de obſidibus quantum ei voluntas fuit, & interim congregati ſunt Sclavi (10) noſtri, qui dicuntur (11) Abotridi, cum Miſſis Domni Regis ad illos Saxones qui in Aquilonis parte abierant, & vaſtaverunt terram illam, & incenderunt; & illi Saxones congregavèrunt ſe in unum & commiſſum eſt forte prælium inter eos, & quamvis illi Abotridi (12) fanatici erant, tamen fides Chriſtianorum & Domni Regis adjuvit eos, & habuerunt victoriam ſuper Saxones, & ceciderunt de ipſis Saxonibus ante eos in ipſa pugna duo millia DCCCCI; & in North-Thuringos ibi pervenerunt ipſi Sclavi ad Dominum Regem, & honoravit eos Dominus Rex, ut digni erant, mirifice; & inde

(1) Clodoveus *idem hic eſt nomen atque* Ludovicus. *Vide etiam ſupra Col. 569. in not. (1)*
(2) Eodem *pro* eo.
(3) In Saxonia *pro* in Saxoniam; *uti alias ſæpe.*
(4) Saxoni *pro* Saxones.
(5) Wiſahara, *Viſurgis.*
(6) *Vocabulum mere Germanicum, quod compoſitum eſt ab* Heer, *hoc eſt*, exercitus, & ſtell, *hoc eſt* locus.
(7) *Ita hic ſcriptum eſt; at paulo ſupra legitur* Heriſtelli.
(8) *Ita hic ſcriptum eſt: at paulo ante legitur, ab ipſo Caroli Magni* exercitu *manſiones illas fuiſſe conſtructas.*
(9) *Ita ibi ſcriptum eſt.*
(10) *Locus notabilis. Opinor autem* Sclavos *illos, qui ad* Mare Balticum *habitarunt, ab autore horum Annalium hic cognominari noſtros ad differentiam* Sclavorum, *quorum Sedes inter Dravum & Savum amnes etiam nunc* Sclavonia *appellatur.*
(11) Abotridi *ille ſive* Obotriti *habitarunt in Ducatu* Mechlenburgenſi. *Vide Helmoldi Presbyteri Boſovienſis & Arnoldi Abbatis Lubecenſis antiquum Chronicon Sclavorum, ut & Alberti Crantzii Saxoniam Wandaliam & Metropolim.*
(12) Fanatici, *hoc eſt*, gentiles *ſive* ethnici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de Dommus Rex remeavit ad Franciam, & de ipsis Saxonibus tulit secum quos voluit, & quos voluit dimisit, & ipse pervenit ad (1) *Aquis palatio, & ibi hiemavit.*

XXXII.

DCCXCIX. Iterum Dommus Rex Karolus apud Aquis-Palatio celebravit Pascha, & instigante Diabolo Romani comprehenderunt Dommum Apostolicum Leonem in ipsis Lætaniis, quod est VII. Kal. Maji, & abscinderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere. Sed juxta Dei dispensationem malum, quod inchoaverunt, non perfecerunt. Et Dommus Rex eodem anno introivit in Saxoniam, & resedit ad Padresbrunna, & ibi venit ad eum Dommus Leo Apostolicus, quem antea volebant Romani interficere, & suscepit eum Dommus Rex honorifice, & multis donis & honoribus eum honoravit, & postea cum pace & honore magno eum remisit ad propriam Sedem, & Missi Domni Regis deducebant, eum honorifice, & eos, qui in mortem ejus consiliati sunt, transmiserunt ad Dommum Regem & (2) SVNT MODO, ut digni SVNT, in exilio. Et Dommus Rex inde tulit multitudinem Saxanorum cum mulieribus & infantibus, & collocavit eos per diversas terras in finibus suis, & ipsam terram eorum divisit inter fideles suos, id est, Episcopos, Presbyteros, Comites & alios vassos suos, & ibi ad Padresbrunnun ædificavit Ecclesiam miræ magnitudinis, & fecit eam dedicare, & post hæc reversus est in pace ad Aquis palatium, & ibi resedit.

XXXIII.

DCCC. Ipsam hyemem resedit apud Aquis Palatio, & circa Quadragesimæ tempus circuivit Villas suas, seu etiam corpora Sanctorum, usque dum post Pascha pervenit (3) *Torones, ubi corpus Beati Martini requiescit; & fuerunt cum eo filii sui Carolus & Pippinus: sed & (4) Clodovæus ibi advenit filius ejus, nec non* (5) *Liutgardis conjux Domni Regis ibi defuncta est, & facta ibi ora-*

(1) *Ita semper ibi scriptum legitur: nempe* ad *vel* apud Aquis palatio, *pro* Aquisgrani Palatium.

(2) *Locus notabilis: unde recte colligitur, autorem horum Annalium* eodem tempore, *ubi illa contigerunt, vixisse.*

(3) Cæsarodunum Turonum, *nunc* Tours.

(4) *Ita ibi scriptum est pro* Hlodoveus *sive* Lodoveus, *hoc est,* Ludowicus.

(5) *Notabilis locus. Vocatur enim ea alias perperam* Hildegardis *Vid. Pith. & Freher. Annal. in actis hujus anni.* Hæc ille. *Porro in Appendice Libri Secundi addita his volebat sequentia:* ADDITAMENTUM VII, *pertinens ad paginam 381, ubi fit mentio* (α) LIUTGARDIS, *quartæ Uxoris Imp.* Caroli Magni. In Annalibus Francorum *Fuldensibus*, primum a *Petro Pithœo*, ac postea a *Marquardo Frehero* & *Andrea du Chesne* sive *Quercetano* editis, inveteratum latet mendum, ubi agitur de actis anni DCCC his verbis: *Rex Carolus peragratis Oceani Gallici littoribus, quod piratis infestum erat, dispositisque præsidiis revertens, Turonis ad Sanctum Martinum pervenit: ubi* HYLDEGARDIS *Conjux ejus defuncta est & humata.* Certissimum enim est, pro HYLDEGARDIS ibi legendum esse LIUTGARDIS; utpote cum *Hyldegardis* sive *Hildigardis secunda* Imp. *Caroli Magni* uxor obierit (β) A. C. 783 pridie Calend. Maji, uti præter *Eginhardum* in Annalibus suis Francicis testatur ipse Autor Annalium Francorum *Fuldensium* his verbis: *A. DCCLXXXIII* HILDEGARDA *Regina diem obiit II. Kal. Maji.* LIUTGARDIS autem, quæ *quarta* fuit Imp. *Caroli Magni* Uxor, obiit A. C. 800, pridie Non. Junii, ut idem paulo ante citatus *Eginhardus* testatur his verbis: *Rex Karolus iterum per littus maris agens, Rotomagum Civitatem venit, ibique Sequana amne transmissa, Turonos*

(α) Pro Liutgardis *passim corrupte legitur scriptum & impressum* Luitgardis, *quemadmodum* Luitbertus *pro* Liutbertus. *Quæ de re vide infra ad Cod. XXIII.*

(β) *Card.* Baronius *Annal. Ecclesiasticorum Tomo IX. perperam refert ejus obitum ad A. C. 786.*

oratione ſolenniter, & cum pace reverſus eſt ad propriam ſedem. Et in æſtivo tempore congregavit Optimates & fideles ſuos ad Mogontiam Civitatem, & cum cognoviſſet undique per omnes fines ſuos pacem, rememoravit de injuria quam Romani Apoſtolico Leoni fecerunt, & direxit faciem ſuam, ut iret partibus Romæ, & ita fecit. Et ibi fecit conventum maximum Epiſcoporum ſeu Abbatum cum Presbyteris, Diaconibus & Comitibus ſeu reliquo Chriſtiano populo, & ibi venerunt in præſentia, qui ipſum Apoſtolicum condemnare voluerunt, & cum cognoviſſet Rex, quia non propter aliam juſtitiam, ſed per invidiam eum condemnare volebant, tunc viſum eſt & ipſi piiſſimo Principi Carolo & univerſis Epiſcopis & Sanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut ſi ejus voluntas fuiſſet, & ipſe petiſſet, non tamen per eorum judicium, ſed ſpontanea voluntate ſe purificare debuiſſet, & ita factum eſt. Et ipſo ſacramento expleto incipiebant illi Sancti Epiſcopi cum univerſo Clero ſeu ipſo Principe Carolo cum devoto Chriſtiano populo hymnum: Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Quo expleto, & ipſe Rex & univerſus populus fidelis cum eo dabant laudem Deo, quia ipſum Apoſtolicum Leonem & ſanum in corpore & in animo cuſtoditum meruerunt habere, & ipſam hyemem Romæ fecit.

XXXIV.

DCCCI. Et quia jam tunc ceſſabat a parte Græcorum nomen Imperatoris, & fœmineum Imperium apud ſe habebant, tunc viſum eſt & (1) ipſo Apoſtolico Leoni & univerſis Sanctis Patribus, qui in ipſo Concilio aderant, (2) ſeu reliquo Chriſtiano populo, ut ipſum Carolum Regem Francborum Imperatorem nominare debuiſſent, qui ipſam Romam tenebat, ubi ſemper Cæſares ſedere ſoliti erant, ſeu reliquas ſedes, quas ipſe per Italiam ſeu Galliam, nec non & Germaniam tenebat; quia Deus Omnipotens has omnes Sedes in poteſtatem ejus conceſſit; ideo juſtum eis eſſe videbatur, ut ipſe cum Dei adjutorio, & univerſo Chriſtiano populo petente, ipſum nomen haberet. Quorum petitionem ipſe Rex Carolus denegare noluit, ſed cum omni humilitate ſubjectus Deo & petitioni Sacerdotum & univerſi Chriſtiani populi, in ipſa Nativitate Domini noſtri JESV Chriſti ipſum nomen Imperatoris cum conſecratione Domini Leonis Papæ ſuſcepit. Et ibi primus omnium ipſam Sanctam Eccleſiam Romanam de ea diſcordia, quam inter ſe habuerunt, ad pacem & concordiam revocavit, & ibi celebravit Paſcha. Et appropinquante æſtivo tempore direxit iter ſuum partibus Ravennæ juſtitias & pacem faciendo, & inde pervenit in (3) Francia ad ſedem ſuam.

XXXV.

DCCCII. Eo anno (4) demoravit Dominus Cæſar Carolus apud Aquis palatium quietus cum Francis ſine hoſte; ſed recordatus miſericordiæ ſuæ de pauperibus, qui in Regno ſuo erant, &

ad Sanctum Martinum orationis cauſa profectus eſt: moratus ibi dies aliquot propter adverſam LIUTGARDÆ *Conjugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta & humata eſt. Obiit autem prid. Non. Junii.* Hæc *Eginhardus.* Vnde apparet, in Annalibus Francicis, hic a colum. 570. uſque ad colum. 582. inſertis, ubi agitur de actis anni 800, recte legi *Liutgardis*, non autem *Hyldegardis*, ut in Annalibus Francorum *Fuldenſibus.*

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt, nempe* ipſo *pro* ipſi.
(2) Seu *pro* &; *uti hic alias paſſim.*
(3) In Francia *pro* in Franciam.
(4) *Ita ibi ſcriptum legitur pro* commoratus eſt.

& juſtitias ſuas pleniter habere non poterant, noluit deinfra palatio pauperiores vaſſos ſuos tranſmittere ad juſtitias faciendum propter munera, ſed elegit in Regno ſuo Archiepiſcopos & reliquos Epiſcopos & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes munera accipere, & ipſos miſit per univerſum Regnum ſuum, ut Eccleſiis, viduis, & orphanis, & pauperibus & cuncto populo juſtitiam facerent. Et menſe (1) *Octimbrio congregavit univerſalem Synodum in jam nominato loco, & ibi fecit Epiſcopos cum Presbyteris ſeu Diaconibus relegi univerſos Canones, quos ſancta Synodus recepit, & Decreta Pontificum, & pleniter juſſit ea tradi coram omnibus Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus. Similiter in ipſa Synodo congregavit univerſos Abbates & Monachos, qui ibi aderant, & ipſi inter ſe conventum faciebant, & legerunt Regulam Sancti Patris Benedicti, & cum tradiderunt Sapientes in conſpectu Abbatum & Monachorum, & tunc juſſio ejus generaliter ſuper omnes Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, Diacones ſeu univerſo Clero facta eſt, ut unuſquiſque in loco ſuo juxta Conſtitutionem Sanctorum Patrum ſive in Epiſcopatibus, ſeu in Monaſteriis, aut per univerſas Sanctas Eccleſias, ut Canonici juxta Canones viverent, & quicquid in Clero, aut in populo, de culpis aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendaſſent, & quicquid in Monaſteriis ſeu Monachis contra Regulam Sancti Benedicti factum fuiſſet, hoc ipſum juxta ipſam Regulam Sancti Benedicti emendare feciſſent. Sed & ipſe Imperator, interim quod ipſa Synodus facta eſt, congregavit Duces, Comites & (2) reliquo Chriſtiano populo cum Legislatoribus, & fecit omnes Leges in Regno ſuo legi, & tradi unicuique hominum legem ſuam, & emendare ubicunque neceſſe fuit, & emendatam legem ſcribere, & ut Judices per ſcriptum (3) judicaſſent & munera non accepiſſent, ſed omnes homines, pauperes & divites in Regno ſuo juſtitiam habuiſſent. Et eo anno pervenit (4) elefans in Francia.*

XXXVI.

DCCCIII. Ipſo anno Imperator Carolus celebravit apud aquis palatium Paſcha, & conventum habuit ad Mogontiam, & ipſe ſine hoſte (5) *fecit eodem anno, excepto quod* (*) *ſcaras ſuas tranſmiſit in circuitu, ubi neceſſe fuit.*

Hucuſque vetuſtiſſimi illi *Annales Francorum*, ipſius *Imp. Caroli Magni* ævo non ſolum compoſiti, verum eodem etiam tempore propria Autoris eorum manu exarati: (a) quorum multi-

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* Octobri.
(2) Reliquo Chriſtiano populo *pro* reliquum Chriſtianum populum.
(3) Judicaſſent, accepiſſent & habuiſſent, *pro* judicarent, acciperent & haberent.
(4) Elefans *pro* Elephas.
(5) Fecit *pro* fuit.
(*) Scara *vox mere Germanica eſt, quæ interdum ſignificat* quamcunque hominum turbam, *hic autem* cohortem militarem.
(a) *Quod* annales *iſtos attinet, ſcito, omnia illa excerpta, ſupplementa, quæ in Cod. XI, XV & hoc præſenti ſexto decimo a* LAMBECIO *vulgata legiſti, a Cl. V.* LUD. ANT. MURATORIO *cum Commentariis in ea Cl.* GENTILOTI, *a* GARELLIO *Bibliothecæ Præfecto ſubmiſſis, in lucem ſecundum prolata fuiſſe* Scriptor. Ital. Tom. II. P. II. a pag. 58 *hac ſub epigraphe :* ANNALES LAMBECIANI, hoc eſt Annales Francorum ex manuſcriptis codicibus Auguſtiſſimæ Cæſareæ Bibliothecæ per Virum Clariſſimum PETRUM LAMBECIUM olim excerpti, atque evulgati, nec non animadverſionibus illuſtrati;

multiplices ac nimium manifeſtos barbariſmos & ſolœciſmos nemo, niſi genii & morum illius ævi omnino imperitus, admirabitur, multoque minus in malam partem accipiet. Uti enim in *Prolegomenis* ad Vitam *S. Anſcharii* a *S. Remberto* conſcriptam, & Libro primo *Hiſtoriæ Hamburgenſis*, a me ſubjunctam, jam pridem monui, ita etiam nunc moneo, antiqua hujusmodi monumenta non ideo ſtudioſe inveſtigari & in lucem protrahi, quod latino-barbarum illud & ſolœcum ſcribendi genus per ſe dignum ſit, ut conſervetur, verum quia ſub ſordido illo & aſpernabili verborum tegumento ſæpe pretioſa multarum rerum notabilium notitia latitat. Quod de reliquo ad *Fragmentum antiquæ linguæ Theotiſcæ*, iiſdem Annalibus in eodem Codice MSto æque antiqua manu annexum, attinet, continetur eo narratio diſputationis *Chriſti* cum muliere *Samaritana* ad fontem Patriarchæ *Jacobi* prope Samariam; quæ licet ex *S. Joannis Evangeliſtæ* capite quarto ad verbum fere deſumpta ſit, attamen ea ibi propter ſcripturæ & linguæ vetuſtatem nec ſatis legibilis eſt, nec intelligibilis; uti ex ſequenti apographo, quod quam maxima fide & diligentia hic a me exhibetur, videre eſt. *Leſen vuir thaz fuori ther Heilant fart muodi* (1) *zeuntarnevuizzun thaz er* (2) *zeinen brunnen* (3) *kiſaz. Quam* (4) *fone* (5) *Samario ein* (6) *quena ſario ſcephan thaz vuazzer.* (7) *thannanoh ſo ſaz er. vurbon ſina thegana beſina lipleita, Bat er ſih ketrincan daz uip thaz ther thara quam,* (8) *Biuuaz* (9) *keroſt thu guot man daz ih thir geba trinkan. ia ne nezant vuizze xriſt thie iudon vnſera vuaſt.* (10) *Vuip obe thu vuiſſis vuielih gotes giſt iſt, vnte den erkantis mit themo do* (11) *koſotis, tu batis dir unnen ſines* (12) *kecprunnen.* (13) *Diſiu* (14) *buzza iſt ſo tiuf zedero ih hei mina liuf, nob tu ne habis* (15) *kiſcirres, daz thu thes kiſcephes. vuar* (16) *maht thu guot man neman quecprunnan. ne biſiu* (17) *liuten kelop mer than jacob, therga - - - - brunnan tranc eran*

job

nunc autem in commune Italicæ Hiſtoriæ commodum recuſi cum additamentis & una cum Criſi in eoſdem Annales Præſtantiſſimi Viri JOHANNIS BENEDICTI GENTILOTTI olim Cæſareæ Bibliothecæ Præfecti. *Nos annales iſtos ex ſuſcepto edendi hujus operis propoſito integre heic vulgare oportuit, ne aut mutilaſſe opus, aut exempla aliorum cum primogenio noſtro comparare volentibus defuiſſe videremur. Porro unde* LAMBECIUS *compererit, ultimum hoc ſexti decimi codicis* Francicorum Annalium *fragmentum ſcriptum fuiſſe propria, ut ipſe loquitur, auctoris manu poſt* GENTILOTTUM *juxta cum ignariſſimis ſcio.* KOL.

(1) Zeuntarnevuizzun *pro* zu unterweiſen, *h. e. docendi cauſa.*
(2) Zeinen *pro* zu einen, *h. e. ad aliquem.*
(3) Thaz er kiſaz *pro* daz er ſich geſetzet, *h. e., quod conſederit.*
(4) Fone *pro* von.
(5) Samario *pro* Samaria.
(6) Quena, *fœmina maritata.*
(7) Thannanoh *pro* dannoch, *h. e. attamen. Integer ſenſus horum verborum eſt:* dannoch ſo blieb er ſizzen,
(8) *Verba Samaritanæ ad Chriſtum:* Quomodo tu, Judæus cum ſis, bibere a me poſcis?
(9) Keroſt *pro* gehreſt *ſive* begehreſt.
(10) *Verba Chriſti ad Samaritanam:* Mulier ſi ſcires donum Dei & noſſes eum, cum quo loqueris: peteres ab eo aquam vivam.
(11) Koſen *pro* reden, *h. e. colloqui.*
(12) Kecprunnen *pro* quecprunnen *ſive* quic. prunnen.
(13) *Verba Samaritanæ ad Chriſtum:* Puteus hic profundus eſt, neque tu habes, in quo haurias.
(14) Buzza, *nunc* Pütze, *a latino* Puteus.
(15) Kiſcirres *pro* Geſchir, *h. e. vas.*
(16) Maht *pro* magſt *h. e. potes.*
(17) Liuten kelop *pro* dem gemeinen glauben der leute nach, *h. e. ſecundum communem populi opinionem.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(1) *iob ſina man ſiniu ſmale - - - - vuazzer.* (2) *Ther trinkit thiz vuazzer der - - - - der afar trinchit daz min then lazit - - - - - got imon pruſton in euuon mit luſton.* (3) *Herro ih* (4) *thichoze dir thaz vuazzer gabiſt du mir daz ih mer* (5) *uber tac* (6) *ne liuſi hera durſtac vuib.* (7) *Tu dih anne vært hole herra dinen virt. ſiu quat ſus.* (8) *Libiti* (9) *commen ne hebiti.* (10) *Vueiz ih daz du uuar ſegiſt daz du* (11) *commen ne hebiſt. du hebitos her finfe dir zi uolliſte. dæz mattu ſichure ſin nu hebiſt ein der ni is din.* (12) *Herro in thir uuigit ſcin daz* (13) *thumaht.* (14) *Forunſergiborana betoton hiar in berega. vnſer* (15) *altmaga ſuchton* (16) *hia* (17) *genada.* (18) *tho* (19) *hir ſagant kicorana thia* (20) *bita in hieroſolem.* (a)

A

XXIX. *Decimus ſeptimus & decimus octavus* Codex, ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinentes, de quibus alias prolixius acturus ſum,

(1) Joh *pro* & *vel* etiam.

(2) *Verba Chriſti ad Samaritanam:* Qui bibit hanc aquam, ſitiet iterum; qui autem bibit aquam meam, non ſitiet in æternum.

(3) Herro *pro* Herr *ſive* Here, *h. e. Domine.*

(4) Thicozen *ſive* Tichoſen *pro ſupplicare alicui, tangendo braccas ejus vel caligas, vel quancunque aliam cujuſcunque veſtitus partem infimam.*

(5) uber tac *pro* übertag, *h. e. in dies ſive per ſingulos dies.*

(6) Daz ih mer ubar tac ne liuſi hera durſtac vuib, *pro* daz ih nicht mehr alle tag hie her lauffe als ein durſtig weib, *h. e. ne ſingulis diebus huc curram amplius ſitibunda mulier.*

(7) *Verba Chriſti ad Samaritanam:* Thu *oder* gib dich auff die vart, und hole deinen Hauswirt, *h. e. vade & voca virum tuum.*

(8) *Verba Samaritanæ ad Chriſtum. Eſt autem* Libiti *formula jurandi* ſo war ich lebe.

(9) commen ne hebiti; *h. e. maritum non habeo.* i *in fine pro* ih *ſive* ich.

(10) *Verba Chriſti ad Samaritanam:* Ich weis, daz du war ſageſt, daz du einen man nicht haſt. Du hatteſt ihrer fünffe dir zur wolluſt. Deſſen aber magſt du verſichert ſein, daz du nun einen haſt der nicht dein iſt.

(11) Commen *hic idem eſt atque* Maritus. *Apud Bonavent. Vulcanium in libro de literis & lingua Gothorum pag. 65. legitur eadem ſignificatione* Gomman.

(12) *Verba Samaritanæ ad Chriſtum; quæ in vulgata Sacrorum Bibliorum editione leguntur hoc modo:* Domine, video quia Propheta es tu.

(13) *Locus notabilis, in quo, niſi fallor, latet mentio* Prophetiæ *apud Hebræos olim uſitatæ per* ſplendorem Urim & Thummim *in pectorali Summi Pontificis.*

(14) Forunſergiborana *pro* die vor uns geborne, *h. e. ante nos nati, ſive, majores noſtri, orabant hic in monte.*

(15) Altmaga, *h. e. antiqui cognati.*

(16) Hia *ſive* hie *pro* hiar *ſive* hier.

(17) Genada, *h. e.* Gnade *ſive remiſſionem peccatorum.*

(18) *Senſus horum verborum hic eſt: Hic ajunt locum illum eſſe electum, ubi adoratio iſta fieri deberet, quæ ſit Hieroſolymis.*

(19) kicorana *pro* gekoren *vel* erkoren.

(20) Thiu bita, *die anbetung, h. e. adoratio.*

(a) *Theotiſcum iſtud fragmentum in verſus redactum cum interpretatione Latina & neceſſariis adnotationibus ex Commentariis noſtris vulgavit iterum* CL. Vir Jo. PHILIPPUS PALTHENIUS *ſub finem* Harmoniæ Evangelicæ TATIANI ALEXANDRINI Theotiſcæ Gryphiſwaldiæ A. CIↃIↃCCVI. *ſub hac epigraphe:* Fragmentum veteris linguæ Theotiſcæ, a Lambecio in Biblioth. Vindobon. productum, probabili doctiſſimi Viri conjectura reſtitutum atque emendatum. *Doctiſſimus ille Vir, procul dubio eſt* THEODORICUS VON STADE, *quem multis in rebus inſigni ſibi adjumento fuiſſe, nec pauca, quæ ad penitiorem Theotiſcæ linguæ intellectum facerent, libenter ſuppeditaſſe gratus confitetur* PALTHENIUS *ipſe in memorati Operis præfatione ad Lectorem. Idem enim* CL. Vir THEODORICUS VON STADE *ex Commentariis itidem noſtris* Formulam Confeſſionis Theotiſcam *typis iterum vulgaverat in* ſpecimine Lectionum antiquarum Francicarum *a pag. 20. ut ſuperius Col. 449. a me adnotatum invenies. Porro, ut recte adnotavit* GENTILOTTUS, *in exemplo* LAMBECII *ad fidem M. S. codicis hæc ſolum pauca ſunt corrigenda. v. 3. pro* brunnen, *M. S.* brunnon; *v. 5.* Ketrincan, *M.S.* Ketrenkan. *Et mox inter verba* thaz, ther *interponendum ex M. S.* enpthaz; *v. 8.* erkantnis, *M. S.* ercantnis; *& prope finem pro* der ni is din, *M. S.* dernisdin. Kol.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſum, ſunt membranacei in quarto, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *ducenteſimus ſexageſimus octavus* & *trecenteſimus vigeſimus ſeptimus*. Continent hi *duo* Codices unum atque idem *Pŏëma* de rebus geſtis *Caroli Magni* & *Rulandi*, antiquis *rhythmis Germanicis*, quorum Autor, vel potius (1) *Inſtaurator* ſeu *Renovator*, ipſe ſe *Stricherum* appellat, compoſitum, & hactenus, nondum editum; (a) cujus principium & finem ſpeciminis inſtar hic exhibeo. Et principium quidem ejus hoc eſt;

Ditz (2) *Puoch iſt von Chunich Karl und von Ruoland gemachet, wie ſie diu heidenſchaft uberchomen.*

Ich han gemerchet einen liſt,
Swaz in des mannes hertzen iſt,
Daz wir da hæizzen der muot,
Er ſi übel oder guot,
Den tuot er ze etlicher ſtuonde
Mit ſolhen dingen chuonde,
Daz man wol horet oder ſihet,
Was im lobes ſin hertze gibt,
Da bi bechenne ich dicke wol,
Wie ich den man haben ſol.
Sag ich von einem biderben man,
Mit welhen dingen er gewan,
Daz man in lobt ſo grozze
Fuer alle ſin genozze,
Daz er der aller beſte ſi,
Sitzet mir danne æiner bi,
Der ein ſo valſches hertze hat,
Daz er tuſent boshæit begat
E danne ein frumchait,
Dem iſt des mannes ere lait,
Durch daz er ern iſt ein gaſt,
So dunchet es in alles ein laſt.
Daz aber der man rehte tuot
Vn erzaigt ie ſa ſinen muot,
Er gibt ich liege oder tobe
Swie ich ieman von ſchulden lobe,
Doch beginnet er iehen
Ezn mohte nimmer geſchehen,
Es ſi wol halbes gelogen,
Wær er niht vil betrogen,
Vn wold er mannes tugent han,
Swer daz beſte hat getan,
Swann ich von dem ſagte,
Vn niht des verdagte,

Des

(1) *Hoc enim ipſe teſtatur his verbis:* Diz iſt ein altes mære. Nun hat es der Strichere Geniwet durch der werden gunst, Die noch ninnent hovelich gunſt.

(a) *Codicum illorum alter cuſtoditur nunc inter codd. m. ss. Hiſt. Prof.* IↃCLXXXIII, *alter inter Philologicos* CCXXXV. *Ad utrumque autem* CL. GENTILOTTUS *non aliud adnotat, quam hujuſce Poëmatis mentionem fieri a* CL. MORHOFIO *de Lingua & Poëſi Germanica Cap. VII. item ab* ERNESTO SAL. CYPRIANO *in Catalogo cod. mss. Bibliothecæ Gothanæ p. 104, 105. Et re ipſa* CL. GENTILOTI *memoria ineditum adhuc fuit. Primus poſt inventæ Typographiæ tempus in lucem illud extulit Cl. V.* JOH. GEORGIUS SCHERZIUS *ex membranis Argentinenſibus cum alio m. s. chartaceo collatum &* in Theſauro Antiquitatum Teutonicarum, *quæ a celebri* SCHILTERO *nomen ferunt, Tom. II. anno* CIↃIↃ CCXXVII. *Ulmæ typis excuſum hoc cum indice:* STRICKERI Rhythmus antiquus Germanicus de Caroli Magni expeditione Hiſpanica nunc primum luce publica donatus, textum ex msc. Pergameno Argentinenſis Reipublicæ collatum cum alio MS. chartaceo, notiſque ſuis auctum primus edidit JOH. GEORGIUS SCHERZIUS, D. & Juris in Univerſitate Argentoratenſi Profeſſor P. Ord. Ulmæ ſumptibus Danielis Bartholomæi CIↃIↃCCXXVII. *Legi de hoc Poëmate merentur erudita Clariſſimi editoris prolegomena ubi fide codicum noſtrorum* STICKERUM *hanc non tam Auctorem dicti Poëmatis quam* Renovatorem & Reſtauratorem *eſſe nobiſcum pro veriori ducit, additque:* Quod ſi manuſcriptorum Cæſareorum, quorum LAMBECIUS Lib. II. de Bibliotheca Vindobonenſi mentionem facit, copiam habuiſſemus, rectiori, ſine dubio incedere potuiſſemus tramite, ſed tam felicibus nobis eſſe nunc non licuit. KOL.

(2) *Notandum eſt, principium hujus Poëmatis deſcriptum eſſe ex priori illo & antiquiori Codice, qui eſt inter MStos Codices Hiſt, Lat. 268. Eſt enim is melioris notæ quam poſterior, qui eſt 327.*

Des er in ſinen tagen ie
Lobliches begie,
Sagt ich dar zuo ouch me,
Er wær mir holder dann e
Swer diu fruomchæit meret,
Der ſol des ſin geeret.
Von dem ich iu ſagen wil;
Der hæte ſelden ſo vil,
Daz er der werlt lob erwarb,
Vn fuor, do im der lip erſtarb,
Diu ſele ze himel ſchone,
Sus trueg er hie die chrone
Vn hete dort daz ſælbe hæil.
Chuonde ich guotes ein michel tæil
Von demſelben geſagen
Man ſolt in haben fuer einen zagen, B
Swer mich der rede wider tribe,
Der es alles an ein buoch ſchribe,
Daz er begie in ſinen tagen,
Vn es alles ſolde ſagen,
Daz geſchæhe chuom ze ware
In einem halben jare.
Der rede wær uns ze vil:
Der es churtzliche wil
Ein tæil horen umbe daz
Daz er bechenne deſte baz
Den vilſæligen man
Dem ſag ich ſo ich beſte chan
Daz waz Karl der ræine,
Der alle die gemaine
Ze friunde hete gewuonnen,
Die ſich verſinnen chuonden,
Die tragent im holden muot.
Durch daz er rehte gemuot
An allen ſinen dingen was,
Swaz man von Chunigen ie gelas.
So hoer wir diu buoch ieben,
Man hab ie chainen geſehen
Der in der chriſtenlichen é
Gotes ere geſchuoffe me
Danne Karl Pippinis chint.
Alle die noch ſælich ſint
Die mugen gern wizzen
Wie er ſich hat gevlizzen

A *Nach maniges menſchen hæile*
Daz er Got wart ze tæile.
Von des herren arbæite
Derſelben ſælichæite
Mag er uns nu helfen baz,
Jr ſult rehte wizzen daz,
Er hat nu gewaltes me
Vn iſt och richer dann é
Diſiu grozze rede wære
Mir tumben manne ze ſwære,
Nu beſten ich ſi durch den liſt,
Wan Got ſo genædich iſt,
Das ich mich helfe verſihe
Er hilfet doch einem vihe,
Daz ſchain an einer eſelin
Da ſi wol tot mohte ſin
Sit ſi Got des uber truoch
Daz ſi Balaan niht ersluoch
Nu wil ich mich niht verchunnen
Des ich hie han begunnen
Jch geniezze ſin daran
Vn Karlin des ſæligen man,
Des man vil genozzen hat,
Vn nu aller erſte angat
Das man ſin geniezzen ſol,
Swer nu getrawet ſo wol,
Daz er in ſendet ze Gote,
Dem iſt er ein gewizzer bote.
Die in nihtes enbaten
C *Vn vil unrechte taten,*
An die begunde er vehten,
Vn betwanch ſi zu dem rehten,
Daz in die ſele ſint geneſin,
Da von ſult ir gewis weſin,
Swes man in ſere bæte
Das ers benamen tæte
Ditz iſt ein altes mære,
Vn hat es der STRICHERE
Geniwet durch der werden gunſt,
Die noch minnent hovelich chunſt,
Den ſol hiemit gedient ſin,
Es iſt ein rate des hertzen min,
Daz ih nah ir gunſte
Jn dirreſelben chunſte

Vntz an min ende ſchine
Dem Chunige Pippine
Wart ein vrowe geſworn
Der æit wart alſo verlorn,
Daz ſi im verwehſelt wart.
Darnah chom er an die vart
Daz er ſin elich wip vant.
Diu vrowe Berhte genant
Des ſagt er Got grozzen danch
Daz wære ze ſagen ze lanch.
Wie daz dinch alles ergie
Er nam vrowen Berhten un lie
Sin ander wip daz waz rehte,
Do er Got einen chnehte
Vn ein diern erwarp,
Do lach der Chunig un ſtarp
Vn lie Froun Berhten ſin bruot.
Sin tohter hæizzet Gerdruot,
Sin ſun was Karl genant,
Der wart ſit witen erchant,
Daz Karl niht ſelbe verdarp,
Do Pippin ſin Vater ſtarp,
Daz chom von Gotes rate,
Wan er Vater halp hate
Dri bruoder in den iaren
Daz ir zwen ritter waren.
Der dritte wart ein Gotis chint,
Der tet als diu vil wiſe ſint,
Er cherte allen ſinen ſin
An dem himeliſchen gewin,
Er wart diu buoch geleret
Daz wart wol becheret.
Er waz gehæizzen Leo,
Siner ſælden wart maniger vro
Alſo wart er geeret von Gote.
Wineman un Rapote,
Die ſin bruoder ſolten ſin,
Warn tump daz wart ſchin.
Si namen in ir muote,
Er wurde in unmuetz oder guote,
Daz ſi im næmen daz lebn,
So wurde in daz lant gegebn,

A *Vn beliben da bi ane not,*
Si ſwuoren bæide ſinen tot
Vn zwelf herren mit in.
Den vil mortlichen ſin
Vernam æne Grave drate,
Der in behalten hate,
Vn des chindes man was,
Der half daz Karl genas.

Finis (1) autem eſt hic:

Ditz buoch hat hie æin ende,
Daran ich ellende
Hie gedient han
Vf troſt, niht uf wan,
Minen lieben herren,
B *Dez witen un verren*
Tugent ſint bechant
Naben uber elliv lant,
Der geruche mir von ſchulden
Verlihen ſiner hulden
Immer loblich zerwerben
Biz an min ſterben,
Vn och geruche,
Swenne er diz buche
Vor im leſin hæizze,
Vn ſwer dar zu erbæizze,
Die gedencken min inneliche
Hinz Got von Himelriche
Vnd och ſwenne er ez anſehe,
C *Daz er darzu veriehe,*
Jch ſi im liep.
Swelich immer tehæm diep.
Jn ditz buches wil entwern,
Den muzze Got uneren,
Geſchant un ubele gelingen,
Dar zu diu ogen uzſpringen.
Dez helfe mir der ſuzze Jeſus
Der datz himel habe hus
Daz iſt der vil-here Chriſt
Des riter Karl ie geweſin iſt.

XXX. *Decimus nonus* Codex, ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* per-

(1) *Concluſio hæc hujus Poèmatis extat tantum in priori & antiquiori Codice MSto, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos 268. non autem etiam in poſteriori, qui eſt ibidem 327.*

pertinens, de quo alias prolixius actu-
rus sum, est membranaceus in octavo
minori sive duodecimo majori, & est
inter MStos Codices Historicos La-
nos *ducentesimus sexagesimus nonus.*
Continet is supra memoratam *Imp.*
Caroli Magni Vitam, ab (1) *Egin-*
hardo, seu, ut (2) ibi vocatur *Ein-*
chardo, genero ipsius & Cancellario
conscriptam; cujus principium sine
alia ulla Præfatione ibidem hoc est:
Gens Meroingorum, de qua Franci
Reges sibi procreare soliti erant, &c.
Finis autem, uti in impressis editioni-
bus hic est: *Hæc omnia filius ejus Lu-*
dovicus, qui divina ei jussione succes-
sit, inspecto eodem breviario, quam celer-
rime poterat, post obitum ejus summa
devotione adimplere curavit. Quibus
verbis in eodem Codice MSto statim
subjunguntur eadem illa *tria disticha*,
hactenus, quod sciam, inedita, quæ
supra monui etiam in aliis Augustissi-
mæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus
reperiri; nempe hæc: *Hos tibi ver-*
siculos, &c. Reliqua vide supra Col.
455. (a) Cæterum & hoc notabile
est, Historiam illam *Eginhardi* in
MSto isto Codice divisam esse in duos
libros, quorum prior definit his ver-
bis: *Cujus animi dotes & summam in*
qualicunque, & prospero & adverso
(3) *adventu constantiam, cæteraque,*
quæ ad interiorem atque domesticam
vitam pertinentia sunt, jam ab hinc
dicere exordiar. Sequitur deinde no-
va hæc rubrica: *Liber primus finit.*
Incipit secundus. Principium autem
libri istius secundi hoc est: *Post mor-*
tem patris cum fratre regnum parti-
tus, &c. (b) Illud quoque non pos-
sum quin adjiciam, post jam memo-
ratam *Eginhardi* de vita & rebus ge-
stis *Imp. Caroli Magni* Historiam in
eodem Codice MSto sequi Reginonis
Abbatis Prumiensis librum *secundum*
Chronicorum; cujus principium: *Ka-*
rolomannus filius Pippini, Major domus
& bellicosissimus Dux Francorum mor-
tuus est; finis autem: *Otto Rex*
Romam iturus, decenti se comitatu
egressus, memoriam S. Michaelis in
Augusta civitate celebravit. Operæ
pretium, ut opinor, foret, si exem-
plar illud manuscriptum cum impres-
sis editionibus accurate conferretur.
(c)

XXXI. *Vigesimus* Codex, ad *Imp.*
Caroli Magni ævum pertinens, de quo
alias prolixius acturus sum, est mem-
branaceus in folio, & inter MStos Co-
dices Historicos Latinos *trecentesimus*
decimus sextus. Continet is Histo-
riam rerum gestarum *Imp. Ludovici*
Pii,

(1) *Nulla tamen ibi in titulo ejus Historiæ fit men-*
tio Eginhardi, *sed tota inscriptio his tantum*
constat verbis: Gesta Caroli Regis Magni.

(2) *Nempe* in ultimo versu *trium illorum Disticho-*
rum quæ Historiæ isti, uti in aliis nonnullis Co-
dicibus MStis, ita etiam in hoc Codice subjun-
cta sunt.

(a) *Pridem jam editos fuisse adnotavi supra ad*
codicem IV. col. heic indicata. Kol.

(3) *Ita ibi scriptum legitur pro* eventu.

(b) *Is codex in Classe nunc Hist. Prof. est* CIↃ
LXVIII. *contulit eum cum editione* Schmin-
ckii *Cl.* Gentilottus *& discrepantiam*
lectionum Commentariis suis intexuit. Kol.

(c) Cl. Gentilotti *judicium ea de re est*
sequens: Cl. Lambecius in recen-
sione hujus codicis Lib. II. Comment. pag.
390. opinatus est, *inquit*, operæ pretium
fore, si exemplar istud manuscriptum cum
editionibus accurate conferretur. At ego
longo jam labore defessus eam operam aliis
relinquo, ac moneo, esse exemplum pro-
bæ admodum notæ. *Hæc ille; lubenter olim*
defungar eo labore; si rerum summus & opti-
mus Arbiter Clarissimi quoque Gentilotti
Commentaria expolita & aucta opera & studio
meo proferri in lucem voluerit. Kol.

Pii, quam *Petrus Pithœus* inter antiquos rerum Francicarum Scriptores sub nomine *Thegani Chorepiscopi Trevirensis* primus omnium in lucem edidit. Primum istius Codicis folium, quod sine dubio titulum Operis, nomenque Autoris, & lemmata Capitum continuit, deest; principium autem ipsius Historiæ, uti in Pithœana editione, se habet hoc modo: *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, anno Incarnationis ejus DCCCXIII, qui est annus Regni Glorioſi & Orthodoxi Imperatoris Caroli XLV*, &c. Finis autem est hic: *Iste est annus vicesimus* (1) *secundus regni Domni Hludouuici piissimi Imperatoris, quem conservare & protegere diu in hoc seculo dignetur feliciter commorantem, & post hæc discurrentia tempora perducere* (2) *concedat ad societatem omnium Sanctorum ejus, Ille, qui est* (3) *benedictus in secula seculorum, Amen.* Sequitur deinde in eodem Codice eadem antiqua manu exarata *duorum annorum Appendix*; quam quoniam nec in jam memorata Pithœana editione, nec alibi hactenus editam reperi, integram hic publico. (a)

Anno vero Regni sui XXIII habuit Imperator colloquium cum fidelibus suis in prædio Regali Theodonis mense Majo, & ibi venerunt Legati Hlutharii a partibus Italiæ, Uualach, qui erat Abbas, & Ribbardus perfidus, & Ebarhardus fidelis cum cæteris nonmullis, nunciantes eum libenter venire ad patrem, si pacifice potuisset. Tunc aliqui Episcopi & cæteri Optimates promiserunt ei fidem cum juramento, si infirmitas non prohibuisset. Tunc prænunciavit Domnus Imperator generale Concilium suum Wormatiam Civitatem habere, & jussit, ut Hlutharius ibi obviam venisset mediante mense Septembrio. Cumque die statuto Imperator Wormaciam deveniret cum magna multitudine, & filii sui Pippinus & Hludowicus cum exercitu eorum, ibi iterum venientes Legati Hlutharii & nunciaverunt, Hlutharium in febre bis interea valde laborare & minime venire potuisse. Eodem anno supradictus Walah mortuus est, & cæteri nonnulli infidelium. Eodem anno Hetti beatus Treverensis Archiepiscopus divino jussu instinctus asportavit corpus Sancti Castoris de loco, in quo antea requiescebat, qui vocabatur Caradona, ad locum, qui vocatur Confluentes, ubi Mosella in Rhenum intrat ad monasterium, quod ipse supradictus Archiepiscopus a fundamento construxerat, sicut ei in visu præcepit Sanctus Maternus, qui erat tertius Treverensis Archiepiscopus; & in festivitate Sancti Martini venit sanctum corpus ad Confluentes cum magno honore, & in crastinum die Dominico consecravit supra dictus Pontifex illam Ecclesiam in honore Sancti Castoris & omnium Sanctorum Confessorum. Et post consecrationem susceptit Sanctum Corpus, & collocavit illud in Ecclesia honorifice sicut dignum erat. Octavo vero die post consecrationem, quod est XIV. Kal. Decemb. die Dominico venit

(1) *In Pithœana editione perperam legitur* annus vicesimus tertius.

(2) *In Pithœana editione pro* concedat *legitur* dignetur.

(3) *In Pithœana editione legitur*, qui est Deus Benedictus.

(a) In Scriptoribus rerum Germanicarum, a Clariss. Viro Culpisio *Argentorati anno* CIↃIↃCCII. *editis invenire locum poterat; ubi post* Pithoeum, Duchesnium Thegani *hujus opusculum legere est.* Kol-

nit Dominus Imperator cum Conjuge & liberis, & poſt Miſſarum ſolennia obtulit ibi maxima dona in auro & argento, & manſit ibi duos dies & totidem noctes, & honoravit eum ſupradictus Pontifex cum Conjuge & liberis & omni cum familia ſua donis innumeris. Domnus Imperator rediit Aquis ad Sedem ſuam, & ibi totam hyemem permanſit.

Anno vero XXIV. prænunciavit Imperator, ut cum omni exercitu voluiſſet ire Romam cum filiis ſuis Pippino & Hludouuico, & ſtatuit (1) *ſeditiones in nonnullis locis contra Danaos. Illi vero* (2) *Danai nave venientes ad unam ſedictionem, & interfecerunt ibi innumerabilem multitudinem Chriſtianorum, & ibi cecidit Heminch qui erat ex ſtirpe Danorum Dux Chriſtianiſſimus, & Eccihardus alius Dux, & multi Optimates Imperatoris, & aliqui comprehenſi ſunt & poſtea redempti. Hoc audiens Imperator dimiſit iter, quod prænunciatum habebat, & revertens ad prædium Gundulfi, cum omni exercitu venit Noviomagum caſtrum, quod ſitum eſt ſuper fluvium* (3) *Valum. Explicit origo Regum atque acta.*

Finita hac Hiſtoriæ *Thegani* Appendice, ſequitur latino-barbara quædam ſubſcriptio prorſus inſulſa ac fatua, in qua is, qui Codicem iſtum ſua manu exaravit, ſe quidem *Gauspaldum*, illum autem, cujus juſſu deſcriptio facta eſt, *Principem Johannem* nominat. Ipſa ejus verba inepta hæc ſunt:

Hunc genealogium præcepit fieri Princeps
Johannes prædictus eſt quondam Jordanis
A juſſione Domni Gauſpaldus has literas (4) *imprimi;*
Ille qui ſedet in alti throno conſervet utrumque.
Inclytus Johannes ſit ſalvus, doctuſque in orbe,
Implet domumque ſuam, & nutrit quippe pupillos,
Retribuet ei Dominus hic & in futuro,
Conſervet Dominus nec non & filios ejus,
Vna cum patre ſimul cuſtodiat hic & in æternum.
Parvos iſtos conſtitui exametroque verſiculos
Ad honorem illi qui ſcribere hæc juſſit.

Extat præterea in eodem Codice MSto ejuſdem *Gauſpaldi* manu exaratum *Reginonis* Abbatis Cœnobii Prumienſis, in Diœceſi Trevirenſi ſiti, Chronicon, in duos libros diviſum; cujus Præfationi hæc præfixa eſt rubrica: *Incipit Præfatio Operis ſubſequentis temporum, alias Chronicæ, videlicet quam Regino quondam Abbas* (5) *Prumenſis compoſuit.* Sequitur deinde ipſa Præfatio: *Excellentiſſimi ingenii & totius Philoſophiæ ſtudiis multipliciter inſignito Domno Adalberoni Epiſcopo Regino, quamvis omnium*

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt. At paulo poſt legitur* ſedictio.
(2) Danai *pro* Danis.
(3) Valus, *olim* Vahalis, *nunc* die Wael.
(4) Imprimi *pro* impreſſi. *h. e. ſcripſi.*
(5) *Ita ibi ſcriptum legitur, non autem* Prumienſis.

omnium Chriſticolarum extremus, veſtræ tamen ſublimitati in omnibus devotiſſimus, fidelia mandata, orationum obſequia. Chronicam, quam de noſtris & anteceſſorum noſtrorum temporibus literis comprehendi, &c. Finita illa Præfatione ſequitur nova hæc rubrica: *Incipit Libellus de temporibus Dominicæ incarnationis.* Principium hujus primi libri, uti in impreſſis editionibus, hoc eſt: *Anno imperii Octaviani Cæſaris quadrageſimo ſecundo*, &c. finis autem: *Igitur ubi iſte finitur, ille conſequenter initium capiat, & ubi ille incipit, iſte finem ſortiatur.* Secundi libri principium hoc eſt: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLI. Pippinus filius Karoli; Major-domus & bellicoſiſſimus Dux Francorum, defunctus eſt*, &c; finis autem: *Otto Rex Romam iturus, decenti eſt comitatu egreſſus, memoriamque S. Michaelis in Auguſta Civitate celebravit.* Hucuſque manuſcriptum illud exemplar Chronici *Reginonis*, quod profecto digniſſimum eſt, ut cum editionibus antehac impreſſis a capite ad calcem diligenter conferatur. (a) Cæterum notabile in primis, nec ſilentio prætereundum eſt, jam memorato *Reginonis Chronico* in eodem Codice MSto Cæſareo ſine ullo intervallo ſtatim ſubjungi anonymi cujuſdam Autoris, qui ſub *Imp. Conrado II.* cognomine *Salico* vixit, *Chronicon Regum Francorum;* quod quoniam antehac quidem nondum eſſe editum, editione tamen non indignum arbitror, integrum hic ſubjungo. (b)

CHRONICA ITEM REGVM FRANCORVM.

ARnulfus primus fuit tempore (1) *Æraclii Imperatoris, & Johannes Papa Romanam regebat Eccleſiam. Vſque ad tempus Narſis Patricii* (2) *Imperatores Conſtantinopolitani tenuerunt Italiam. Juſtinus Imperator perdidit eam, deinde Alboin invaſit eam, & Longobardorum Reges tenuerunt eam uſque ad Aiſtulphum. Iſtius tempore Pippinus Rex, Pater Magni Caroli intravit Italiam, & apprehendit magnam Partem Italiæ. Eo mortuo Karolus Imperator filius ejus venit Italiam, & apprehendit Deſiderium Regem Longobardorum, & totam Italiam ſibi ſubjugavit. Tempore iſtius Caroli Nicephorus Imperator erat Conſtantinopoli, & Leo Papa erat Romæ. Poſtea fuit Michael Imperator gener Nicephori. Arnulfus Dux genuit Angiſum Ducem, Angiſus Dux genuit Pippinum Ducem, Pippinus genuit Karolum Ducem. Iſte in carro fuit natus. Karolus genuit Pippinum, qui unctus fuit in Regem, Pippinus Rex genuit Karolum Magnum Imperatorem; Karolus genuit Lodouuicum Pium Imperatorem. Poſt iſtius mortem Karolus patruus ſuus fuit Imperator. Deinde tertius Karolus Imperator creatur, nepos ſecundi Karoli Imperatoris. Ad ultimum totum Imperium, ad ſolum Armulfum filium Karlomanni Regis delatum eſt; in quo Arnulfo Imperatore generoſa nobilium Regum ac Imperatorum Genealogia, incipiens a S. Ar-*

(a) *Eſt enim præterea ab anno* IↃCCCCVII. *uſque ad annum* IↃCCCCLXVII. *ab anonymo perductum, ut claret ex nota, anno* IↃCCCCVIII. *prætexta, hoc exemplo: Hucuſque Regino*, hæc quæ ſequuntur nos addidimus. Bainuarii cum Vngaris congreſſi &c. KOL.

(b) *Quam ob cauſam* Annalibus Francorum Lambecianis *intexere neglexerit* MURATORIUS *mihi quidem non liquet.* KOL.

(1) Æraclius *pro* Heraclius.

(2) *Ita ibi ſcriptum eſt, ſed legendum eſt* Imperatoris.

Armulfo, finem habuit. Ejuſdem Armulfi tempore ipſiuſque juſſu atque conſenſu Gallorum populi elegerunt Odonem Ducem ſibi in Regem. Hic diviſio facta eſt inter (1) *Teutones Francos & Latinos Francos. Armulfus Imperator Lotharingiam dedit filio, nomine Szuentpoldo ex pellice genito. Mortuo Armulfo Lodovicus puer, ejus filius, imperavit quatuor annos, cui Conradus, deficiente ſæpedicta Imperatoria ſtirpe nobili Francorum, quamvis non de eodem ſtemmate ortus, feliciter ſucceſſit. Conradus prævidens ſibi extremam imminere horam, juſſit evocare Heinricum Ducem Saxoniæ, cui & Sceptrum dedit, & Diadema capiti ejus impoſuit. Qui Heinricus duos filios habuit Ottonem primum Imperatorem & (2) Inricum Ducem Bajouariæ. Otto Imperator generavit ſecundum Ottonem Imperatorem, cui conjuncta eſt Stephana nobiliſſima Græcorum, ex qua ſibi genitus eſt tertius Otto Imperator. Quo evocato de valle lacrymarum ad ſiderea Regna Heinricus Dux Bajouariæ, pronepos Heinrici patris Ottonis Primi & Ducis Heinrici, Deo opitulante indeptus eſt Imperium. Conradus Dux, qui fuit ex progenie Conradi Regis prædicti, accepit filiam Ottonis Primi Imperatoris, ex qua natus fuit Otto Dux. Otto Dux habuit filios duos; unus nomine* (3) *Cono & alter Hezil. Ex iſto Hezil natus fuit* (4) *Cono, qui modo Rex eſt.*

Finito hoc Chronico ſequitur in eodem Codice MSto aliud quoddam anonymi cujuſdam Autoris, qui ſub *Imp. Carolo Magno* vixit, *Breviarium Chronologicum* ab Orbe condito uſque ad annum Chriſti octingenteſimum nonum; cujus exemplum bona fide hic publico.

ABBREVIATIO (5) CHRONICÆ.

ADam, cum eſſet centum triginta annorum, genuit Seth; Seth autem habens annos CV genuit Enos, vivente Adam & habente annos CC XXXV. Enos quippe habens annos XC. genuit Cainan, vivente Adam & habente annos CCCXXV. Cainan vero habens annos LXX. genuit Malalehel, vivente Adam & habente annos CCCXCV. Malalehel habens annos LXV. genuit Jareth vivente Adam & habente annos CCCCLX. Jareth autem habens annos CLXII. genuit Enoch, vivente Adam & habente annos DCXXII. Enoch vero habens annos LXV. genuit Mathuſalam, vivente Adam & habente annos DCL XXXVII. Et Mathuſalam habens annos CLXXXVII. genuit Lamech, vivente Adam & habente annos D CCCLXXIV. Lamech enim habens annos CLXXII. genuit Noë. Noë habens annos D. genuit Sem. Sem autem habente annos C, diluvium factum

(1) *Notabilis locus de differentia inter* Teutones Francos & Latinos Francos; *item de* Ottone *Duce Saxoniæ; patre* Imp. Henrici Aucupis, *juſſu & conſenſu* Imp. Arnulfi *a* Gallis *in* Regem *electo.*

(2) *Paulo poſt idem rectius vocatur* Heinricus.

(3) Cono & Hezilo *nomina ſunt corrupta, atque eadem prorſus quæ* Conradus & Henricus.

(4) Cono *hic idem eſt atque* Imp. Conradus II, *cognomine* Salicus. *Valde autem notabile eſt hoc coætanei autoris teſtimonium de ipſius* Genealogia; *utpote de qua variæ extant opiniones controverſioſæ.*

(5) *Autorem hujus Abbreviationis, uti infra pluribus demonſtrabitur, exiſtimo eſſe* Eginhartum *Imp. Caroli Magni Cancellarium. Per Cronicon autem, quod ille abbreviavit, intelligendi ſunt Venerabilis* Bedæ *libri duo, qui inſcribuntur* de Sex Ætatibus Mundi & de Temporibus.

ctum eſt: & hic perficitur numerus annorum milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſextus.

Anno ſecundo poſt diluvium Sem annorum centum duorum genuit Arfaxath. Arfaxath vero habens annos XXXV. genuit Sale. Sale autem habens annos XXX. genuit Heber. Heber habens annos XXXIV. genuit Falech. Falech habens annos XXX. genuit Reu. Reu habens annos XXXII genuit Seruch: Seruch habens annos XXX genuit Nabor. Nabor habens annos XXIX genuit Thara. Thara habens annos LXX genuit Abraham. Hic finitur numerus ſecundæ Ætatis, annos habens CCXCII, & fiunt ſimul anni duarum ætatum MDCCCCX LVIII.

Abraham cum centum eſſet annorum genuit Iſaac; Iſaac autem habens annos LX genuit Jacob; Jacob habens annos XC genuit Joſeph, qui vixit annos CX, fueruntque ab eo uſque ad egreſſionem filiorum Iſraël ex Ægypto per Moyſem Ducem anni CXLV, & ab egreſſione Iſrael uſque ad Joſue anni XL; a Joſue uſque ad Othoniel ſunt anni XXVI, & ab Othoniel uſque ad (1) Aoth anni XL; ab Toth vero uſque ad Debora fiunt anni LXXX; a Debora autem uſque ad Gedeonem fiunt anni XL; & a Gedeone uſque ad Abimelech fiunt anni XL; ab Abimelech enim uſque ad Thola fiunt anni III. a Thola quippe ad Jair anni ſunt XXIII; a Jair vero uſque Jephte ſunt anni XXII, & de Jephte uſque ad Abeſſan fiunt anni VI; de Abeſſa autem uſque ad Achialonem ſunt anni VII; ab Achialone vero uſque ad Labdonem fiunt anni X; a Labdone uſque ad Samſonem ſunt VIII, & a Samſone uſque ad Heli anni XX; ab Heli enim uſque ad Samuelem ſunt anni XL, & a Samuele uſque ad Saulem ſunt anni XII; a Saule ergo uſque ad David ſunt anni XX. Hic perficitur numerus tertiæ Ætatis annorum DCCCCXLII, & fiunt anni ſimul trium Ætatum IIDCCCXC.

A David uſque ad Salomonem ſunt anni XL; a Salomone autem uſque ad Roboam computantur anni XL, & a Roboam uſque ad Abiam ſunt anni XVII; ab Abia uſque ad Aſa fiunt anni III, & ab Aſa uſque ad Joſaphat anni XLI; a Joſaphat autem uſque ad Joram ſunt anni XXV; de Joram uſque ad Azariam fiunt anni VIII, & ab Azaria uſque ad Athaliam fit annus unus. Ab Athalia enim uſque ad Joam ſunt anni VI; a Joa vero uſque ad Amaſiam ſunt anni XL, & ab Amaſia uſque ad Oziam ſunt anni XXIX. Ab Ozia enim uſque ad Joatham fiunt anni LII; de Joathane autem uſque ad Achaz ſunt anni XVI, & ab Achaz uſque ad Ezechiam ſunt anni XVI, & ab Ezechia uſque ad Manaſſen ſunt anni XXIX; a Manaſſe vero uſque ad Amon ſunt anni LV; ab Amon uſque ad Joſiam fiunt anni duo, & de Joſia uſque ad Joachim ſunt anni XXXI; a Joachim uſque ad Sedbechiam ſunt anni XI; de Sedbechia ad Nabuchodonoſor anni XI. Hic finitur numerus quartæ Ætatis, continens annos CC CCLXXIII, & anni quatuor Ætatum fiunt ſimul IIICCCLXIII.

Sunt anni quintæ Ætatis uſque ad Cyrum XXX; a Cyro uſque ad Cambyſem ſunt anni XXX; a Cambyſe uſque ad Darium anni IX; a Dario uſque ad Xerxen ſunt anni XXXVI; a Xerxe uſque ad Artaxerxen ſunt an-

(1) *Alias* Ehud.

ni XXI, & ab Artaxerxe usque ad Darium sunt anni XL; a Dario usque ad item Artaxerxen anni XIX; ab Artaxerxe autem usque item Artaxerxen sunt anni XL, & ab Artaxerxe usque Arsen anni XXVI; ab Arsè vero usque ad Darium sunt anni IV; a Dario autem usque ad Alexandrum sunt anni VI; ab Alexandro enim usque ad Ptolomæum sunt anni V, & de Ptolomæo usque ad Philadelphum sunt anni XL; a Philadelpho usque ad Evergeten anni (1) *XXXVIII; ab Evergete autem usque ad Philopatorem sunt anni XXVI; a Philopatore autem usque ad Epiphanem sunt anni XVII, & de Epiphane usque ad Philometorem anni XXIV; a Philometore quidem usque item Evergeten anni XXXV, & ab Evergete usque ad Soterem sunt anni XXIX, a Sotere usque ad Alexandrum anni XVII; ab Alexandro vero usque ad Ptolomæum sunt anni X; a Ptolomæo usque ad Dionysium anni VIII; a Dionysio vero usque ad Cleopatram sunt anni XXX, & a Cleopatra usque ad Julium Cæsarem anni II; a Julio usque ad Octaviamum Augustum sunt anni V, & ab Octaviano Augusto usque ad Christum sunt anni XLII. Hic finitur quinta Ætas, annos habens DLXXXIX, & sunt simul anni quinque Ætatum IIIDC CCCLII.*

A nativitate Domini nostri JESV Christi usque ad Tiberium numerantur anni XIV; a Tiberio vero usque ad Passionem Christi sunt anni XVIII; & a Christi Passione usque ad Gajum sunt anni V; a Gajo usque ad Claudium anni IV, & a Claudio usque ad Neronem sunt anni (2) *XIV; a Nerone vero usque ad Vespasianum sunt anni XIV, & de Vespasiano usque ad Titum anni* (3) *IX; a Tito vero usque ad Domitianum anni duo, & a Domitiano usque Nervam anni XVI; a Nerva usque ad Trajanum fit annus I; a Trajano quidem usque ad Adrianum anni* (4) *XIV; ab Adriano usque ad Antoninum sunt anni XXI, & ab Antonino usque ad item Antoninum anni* (5) *XXIII; ab Antonino autem usque ad Commodum sunt anni XIX; a Commodo enim usque ad Helvium Pertinacem anni* (6) *XIII, & de Helvio usque ad Severum fit annus unus; a Severo usque ad Antoninum Caracallam sunt anni XVIII; ab Antonino Caracalla usque ad Macrinum anni VII; a Macrino vero usque ad Aurelium fit annus unus, & de Aurelio usque ad Alexandrum anni IV; ab Alexandro usque ad Maximinum sunt anni XIII; a Maximino quoque usque ad Gordianum anni III; a Gordiano usque ad Philippum anni* (7) *VI, & a Philippo usque ad Decium anni VII; a Decio ad Valerianum anni* (8) *III: a Valeriano usque ad Claudium anni XV; a Claudio enim usque ad Aurelianum anni duo; ab Aureliano usque ad Probum sunt anni* (9) *VI, a Probo ad Carum anni* (10) *V, & a Caro usque ad Diocletianum anni II; a Diocletiano vero usque ad Con-*

(1) *Apud Bedam vulgo perperam legitur XXXIII.*
(2) *Apud Bedam in libro de Temporibus legitur XIII.*
(3) *Apud Bedam X.*
(4) *Rectius apud Bedam XIX.*
(5) *Apud Bedam XXII.*
(6) *Minus recte apud Bedam III.*
(7) *Apud Bedam VII.*
(8) *Apud Bedam legitur:* Decius anno uno. Gallus & Volusianus annis II.
(9) *Apud Bedam V.*
(10) *Apud Bedam VII.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Constantinum fiunt anni XX, (1) *a Constantino usque ad Constantium anni* (2) *XXI; de Constantio usque ad Julianum anni XXIV, & a Juliano usque ad Jovianum anni II. A Joviano ergo usque ad Valentinianum fit annus unus, de Valentiniano usque ad Valentem anni* (3) *XI, & de Valente usque ad Theodosium anni IV; a Theodosio vero usque ad Arcadium anni XVII; ab Arcadio usque ad Honorium anni XIII; ab Honorio usque ad Theodosium anni XV, a Theodosio usque ad Marcianum anni XXVI, a Marciano usque ad Leonem anni* (4) *XVII;* (5) *item a Leone usque ad Zenonem fit annus I, & de Zenone usque ad Anastasium fiunt anni* (6) *XVI; ab Anastasio vero usque ad Justinum sunt anni* (7) *XXVII, & a Justino usque ad Justinianum anni IX; item a Justiniano usque ad Justinum sunt anni XXXIX; item a Justino usque ad Tiberium anni* (8) *XVI; a Tiberio usque ad Mauricium fiunt anni* (9) *IV; a Mauricio usque ad Focam sunt anni* (10) *XX; a Foca usque ad Heraclium anni VIII; ab Heraclio usque ad Constantinum* (11) *fiunt anni XXVI;* (12) *a Constantino usque ad Justinianum anni XVII; a Justiniano usque ad Pippinum Seniorem fiunt anni II; a Pippino Seniore usque ad Karolum anni XXVII; a Karolo usque ad Pippinum & Carolomannum anni XXVII, & a Pippino & Carolomanno usque dum Pippinus constitutus est Rex fiunt anni X; a Pippino vero usque ad Carlum & Carlomannum anni XVII, & a Carlo & Carlomanno usque ad Carlum fiunt anni IV; & inde Domnus Carlus solus Regnum suscepit, & Deo protegente gubernat usque in* (13) *præsentem annum feliciter, qui est annus Regni ejus XLII, Imperii autem IX. Sunt autem totius summæ ab origine Mundi anni usque ad præsentem annum* IVDCCLXI.

Ab Adam usque ad nativitatem Christi computantur anni IIIDCCCLII; *inde usque ad Passionem ejus anni XXXIII & dimidius. Si in primo anno, quo Adam factus est, posueris terminum Paschæ in XII. Kal. April. & VII. concur. erit in ipsa dies IVta feria, in qua sidera condita esse credunt, & plenilunium atque æquinoctium. Quod cum tali termino talique concur. cyclum inchoaveris, & usque ad Christi nativitatem vel Passionem supputando prædictum annorum numerum perduxeris, erit anno Nativitatis Dominicæ terminus Kal. & concur. IV, annoque Passionis*

(1) *Inserendum hic ex Beda*: Maximinus Severusque annis II.
(2) *Rectius apud Bedam legitur XXXI.*
(3) *Apud Bedam XIII.*
(4) *Rectius apud Bedam VII.*
(5) *Inserendum hic ex Beda:* A Leone autem Majore usque ad Leonem ejus filium anni XVII.
(6) *Apud Bedam XVII.*
(7) *Apud Bedam XXVI.*
(8) *Apud Bedam XI.*
(9) *Apud Bedam VII.*
(10) *Apud Bedam XXI.*
(11) *Adde hic ex Beda:* qui fuit filius Heraclii.
(12) *Inserendum hic ex Beda:* A Constantino filio Heraclii usque ad Heracleonam menses VI; ab Heracleona autem & matre ejus Martina usque ad Constantem (*Heraclii nepotem*) anni II. A Constante usque ad Constantinum (*Pogonatum*), ejus filium, anni XXVIII.
(13) *Fuit is annus Æræ Christianæ vulgaris octingentesimus nonus, uti liquet ex sequenti numero tam annorum Mundi, quam annorum Regni & Imperii Caroli Magni. Quod autem ad præcedentem supputationem successionis Imperatorum Romanorum attinet, ea tam apud* Bedam, *quam* hic *culpa imperitorum & negligentium librariorum multis locis depravata, & adminiculo accuratioris Chronologiæ hoc ævo usitatæ emendanda est.*

ſionis terminus XVII. Kal. Maji & concur. IV. Si vero ab Adam uſque ad Nativitatem Domini $\overline{V}$*CXCVIIII annos habere volueris, & ſupputationem eorundem annorum ſecundum prædictam rationem per concurrentes & terminos compleveris, habebis anno Nativitatis Domini terminum Paſchæ XIV. Kal. Maji & concur. I, anno vero Paſſionis terminum IV Nonas Aprilis & concur. II. Si autem ab Adam uſque ad Chriſtum* $\overline{V}$*D pronunciaveris, eoſque ſecundum ipſam regulam computaveris; eveniet tibi anno Dominicæ Nativitatis terminus Paſchæ XI. Kal. April. & concur. VII, annoque Paſſionis terminus. Non. Aprilis & concur. VII.*

Hucuſque antiquum illud *Breviarium Chronologicum* una cum appendice de cyclo *concurrentium* ſive *Epactarum Solis*. Quid autem his nominibus intelligatur, prolixe docent Venerabilis *Beda* in libro de Argumentis Lunæ, & R. P. *Dionyſius Petavius* in magno Opere de Doctrina Temporum, libri ſexti capite vigeſimo octavo. Quod reſtat, certiſſimum eſt autorem hujus Abbreviationis Chronologicæ in ea componenda ſecutum eſſe ſupputationem Venerabilis *Bedæ*, &, quæ ab illo in *duobus* iſtis libris, quos de *Sex Ætatibus Mundi* & *de Temporibus* inſcripſit, ſatis prolixe traduntur, in arctum contraxiſſe, & vel ab A. C. 703, ubi jam memoratus *Beda* in libro (1) *de Temporibus* definit, vel ab A. C. 725, ubi idem definit in libro (2) *de Sex Ætatibus Mundi*, uſque ad *ætatem ſuam*, hoc eſt, uſque ad A. C. 809 continuaſſe. Si quis jam porro autem ex me quæſierit, quem ego *Abbreviationis* hujus autorem eſſe exiſtimem, conſtanter affirmare auſim, eum eſſe *Eginhardum* Imp. Caroli Magni Cancellarium; utpote qui non ſolum *eadem ætate* vixit, & Hiſtorico ac Chronologico ſtudio valde fuit deditus, verum etiam inprimis ſcriptorum *Bedæ* diligens fuit lector & æmulus, adeo ut *Sigebertus Gemblacenſis* in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 84 referat, *quod ad imitationem Bedæ, qui abbreviarat Hebraicum Pſalterium excerpendo de illo omnes verſus verba orationis habentes, abbreviarit & ipſe Gallicanum Pſalterium.* Veriſimillimum etiam mihi videtur, Chronologicum hoc Hiſtoriæ univerſalis Breviarium initio in privatum duntaxat uſum ab eo eſſe compoſitum, ut nempe ad *Vitam Imp. Caroli Magni* & *Annales Francorum* ſcribendos hoc modo ſe præpararet, & tempora Hiſtoriæ univerſalis cum temporibus Hiſtoriæ rerum Francicarum ſui ævi conjungeret. Simile aliquot *Breviarium Chronologicum* & fere idem extat in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ

(1) *Incipit ibi* Beda *caput trigeſimum ſecundum ſive ultimum illius libri his verbis:* Sexta Ætas continet annos præteritos DCCVIII. *In fine autem ejuſdem capitis contradicit ipſe ſibi, dum illud concludit his verbis:* Tiberius de hinc quintum egit annum. Reliquum ſextæ Ætatis Deo ſoli patet. *Per* Tiberium *enim intelligitur hic* Tiberius Apſimarus, *qui contra* Leontium *A. C. 698 invaſit Imperium, &* quintum *tyrannidis ſuæ annum finivit anno 703. Corrigendum itaque eſt principium illius capitis, & pro annos præteritos DCCVIII ſcribendum eſt annos præteritos DCCII. Vid. R. P. Dionyſ. Petavii Rationar. Tempor. Part. I. lib. 8. cap. 3.*

(2) *Claudit enim ibi* ſextam Ætatem *currente adhuc anno* nono Imp. Leonis, *cognomine Iſaurici & Iconomachi, qui cœpit imperare anno Chriſti 717 d. 25. Martii, ut teſtatur Theophanes.*

thecæ Cæſareæ antiquo Codice membranaceo MSto, inter MStos Codices Theologicos Latinos *quadringenteſimo octogeſimo ſexto*, cujus Inſcriptio ſive Rubrica: *Incipit Chronica Bedæ Presbyteri.* Sed corrigenda ea eſt per alterum illum Codicem, de quo ſupra egi, & mutanda hoc modo: *Incipit Abbreviatio Chronici Bedæ Presbyteri.* Quod enim Ipſi *Bedæ* Breviarium illud Chronologicum non poſſit attribui, ſatis inde patet, quia is anno Chriſti 735, hoc eſt, *triginta ſex* annis ante mortuus eſt, quam Carolus Magnus poſt mortem fratris ſui Carolomanni anno Chriſti 771. *ſolus* cœpit regnare. Nam eouſque id pertingit, uti ex ſequentibus ejus poſtremis verbis videre eſt: *A Karolo & Karolomanno uſque ad Karolum fiunt anni IV; & inde Dominus Karolus regnum ſuſcepit ſolus & regnavit.* Sequitur deinde ibidem enumeratio cum Regum *Longobardorum* in Italia ab (1) *Angelmundo* uſque ad *Deſiderium*, tum quoque Imperatorum Romanorum a *Carolo Magno* usque ad Imp. *Henricum III.* Imp. *Conradi Salici* filium, cujus temporibus continuator iſtius Breviarii Chronologici videtur vixiſſe. Qua quidem de *Appendice*, uti & de cæteris memoratu dignis monumentis antiquis, quæ eodem jam memorato Codice MSto, inter Theologicos Latinos *quadringenteſimo octogeſimo ſexto* continentur, alio poſthac magis opportuno tempore & loco agam prolixius.

XXXII. *Vigeſimus primus* Codex, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in quarto & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos *trecenteſimus vigeſimus tertius.* Continet is inter alia eandem illam ſupra jam ſæpius memoratam Imp. Caroli Magni vitam ab *Eginhardo* conſcriptam, (a) cujus principium: *Gens* (2) *Meroingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant*, &c; finis autem: *adimplere curavit.* Titulus ſive Inſcriptio, quæ olim majuſculis literis rubricatis fuit exarata, cujus neſcio manu & quam ob cauſam de induſtria eraſa eſt. Præfatio etiam *Eginhardi*, cujus principium, *Vitam & conſervationem* &c, ibidem deeſt, uti & *tria* illa (3) *diſtica*, quæ in nonnullis Codicibus iſti Vitæ ſubjuncta eſſe ſupra monui. Eorum autem loco ſine ullo peculiari titulo ſive inſcriptione ſequuntur ibi iidem illi *Annales Regum Francorum Pippini, Caroli Magni & Ludovici Pii* ab anno Chriſti DCCXLI incluſive uſque ad annum DCCCXXIX, quorum ſupra Segmento hujus Capitis XIX, Col. 464 & 465, ubi de Codice MSto inter Hiſtoricos Latinos *centeſimo quadrageſimo ſeptimo* egi, jam facta eſt mentio. (b) Principium eorum hoc eſt: *Hoc anno Karlus*

(1) *Ita hoc nomen ibi ſcriptum eſt, nempe* Angelmund, *non autem, ut apud Onuphrium Panvinium*, Agelmund.

(2) *Ita ibi ſcriptum eſt, non autem* Merovingorum.

(3) *Quorum principium:* Hos tibi verſiculos &c. *Vide ſupra Col. 455.*

(a) *Is codex nunc eſt inter hiſtoricos Prof.* IↃCLIV: *Vita* KAROLI M. manu ſæculi decimi nitide, *inquit*, GENTILOTTUS ac diligenter deſcripta eſt: paginam primam ſi excipias, quam, priori ſcriptura ac miniata inſcriptione eraſa, manus ſæculi duodecimi refecit. KOL.

(b) Annales *hi in præſenti codice modico intervallo relicto* EGINHARTO, *ſine ulla inſcriptione eademque manu, connectuntur. Manu non admodum vetuſta prætexta eſt iis annalibus hæc nota:* Hucuſque Eginhartus eſt editus, quæ ſequuntur, a me reperta ſunt. *Quam notam forte adſcripſit* JUSTUS REUBERUS, *qui*

lus Major-domus diem obiit, tres filios hæredes relinquens &c; finis autem: *nec non & ipsum sacrosanctum Dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebravit.* Quandoquidem autem supra indicavi, Annales istos a *Justo Reubero* in Syntagmate veterum Scriptorum rerum Germanicarum, Francofurti typis Andreæ Wecheli A. 1584 impresso in fol., jam pridem esse editos, cum hac Inscriptione sive Titulo: *Annales Regum Francorum Pippini, Caroli Magni & Ludovici, a quodam ejus ætatis Astronomo, Ludovici Regis domestico, conscripti;* facere non possum, quin in præsens addam, incidisse me postea in antiquissimam & omnium primam eorundem Annalium editionem, quæ una cum Imp. *Caroli Magni* ab *Eginhardo* conscripta *Vita* in lucem prodiit A. 1521 Coloniæ Agrippinæ in 4to, typis quidem Joannis Soteri, studio autem & cura *Hermanni a Nuenare*, Sacri Imperii Romano-Germanici Comitis, qui eam Imp. *Carolo V.* eleganti quadam & lectu digniſſima Præfatione dedicavit, addita insuper erudita Dissertatiuncula de *Origine, sedibus & lingua priscorum Francorum.* In hac igitur supra memoratorum Annalium prima & vetustissima editione impressa titulus eorum sive inscriptio se habet hoc modo: *Annales Regum Francorum, PIPINI, KAROLI, LVDOVICI, ab anno post CHRISTVM natum DCCXLI usque ad* (1) *DCCC XXVIII, collecti per quendam Benedictinæ religionis monachum, qui ipsas res gestas diligenter accurateque scriptis commendavit. At illius nomen quia hactenus nobis exploratum non fuit, Lectorem ad Historiæ veritatem remittendum duximus, quæ authori vel incognito fidem facile impetrabit.*

Hucusque Inscriptio illa, quæ ab Illustrissimo Comite *Nuenario* Annalibus istis præfixa est. Ego autem pro certo habeo, verum eorum Annalium autorem eundem illum esse *Eginhardum*, qui *Imp. Karoli Magni* Vitam, in eodem Codice MSto sine interpositione novi tituli proxime præcedentem, composuit. Inclaruit enim is postremis *Imp. Karoli Magni* temporibus, &, licet sub filio ipsius *Imp. Ludovico Pio* multo etiam magis floruerit, sua tamen sponte aulicam vitam deseruit, evasitque (2) *monachus Benedictinus* atque *primus Abbas Cœnobii* (3) *Seligenstedensis* sive *Saligenstadensis*, quod in Franconia tribus a Francofurto ad Mœnum milliaribus situm est. Minime etiam dubium mihi est, quin per *Historiam* illam, quam *Joannes Trithemius* in libro quidem de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de *Egin-*

ignorans eos annales ab HERMANNO *Comite a* NUENARE *jam publici juris factos, eosdem intexuit Syntagmati Scriptorum rerum Germanicarum, quod vulgavit anno* CIↃIↃLXXXIV. *fol.* GENTIL. *Confer, quæ ex eodem adnoto superius ad cod. VII. Col. 465.* KOL.

(1) *Pro DCCCXXVIII perperam ibi impressum legitur LXXXVIII.*

(2) *Vide Trithem. Catalog. Illustr. Viror. German. & librum de Scriptorib. Eccles. ust.*

(3) Seligenstede *sive* Saligenstad, *si quis Germanice interpretetur, idem est atque* locus Beatorum. *Notandum etiam est, in monasterium* Saligenstadense *A. C. 828 Roma translatas esse reliquias* SS. Marcellini & Petri; *de quorum inventione & miraculis ipse* Eginhardus *libros quatuor prosa oratione, & unum metrice composuit. Extant ii apud* Laur. Surium *Tomo VII de probatis Sanctorum Vitis d. 2. Junii. Vid. etiam Card. Baron. Annal. Eccles. Tom. IX. ad ann. 826 & 828.*

Eginhardo agit, ſimpliciter vocat *Hiſtoriam temporum*, in Catalogo autem Illuſtrium Virorum Germaniæ appellat *Hiſtoriam temporum de geſtis Germanorum & Francorum*, & quam utroque citato loco ab *Eginhardo* compoſitam fuiſſe teſtatur, nihil aliud intelligendum ſit, quam *Annales* illi rerum geſtarum Pippini, Caroli Magni & Ludovici Pii ab anno Chriſti DCC XLI uſque ad Annum DCCCXXIX pertingentes, de quibus in præſens agitur. Quod ſupereſt, id quoque adjiciendum cenſeo, poſteriorem hunc Codicem inter MStos Hiſtoricos Latinos *trecenteſimum vigeſimum tertium*, multo eſſe antiquiorem multoque melioris notæ quam priorem illum, qui eſt *centeſimus quadrageſimus ſeptimus*; ideoque operæ pretium fore, ut is non tantum cum duabus ſupra memoratis *Comitis Nuenarii* & *Juſti Reuberi* editionibus accurate conferatur, verum inſuper etiam cum eorundem Annalium recentiori *apographo* chartaceo, quod extat in Codice MSto inter Hiſtoricos Latinos *quadringenteſimo trigeſimo octavo*.

XXXIII. *Vigeſimus ſecundus Codex*, ad ævum Caroli Magni pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, eſt membranaceus in folio, & inter MStos Codices Theologicos Latinos *quintus*. Continet is *Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti latina*, ſtudio & ſumptibus *Radonis*, celeberrimi Monaſterii Benedictini *S. Vedaſti* apud Atrebates *undecimi* Abbatis, primo regiminis ejus anno, hoc eſt, anno Chriſti DCCXCV ita exarata, ut ſingulæ cujuſque folii paginæ in *tres columnas* diviſæ ſint. Figura literarum eadem omnino eſt atque illarum *aurearum*, quibus (1) ſupra memoratum *Caroli Magni Pſalterium* anno Chriſti DCCLXXII a *Dagulfo* exaratum eſt. Cauſam ſcribendi ejus Codicis præbuit *incendium boſtile*, quo templum S. Vedaſti una cum omni ſuppellectile ſacra conflagraverat. Illi ergo reædificando, omnibuſque rebus neceſſariis inſtruendo & exornando jam memoratus Abbas *Rado* primo ſtatim regiminis ſui anno ſummam impendit induſtriam & liberalitatem, adhibito ad hoc in conſilium & auxilium *Alcuino*, Caroli Magni præceptore; cujus opera potiſſimum uſus eſt ad recenſionem & emendationem librorum, ad ſtudium Theologiæ & cultum divinum pertinentium, quos illorum loco, qui igne perierant, per Cœnobii ſui alumnos de integro curavit deſcribi. Inter eos autem, ut propter quotidianum uſum maxime neceſſarii, primum locum obtinuerunt *duo*, nempe *Codex Sacrorum Bibliorum Vtriuſque Teſtamenti* ac *Miſſale*. Et quod quidem ad *Miſſale* attinet, de eo citat *Ferreolus Locrius* in Chronico ſuo Belgico inſigne hoc ex ipſius Monaſterii S. Vedaſti antiquis monumentis deſumptum teſtimonium: (2) *Raddo ad res inſtaurandas divino munere datus anno 795 expectationi omnium cumulate reſpondit; qui ambuſtum fœdatumque incendio Templum magnifice inſtauravit, ornavitque omnibus ſuis partibus, inprimis magna vi auri argentique fuſi & cælati in Calices & Thecam S. Vedaſti & conſimilia: tum aulæis & clara veſte, impenſis adeo magnis, parſimonia æquale vectigal ſuppeditante. Miſſale implicatum ſatis*

(1) *Col.* 347.
(2) *Ita ibi hoc nomen impreſſum eſt; nempe* Raddo *per duplex* d, *non autem* Rado.

ſatis (ut ferebat conditio temporis) exa-
mini venerabilis Alcuini ſubjecit; cujus
deſcriptæ etiammunc extant apud nos ad
Raddonem Epiſtolæ atque aliquot ver-
ſus, quibus opera ejuſdem poſteritati
commendat. Hucuſque teſtimonium illud de *Radonis* & *Alcuini* Miſſali. Quod porro autem ad Codicem Sacrorum Bibliorum eorundem cura deſcriptum attinet, is eſt ille ipſe, qui in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* etiamnunc adſervatur, ſed ita, ut partim inſcitia & negligentia, eorum qui tanti theſauri dignitatem vel prorſus ignorarunt, vel non recte æſtimarunt, partim autem longinquo *octingentorum ſeptuaginta duorum* annorum ſpatio, totus ſit ruinoſus, & pleriſque locis præ vetuſtate vix amplius legibilis. In principio ejuſdem extant *duo Poëmata Alcuini* hactenus, quod ſciam, non edita, quæ continent commendationem lectionis Sacræ Scripturæ, enumerationem & argumentum Librorum ſacrorum Vtriusque Teſtamenti, invocationem Chriſti pro ſalute & felice imperio Regis *Caroli Magni*, ac denique honorificam Abbatis *Radonis* mentionem, quod is Codicem hunc loco ejus, qui igne perierat, deſcribi curaverit. Titulus antiquis Poëmatibus iſtis præfixus eſt hic:

IN CAPITE BIBLIOTECHAE AB ALCVINO EDITI.

Ubi primo quidem notandum eſt, ſine dubio hic ſubintelligendum eſſe ſubſtantivum plurale *VERSVS;* ſecundo autem, per *Bibliothecam* ſignificari integrum corpus totius Scripturæ Sacræ cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, eodemque modo in *Præfatione proſaïca* Geneſi ibidem præfixa eundem Codicem appellari *Bibliothecam Sanctarum Scripturarum.* Sequitur nunc Poëma primum.

IN hoc quinque libri retinentur Codice Moyſis,
Bella Ducis Joſue, Seniorum & tempora Patrum,
Ruth, Job & Regum bis bini namque libelli,
Atque Prophetarum ſancti bis octo libelli;
Carmina præclari Chriſti patris hymnica David,
Et tria pacifici Salomonis opuſcula Regis,
Jungitur his Sophiæ Jeſu ſimul atque libellus
Et Paralipomenis enim duo nempe libelli;
Hinc Ezræ, Nehmiæ, Heſter, Judith atque libelli,
Et duo jamque libri Machabæa bella tenentes.
Matthæi & Marci, Lucæ liber atque Johannis
Inclyta geſta tenens ſalvantis ſecula Chriſti;
Sanctus Apoſtolicos Lucas conſcripſerat Actus;
Bis ſeptem Sancti per chartas dogmata Pauli,
Jacobi, Petri, Judæ & pia dicta Johannis,
Scribitur extremo Johannis in ordine Tomus.
Hos lege tu lector felix feliciter omnes
Ad laudem Chriſti propriamque in ſecla ſalutem.

Alterum autem ejuſdem *Alcuini* Poëma, quod præcedenti ſine ullo novo titulo ibidem ſubjungitur, hoc eſt:

DUm primus pulchro fuerat homo pulſus ab horto
In hanc pro miſeram morte dolore diem,
Iuſandi & gemuit condigna piacula facti
Cum tota pariter prole ſalutis inops.
Non tamen omnipotens bonitas dimiſerat omne
In miſeris magnæ jam pietatis opus;
Plurima ſed mitis lacrymis ſolatia noſtris
Attulit e cœlis in bonitate ſua,
Illius ut ſemper pietas laudetur, ametur
Cunctorum pariter pectore, mente, manu.
Quicquid habere boni poterit mens conſcia recti
Illius hoc totum gratia ſumma dedit.
Inter quæ ſiquidem ſunt maxima dona librorum,
Qui ſeries rerum & tempora cuncta canunt,
Et dictante Deo retinent primordia Mundi
Et Chriſtum ſeclis præcecinere pium;
In quibus & homini ratio eſt data certa colendi
Ipſa Deum, vera eſt quæ via, vita, ſalus.
Hos legat & teneat, placeat cui pectore puro
Vivere cum Chriſto perpes in arce poli.
Sunt numero pariter (1) deni duo ſepties atque,
De quibus & nulli jam dubitare licet.
In Chriſti nobis numerus venerabilis iſte
Myſtice Diſcipulis namque ſacratus adeſt.
His etiam libris ineſt cœleſtis origo,
Hos quia dictavit Spiritus ipſe Deus.
Continet iſte uno ſanctus ſub corpore Codex
Hic ſimul hos totos munera magna Dei
Omnia namque novæ ac veteris pia famina legis
Hicce non dubites lector habere pius
Hic vitæ fons eſt, hæc eſt ſapientia vera,
Hæ ſunt perpetuæ namque ſalutis opes.
Qui cupit inveniet Scripturas dicere ſacras
Sanctorum dicta hic veneranda patrum,
Legifer ille pius quicquid jam ſcripſerat olim
De mundi ac rerum principio ſiquidem
Qualiter Omnipotens naturas conderet omnes,
Ingenio quantum ſcire licet hominis.
Hic etiam legitur homines factura creati,
Qualiter aut fugerit exul ab orbe ſacro;

Impius

(1) Deni duo ſepties *pro* Septuaginta duo.

Impius aut frater ſceleratam ſanguine dextram
Fraterno impleret cur pietatis inops,
Poſt etiam retinet numeros & nomina Patrum,
Seclorum per quos ordo cucurrit ovans.
Jnde Noë requies mundi jam naſcitur almi
Tempore ſub cujus jam cataclyſmus erat,
Dum natat arca Dei pelago, ſpes altera mundi,
Totius & ſecli proli repleta ſimul.
Extruit immenſam damnanda ſuperbia turrem,
Pro qua dividitur conſona vox hominum.
Tum pater Abraam, cœli bene doctus in aſtris,
Cui promiſſus erat Filius ipſe Dei.
Exilia hinc Iſaac, Jacob quoque longa leguntur,
Perque patres bis ſex gentis origo ſacræ.
Venditur hinc fratrum ſcelere & puer-(1) *tatur atro*
Joſeph in Ægyptum patre dolente pio;
Qui Regni & ſubito factus de carcere Rector,
Et cum prole patrem duxit in arva ſenem.
Continet hæc Geneſis pariter liber omnia primus,
Vſque fuit Joſeph mortis amara dies.
Poſt cujus mortem Pharao Rex impius alter
Inpoſuit famulis vincula dura Dei.
Poſt Exodus habet præclari tempora Moyſis,
Qui mandante Deo Dux fuit in populo;
Fortiter educens Ægypti hæc gente maligna
Perque decem plagas agmina ſancta Dei,
Egit iter populus ſiccis per æquora plantis,
Cantantes Domino carmina lætitiæ.
Hinc data lex fuerat Sinai de vertice celſo
In tabulis ſancto ſcripta Dei digito;
Quam turbis retulit deſcendens vertice montis
(2) *Cornuta facie Legifer ipſe pius.*
Longa quidem populis vix per deſerta vagantem
Condere præcipiens atria ſancta Deo,
Cum menſis, vaſis, tabulis ſimul atque lucernis
Sanctaque Sanctorum, quo fuit arca Dei.
Inde Sacerdotum deſcribit in ordine cultus
Ac Levitarum tertius ipſe liber,
Tempora ſanctorum currentia feſta dierum
Et veſtes Aaron progeniemque ſacram.

Scribi-

(1) *Locus mendoſus de cujus vera emendatione nondum mihi liquet.*
(2) *Vide Hiſtoriæ meæ Literariæ librum ſecundum, cap. 1. §. 2.*

Scribitur in quarto Numerorum myſticus ordo
Per Tribus & turmas ſumma Dei populo.
Myſtica ſed Balaam ſenioris verba Prophetæ
Vera cadens quinam plurima præcecinit.
Quatuor hinc decies per vaſta ſilentia mundi
Erravit ſitiens plebs male fida Deo.
Dux renovat legem dictis mordacibus almam
Dumque diem mortis ſenſit adeſſe ſibi.
Hoc tenet egregio quintus ſermone libellus
In mentem revocans dona Dei populo.
Per deſerta negans Dominum perit inproba turba
Ac mandante Deo Legifer almus obit.
Joſue ſurrexit, turbas Dux inclytus armis
Inducens patriam, quam Deus ipſe dedit.
Plurima qui geſſit præclaris bella triumphis,
Diſpergens gentes Cananeas gladio;
Per Tribus & ſortes per nomina clara parentum
Inclyta diſtribuens Regna Dei populo;
Cujus geſta tenet jam ſextus in ordine Tomus
Prætitulatus enim nomine namque ſuo.
Poſt mortem cujus populus cum tempore multo
Vſque dies Sauli Judicibus regitur.
Quorum geſta, genus, tempus, loca, bella, triumphos,
Nomina namque refert ſeptimus ille liber.
Et (1) paticus enim librum decurrit in iſtum,
Quem Ruth conſequitur fœmina clara fatis.
Hinc Job intrepidus fidei bellator in armis,
Præſignans Chriſti tempora ſacra Dei.
Hinc ſcribuntur enim Samuëlis geſta Prophetæ,
Saulque Philiſtæo qui perit enſe fero,
Iſraëlita potens primis electus ab annis,
Poſt quem detinuit Regna beata David.
Hymnica qui cecinit Pſalmorum carmina vates,
Prætitulans Chriſti tempora, geſta, diem:
Semine de cujus Regali ſtemmate felix
Alma Dei genitrix virgo Maria fuit.
Pacificus poſt quem Salomon Regna regebat,
Qui conſtruxit ovans templa ſacrata Deo.
In nato cujus finduntur viſcera Regni,
Et Judam tantum Rex Roboam tenuit.
Induit Hieroboam Samariæ ſtemmata (2) parvus,
Qui Regum primus excoluit vitulos,

Hinc

(1) *Locus mendoſus, de cujus vera emendatione nondum mihi liquet.*
(2) *Ita quidem ibi ſcriptum eſt, ſed videtur legendum eſſe* pravus.

Hinc ſibi Regna duo fuerunt contraria ſemper,
Et fratres inter bella fuere rea.
Sic Regum ſeries per tempora longa cucurrit,
Præ multis ſcelerum noxia criminibus,
Donec in externas populus cum Principe gentes
Ductus erat, pœnas jamque luere ſuas.
Quattuor hæc libris clauduntur tempora Regum,
Vrbs perit uſque ſacra, Rex ſimul & populus.
Inde Prophetarum præclara Volumina conſtant,
Venturos Chriſti quæ cecinere dies,
Nominibus propriis qui ſunt bis octo libelli,
Hieremiæ hinc gemitus pro Joſia & populo.
Hymnica Pſalterum conſtat per carmina Tomus,
Quæ cecinit Chriſti Rex pater ipſe David.
Tres Salomon libros mirabilis edidit auctor,
His duo junguntur per paradigma libri,
Quorum quippe prior Sapientia dicitur alma,
Notatur Jeſu nomine poſterior.
Hinc Paralipomenonis adeſt ſacer ille libellus
Qui veteris legis dicitur epitome.
Hinc Ezræ, Nehmiæ, Judith, Heſterque libelli,
Tunc Tobiæ pietas, Angelus, actus, iter.
Inclyta nam binis Machabæa bella libellis
Scribuntur victis gentibus & populis.
Hæc eſt ſancta quidem legis ſcriptura vetuſtæ,
Divinis tota quæ titulis redolet;
Tempora Baptiſtæ decurens uſque Johannis.
Sanctus Evangelii hinc celebratur honor;
In quo tecta diu ſacrorum geſta librorum,
In Chriſti adventu jam reſerata patent,
Et veniente Deo præclaræ lucis in orbem,
Vmbrarum tenebræ mox abiere procul.
Hinc quadriga Dei Cherubin comitante refulget,
Quæ Chriſti in Mundum tempora ſacra ſonat,
Matthæus, Marcus, Lucas ſimul atque Johannes
Scribentes Chriſti geſta ſacrata Dei.
Sanctus Apoſtolicos Lucas deſcripſerat Actus,
Dogmata, ſudores, atque laboris iter.
Bis ſeptem Paulus reſcripſit in ordine chartas
Diſcipulis, nec non Vrbibus & populis,
A Domino electus ſpecialis in orbe Magiſter,
Gentibus innumeris dogmata ſacra ſerens.
Hinc Jacobus, Petrus, Judas ſimul atque Johannes
Scripſerunt titulis Myſtica verba ſacris.

Hic etiam recubus Divini pectoris almus
Exul ab humano expellitur orbe pius;
Plurima quæ cernens ſæclis ventura futuris,
Quæ ſit pœna malis, gloria quæve bonis.
Hic liber extremus ſcripturæ inſcribitur almæ,
Divinis totus myſteriis redolens;
Hæc ſunt dona Dei cœleſtibus inclyta gazis,
In his vita, ſalus, gloria divitiæ.
His ſine nemo Deum poterit cognoſcere ſenſu,
Vel præcepta Dei, aut Regna beata poli:
In his vera quidem fulget ſapientia tantum
In his laus, merces, vita, ſalus hominum;
His ſine ſæducit male falſa ſcientia mentem,
Diſcere non curans verba ſacrata Dei;
In quibus æternæ vera eſt ſapientia vitæ,
Gloria, lux, pietas, notus & ipſe Deus.
Quiſque legat hujus ſacrato in corpore libri
Lector in Eccleſia verba ſuperna Dei,
Diſtinguat ſenſus, titulos, cola, commata voce,
Dicat, ut accentus ore ſonare ſciat.
Auribus Eccleſiæ reſonet vox (1) *vimula longe,*
Omnis ut auditor laudet ab ore Deum.
Regnorum Regi Chriſto & Domino Dominorum
Gloria, lux, virtus, laus, honor atque ſalus;
Qui regit Imperio terram, pelaguſque, polumque
Qui voluit ſcire nomen in orbe ſuum,
Et genus humanum clementer ab hoſte maligno
In Cruce jam moriens carne redemit ovans;
Qui ſolita CAROLVM, Regem pietate gubernet
Semper in æternum protegat atque regat;
Dicat & omnis Amen populorum turba per orbem:
Hoc tribuat Cœli Chriſtus ab arce pius,
Vt multis vivat felix feliciter annis,
Poſt hæc & teneat Regna beata Dei.
Codicibus ſacris hoſtili clade peruſtis
Et RADO fervens hoc reparavit opus;
Hoc opus: hoc etenim flammis te ſubtrahit atris,
O Lector, ſi tu pacis amore legis.

Hucuſque *duo* illa *Alcuini* Poëmata, quæ Codici Sacrorum Bibliorum, *Radonis* Abbatis Monaſterii S. Vedaſti cura & ſumptibus abhinc *octingentis ſeptuaginta duobus* annis deſcripto, præfixa ſunt. (a) Cæterum quando-qui-

(1) *Sic & apud Plautum in Aſinaria legitur* oratio vinula, *ſeu potius, ut Douza legendum cenſet,* vinnula, *hoc eſt, chromatica. Vide Matthiæ Martinii Lexicon Philologicum v. Vinulus.*

(a) *Hæc* LAMBECIUS *de celeberrimo iſto Divini verbi codice; cujus cum argumenti tum vetuſtatis gratia omnia ea, etſi paulo longiora ſint, adſcribenda hic non abs re futurum eſſe putavi,*

quidem inter *Opera Alcuini* haud poſtremum obtinet locum *Vita S. Vedaſti*, ejuſdem ſupra memorati Abbatis *Radonis* rogatu ab illo emendata, haud

quæ Cl. GENTILOTTUS *profeſſa opera in Comentariis ſuis de iſto codice agens, erudite, ſenſit ſcripſitque. Porro is codex nunc inter Theologos eſt L. ad quem Cl. Gentilottus ſic:* Membraneus foliorum 292. antiquiſſimus ſub finem ſæculi octavi, aut initium noni, forma fere quadrata ita ſcriptus, ut ſingulæ paginæ in tres columnas partitæ ſint. Litterarum ductus ſunt rotundi, erecti non nihil tamen quandoque in dexteram partem inclinati. Diphthongus *ae* ſæpe diſtinctis litteris: frequenter conflatis & frequentiſſime *e* caudato ę, quandoque etiam ſimplici exprimitur. Elementum *i* perpetuo ſine puncto aut accentu. Litteræ y punctum imponitur. s. finale perpetuo longum ſeu haſtatum, & tam in principio, quam medio, imo & duæ dictiones eo connectuntur. E. G. *& omnia qu&ua ſunt.* Continentur autem in vetuſtiſſimo juxta ac præſtantiſſimo codice iſto Biblia Sacra utriuſque Teſtamenti ex interpretatione vulgata ſtudio & ſumtibus RADONIS S. Vedaſti Atrebatenſis ab A. C. 795 uſque ad A. 815 Abbatis, & Caroli Magni, ut arbitror Cancellarii (α) ſcripta ad hoc ut jactura, quam ex hoſtili incendio & dereptione cœnobium ejus curæ commiſſum fuerat (β) farciretur id quod ex fine carminis ab Alcuino compoſiti, & his Bibliis intexti liquet, de quo infra.

Primum omnium occurrit ibi fragmentum Lectionarii, in quo ineſt portio non modica homiliæ in feria quarta majoris hebdomadæ, Lectiones omnes feriæ quinctæ in cœna Domini, diei Paraſceues, quibus ſubjuncta eſt *homilia habita ad populum in Baſilica Scae Marie die Sco Paſchæ* quæ eſt *S. Gregorii Magni* & incipit. *Multis vobis lectionib.*

Sequitur a fol. 4. Pſalterium Davidicum minutioribus litteris, quam cetera, exaratum & præpoſtere compactum. Tum fol. 16. Poëmata duo Alcuini, alterum hexametrum: alterum elegiacum. Priori inſcriptio hujuſmodi partim minio, partim atramento præfixa eſt. IN CAPITE BIBLIOTHECAE AB ALCVINO EDITI. Incipit autem ab his verbis.

IN HOC QVINQVE LIBRI *retinentur codice Moyſis &c.* ſecundi ſine ulla inſcriptione hoc eſt initium.

Dum primus pulchro fuerat homo pulſus ab horto &c,

Utrumque edidit Lambecius Tom. II. *Comment.* a pag. 403, ſed ut verum ingenue fatear, non omnino ad Chirographi fidem; ſupplevit enim & mutavit nonnulla, nec ſcripturæ rationem retinuit. In ipſo *Radonis* nomine non attendit ad Virgulam litteræ o ſuperductam, qua fit *Radon* non *Radò* ibi legatur in eo diſticho.

Codicibus ſacris hoſtili clade puſtis.
Et radõ fervens hoc reparavit opus.

Eodem modo nomen illud ſcriptum invenio carmine ſexageſimo ſexto Alcuini in omnium operum editione Paris. A. 1617. quod Carmen cum ſexageſimo octavo Radonis ſtudium in inſtauranda Baſilica S. Vedaſti commendat, & ſingularem amicitiam teſtatur, quæ inter eam atque Alcuinum interceſſit.

Succedit prologus quidam de libris canonicis; cujus initium. *In Xpi nomine vetus teſtamentum ideo dicitur, quia veniente novo ceſſavit* &c.

Tandem à fol. 18. fine prologo incipiunt V. libri Moſis quorum primus inſcribitur LIBER GENESIS adjecta ſubſcriptione in fine EXPL LIB. GENS. ſequitur mox index capitum libri Exodi cum hac epigraphe INCIPIVNT CAP. LIB. EXODI. ſunt autem lemmata XXI. & conveniunt cum iis, quæ *D. Joannes Martianay* ſecundo loco libro Exodi prætexuit, & *Breves*, appellavit; tametſi obſervaverim ſecunda manu, ut apparet, textum aliter diviſum & in XCVII Capita tributum fuiſſe totidem numeris ad oram adſcriptis, ſubſcriptio in fine. EXPLICIT. LIB. EXODI. Hujuſmodi inſcriptiones & ſubſcriptiones omnibus libris adpoſitæ ſunt, quas exſcribere non eſt operæ pretium. Ceteri libri ſequuntur hoc ordine *liber Joſue* cum prologo Hieronymi, qui incipit: *Tandem finita* (ſic) *pentateucho* &c. *Liber Judicum. Liber Ruth. Libri IV. Regum* ſine prologo. Subſcriptio primi EXPL. LIB. REGV. PMVS. In fine quarti legitur. EXPLICIVNT LIBRI REGVM IIII or LEGE CVM DI GRATIA, POSSIDE FELICITER. *Liber Job* cum præfatione Hieronymi, cujus inſcriptio & initium. INCIP PLOGVS DE LIBRO JOB. *Cogor per ſingulos proverbia* cum prologo Hieronymi, qui ſic inſcribitur & incipit: INCIPIT PROLOGVS *libri Salomonis id eſt parabole ejus ſecundum ebraicam veritatem translate ab Euſebio Hieronymo presbytero p&ente, Hieronymus Chromatio & Heliodoro epſcopis. Jungat epla* &c. *Eccleſiaſtes:*

(α) V. Mabillon *de re Diplom.* & Mallinckrot *de Archicancell. Imp.* & Febr. Bolland. ad d. VI Febr. in Comment.

(β) Grævi. § VII. Tom. I. pag. 789.

haud abs re fuerit hac occaſione indicare, quod extet in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto membranaceo, inter MStos Codices Hiſto-

Cantica Canticorum. Prophetia *Iſaiæ* ſine præfatione. Jeremiæ cum prologo, qui incipit *Hieremias* pph&a &c. Ejuſdem *Threni* ſeu *lamentationes* cum notis muſicis a recentiore manu ſuperſcriptis. (Baruch non apparet) Prophetia *Ezechielis* cum prologo Hieronymi. *Ezechiel pph&a* &c. *Danielis* itidem præmiſſo prologo. *Danielem pph&am* &c. Oſeas cum prologo. *Non idem ordo Johel. Amos. Abdias. Jonas. Micha. Naum. Abacuc. Sophonias. Aggaeus. Zacharias. Malachias* in cujus fine jacet ibi hujuſmodi ſubſcriptio EXPLICIT LIBER PROPHARVM, GLORIA TRINITATIS AMEN. Paralipomenon libri duo ſine præfatione, ſecundus liber incipit a verbis *Confortatus ē ergo Salomon.* Ezræ libri duo cum præfatione. *Utrum difficilius ſit Eſther* cum prologo *Librum Heſter;* eſt fine mutilus hic liber, ejuſque extrema verba ſunt hæc. *Rex vero aſuerus omnem terram & cunctas ma* - - - - quæ occurrunt initio capitis decimi; deſunt itaque iſthic nonnulla ex interpretatione eorum quæ habentur in textu Hebraico, omnia vero illa, quæ ex Græcis editionibus adtexta ſunt. Liber ſapientiæ, in cujus medio ſpatium unius & dimidiæ fere columnæ vacuum eſt, revera tamen nihil deficit. Subſcriptio. EXPLICIT LIBER SAPIENTIAE DICITVR SALOMONIS. Eccleſiaſticus, cui ſubjuncta eſt *oratio Salomonis*, quæ incipit: *Et inclinavit Salomon ienua ſua* &c. Liber Tobiæ cum prologo, *Cromatio & heliodoro epiſcopo hieronymus in dno ſalutem. Mirari non deſino* &c. *Judith* cum prologo. *Apud hebreos* Machabæorum libri II. quorum primo prætexta ſunt lemmata capitum cum hujuſmodi epigraphe. IN NOMINE DI SVMMI INCIPIVNT CAPITVLA MACHABEORVM LIB. Initium lemmatum: *ubi everſa hier cſenſer judei edicto regis ſacrificarent idolis lex di exuſta ē juſſu regis antiochi* &c. ſubſcriptio in fine libri ſecundi EXPLICIT LIB SECVNDVS MACHABEORVM HABENS VERSVS DVO MILIA DCCC. Hucuſque libri veteris Teſtamenti: ſequitur novum, cui præmittitur ſeries & ordo Evangeliorum, quæ ſingulis diebus per annum in Miſſæ ſacrificio legi debent, inſcriptio & initium - INCIPIT CAPITVLARIS EVANGELIORV DE CIRCVLI ANNI SCAE ROMANE AECLESIAE. IN NOMINE DNI STATIO AD SCAM MARIAM MAIOREM. *Sed Lucam cap III. Exiit edict a Ceſare aug uſque & in tra pax hominibus bone voluntatis.* Item præfatio Hieronymi in IIII Evangelia quæ incipit *Novam opus me facere* &c. & definit in hæc verba, *vel eadem vel vicina dixerunt. Opto te ut in Xpo valeas & memineris mei papa beatiſſime.* Deeſt igitur ea lacinia, quæ legitur in editis aliquot mss. a *D. Joanne Martianæo* a textu in notas rejecta. Tum alia Hieronymi præfatio ad ejus enarrationem Evangeliorum pertinens hoc initio. *Plures fuiſſe, qui evangelia ſcripſerunt* Fine: *mortuis magis hereticis, quam eccleſiaſticis vivis canendas Amen.* Cetera quæ alias in vulgatis ſequuntur codex iſte non agnoſcit; ſed poſt aliquod intervallum ſubjunguntur nonnulla ex homilia quadam excerpta de verbi incarnatione. Initium *Duorum in generatione Xpi principia pſumens* &c. Deinde Canones decem Evangeliorum, ac tandem ſuccedunt ipſa IIII. Evangelia. In *Evangelia* Joannis legitur hiſtoria de muliere adultera. Prætexta eſt autem ſingulis evangeliis peculiaris præfatio: in Marcum ſic incipit - *Marcus Evangeliſta di.* In Lucam. *Lucas Syrus Antiocenſis arte medicus.* In Joannem. *Hic eſt Joannes Evangeliſta.* Proximi Evangeliis ſunt *actus Apoſtolorum* cum prologo, cujus principium: *Lucas natione Syrus cujus laus* &c. Tum Epiſtolæ Canonicæ ſine prologo. *Jacobi una, Petri duo, Joannis tres, & Judæ una.* In epiſtola Joannis prima illud animadverſione dignum occurrit, verſus ſeptimum & octavum capitis quincti ita ſcriptos eſſe, ut hæc verba *Qm tres ſunt qui teſtimonium phibent* recte ſe habeant & a principio ſic exarata fuerint; quæ vero mox ſequuntur, *in terra aqua ſanguis & caro, tres in nobis ſunt & tres ſunt qui* eraſa, ut manifeſtum eſt, priori ſcriptura, repoſita: cetera vero verſus 8. *teſtimonium phibent in Caelo, patet verbum & ſps & hi tres unum ſunt* eadem manu, ut apparet, in imo margine ſigno adjecto, ad quem locum ſint retrahenda, conſignata fuiſſe. Putem ego librarium humani aliquid hic paſſum, priora cum poſtremis, omiſſis omnibus intermediis, ab initio copulaſſe; proclivi ſcilicet lapſu propter eadem verba recurrentia: at errore deprehenſo locum in eum quem ſupra poſui, modum refeciſſe.(α) Connectuatur epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli, cum

(α) Conf. Adnotationes D. Joannis Martianæi in *prolog. Epiſtol. Canonic.* prope finem de Ludovici Rogerii diſſertatione de *iſta Joannis pericope adverſus ſocinianos* Paris 1725 in 8. editam §. XXX. quorum conjecturæ Codice mirifice confirmantur.

Hiſtoricos Latinos *vigeſimo nono* Exemplar iſtius Vitæ pervetuſtum, &, uti ex ſcriptura aliiſque circumſtantiis liquet, *ipſo Alcuini & Radonis ævo* exaratum; (a) cujus Inſcriptio æque antiqua ibi eſt hæc:

✠ ✠ ✠

INCIPIT VITA SCI VEDASTI EPI
ET CONFESSORIS,
QVOD EST VIII IDVS FEBRVARIAS
ET TRANSLATIO CORPORIS IPSIVS
KL. OCTOBRIS.

Epiſtola *Alcuini*, de emendatione iſtius Vitæ ad *Radonem* ſcripta, quæ in (1) *Andreæ Quercetani* aliiſque editionibus hactenus impreſſis *Prologi* ſive *Præfationis* locum obtinet, deeſt ibi; nec immerito. Fuit enim ea ad *Radonem* ſeparatim miſſa, nec pars eſt iſtius Vitæ, quippe quam *Alcuinus emendavit* tantum, non autem ipſe compoſuit. Teſtatur enim hoc ipſe in principio jam memoratæ Epiſtolæ his verbis: *Dilectionis veſtræ venerabile præceptum ſecutus, vitam ſancti Vedaſti, Patris veſtri & interceſſoris noſtri, emendare ſtudui:* &c. Hinc A ergo ſatis patet, eos errare, qui Alcuinum *autorem* illius Vitæ nuncupant. Vera autem & antiqua ejuſdem Vitæ, ab anonymo quodam autore multo ante, quam *Rado* in Abbatem Monaſterii S. Vedaſti electus eſt, conſcriptæ, Præfatio incipit his verbis: *Poſtquam DEVS & Dominus noſter JESVS Chriſtus ovem quærere perditam* &c: pertingit autem incluſive uſque ad hæc verba: *quomodo opportune ad miniſterium verbi Dei pervenire valuiſſet.* Incipit deinde ipſa Hiſtoria his verbis: *Contigit vero præfatum Francorum Regem* (2) *Hlotho-*
veum

præfatione; cujus inſcriptio & initium. *Incip̄ plogus ſ̄t hieronimi juxta opinionem.* Primum intelligere nos oport& &c. Ad *Romanos* una, ad *Corinthios* duæ, ad *Galatas* una, ad *Epheſios* una, ad *Philippenſes* una, ad *Coloſſenſes* una, ad *Theſſalonicenſes* duæ, ad *Timotheum* duæ, ad *Titum* una, ad *Philemonem* una, ad *Hebræos* una in cujus fine ſubſcriptio. *Expliciunt epiſtol. Pauli Apoſt.* ſingulis iſtis epiſtolis præfixa ſunt argumenta. Quorum primum epiſtolæ ſcilicet ad Romanos ſic incipit *Romani St. in partes Italiæ, hi p̄uenti ſunt a falſis ap̄lis* &c. Extremo loco ponitur Apocalypſis S. Joannis Apoſtoli, cum prologo, cujus principium *Johannes Apoſtolus & Evangeliſta a duo Xp̄o electus* &c. Horum Bibliorum, ex Lambecio, qui de iis egit *lib. II. Comment.* a pag. 402, meminit Jacob Le Long *Bibl. Sacr.* tom. I, pag. 536; a me monendus, hunc

Codicem minime eſſe *totum ruinoſum*, ſed pro tot ſaeculorum decurſu ſatis adhuc incolumem meaque cura inſtauratum; tametſi non diffitear alicubi litteras fugere, quas tamen ſi oculos intendas plerumque aſſequare. KOL.

(a) *Nunc inter codd. Hiſt. Eccleſ.* CXXIII. *de quo* GENTILOTTUS: Vita hæc S. VEDASTI & cætera monumenta ad eam pertinentia, alia & vetuſtiore, &, niſi me omnia fallunt, ſæculi noni manu exarata eſt, ac ea quæ in hoc volumine præcedunt, & ſequuntur. KOL.

(1) *Edidit V. Cl. Andreas Quercetanus Turonenſis omnia* Alcuini *a ſe reperta Opera Lutetiæ Pariſior. typis Nivellianis apud Sebaſt. Cramoiſy Anno 1617. in folio.*

(2) *Ita ibi hoc nomen ſcriptum eſt, non autem* Clodoveum.

veum &c. De cætero notandum eſt, Vitam illam in vetuſtiſſimo hoc Codice MSto Cæſareo diviſam eſſe in *novem* Capita ſive Lectiones, quibus totidem æque antiqua lemmata ſive argumenta præfixa ſunt. Quæ diviſio cum in *Andreæ Quercetani* editione omnino deſit, ab illa autem diviſione, quæ in (1) RR. PP. *Joannis Bollandi & Godefridi Henſchenii* editione extat, valde diſcrepet, operæ pretium me facturum arbitror, ſi eam una cum jam memoratis antiquis lemmatibus hic publicavero.

CAPVT I. Incipit Præfatio ſuſcepti Operis, & quomodo Vir Dei ſanctus Vedaſtus Regi Hlotboveo adjunctus eſſet. Principium hujus Capitis: *Poſtquam Deus & Dominus noſter* &c; finis: *terga verterunt Alamanni, victoria ceſſit Regi & Francis.*

CAPVT II. Quomodo Rex feſtinavit poſt victoriam ad Baptiſmum, & ſibi ſanctum Vedaſtum ſocium adſcivit, cujus doctrina fidei & ſacramenta ſuſcepit. Principium hujus Capitis: *O mira omnipotentis Dei clementia!* &c; finis: *qui eos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum.*

CAPVT III. Quomodo in via ſub præſentia Regis & populi Vir Dei Vedaſtus cæcum illuminavit. Principium hujus capitis: *Sacra igitur Evangelicæ auctoritatis narrat hiſtoria* &c; finis: *& credentibus uſque hodie beneficia præſtantur divina.*

CAPVT IV. Quomodo Rex Hlotboveus ad Baptiſmum venit, ibique in Remis civitate Virum Dei Vedaſtum Sancto commendavit Remigio Pontifici. Principium hujus capitis: *Igitur Rex a Viro Dei Evangelicis adprime inbutus doctrinis* &c; finis: *& vias vitæ perpetuæ ſuperna adjuvante pietate ingreſſi ſunt.*

CAPVT V. De converſatione Viri Dei in Remis, & de Miraculo ibi geſto. Principium hujus capitis: *Scilicet multi, ut ſupra diximus, ob celeberrimam ſanctitatis famam* &c; finis: *omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur.*

CAPVT VI. Ut Vir Dei a ſancto Remigio Epiſcopus ordinatus eſt, & (2) Atrabate civitate miſſus eſt verbum Dei prædicare, & in introitu civitatis cæcum & claudum curavit. Principium hujus capitis: *Dumque Vir Dei celeberrima vulgaretur fama* &c; finis: *vivo ſacri Baptiſmatis fonte purgati ſunt.*

CAPVT VII. Quomodo Civitatis loca peragrans, & vix Eccleſiæ veſtigia inter ruinas murorum repperit, & luſtra ferarum tantum ibi eſſe conſpexit. Principium hujus capitis: *Præfati vero miraculi teſtificatione* &c; finis: *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

CAPVT VIII. Quomodo in convivio apud Hlotharium Regem Vir Dei ſigno ſanctæ Crucis diabolica molimina evaneſcere fecit. Principium hujus capitis: *Dum vero comperiſſet Vir Dei Eccleſias Chriſti deſertas* &c; finis: *hoc Chriſti gratia ad redemptionem convertit plurimorum.*

CAPVT IX. De infirmitate, obitu & ſepultura ſancti Viri, & quomodo inlæſa ab igne eadem domus manſiſſet, in qua ſanctus Vir obiit. Principium hujus capitis: *Rex erat igitur præfatus Dei Sacerdos Eccleſiam,* &c. nec multo poſt pro eo, quod in duabus ſupra memoratis editionibus impreſ-

(1) *Tomo primo de Vitis Sanctorum ad menſem Februarium pertinentium, & quidem die 6.*

(2) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* in Atrebatum civitatem.

preſſis legitur, *hymnidicas laudes Deo horis canonicis chorus cantabat in Eccleſiis*, rectius ibi ſcriptum eſt, *hymnicas laudes Deo horis canonicis Clerus cantabat in Eccleſiis.* Quod autem ad finem ultimi hujus capitis attinet, notabile eſt, in hoc Codice MSto ea omnia *deeſſe*, quæ in editionibus impreſſis leguntur (1) *de translatione corporis S. Vedaſti per S. Aubertum & S. Audomarum*, atque hinc recte concludi, Vitam hanc conſcriptam eſſe ante annum Chriſti DCCLXVII, quo ea *translatio* contigit. Quandoquidem igitur poſterior hæc ultimi iſtius capitis pars in pervetuſto illo Codice MSto Cæſareo non mediocriter differt ab editionibus antehac impreſſis, conferendi cauſa integram, uti ibi extat, hic exhibeo.

Convenerunt itaque ad (2) *ultima venerandi Viri exſequia Clerus & populus copioſus, aliarumque Eccleſiarum Sacerdotes, Presbyteri & Diaconi; ſed mirum, inter lachrymantium voces in terra, pſallentium, ut fertur, a quibuſdam religioſis viris cœtus audiebantur in Cœlo. Et dum digno honoris officio feretrum, in quo jacebat corpus, paratum ſtaret in medio, ſed accedentes movere* (3) *eum non valebant. Quid vero agerent ambigebant; quo ſe verterent neſciebant. Sciſcitabantur a Scopilione Archipresbytero, viro religioſo, qui Secretarius fuerat ſermonum ſancti Dei, ſi aliquid de ſua eum teſtari ſepultura memoraret; timentes ne forte illis hoc ideo accidiſſet, quia intra murum ejuſdem civitatis illum ſepelire diſponebant. Quibus ille reſpondit, ſæpius eum audire dicentem, quod nullus intra muros civitatis ſepeliri debuiſſet, quia omnis civitas locus debet eſſe vivorum, non mortuorum. Nec non etiam adfirmabat, quod ipſe beatiſſimus in Oratorio, quod ipſe ſuper littus* (4) *Criencii fluvioli ædificaverat, requieſcere cupiebat. Sed nec locum aptum, nec monumentum præparatum habebant. Dum hæc agerentur, &, quid facerent, diſponebant, memoratus vir Scopilio mœrore cordis repletus commotuſque in lachrymis ſuper corpus beatiſſimi Patris genibus provolutus, erupit in vocem dicens: Heu mi beatiſſime Pater quid faciam? jam dies declinat ad veſperam, & omnes, qui convenerunt, remeare feſtinant. Jube ergo te deportari ad locum, quem tibi præparavimus. Moxque facillime levantes feretrum, portabant ſanctum corpus cum luminibus, laudibus & hymnis ad locum deſtinatum, ſepelientes eum cum magno honore in Eccleſia ad dextrum cornu Altaris, ubi ipſe beatiſſimus, donante & adjuvante Deo Pontificalem Cathedram feliciter & nobiliter rexit, nobilem terræ condentes theſaurum. In quo loco divina præſtante pietate uſque hodie ſolent miracula fieri, quæ magis cernentium ore narrantur, quam dictantis ſtylo ſcribantur. Superveniente itaque tempore domus, in qua Deo dilectus obiit, flammis arrepta ardere cœpit, ſed, vidente quadam religioſa fœmina, Abita nomine, ſanctus adveniens Vedaſtus flammas a domo diſcuſſit, & ita incolumis remanſit cum lectulo, in qua Vir venerabilis ſanctam ad cœleſtia Regna animam emiſit, ut omnes*

(1) *Veriſimile mihi videtur, ea ab* Alcuino *eſſe addita.*
(2) *Ita ibi ſcriptum eſt pro* ultimas exſequias.
(3) Eum *pro* id *ſive* illud.
(4) *In editionibus antehac impreſſis legitur* Crientionis.

omnes agnoſcerent, quanta illius eſſet beatitudo in cœlis, cujus lectuli domus in terris ardere non potuit; pro cujus meritorum quoque ſanctitate, divina operante pietate, quotidie vel vetera narrantur miracula, vel nova videntur. Felix equidem Atrabata Civitas tam excellenti munita Patrono! &, ſi murorum ruinis vileſcat, illius tamen meritorum nobilitate clareſcit, totuſque pro ejus ſanctitatis interceſſione gaudeat populus, Omnipotentique Deo æternas referat laudes, qui tam clarum illis perdonavit Doctorem, cujus prædicatione viam agnovit veritatis; cujus precibus, ſi in fidei firmitate & vitæ ſanctitate conſiſtit, ab omni adverſitate ſecura permanſerit, & uſque ad perfectam beatitudinis gloriam perveniet, præſtante Domino noſtro JESV Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Finita hoc modo ipſa *S. Vedaſti* vita, ſequitur in eodem Codice MSto Cæſareo *Sermo* quidam *Alcuini*, cujus antiqua inſcriptio ibi eſt hæc: HOMILIA IN DIE NATALI SANCTI VEDASTI PONTIFICIS DICENDA AD POPVLVM. Principium ejus eſt: *Gaudete dilectiſſimi Fratres in Domino, qui ad ſanctiſſimi Patris & Protectoris noſtri, ſancti ſcilicet Vedaſti, ſolennia conveniſtis*, &c; finis autem: *quatenus viam vitæ illius currentes, æternæ beatitudinis cum illo gloriam accipere mereamur, auxiliante nos Rege æterno Domino noſtro JESV Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Primi hunc Sermonem ſive Homiliam ex Codicibus MStis *Vedaſtino* & *Antverpienſi* in lucem (1) ediderunt ſupra memorati RR. PP. *Bollandus* & *Henſchenius* una cum ſubjuncto *Alcuini* ad Abbatem *Radonem* diſticho, quod etiam in Codice MSto Cæſareo extat his verbis:

Noli quæſo, Pater, munuſcula ſpernere noſtra;
Parvula ſi videas, magna hæc dilectio (2) mittit.

Sequitur deinde in eodem illo præſtantiſſimo Codice MSto Cæſareo ejuſdem *Alcuini de S. Vedaſto hymnus* hactenus, quod ſciam, a nemine editus, quem digniſſimum cenſeo, ut hic publicem.

HYMNVS DE SANCTO VEDASTO.

CHriſte Salvator hominis ab ore
Hoſtis antiqui ſuperantis Adam,
Noſtra clementer, Domine, precamur
Suſcipe vota.

Multa feciſti meritis tuorum
Dona Vedaſto propria dediſti,
Nos tui ſervi tua larga, Chriſte,
Corde rogamus.

Terra Francorum tenebras habebat
Horridas; dempſit radios ſalutis (3)
Viſcera noſtra pietate Patris;
Chriſte refulge.

Vultibus cœcis pietate motus
Lumina clara dedit ipſe Sanctus,
Lucida fecit tenebroſa corda
Ignifer ille.

(1) *Tomo primo de Vitis Sanctorum menſis Februarii pag. 800.*

(2) *In Ferreoli Locrii Chronico Belgico pro* mittit *minus recte legitur* miſit. *Sunt enim cætera omnia, quæ præcedunt, verba præſentis temporis.*

(3) *Ita quidem ibi ſcriptum eſt; ſed de genuina hujus loci lectione nondum mihi ſatis conſtat.*

Debiles turbas ſolita ſalute
Reddidit ſanas populo videnti;
Multa præclara, Domino favente,
Fortiter egit.
Mortifer urſus timidus receſſit
Voce Vedaſti, probibentis ultra
Terminum ſcriptum penetrare dirum
Omne per ævum.
Pectore puro pia verba vera
Auribus fudit populi fidelis,
Auxerat inde numerum piorum
Sedibus altis.
Obvia venit radians columna,
Splendida Cœli comitata plebe,
Spiritum purum Domino vocante
Fine beato.
(2) *Zabulo victo fide cum labore*
Belliger miles penetravit aſtra;
Præmia digno obtinet honore
Regis in aula.
A *Gloria laudis reſonet in ore*
Omnium Patris genitæque Prolis
Spiritus Sancti pariter reſultet
Laude perenni, Amen.

Finito hoc *Alcuini Hymno*, ſequuntur denique ibidem *Epigrammata tria*, ab eodem *Alcuino* in honorem *S. Vedaſti* & memoriam inſtaurationis Eccleſiæ & ſepulchri ipſius per *Radonem* B Abbatem factæ compoſita; quæ licet inter *Opera Alcuini* antehac jam ſint edita, cum tamen beneficio hujus Codicis MSti emendari poſſint, & confirmationi atque illuſtrationi nonnullarum rerum, quarum ſupra eſt facta mentio, non mediocriter inſerviant, haud opinor in malam partem acceptum iri, quod ea cum antiquis lemmatibus ſuis integra hic exhibeo.

AD CORPVS SANCTI VEDASTI.

Hic Pater egregius Vedaſtus corpore pauſat,
Cujus honore ſacro hæc domus alma micat.
Fulcitur (2) tanti meritis per ſecla Patroni,
Per quem multa Deus ſigna ſalutis agit.
Qui ſacra celſithroni vivens veſtigia Chriſti
Lingua, mente, manu namque ſecutus erat.
Multiplicavit opes bis quinis forte talentis
Nec data marſupii lucra (3) ligavit iners.
Audiet idcirco vocem mox judicis almi,
Intra nunc Domini gaudia ſancta tui.

AD ARAM SANCTI VEDASTI.

Pontificalis apex meritis vivacibus aram
Vedaſtus ſanctus hanc regit ipſe Pater.

Hanc

(1) Zabulus *pro* Diabolus, *vox priſcis Scriptoribus Eccleſiaſticis uſitata. Sic S. Cyprianus ad Demetrianum:* Quid in ruinam Zabuli per ipſum & cum ipſo cadis? *Plura hac de re vide in Notis meis ad* Gualdonis *caput 79. de Vita* S. Anſcharii, *quippe ubi hic legitur verſus:*

Adverſus Zabulum Chriſti ſic arma tulerunt.

(2) *In editionibus antehac impreſſis perperam legitur* Fulcitur & tanti.

(3) *Vera hæc eſt & genuina hujus loci lectio; non autem ut in editione Andreæ Quercetani* lucra ligavit opes; *vel ut in Codicibus MStis quibus RR. PP. Bollandus & Henſchenius uſi ſunt*, lucra migravit opes.

Hanc Abbas humilis veſtivit Rado metallis
In Domini laudem ductus amore Patris.

IN ECCLESIA SANCTI VEDASTI IN PARIETE (1) SCRIBENDVM.

Hæc Domus (2) alma Dei flammis crepitantibus olim
Arſit, & in cineres tota redacta (3) ruit,
Sed miſerante Deo Rado venerabilis Abba
Conſtruxit melius ac renovavit eam;
Plurima præſenti Domui ornamenta miniſtrans,
Exornans totam muneribuſque ſacris.
Cancellos, aras voluit veſtire metallis,
Vedaſti fabricans ſarcophagumque Patris;
Pallia ſuſpendit parietibus, atque (4) lucernas
Addidit, ut fieret lumen in Æde ſacrum.
Officiis Domini fecit quoque vaſa ſacrata
Argento, nec non aurea tota quidem.
Induit Altaris ſpecioſa veſte miniſtros,
Ut foret egregium ſemper ubique decus.
Omnia melliſluo Chriſti devotus amore
Reſtaurans (5) opera Vir pius in melius.
Pro quo, quiſque legas titulos, rogitare memento,
Adjuvet (5) utque illum gratia ſumma DEI.

XXXIV. *Vigeſimus tertius* Codex, A ad vitam & res geſtas Imp. *Caroli Magni* pertinens, de quo alias prolixius acturus ſum, & membranaceus in quarto, ut vocant, majori, & inter MStos Codices Theologicos Latinos *quingenteſimus vigeſimus quartus*. Continet is *Otfridi* monachi *Wizanburgenſis* ſive *Weiſſenburgenſis* Ordinis S. Benedicti, qui *Rabani Mauri* Archiepiſcopi Moguntini fuit diſcipulus, *Volumen Evangeliorum*, antiquis rhythmis *Theotiſcis* compoſitum, & in *quinque libros* diviſum, quod is *Liutberto* Archiepiſcopo Moguntino, qui anno Chriſti 865 electus, & anno 889 mortuus eſt, peculiari Præfatione *Latina* dedicavit. (a) Idcirco autem

(1) *Notabile eſt non hic legi* ſcriptum, *ſed* ſcribendum; *nempe quia pervetuſtus ille Codex Cæſareus prius eſt exaratus quam Epigramma hoc parieti Eccleſiæ S. Vedaſti inſcriptum eſt.*

(2) *In Bolland. edit. pro* alma *minus recte legitur* alta.

(3) *In edit. Quercet. pro* ruit *minus recte legitur* fuit: *item ſequenti verſu pro* venerabilis Abba *ibidem perperam legitur* miſerabilis Abba.

(4) *In edit. Quercetani mendoſe legitur* lucernis Addit, ut *&c.*

(5) *In edit. Quercet. minus recte legitur* Opere; *item ſequenti diſticho pro* rogitare *perperam ibi legitur* cogitare, *&* atque *pro* utque.

(a) *Nunc inter Codices Theol.* CCCXLV. *Ad quem Cl.* GENTILOTTUS *notat:* De hoc, *inquit*, Codice tam late egit LAMBECIUS Lib. II. Comment. Cap. V. a pag. 415. ut nobis otium feciſſe videatur. Quare ad eum & DIEDERICI VON STADE *ſpecimen lectionum antiqu. Francic. ex Otfridi Monachi Wizanburg: libris Evangel. &c.* lectorem delegamus. *Hæc* GENTILOTTUS. *Ego lectorem, qui indicio meo egebit, monendum eſſe duxi, celebre iſtud Evangeliorum volumen cum codice noſtro collatum, in lucem feliciter prolatum eſſe* Tomo. I. Theſauri antiquitatum Teutonicarum, *quæ ſub Cl. Viri* JOH. SCHIL-

tem dixi, hunc Codicem ad vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinere, quia obſoleta illa lingua *Theotiſca*, qua Volumen hoc ab *Otfrido* compoſitum eſt patrius ipſius fuit ſermo, adeoque ab ipſo adamatus, ut teſte Cancellario ipſius (1) *Eginhardo*, *Grammaticam* ejus primus ipſe inchoaverit, *ventiſque* & *menſibus* nova ejuſdem linguæ *nomina*, quæ etiam nunc in uſu ſunt, impoſuerit. Ad exemplum itaque Magni iſtius Imperatoris, & ſecundum primitivas ipſius regulas grammaticas, cœperunt eodem ævo etiam alii eandem liguam excolere, inter quos præcipuum locum obtinuit *Rabanus Maurus*, qui A. C. 847 ex Abbate Fuldenſi in Archiepiſcopum Moguntinum electus eſt. Is enim præter *Gloſſas Latino-Theotiſcas de partibus humani corporis*, a *Walafrido Strabo* Abbate Augienſi ex dictantis ore exceptas, quæ a *Melchiore Goldaſto* Tomo ſecundo veterum Scriptorum de rebus Alamannicis, & inter *Opera Rabani* Coloniæ Agrippinæ apud Antonium Hieratum A. 1627 ſex Tomis in folio impreſſa, jam pridem ſunt editæ, compoſuit etiam integrum *Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti*, hactenus nunquam editum; cujus egregii Operis vetuſtiſſimum & *ipſa Rabani ætate* exaratum Codicem membranaceum reperi incredibili cum gaudio *abhinc* biennio, cum *Sac. Cæſ. Majeſtatis* in itinere *Teriolenſi* comes, *Arcis Ambraſianæ* apud Oenipontum ſitæ *Bibliothecam* ſtudioſe pervolverem, & repertum cum aliis multis præſtantiſſimis Codicibus MStis in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* tranſtuli, ubi tanquam honorabile ipſius membrum in præſens adſervatur. Principium illius Gloſſarii h. e.:

IN NOMINE DEI SVMMI INCIPIVNT GLOSSÆ RHABANI MAVRI.

Inchoant, Pikinnant
Congregationes, Samanunga
Verborum, Uuorto
Ex novo, Fona deru niuuun
Et vetere, Anti deru altun
Teſtamento, Euu.

Hoc eſt: Es beginnen
Die Verſammelungen
Der Wörter
Von der neuen
Und der alten
(2) Ew ſive zeit.

Hucuſque principium antiqui iſtius *Gloſſarii*, quod alias, volente Deo, in his de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Commentariis cum neceſſariis qui-

TERI *anno* CIↃIↃXXVI-VII *excuſæ ſunt, hac ſub epigraphe:* OTFRIDI Weiſſenburgenſis volumen Evangeliorum in quinque libros diſtinctum, a JOHANNE SCHILTERO Polyhiſtore & ICto Argentinenſi celeberrimo, Latinitate donatum ac eximiis obſervationibus exornatum, collatum autem cum Codice Manuſcripto VINDOBONENSI & emendationibus ex Codice Manuſcripto VATICANO deſumtis; ac præterea Notis auctum a JOH. GEORGIO SCHERZIO, Juris Profeſſore P. Ord. in Univerſitate Argentoratenſi. Ulmæ ſumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI CIↃIↃCCXXVI. *Lege eruditiſſima tam* SCHILTERI *quam Cl.* SCHERZII *prolegomena & tam de hoc* LAMBECII *conatu quam de codice noſtro judicium examuſſin factum habueris.* KOL.

(1) *Ipſa Eginhardi ea de re verba vid. ſup. col. 352*

(2) Euu *ſive* Ew *ex latino* Ævum; *pro quo etiam in nonnullis antiquis Codicibus MStis Germanicis legitur* E *abſque* w *ſive duplici* u. *Hic autem* Ævum *ponitur pro tempore ante & poſt Chriſtum.*

quibuſdam Annotationibus integrum publicabitur. (a) Interim nunc revertor ad *Otfridum.* Is nempe inter diſcipulos *Rabani Mauri*, qui patriæ linguæ excolendæ poſt ipſum egregiam navarunt operam, ſine controverſia fuit præcipuus, uti vel ex unico iſto ſupra memorato *Volumine Evangeliorum* videre eſt. Quod autem ad iſtius Codicem MStum, de quo in præſens agitur, attinet, certo conſtat cum ex ſcriptura, tum quoque ex aliis indiciis, exaratum eum eſſe *ipſo Otfridi ævo*, hoc eſt, ante annos *ſeptingentos ſeptuaginta octo*, ſi a tempore mortis *Liutberti* Archiepiſcopi Moguntini uſque ad præſentem annum 1667 ſucceſſio temporis deducatur. Diverſus autem eſt hic Codex Cæſareus ab altero illo, quo uſus eſt damnatæ memoriæ (1) Hæreſiarcha *Matthias Flaccius Illyricus*, qui inſigne illud *Otfridi* Opus primus edidit Baſileæ Anno 1571. in octavo, Generoſiſſimoque Viro Dn. *Adolpho Hermanno Riedeſel*, Marſchalco Haſſiæ hæreditario, duplici præfatione, nempe Latina & Germanica, dedicavit. Quæ quidem editio impreſſa non ſolum propter vitioſitatem *Codicis MSti*, ex quo ea fuit deſumpta, mendoſa eſt & mutila, verum etiam hæreticæ pravitatis laborat ſuſpicione propter malitiam ipſius impii *Illyrici;* quippe qui eam præcipue ob cauſam eximium illud monumentum antiquum publicavit, ut ea ad ſtabilienda perverſa ſua dogmata abuteretur; quemadmodum manifeſte apparet ex utraque ipſius *præfatione*, tam latina, quam germanica; utpote quæ horrendis ſcatent conviciis & calumniis, quibus cum univerſam Sanctam Eccleſiam Catholicam proſcindit, tum ſpeciatim & præcipue *S. Bonifacium* Archiepiſcopum Moguntinum, qui cum adeo magnam Germaniæ partem ab ethnica idololatria ad Chriſtianam convertiſſet religionem, ut merito Apoſtolus Germanorum ſit appellatus, tandem a furentibus gentilibus in Friſia occiſus, æternam cruenti martyrii lauream obtinuit. Summe igitur neceſſarium eſt, ut *Illyriciana* iſthæc corrupta editio cum vetuſtiſſimo hoc Codice MSto Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ a capite ad calcem exquiſita conferatur diligentia, ejus-

(a) *Ineditum etiam putabat Cl.* GENTILOTTUS *idcirco operæ pretium facturum ſe ſperavit, ſi integrum cum aliis una gloſſis, quæ in eo codice* EUCHERIO *Epiſcopo tribuuntur, recenſioni ſuæ intexeret. Verum id, quod aliis quoque, qui de editis & ineditis veterum monumentis judicia proferunt, uſuvenit, Cl. etiam* GENTILOTTO, *viro alias doctiſſimo variaque lectione exercito, contigit, ut ſcilicet* Gloſſarium *hoc ineditum exiſtimaret quum monere debuerat, datum illius fuiſſe ſpecimen ex hoc ipſo codice Cæſareo a Cl. V.* JOH. DIECMANNO *Bremæ anno* CIↃIↃCCXXI. *a Cl. autem* ECKARDO *ex apographo itidem codicis noſtri integre vulgatum inſertumque eſſe* Commentariis de Rebus Franciæ Orientalis Tom. II. a pag. 950. *edito Wirceburgi anno* CIↃIↃCCXXIX. *Quamquam hoc ultimum, licet quidem apographum in manibus* ECKARDI *jam erat, ſcire non potuit, anno videlicet* CIↃIↃCCXXV *procul jam a Bibliotheca vivis exemptus. Scite attamen obſervat vir doctus, Gloſſarium hoc* RHABANI MAURI *non in totum, ſicuti* LAMBECIUS & NESSELIUS *prodiderant,* Vetus & Novum Teſtamentum *eſſe Cl. etiam* DIECMANNUS *in dicto* ſpecimine *recte adnotat:* Eſt, fateor, *inquit*, Latino-Theotiſcum, ſed non *totum;* plus enim quam tertia ſui parte mere Latinum eſt, hoc eſt, voces Latinas Latine non Theotiſce interpretatur, ſed illa tantum abeſt, ut ad tota Biblia pertineant, ut minimam tantum eorum partem attingant. . . . Quo igitur jure LAMBECIUS & NESSELIUS *Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia V. & N. T.* appellaverunt, videre nequeo. KOL.

(1) *Vide Gabriel. Præteoli Elenchum Alphabeticum omnium hæreſium ſub titulo Illyriciani.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ejuſque auxilio reformetur & ſuppleatur. Quamvis autem hoc a me in præſens non poſſit fieri perfecte, ecce tamen qualecunque ejus rei extemporale ac ſubitaneum ſpecimen. *Jam primum* videlicet titulus generalis, OTFRIDI EVANGELIORVM LIBER, quem Illyricus toti iſti Operi præfixit, corrigendus eſt hoc modo: OTFRIDI VOLVMEN EVANGELIORVM, IN QVINQVE LIBROS DISTINCTVM. Hoc enim indicat ipſe Otfridus in Præfatione ad Liutbertum Archiepiſcopum Moguntinum, inquiens: *Volumen iſtud in quinque libros diſtinxi.* Aliud ergo eſt: *Liber ſingularis*, aliud *Volumen in quinque libros diſtinctum* ſive *diviſum*. Notandum *ſecundo* eſt, in eodem Illyricianæ editionis titulo perperam legi OTFRIDVS DE WEISSENBVRG, MONACHVS S. GALLI. Otfridus enim non fuit monachus Cœnobii Benedictini (1) *S. Galli* in Helvetia, ſed Cœnobii Benedictini *Wizanburgenſis* (2) in *Alſatia*, quod nunc ſub titulo Præpoſituræ ad Epiſcopatum Spirenſem pertinet. Errandi cauſam Illyrico præbuit, quod in *Joannis Trithemii*, Spanheimenſis primo, deinde autem S. Jacobi Majoris apud Herbipolin Abbatis, Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ, & in ejuſdem libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, legerat, *Otfridum* compoſuiſſe librum unum *ad Monachos S. Galli.* Hinc enim falſo credidit, ipſum quoque Otfridum fuiſſe monachum S. Galli. Verum enimvero, carmen illud *Theotiſcum* Otfridi ad *Monachos S. Galli*, quod Trithemius perperam vocat *Librum*, extat etiam nunc integrum in ſupra memorato antiquiſſimo Codice MSto Cæſareo cum hac Inſcriptione: OTFRIDVS VVIZANBVRGENSIS MONACHVS (3) HARTMVATE ET VVERINBERTO SANCTI GALLI MONASTERII MONACHIS. Notandum *tertio* eſt, falſum eſſe, quod *Illyricus* in Præfatione ſua ſcribit, *Otfridum* huic Evangeliorum Volumini nomen GRATIÆ pro titulo impoſuiſſe, & hoc modo voluiſſe ſignificare, *bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſed juſtificationem noſtram eſſe gratuitam, & per ſolam fidem contingere ſine ullis noſtris meritis.* Abhorruit enim *Otfridus*, utpote Chriſtianus Catholicus, ab Epicureo illo & pernicioſiſſimo dogmate, fingendæque iſtius calumniæ occaſionem præbuit *Illyrico inveteratus* & a nemine hactenus animadverſus error, qui extat in *Joannis Trithemii* libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & ex eo ſine ulla correctione a *Conrado Geſnero*, *Joanne Jacobo Friſio*, *Antonio Poſſevino* & compluribus aliis ad verbum deſcriptus & propagatus eſt. Ipſe *Trithemii* notabilis locus, in quo *error* ille latitat, legitur in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Coloniæ Agrippinæ typis Petri Quentel An. 1531 & 1546 ſeparatim impreſſo in quarto, & Francofurti typis Wechelianis A. 1601 cum omnibus ejus Operibus Hiſtoricis conjunctim impreſſo in folio, hoc modo: *Otfridus, monachus Wiſſenburgenſis Cœnobii, Ordinis*

(1) *De hoc Cœnobio vide ſupra col. 458.*
(2) *Vide Gabr. Bucellin. Catalogum Alphabeticum Abbatiarum & Monaſteriorum Germaniæ, Part. II. German. Sacr. ſub titulo Weiſſenburgum, & Mart. Zeileri magnum Itinerarium Germaniæ Part. I. cap. 30. pag. 661.*
(3) *Hoc eſt* Hartmudo *ſive* Hartmuto.

dinis Divi Patris Benedicti, natione Theutonicus, Rabani Mauri, Abbatis Fuldensis, quondam auditor atque discipulus, Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis egregie doctus, Philosophus, Rhetor & Poëta insignis, ingenio excellens & disertus eloquio, scripsit tam metro, quam prosa multa præclara opuscula, quibus nomen suum ad posteros transmisit. Exemplo etiam Caroli Imperatoris Magni conatus est barbariem linguæ Theutonicæ ad regulas Grammaticales reducere, quod & ex parte perfecit. Unde ea, quæ patrio sermone conscripsit, non facile nostra ætate legi & intelligi possunt, etiam ab homine quantumcunque Theutonicæ linguæ perito. De cujus Opusculis extant subjecta:

Ad (1) *Luitbertum, Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopum octavum in Evangelium Opus grande & insigne, quod prænotavit*

GRATIAM THEOTISTÆ,	*lib. 5:*	*Dignitatis culmine* (2) *Gratiam.*
Ad Ludovicum Regem	*lib. 1:*	*Ludovico Orientalium.*
Ad Salomonem Episcopum	*lib. 1:*	*Salomoni Episcopo Otfridus.*
Ad Monachos S. Galli	*lib. 1:*	*Otfridus* (3) *Wissenburgensi.*
In Psalterium Volumina tria	*lib. 3.*	
De Judicio extremo	*lib. 1.*	
De Gaudiis Regni cœlestis	*lib. 1.*	
Carmina diversi generis	*lib. 1.*	
Epistolarum ad diversos	*lib. 1.*	

Alia insuper multa composuit, quæ priorum negligentia perdita, & ignorantia monachorum rasa & lacerata, ad me non venerunt. Claruit sub (4) *Ludovico, Lothario* (5) *& Carolo* (6) *Imperatoribus, sibi invicem succedentibus, anno Domini 870.* Hæc Trithemius. Ex quibus verbis satis clare apparet, quod is crediderit, titulum generalem, quo Otfridus quinque suos Evangeliorum libros insigniverit, fuisse hunc: *GRATIA THEOTISTÆ.* Quem errorem postea alii multi, autoritate ipsius decepti, & præcipue quidem *Conradus Gesnerus* & *Joannes Jacobus Frisius* in Bibliotheca Vniversali, atque R. P. *Antonius Possevinus* in apparatu Sacro simplici descriptione approbarunt, nec quisquam eorum inquisivit, quid per absurdum illud & nullius significationis nomen *THEOTISTA* esset intelligendum; quanquam interim *Flacius* ille *Illyricus* præcedens nomen *GRATIA*, in alium ab *Otfridi* sententia prorsus diversum sensum pravitate hæretica detorquere ausus est. Sed reclamat ille supra citatus vetustissimus Codex Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ; quippe in quo Inscriptio libri primi istius Voluminis majusculis literis legitur hoc modo: INCIPIT LIBER EVANGELIORVM PRIMVS, DOMINI GRATIA, THEOTISCE CONSCRIPTVS. Hic profecto verba DOMINI

(1) *Ita quidem ibi scriptum est, sed legendum* Liutbertum. *Eodem modo nomen* Liutprandus *perperam mutatum est in* Luitprandus.
(2) *Legendum* Gratia *in casu ablativo.*
(3) *In Cod. MSto Cæs. legitur* Wizanburgensis.
(4) *Nempe* Pio.
(5) *Omittitur hic* Imp. Ludovicus II. *Imp. Lotharii I. filius.*
(6) *Secundo ejus nominis, cognomine* Calvo.

NI GRATIA nihil aliud significant, quam *Divina benignitate & permissione* vel *Divino auxilio;* uti etiam nunc solemus dicere *Dei gratia*, hoc est, *von Gottes Gnaden* vel *durch die Gnade Gottes.* Trithemius autem ablativum casum *Gratia*, qui ad præcedentem genitivum *Domini pertinet*, perperam mutavit in casum nominativum, & proxime subsequens adverbium *Theotisce*, quod revera ad participium *conscriptus* pertinet, transtulit ad præcedens, sed minime eo pertinens nomen *Gratia*, non tamen uti adverbium, sed transformatum in nomen substantivum casus genitivi *Theotistæ*, quo quid intelligeretur, ipse ignoravit, quia nullius est significationis vocabulum fictitium. Absit ergo, ut quis existimet, *Otfridum* nomen *Gratiæ* instar tituli, & quidem hæretico sensu, præfixisse Theotisco suo Evangeliorum Volumini: merum enim hoc est commentum *Flacii Illyrici*, qui, uti ex impio illius *Catalogo Testium Veritatis* meridiana luce clarius patet, optima quæque Catholicorum scripta in pessimam partem interpretari, & hæreticis dogmatibus suis specietenus accommodare studuit. Corrigendus itaque est *Joannis Trithemii* supra citatus locus, & tam ibi, quam in *Conradi Gesneri*, & *Joan. Jac. Frisii* Bibliotheca universali, atque R. P. *Antonii Possevini* Apparatu Sacro, ubi de *Otfridi* Theotisco Volumine Evangeliorum agitur, scribendum est hoc modo: *Extat in Evangelium Opus ejus grande & insigne, quod prænotavit Volumen Evangeliorum*, DOMINI GRATIA, *THEOTISCE conscriptum, & in quinque libros distinctum; cujus Præfatio latina ad* (1) *Liutbertum Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopum octavum incipit his verbis: Dignitatis culmine, Gratia divina, præcelso Liutberto*, &c. Notandum *quarto* est falsum esse, quod *Flacius Illyricus* in Præfatione sua scribit, *Otfridum* hoc Volumen Evangeliorum *suo tantum Archiepiscopo*, nempe Moguntino, examinandum & probandum commendasse, non autem illud *Pontificis Romani pedibus & Romanæ Ecclesiæ censuræ* subjecisse, quod tanta tunc fuerit adhuc libertas Ecclesiarum, ut nemo illius rei faciendæ necessitati fuerit obnoxius. Ipsa Illyrici verba, quibus id falso asserit, sunt hæc: *Illud quoque in hac parte non negligendum est, quod hoc Opus tantum suo Archiepiscopo examinandum & probandum commendat; non id Pontificis* (2) *beatorum pedibus & Romanæ Ecclesiæ subjicit, sicut postea fieri necesse fuit, & etiam nunc (proh pudor) adulatorie parasiticeque a plerisque factitatur, & insuper pro fidei articulo habetur doceturque. Tanta erat adhuc tunc libertas Ecclesiarum & Pastorum, quam postea contraria extrema prorsus tyrannis est consecuta.* Hæc impius ille & mendax Illyricus. Quod enim *Otfridus* non contemptu S. Sedis Apostolicæ Volumen hoc *Liutberto* Archiepiscopo Moguntino dedicaverit, sed ut illi hac ratione se commendaret, & æque ipsius, ac olim *Rabani Mauri*, frueretur patrocinio, hoc ipse testatur his verbis: *Hunc igitur librum vestræ sagaci prudentis,*

(1) *Apud Trithemium perperam legitur* Luitbertum.
(2) *Ita ibi mendose impressum est pro* beati *vel* beatis, *Usurpatur autem hic illud epitheton ab Illyrico ironice.*

dentiæ probandum curavit tranſmitte-re, &, quia a Rhabano venerandæ memoriæ, digno veſtræ Sedis quondam Præſule, educata parum mea parvitas eſt, Præſulatus veſtri dignitati ſapientiæque in vobis pari commendare curavi. Hæc ipſe Otfridus; ex quibus luculente apparet, falſa eſſe, quæ Illyricus de cauſa hujus dedicationis contra Summos Pontifices Romanos deblaterat. Quin etiam niſi is præ inſano erga Eccleſiam Catholicam odio fuiſſet omnino cœcus, animadvertiſſet profecto, abſurdum fuiſſe futurum, ſi Otfridus Evangeliorum hoc Volumen Summo Pontifici dedicaſſet, eique recenſendum obtuliſſet; quoniam videlicet nullus eorum, qui tempore *Liutberti* Archiepiſcopi Moguntini S. Sedi Apoſtolicæ præfuerunt, natione fuit *Germanicus*, ſed omnes fuere *Itali*, ideoque, licet argumentum iſtius Operis eſſet ſacrum, propter imperitiam tamen liguæ *Theotiſcæ* five *Germanicæ* de eo non potuerunt judicare. Recte ergo Poëma illud Germanicum *Otfridus* iis dedicavit, & legendum obtulit, qui linguam Germanicam probe callerent; nempe non uni tantum Archiepiſcopo Moguntino *Liutberto*, ut ſupra citato loco mentitur Illyricus, ſed primo quidem loco ac præcipue (1) *Ludovico*, Imp. Ludovici Pii filio, Franciæ Orientalis Regi, ſecundo autem jam memorato Archiepiſcopo *Liutberto*, tertio demum *Salomoni*, primo ejus nominis Epiſcopo Conſtantienſi. Sic enim in ſupra laudato vetuſtiſſimo Codice MSto Cæſareo ordo ſe habet illarum trium dedicationum; in *Illyrici* autem editione præpoſtere primo loco extat Poëma ad Epiſcopum *Salomonem*, ſecundo Poëma ad Regem *Ludovicum*, tertio Præfatio latina ad Archiepiſcopum *Liutbertum*. Titulus primi Poëmatis dedicatorii in jam memorato Codice Cæſareo eſt hic: (2) *LVDOVVICO ORIENTALIVM REGNORVM REGI SIT SALVS AETERNA.* Eſt autem hoc Poëma adeo artificioſe compoſitum, ut cujuſque Tetraſtichi prima & ultima littera ſit eadem, principiumque ac finis omnium Tetraſtichorum eundem ſupra ſcriptum Titulum in utroque carminis deſcendentis latere exhibeant. Quod artificium cum vix percipi poſſit niſi cernatur oculis, tum vero etiam, quia minime dubito, quin multi ex noſtræ ætatis Viris doctis Volumen illud Evangeliorum ab Otfrido antiqua lingua Theotiſca conſcriptum nunquam viderint, (eſt enim Illyrici illa editio impreſſa valde rara, nec niſi in antiquis Bibliothecis amplius poteſt reperiri) ideo principium illius Poëmatis uſque ad finem primæ vocis *LVTHOVVICO*, una cum antiquis (3) *accentibus*, qui more Græcorum additi ſunt, ſpeciminis inſtar hic exhibeo, ut non ſolum de ipſa illa antiqua lingua Theotiſca & artificio verſuum Otfridi, verum etiam de editionibus Illyricianæ vitiis tanquam ex ungue poſſit judicari.

LV-

(1) *Obiit is Francofurti V. Kal. Sept. ſive d. 28. Auguſti Anno 876, & ſequenti die 29. Auguſti in monaſterio* Laureshamenſi S. Nazarii *ſepultus eſt. Vide Card. Baron. Annal. Eccleſ. Tom. X. pag. 519. edit. Antverp.*

(2) *Ita hoc nomen ibi ſcriptum eſt in titulo hujus Poëmatis nempe per* Do *in ſecunda ſyllaba; at in ipſo Poëmate ſcriptum eſt* LVTHOVVICO *per* TH; *quod quia non obſervavit Illyricus, hinc mediocrem artificii ſui ornatum carmen illud in ipſius editione perdidit.*

(3) *Antiqui hi* accentus, *ab ipſo Otfrido aſcripti, deſunt in editione Illyrici.*

LVDOVVICO (1) *ORIENTALIVM REGNORVM REGI SIT SALVS AETERNA.*

Ludouuig (2) *ther ſnéllo,*
Thes (3) *uuisduames follo,*
Er (4) *Oſtarrichi rihtit ál*
So Fránkono Kúning ſca L
Vbar (5) *Fránkono lant*
So gengit éllu ſin giuualt,
Thaz rihtit, ſo ih thir zéllu,
Thiu ſin giuuált ell V
Thémo (6) *ſi iámer héili,*
Joh ſálida gimeini;
Druthin (7) *hobemo thaz gúat*
Joh freuuemo émmizen thuz mua T
Hóbemo (8) *gimúato,*
Jo allo záti guato,
Er állo ſtunta fréuue ſih,
Thes thigge io mannogili H
Olba (9) *ih thaz iruuéllu*
The ih ſinaz lob zéllu,
Zi thiú due ſtúnta mino
The ih ſcribe dáti ſin O
Vbar (10) *mino mahti*
So iſt al thaz gidráhti
Hob ſint, ſo ih thir zéllu
Thiu ſinu thinkan ell V
Vuanta (11) *er iſt édil Franko,*
Vuiſero githánko,
Vuiſera rédimu,
Thaz dúit er al mit ébin V
In (12) *sines ſélbes brúſti*
Iſt herza filu féſti,
Mánag falto gúati,
Bithiu is ſinener gimúat I

Cléi-

(1) *Per* Orientalia Regna *intelligitur hic* Francia Orientalis.

(2) *Hoc eſt*, Ludovicus celer. *In ſupra citato* Rabani Mauri *Gloſſario Sacræ Scripturæ explicatur* Snell *per latinam vocem* Alacer. *Nunc ſcriberetur* Ludowig der Snelle.

(3) *Nunc ſcriberetur* Der Weisheit voll, *h. e.*, Sapientia plenus. Uuisduam *enim idem eſt atque* Weiſthum *ſive* Weisheit: *eodemque modo etiam nunc recte dici poteſt* Weiſthum, *quemadmodum* Reichthum.

(4) *Senſus:* Er richtet die Oſterreiche all, wie ein Künig der Francken ſol. *hoc eſt:* Regit omnia Orientalia Regna, quemadmodum Rex Francorum debet. *In verbo* rihten, *hoc eſt* richten *ſive* regieren *ponitur* h *pro* ch, *uti ſæpe alias. Per* Orientalia Regna *ſive* die Oſten-Reiche *intelligitur* Francia Orientalis, *quæ ſupra etiam vocatur* Auſtria *quaſi* Oſtria *ſive* das Oſten-Reich. *Falſo enim* Wolfgangus Lazius *hoc nomen derivat ab* Auſtro, *quaſi* Auſtralis *intelligenda ſit regio, vel quæ* Auſtro *potiſſimum perflatur. Revera autem non ſolum antiqua illa* Francia Orientalis, *verum etiam illa Germaniæ ac Pannoniæ pars, quæ etiam nunc* Auſtria *vocatur, nomen accepit a Germanico vocabulo* Ooſt, *quoniam ea reliquæ Germaniæ reſpectu maxime verſus* Orientem *ſita eſt.* Auſtria *ergo pro* Oſtria *dicitur per mutationem* O *longi vel* OO *in* AV *quemadmodum vice verſa* AV *ſæpe mutatur in* O; *uti videre eſt apud Gerard. Joan. Voſſium in Tractatu de literarum permutatione, qui ipſius Etymologico Linguæ Latinæ præfixus eſt.*

(5) *Senſus eſt:* Uber Franckenland gehet oder erſtrecket ſich ſeine gewalt, und daſſelbe regieret er mit völliger macht.

(6) *Senſus eſt;* Dem ſey immer heil, *&c.*

(7) *Senſus:* Gott erhöbe oder vermehre ihm das gute und erfreue ihm den muth.

(8) *Senſus:* Gott erhöhe oder vermehre ihm den muth, und verleihe, daz er ſich alle ſtund erfreue: das bitte ich und männiglich.

(9) *Senſus:* Ob ich das erwehle,
Daz ich ſein lob erzehle,
Und ob ich dazu thu die ſtunden mein,
Daz ich ſchreibe die thaten ſein?

(10) *Senſus:* Uber meine macht is all dieſes trachten oder vorhaben; dieweil ſeine dinge oder thaten, welche ich erzehlen ſolte, gar zu hoch ſein.

(11) *Senſus:* Dann er iſt ein edler Francke, weiſer gedancken, und weiſer reden, und der alles thut mit ebenmühtigkeit oder ſanftmühtigkeit.

(12) *Senſus:* In ſeiner bruſt iſt ein vielveſtes oder ſehr tapffres hertze; und zugleich mannigfältiger güte vol.

Cleïnero githánko
So (1) *iſt ther ſelbo Fránko*
So iſt ther ſelbo édilinc,
Ther beizit auir Lúdouui
Ofto (2) *in nóti er uuas imuár,*
Thaz biuuánkota er fár
Mit (3) *Gótes ſcirmu ſcíoro*
Ioh hárto filu zíor

Hucuſque priora decem *primi* illius Poëmatis dedicatorii Tetraſticha, quæ ab utroque verſuum deſcendentium latere primam Inſcriptionis toti Poëmati præfixæ vocem LVTHOVVICO repræſentant; eodemque modo non ſolum reliqua tota ejuſdem Poëmatis pars, ſed & altera illa *duo* carmina ad *Salomonem* Epiſcopum Conſtantienſem, & ad *Hartmutum* atque *Werinbertum* Monachos S. Galli compoſita ſunt. Finito igitur primo illo Poëmate dedicatorio ad Regem *Ludovicum*, ſequitur deinde in eodem Codice MSto Cæſareo *Præfatio Otfridi latina ad Liutbertum Archiepiſcopum Moguntinum*, quæ licet ſeculi illius more barbariſmis & ſolœciſmis ſit referta, cum tamen multa contineat notatu digniſſima, quibus tam Eccleſiaſtica, quam Literaria iſtius ævi Hiſtoria, & quidem in primis conditio antiquæ noſtræ Germanicæ linguæ, non mediocriter poteſt illuſtrari, integram eam hic exhibeo.

Dignitatis culmine, (4) *Gratia divina, præcelſo* (5) *Liutberto, Mogontiacenſis Vrbis Archiepiſcopo, Otfridus, quamvis indignus, tamen devotione Monachus Presbyterque exiguus, æternæ vitæ gaudium optat ſemper in Chriſto.*

VEſtræ excellentiſſimæ prudentiæ præſentis libri ſtylum comprobare tranſmittens, in capite cauſam, qua illum dictare præſumpſi, primitus vobis enarrare curavi, ne ullorum fidelium mentes, ſi vileſcet, vilitatis meæ præſumptioni deputare procurent. Dum rerum quondam ſonus inutilium pulſaret aures quorundam probatiſſimorum virorum, eorumque ſanctitatem laicorum cantus inquietaret obſcœnus, a quibuſdam (6) *memoriæ dignis fratribus rogatus, maximeque cujuſdam venerandæ matronæ verbis nimium flagitantis, nomine Judith, partem Evangeliorum eis Theotiſce conſcriberem, ut aliquantulum hujus cantus lectionis ludum ſæcularium vocum deleret, & in Evangeliorum propria lingua occupati dulcedine, ſonum inutilium rerum noverint declinare: petitioni quoque jungentes queremoniam, quod gentilium vates, ut Virgilius, Lucanus, Ovidius, cæterique quamplurimi ſuorum facta decorarent lingua nativa, quorum jam voluminum dictis fluctuare cognoſcimus Mundum, noſtræ etiam* (7) *ſectæ probatiſſimorum virorum facta laudabant Juvenci, Aratoris, Prudentii cæterorumque multorum, qui ſua lingua*

(1) *Senſus:* So iſt der ſelbige Francke, ſo iſt derſelbige Edeling *oder* Edler Herr, der da heiſſet Ludowig. Auir *pro* aber *ſive* ſed; *quemadmodum in Saxonia inferiori etiam nunc dicunt* aver *pro* aber.
(2) *Senſus:* Oftmahls er warlich in nöten war, *&c.*
(3) Mit Gottes ſcirmu, *hoc eſt*, protectione divina. *de reliquorum verborum, quæ hic in margine ſilentio prætereuntur, vera interpretatione nondum mihi ſatis conſtat.*
(4) Gratia divina *idem hic eſt atque ſupra.* Domini Gratia.
(5) *In editione Illyrici pro* Liutberto *perperam legitur* Luitberto.
(6) Memoriæ *pro* memoria *Græciſmus.*
(7) Secta *in bonam partem hic uſurpatur, quemadmodum etiam aliquoties in jure noſtro. Sic Imp.*

gua dicta & miracula Christi decenter ornabant: nos vero quamvis eadem fide, eademque gratia (4) instructi divinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua dicebant pigrescere. Hoc dum eorum charitati importune mihi instanti negare nequivi, feci non quasi peritus, sed fraterna petitione coactus; scripsi namque eorum precum suffultus juvamine Evangeliorum partem Francisce compositam, interdum spiritalia moraliaque verba permiscens, ut qui in illis alienæ linguæ difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba, (2) Deique legem sua lingua intelligens, inde se vel parum quid deviare mente propria pertimescat. Scripsi itaque in primis & in ultimis hujus libri partibus inter quatuor Evangelistas incedens medius, ut modo, quid iste, quidve alius, cæterique scriberent, inter illos ordinatim, prout potui, penitus, pæne dictavi. In medio vero, ne graviter forte pro superfluitate verborum ferrent legentes, multa & parabolarum Christi & miraculorum ejusque doctrinæ, quamvis jam fessus, (hoc enim novissime edidi,) ob necessitatem tamen prædictam prætermisi (3) invitus, & non jam ordinatim, ut cæperam, procuravi dictare, sed qualiter meæ parvæ occurrerunt memoriæ. Volumen namque istud in quinque libros distinxi, quorum primus Nativitatem Christi memorat, finem facit baptismo doctrinaque Johannis. Secundus jam accersitis ejus discipulis refert, quomodo se & quibusdam signis & doctrina sua præclara Mundo innotuit. Tertius signorum claritudinem & doctrinam ad Judæos aliquantulum narrat. Quartus jam qualiter suæ passioni propinquans, pro nobis mortem sponte pertulerit dicit. Quintus ejus resurrectionem, cum discipulis suam postea conlocutionem, ascensionem, & diem judicii memorat. Hos ut dixi, in quinque, quamvis Evangeliorum libri quatuor sint, ideo distinxi, quia eorum quadrata æqualitas sancta nostrorum quinque sensuum inæqualitatem ornat, & superflua in nobis quæque non solum actuum, verum etiam cogitationum vertunt in elevationem cœlestium. Quidquid visu, olfactu, tactu, gustu, audituque delinquimus, in eorum lectionis memoria pravitatem ipsam purgamus. Visus obscuretur inutilis (4) illuminatus Evangelicis verbis; Auditus pravus non sit cordi nostro obnoxius, Olfactus & Gustus sese a pravitate constringant, Christique dulcedine jungant, cordisque præcordia lectiones has Theotisce conscriptas semper memoria tangent. Hujus enim linguæ barbaries, ut est inculta & indisciplinabilis, atque insueta capi regulari freno Grammaticæ artis, sic etiam in multis dictis (5) scriptu est propter literarum aut congeriem aut (6) incognitam sonoritatem difficilis. Nam interdum tria (7) uuu, ut puto, quærit in sono, priores

Justinianus ff. ult. Instit. de legat. Hujusmodi autem testatorum voluntates valere, secta meorum temporum non patitur; *hoc est*, ut Theophilus *vertit*, ἀλλότριόν ἐςι τῶν εὐσεβῶν ἐμῆ χρόνων τῆς βασιλείας.

(1) *In edit. Illyrici perperam legitur* instructa.
(2) *In edit. Illyr.* Dominique.
(3) *In editione Illyrici pro* invitus *perperam legitur* munus.
(4) *In edit. Illyr. perperam legitur* illuminatis.
(5) *In edit. Illyr. perperam legitur* scripto.
(6) *In edit. Illyr. pro* incognitam *legitur* incongruam.
(7) *Vti supra Col. 645 in voce* niuuun.

res duo consonantes, ut mihi videtur, tertium vocali sono manente. Interdum vero nec a, nec e, nec i, nec u vocalium (1) sonos præcavere potui, ibi y Græcum mihi videbatur adscribi. Et etiam hoc elementum lingua hæc horrescit interdum, nulli se characteri aliquotiens in quodam sono nisi difficile jungens. K & Z sæpius hæc lingua extra usum latinitatis utitur, quæ Grammatici inter literas dicunt esse superfluas. Ob stridorem autem interdum dentium, ut puto, in hac lingua Z utuntur, K autem ob faucium sonoritatem. Patitur quoque metaplasmi figuram nimium, non tamen assidue, quam doctores Grammaticæ artis vocant (2) Sinaliphan, & hoc nisi legentes prævideant, rationis dicta deformius sonant, literas interdum scriptione servantes, interdum vero Ebraicæ linguæ more vitantes, quibus ipsas literas ratione synaliphæ in lineis, ut quidam dicunt, penitus amittere & transilire moris habetur; non quo series scriptionis hujus metrica sit subtilitate constricta, sed schema (3) omœoteleuton assidue quærit. Aptam enim in hac lectione & priori decentem & consimilem quærunt verba in fine sonoritatem, & non tantum per hanc inter duas vocales, sed etiam inter alias literas sæpissime patitur conlisionem synaliphæ, & hoc nisi fiat, extensio sæpius literarum inepte sonat dicta verborum. Quod in communi quoque nostra locutione, si solerter intendimus, nos agere nimium invenimus. Quærit enim linguæ hujus ornatus, & a legentibus synaliphæ lenem & conlisionem lubricam præcavere, & a dictantibus omœoteleuton, id est consimilem verborum terminationem observare. Sensus enim hic interdum ultra duos vel tres versus vel etiam quatuor in lectione debet esse suspensus, ut legentibus, quod lectio signat, (4) apertius fiat. Hic sæpius i & o, cæteræque similiter cum illo vocales simul inveniuntur inscriptæ, interdum in sono divisæ vocales manentes, interdum conjunctæ, priore transeunte in consonantium potestatem. Duo etiam negativi, dum in Latinitate rationis dicta confirmant, in hujus linguæ usu pæne assidue negant, & quamvis hoc interdum præcavere valerem, ob usum tamen quotidianum, ut morum se locutio præbuit, dictare curavi. Hujus enim linguæ proprietas nec numerum, nec genera me conservare sinebat. Interdum enim masculinum Latinæ linguæ in hac fæminino protuli, & cætera genera necessarie simili modo permiscui. Numerum pluralem singulari, singularem plurali variavi, & tali modo in barbarismum & solœcismum sæpius coactus incidi. Horum supra scriptorum omnium vitiorum exempla de hoc libro Theotisce ponerem, nisi irrisionem legentium devitarem. Nam dum agrestis linguæ inculta verba inseruntur Latinitatis (5) planitiæ, cachinnum legentibus præbent. Lingua enim hæc velut agrestis habetur, dum a propriis nec scriptura, nec arte aliqua ullis est (6) temporibus expolita, quippe qui nec historias suorum antecessorum, ut multæ gentes cæteræ, commendant (7) memoriæ, nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis

(1) *In edit. Illyr. perperam legitur* sonus.
(2) Συναλλοιφὴν, Synallœphen.
(3) ὁμοιοτέλευτον, Homœoteleuton.
(4) *In edit. Illyr. perperam legitur* apertior.
(5) Planitia *pro* planities.
(6) *Nempe ante Carolum Magnum.*
(7) *Beneficio videlicet* Scripturæ. *Pro hist. enim & Annalibus scriptis fuerunt iis* carmina, *quæ cantarunt memoriter. Vide* Tacitum *in principio libri de Situ, moribus & populis Germaniæ.*

tis amore. Quod ſi raro contigit, aliarum gentium lingua, id eſt Latinorum vel Græcorum, potius explanant; cavent aliarum, & deformitatem non verecundant ſuarum. Stupent in aliis vel literula parva artem tranſgredi, & pæne propria lingua vitium generat per ſingula verba. Res mira tam magnos viros, (1) prudentia deditos, cautela præcipuos, agilitate ſuffultos, ſapientia latos, ſanctitate præclaros, cuncta hæc in alienæ linguæ gloriam transferre, & uſum ſcripturæ in propria lingua non habere. Eſt tamen conveniens, ut qualicunque modo, ſive corruptâ, ſeu (2) lingua integræ artis, humanum genus Autorem omnium laudent, qui plectrum eis dederat linguæ verbum in eis ſuæ laudis ſonare; qui non verborum adulationem politorum, ſed quærit in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non laborum inanem (3) ſervitiem. Hunc igitur librum veſtræ ſagaci prudentiæ probandum curavi tranſmittere, &, quia a Rhabano venerandæ memoriæ, digno veſtræ Sedis quondam Præſule educata parum mea parvitas eſt, Præſulatus veſtri (4) dignitati ſapientiæque in vobis pari commendare curavi. Qui ſi Sanctitatis veſtræ placet obtutibus & non deſiciendum judicaverit, uti licenter fidelibus veſtra Auctoritas concedat: ſin vero minus aptus, parque meæ negligentiæ paret, eadem veneranda ſanctaque contemnet Auctoritas. Vtriusque enim facti cauſam arbitrio veſtro decernendam mea parva commendat humilitas. Trinitas ſumma Vnitaſque perfecta cunctorum Vos utilitati multa tempora incolumem, rectaque vita manentem conſervare dignetur, Amen.

Hucuſque Præfatio illa *latina* ad Archiepiſcopum Moguntinum *Liutbertum*. Notandum autem eſt, eum in editione *Illyrici*, ut & a Card. *Baronio* Annalium Eccleſiaſticorum Tomo X, & a *Petro Merſſæo* in Catalogo Electorum Eccleſiaſticorum, aliiſque compluribus perperam vocari *Luitbertum* eodem errore, quo etiam nomina propria *Liutprandus*, *Liutgardis*, *Liutfridus*, *Liutharius* & *Liutolfus* paſſim occurrunt mutata in *Luitprandus*, *Luitgardis*, *Luitfridus*, *Luitharius* & *Luitolfus*. Eſt enim nomen *Liutbertus* compoſitum ex (5) *Liuto* ſive *Leute* & (6) *bert* ſive *wert*, quaſi *Leutewert*, hoc eſt, *hominum converſatione & conſortio dignus*. Saxones noſtri inferiores ex *Liutbertus* fecerunt *Ludbertus*, pro quo vulgus corrupte dicit *Lubbert*. Multo etiam gravius errant *Gaſpar Bruſchius* in Opere de Epiſcopatibus Germaniæ & *Gabriel Bucellinus* in Germania ſacra, dum ſupra memoratum Archiepiſcopum *Liutbertum* falſo *Lindebertum* & *Lindbertum* nuncupant. Notandum *ſecundo* eſt, antiquam linguam Germanicam, qua Volumen illud Evangeliorum conſcriptum eſt, vocari ab *Otfrido*, duplici nomine *Theotiſcam*

(1) Prudentia *pro* prudentiæ,
(2) *In edit. Illyr. minus recte legitur* linguæ.
(3) Servities *pro* ſervitio.
(4) *In edit. Illyr. perperam legitur* dignitate.
(5) *Vide Otfridi lb. 1. cap. 1. verſ. 1.*
(6) *Vide librum ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis ad ann. 1225. pag. 23; ubi variis a me demonſtratur exemplis, antiqua Germanica nomina propria deſinentia in* Wert *vel* werd, *hoc eſt* dignus, *varie a latinis corrupta eſſe, mutata terminatione* wert *in* bertus, berdus, pertus, berchtus, brechtus, prechtus, bordus & brodus.

tiſcam & *Franciſcam;* nempe *Theotiſcam* quidem reſpectu univerſæ Germaniæ, *Franciſcam* autem reſpectu iſtius partis Germaniæ, quam veteres illi *Franci* ſive *Francones* poſſedederunt. *Theotiſca* igitur lingua eadem eſt, quæ etiam nunc appellatur *die Teutſche ſprache*, *Franciſca* autem *lingua*, hoc eſt, *die Frankiſche* oder *Fränkiſche ſprache* dialectus eſt *Theotiſcæ*, æque ac Saxonica, Bavarica, Suevica, Helvetica, Auſtriaca & aliæ ejus generis. Quin etiam ipſe Otfridus libri primi capite primo linguam illam *Franciſcam* vocat *die* (1) *Frenkiſga zungun* his verbis:

Nu uuil ih ſcribam unſer heil,
Euangeliono deil,
So uuir mu biar bigúnnen
In Frénkiſga zungun.

A Hoc eſt ſecundum orthographiam & pronuntiationem noſtri ævi:

Nun will ich ſchreiben unſer heil,
Der Evangelien theil,
So wir nun hier beginnen
In Fränkiſcher zungen.

In editione Illyrici pro *Franciſca* per *C* legitur *Franziſca* per *Z*, ſed minus recte. Ex gentili enim nomine *Franko*, quod latine ſcribitur *Francus*, fecerunt Germani noſtri more ſuo per B adjectionem terminationis *SCH* vocabulum *Frankiſch*, quod mutato *K* in *C* latine ſcribitur *Franciſcus*, & idem valet atque *Francicus*. Inſignia quædam ejus rei extant exempla in ſupra citato *Ermoldi Nigelli* Poëmate Elegiaco de rebus geſtis Imp. *Ludovici Pii*. Nam libro primo, ubi Germanicæ nominis *Ludowici* etymologiæ facit mentionem, ſic canit;

Seu quis FRANCISCAM mavult reſerare loquelam,
Nominis ut poſſit noſcere notitiam.

Eodem ſenſu in libro tertio legitur:

Francia cum primo ſermonis dicta nefandi
Audierit, frendens mox tua Regna petet.
Tum millena tibi concurrent ſcuta virorum;
Cuſpide FRANCISCO forte repletus eris.

Nec multo poſt:

Itur; ubique vias populis dat ſylva remotas,
Milite FRANCISCO rura repleta manent.

Atque rurſus eodem libro:

Coslus erat quidem FRANCISCO germine natus,
Non tamen e primo, nec generoſâ manus.

Item in principio libri quarti:

Nort quoque FRANCISCO dicuntur nomine manni,
Veloces, agiles, armigerique nimis.

Et aliquando poſt in eodem libro:

Nec minus interea Hluthárius ornat amore
Heroldi (2) natum veſtibus aurigeris. Ca-

(1) *In prima ſyllaba vocis hujus* Frenkiſga *poſitum eſt ſimplex* E *pro* Æ *& in ultima* ſg *pro* ſc *vel* ſch.

(2) *Is eſt* Heroldus *primus Daniæ Rex Chriſtianus, qui alias etiam vocatur* Herioldus, Hariouldus, Haroldus & Haraldus. *Vide notas meas in Vitam* S. Anſcharii *a Sancto* Remberto *conſcriptam, quæ libro primo Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis ſubjuncta eſt pag. 334 & 335.*

Cætera namque cohors FRANCISCO more paratur,
Veſtimenta ſibi Cæſar amore dedit.

Similiter etiam apud *Eginhartum* in Vita Imp. Caroli Magni legitur: *Veſtitu patrio, hoc eſt FRANCISCO utebatur.* Ita enim ibi in vetuſtiſſimo illo Codice MSto Cæſareo, cujus (1) ſupra memini, ſcriptum eſt, non autem, uti in editionibus impreſſis, *FRANCICO.* Teſtatur etiam *Iſidorus* Archiepiſcopus Hiſpalenſis Originum lib. XVIII. cap. VI. *ſecures oblongas*, quibus *Franci* olim in bello uſi ſunt, ab *Hiſpanis* appellatas fuiſſe *FRANCISCAS* utiturque ea voce hoc ſenſu quoque *Flodoardus* Hiſtoriæ Eccleſ. Remenſ. lib. 1. cap. XIII: *Rex*, inquit, *Clodoveus inſtructas circumiens rite phalanges, ad eum, qui dudum percuſſerat urceum, pervenit, ſpretiſque ſuis armis, ejus tandem* (2) *FRANCISCAM projecit in terram. Ad quam recipiendam inclinato militi Rex in caput ſuam defigit bipennem.* Hæc Flodoardus. Notandum tertio eſt, *Otfridum* in eadem Præfatione antiquam noſtram linguam *Theotiſcam* ſive *Germanicam* appellare quidem *barbaram, agreſtem, incultam, indiſciplinabilem, ſcriptu difficilem & inſuetam capi regulari freno Grammaticæ artis*, ſed ſimul etiam graviter conqueri de negligentia Germanorum, quod propriam linguam nec ſcriptura, nec arte aliqua expoliverint, majorumque ſuorum res geſtas vel omnino non mandaverint literis, vel non aliter quam Latina aut Græca lingua, quodque, cum in alienis linguis vel unica literula artem tranſgredi tanquam ingens dedecus ſumma diligentia ſtuduerint evitare, patrium interea ſermonem adeo contempſerint, ut ſingulis fere verbis a recta loquendi ratione aberrare & omni ſcripturæ uſu carere non erubuerint. Quæ querela ut tunc temporis vera fuit & juſta, ita nunc falſa foret & injuſta; quippe cum Germanica lingua quinquaginta circiter & centum ab hinc annorum ſpatio ad exemplum aliarum illuſtrium linguarum beneficio artis tam diligenter & ſtudioſe cœperit excoli, ut in præſens ſummo jure ei poſſit applicari, quod *Cicero* de *latina lingua*, quæ itidem a Romanis diu contempta, & pro inope & barbara habita fuerat, in principio libri primi de Finibus bonorum & malorum ſcribit, nec *Oratoribus bonis, nec Poëtis, poſtea quidem quam fuit, quem imitarentur, ullum orationis vel copioſæ vel elegantis ornatum defuiſſe.* Verum hac de re alias commodior ſe offeret differendi locus; nunc autem illuc, unde digreſſus ſum, redeo. Finita videlicet ſuperiori illa Præfatione *latina* ad *Liutbertum* Archiepiſcopum Moguntinum: ſequitur in eodem ſupra laudato Codice MSto Cæſareo alterum Otfridi carmen Theotiſcum, quo Volumen illud Evangeliorum dedicavit *Salomoni* primo ejus nominis Epiſcopo Conſtantienſi, qui A. C. 831. electus eſt, & A. 873. obiit. Inſcriptio iſtius carminis, quod a *Joanne Trithemio* loco (3) ſupra citato perperam *Liber* appellatur, eſt hæc:

SALO-

(1) *Nempe Segmento hujus capitis vigeſimo. Col. 467.*

(2) *Apud Gregor. Turonenſ. lib. 2. cap. 27, ubi eadem narratur hiſtoria, legitur:* ſecurim ejus in terram dejecit. *Vide etiam Aimoin. lib. 1. cap. 12.*

(3) *Col. 651.*

SALOMONI EPISCOPO OTFRIDVS. Eadem quoque Inſcriptio in utroque carminis deſcendentis latere legitur adminiculo ejuſdem artificii, cujus (1) non multo ante, ubi de Otfridi carmine ad *Regem Ludovicum* facta eſt mentio, qualecunque exhibui ſpecimen. Primum ipſius carminis Tetraſtichon hoc eſt:

Si ſálida gimúati
Sálomones gúati,
Ther Biſcof iſt mu édiles
Kóſtinzero ſédale S

Conſtat totum hoc carmen totidem Tetraſtichis, quot literas hæc inſcriptio, SALOMONI EPISCOPO OTFRIDVS, continet, nempe *viginti quatuor;* & in editione *Illyrici* in fine annexam habet hanc clauſulam: ANNO DCCCXCII. Deeſt autem hic numerus Chronologicus in vetuſtiſſimo Codice MSto Cæſareo, nec dubito, quin is vel ab ipſo *Illyrico*, vel ab aliquo alio ſit adjectus, eo quod falſo crediderint, per *Salomonem*, ad quem Otfridus illud carmen ſcripſit, intelligendum eſſe *tertium* ejus nominis Epiſcopum Conſtantienſem, qui A. 891. electus eſt, & A. 919. obiit. Quod enim hic per *Salomonem* non *tertius*, ſed *primus* iſtius nominis ſignificetur Epiſcopus Conſtantienſis, manifeſte apparet ex ſynchroniſmo *Ludovici* Regis Franciæ Orientalis & *Liutberti* Archiepiſcopi Moguntini, quibus æque ac Epiſcopo *Salomoni* Volumen illud Evangeliorum ab Otfrido dedicatum eſt; & quidem ante annum Chriſti 873. Hoc quippe anno *Salomon* (2) iſte, qui A. 831. *primus* ejus nominis Epiſcopus Conſtantienſis electus fuerat, mortuus eſt; ſuperſtitibus adhuc Rege *Ludovico* & Archiepiſcopo *Liutberto*, utpote quorum prior (3) A. 876, poſterior autem A. 889. obiit. Quod ſupereſt ſequitur denique poſt tres hactenus memoratas dedicationes ipſum Volumen Evangeliorum in *quinque* libros diſtinctum, quorum quisque porro in capita diviſus eſt; nempe *primus* in viginti octo, *ſecundus* in viginti quatuor, *tertius* in viginti ſex, *quartus* in triginta ſeptem, *quintus* in viginti quinque. Capitis *primi* libri *primi* lemma hoc eſt: CVR SCRIPTOR HVNC LIBRVM THEOTISCE DICTAVERIT; principium autem:

Vuas liuto filu in flize
In managemo ágaleize
Sie thaz in ſcrip gicleiptin
Thaz ſie iro námon breittin.
Sie theſin, &c.

In libro *ſecundo* notabile imprimis eſt caput *vigeſimum primum* propter *Orationem Dominicam*, cujus exemplum hic exhibeo:

Páter

(1) *Vide ſupra Col. 657. 658.*

(2) *Notandum eſt errare* Claudium Robertum, *dum in* Gallia Chriſtiana, *ubi de Epiſcopis Conſtantienſibus agitur, refert, Salomonem hunc* ex Abbate S. Galli *electum eſſe in Epiſcopum Conſtantienſem. Confunditur enim is hac ratione cum* tertio *ejus nominis Epiſcopo, uti ex monumentis veterum autorum, qui de Monaſterio* S. Galli *ſcripſerunt, & a* Goldaſto *Tomo primo Syntagmatis Rerum* Alamannicarum *editi ſunt, videre eſt.*

(3) *Vide ſupra Col. 655.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pater noſter &c.
Fáter unſer giúato
Biſt Drubtin thu gimúato
In hímilon ió hóher
Uuíh ſi námo thiner.

Adveniat regnum tuum:
Biquéme uns thinaz richi
Thaz hoba hímilrichi,
Thára uuir zua ió gingen,
Ioh émmizigen thingen.

Fiat voluntas tua &c.
Si uuíllo thin hiar nídare,
So ſér iſt ufan hímile,
In érdu hilf uns hiare
So thu éngilon duiſt nu tháre.

Panem noſtrum &c.
Thia dágalichun záthi
Gib hiut uns mit gimuhti,
Ioh follon oub theiſt méra
Thines ſelbes lera.

Dimitte nobis &c.
Scúld bilaz uns állen,
So uuír oub duan uuóllen,
Sínta thia uuir thénken,
Ioh émmizigen uuírken.

Ne nos inducas &c.
Ni firláze unsih thin uuára,
In thes uuídaruuerten fára,
Thaz uuir ni miſſi gángen,
Thara ána ni gifállen.

Libera nos &c.
Lóſi unsih ió thánana
Thaz uuir ſin thine thegana
Ioh mit ginádon thinen,
Then uuéuuon ió bimíden, Amen.

Libri *tertii* caput *decimum quartum*, quod in Illyrici editione eſt mutilum, ſupplendum eſt hoc modo:

Thes niſt zála nob oub rín
Uuio manag uuuntar iſt ſin
Uuio manag ſéltſáni
Iſt úbar uuórolt mari.

Libri *quarti* caput *primum*, quod in Illyrici editione caret principio, ſupplendum eſt ita, uti hic ſequitur;

Nu thie éuuarton binóti
Máchont thaz giráti
Ioh Kriſtes todes turuh not
Ther liut ſih habet gienot
Biginnent, &c.

In eodem libro *quarto* notabile in primis eſt caput *decimum* propter inſtitutionem *Sacræ Cœnæ*, quæ ibi deſcribitur his verbis:

Et accipiens pánem &c.

Nam er tho ſélbo thaz brót
Bótiniz giſegenot,
Gibót thaz ſi es ázin,
Al ſo ſie thar ſazin.
Ir ezet quáder ana uuán
Lichamon minan,
Allen zéllu ih iu tház
Thaz eigit ir giuuiſſaz.

Similiter & calicem &c.

Nemet then kélih oub nu zi íú,
Thaz drinkan deilet untaríú,
Thar trinket ir thaz minaz bluát,
Thaz íú in euuon uuóla duat.
Iz heilit liuto uuúnta,
Iob mánagero ſunta,
Iz iſt mánagfaltaz thing
Yrlóſit theſan uuóroltring.

In principio libri *quinti* extat depicta *imago Chriſti Crucifixi*, non tamen tanquam jam mortui, ſed veluti *Beatiſſimam Matrem ſuam* & *S. Joannem Evangeliſtam* ex cruce ultimum alloquentis. Supra crucem viſuntur *Sol* & *Luna*, Creatori ſuo moribundo συμπάσχοντες, & quaſi impares ſpectandæ tanti facinoris atrocitati, velamen vultui prætendentes. Notabile etiam in hac imagine eſt, Chriſtum non *tribus*, ſed *quatuor clavis* cruci eſſe affixum. Singularem enim *de clavis Dominicis* (1) librum, & quidem eruditum æque ac pium, compoſuit R. P. *Cornelius Curtius*, Auguſtinianus Bruxellenſis, in quo eandem tuetur opinionem, variiſque firmat pervetuſtis *imaginibus*, quarum exempla æri inciſa capite *quinto* exhibet. Quandoquidem igitur *hæc* quoque *imago*, quæ in antiquo illo Codice *Otfridi*, ante (2) *ſeptingentos* circiter & *ſeptuaginta octo* annos exarato, propter venerandam vetuſtatem ſuam digniſſima eſt, ut cæteris a R. P. *Cornelio Curtio* publicatis imaginibus ſacris adjiciatur, curavi eam ſumma diligentia ex archetypa pictura delineari, ærique incidi, uti hic e regione videre eſt. Cæterum quod ad *finem* libri *quinti* attinet, ingens ibi eſt *lacuna* in editione *Illyrici*. Deſunt enim non ſolum capitis *vigeſimi tertii* ſive antepenultimi poſteriora *ſeptendecim Tetraſticha*, verum etiam *integra duo* ſequentia *capita*, nempe *vigeſimum quartum* & *vigeſimum quintum*, hoc eſt, penultimum & ultimum, atque inſuper *Carminis Otfridi ad Hartmutum & Werinbertum* monachos S. Galli priora *ſeptuaginta Tetraſticha* cum dimidio. Quoniam igitur publicæ utilitatis intereſt, ne tam eximium Antiquitatis Germanicæ monumentum, ſi forte, quod Deus avertat, ſupra memoratus Codex Cæſareus aliquo infelici caſu periret, perpetuo maneat adeo magna ſui parte mutilum, eam ob rem to-

(1) *Impreſſus is eſt Monachii typis Gulielmi Ederi A. 1622. in 12mo.*
(2) *Vide ſupra Col. 647.*


IHC·NAZAREN
ILS·REX
IUDEO RUM



totum illud notabile fragmentum, quod hactenus tanquam perditum delituit, in lucem & conſpectum hic profero.

THen tód then habet fúntan;
Thiu hella iob firslúntan,
Díofo firfuólgan,
Iob elichor gibórgan.
Thoh oub tház ni uuari,
Thar uuari thóh ió ſconi
Heili uuíziſtu tház,
Ana énti the heinaz.
Thara leiti Drúhtin
Mit thines ſelbes mahtin,
Zi themo ſconen libe,
Thie holdun ſcálka thine.
Thaz uuir thaz mámunti
In thinerumunti
Niazen uns iu múate
In euuon zi guate.
Thar blyent thir ió
Lilia inti róſa,
Suazo ſie thier ſtinkent,
Iob elichor nir uuelkent.
Thia bluat thia érda fuarit,
Iob ákara allerúarit
Thia ſcóni ziuuare
Thia sihiſtu alla tháre.
Ther ſtánk ther bláſit thar in múat,
Ió thaz éuuiniga gúat
Suazi filumánaga
In thia Gotes thegana.
In thie Gotes liobon
Mit ſuazin gimúagon
In thie drúta ſine
Uuard uuola ſie mit libe.
Thaz ſie giboran uuirtun,
Tho ſie ſulih funtun,
Iob sie in theſa redina
Niazent namer freuuida.
Thara leiti Drúhtin
Mit thines ſelbes máhtin
Zi themo ſconen libe
Thie holdun ſcalka thine.

Abaz uuir thaz mámmunti
In thinerumunti
Niazen uns in múate
In éuuon zi gúate.
Vbar thíz allaz
So iſt uns ſuaz iſta tház
Uúir unſih thés thar frouuon
Selbon Druhtin ſcouon.
Sines ſélbes ſconi,
Iob állaz ſin gizámi
Námer in then máhtin
Bi ſinen éregrehtin.
Theiſt thiu uuúnna iob thaz gúat,
Thaz blaſit lib uns in thaz múat
Theiſt al fon themo brunnen
Thaz uuir biargúetes zellen;
Sehen óub thar then droſt,
Thero engilo thionoſt,
Uns thar ió lib bibringit
Thaz iágilicher ſingit.
Thara leiti Drúhtin
Mit thines ſelbes mahtin
Zithemo ſconen libe,
Thie holdun ſcálka thine
Thaz uuir thaz mámmunti
In thinerumunti
Niazen uns in múate
In éuuon zi gúate.

Cap. XXIV. ORATIO.

Giuuérdo uns geban Drúhtin
Mit thines ſelbes máhtin
Uuir únſih muazin blíden
Mit héilegon thinen;
Mit in uuir muazin mazan,
Thaz hábeſt du uns giheizan,
Theſa ſelbun uuúnna
Thia uuir hiar ſcríbun fórna.
Erdán inti bimiles
Inti alles fliazentes
Fébes inti mánnes
Drúhtin biſtes álles.
Uuirbirun Drúhtin alle thín,
Ni laz queman thaz ió iu múat min.

Theihhiargidue in riche
Uuiht thes thirmilicke.
Gibóran uuir ni uuúrtun,
Er thino máhti iz uuoltun,
Stéit oub unſer énti
In thines ſélbes hénti.
Iſt uns in thir giuuiſſi
Oub thaz irſtántniſſi,
Thaz unſer ſtubbi fulaz
Uerde auur fúlih ſo ſó iz uuas.
Thu uuelt iſt óub ana thés
Theſſelben úrdeiles
Rihtis ſélbo thu then dág,
Then man biuuankon ni mag.
Nu iz allaz Druhtin iſt,
Ginado bi únſih ſo thu biſt,
Léiti unſih in richi thin,
T'oob uuir eſiuúrdig ni ſin
Druhtin álles uuionidúa,
Mih ió fúagi thara zúa,
Thaz ih mih untar thinen
I' ámer muazi blíden
Theih thar thih lobo ubaral,
So man Druhtinan ſcal
Allen kreſtin minen
Mit héilegon thinen
Uuir thiná geginuuerti
Niazen mit guuiurti,
Ioh ſín thih ſaman lobonti
Allo uuorolt uuorolti. Amen.

CAP. XXV. CONCLVSIO VOLVMINIS TOTIVS.

SElben Kriſtes ſtiuru,
Ioh ſinera ginadu
Bin nú zi thiu gifierit
Zi ſtáde hiar gimierit.
Bin nu mines auortes
Gikerit heimortes
Ioh uuilles duan nuénti
Mit thiu ih fuar férienti.
Nu uuillih thes giflizan
Then ſégal nithar lazan,
A *Thaz in thes ſtádes feſte,*
Min rúadar nu giréſte
Bin Gote hélphante
Thero árabéito zi ente,
Thes mih friunta batun
In Gótes minna iz dátun.
Thes ſie mih batun bárto
Selben Gótes uuorto,
Thaz ih giſcribin unſer heil
Euangeliono deil.
Thaz ih és bigúnni
In únſeragi zungi,
Ih thuruh Got iz dati,
So ſó man mih bati
Ni móht ih thaz firlóugnen
B *Nub ih thes ſcolti góumen,*
Thaz ih ál dati
Thes káritas mih bati.
Uuanta sí iſt in uuar mín
Druhtines drútin,
Iſt fúriſta innan huſes
Sines thionoſtes.
Theſſelben thioniſtes giuuált
Thaz géngit thuruh íra hant
Niſtes uuíht in thanke
Mit írumaniz ni uuirke.
Nu iſt iz ſo ih rédinon,
Mit ſélben Kriſtes ſégenon.
Mit sínera giuuélti
Braht anan énti.
C *Giſcriban ſó ſie bátun*
Thaz íro minna datun
Brúaderſcaf oub diuru,
Thaz ſagen ih thir ziuuáru.
Ih hiar nu férgon uuille
Gótes thegana álle,
Alle holdon ſine,
Ioh liabe friúnta mine,
Si frúma in theſen uuerkon,
Thaz ſi es Góte thankon
Thaz ſie thaz iruuellen,
Gotes gift iſt zéllen
Sínera máhti
Allaz thaz gidráhti,

Imo,

Fmo, ſo ih zellu,
Thiu ſelbun uuort ellu.
Si thar thaz ni dóhta,
So mir gibúrren mohta,
Zéllet thio giméiti
Minera dúmpheiti;
Mines ſelbes úbili,
Thaz ih ió uuard ſo fráuili,
Ioh minera árgi filu frám,
Thaz ih es góuma ni nam.
Thaz ih in theſen rédinon
Ni lúguntb euangelion,
Thaz ih mir liaz ſo únbiruab
Thio mines Drúbtines buab.
Theroſelbun miſſidato
Thigih Drúbtin thráto
Ginada thina imuara,
Uues még ih fergon méra,
Ther boldo thin ni mide
Nuberiz thána ſnide
Ioh er iz thána ſcerre,
Thaz iz hiar ini mérre
Zi thiu thaz gúati ſine
Thez thiubáz hiar ſcine.
Ioh man uizzi follon
In thiu then guatan uillon;
Uuant er thaz gúata minnot,
Ioh hiar iz liſit thuruh Gót
Thaz árga hiar ouh midit,
Ioh iz thána ſnidit,
Noh thuruh eina lugina
Ni firuuirfit al thia redina,
Noh thuruh úngiuuara min
Ni lázit thia frúma ſin,
Súntar thaz giſcrib min
Uuirdit bezira ſin
Búazent ſino gúati
Thio mino miſſodati
So eigun dáti ſine
Lon fon Drúbtine
Gelt filu follon
Thuruh then gúatan uuillon;
Uuant er thaz úbila firmeid,
Ioh iz garo thána ſneid

Thaz gúata ſteit gibáltan,
Ioh mág ſih baz giuualtan,
Sús bi theſa redina
So duent thie Gótes thegana
Sie uuirkent thiz gimúati
Thurub thiro iro guati
Sús duent thie io alle
Thes guáten uuillen fólle,
Thieſelbun druta ſine
Ioh liebe frúnta mine.
Ih uuéiz oub thaz thu irkénniſt,
Ioh thih iz únfarbolan iſt
Uuio áfur ió gilicho
D'uit ther mingilicho.
Then rúarit io thiu ſmerza,
Thaz dúit imo úbil herza
Er ſcóuuot zi themo gúate
Séragemo múate.
Iz rúarit ſino bruſti
Sar zi thera friſti.
Mit mihilen rúon,
So ér iz biginnit ſcóuon.
Er bieget zemo guate,
Iſt úbilo imo in múate,
Uuolt er ſar then uuillon
Gérno iz firdilon.
Niſt imo thar ouh fóllon
Thuruh then argan uuillon,
Súntar er thaz grúbilo,
Finthit er thar úbilo.
Ioh uuilit ſúlichero iágilich
Theiz állaz ſi ſoſámalih
Biginnent frám thaz réchen
Thaz ſie thaz gúata theken,
Lúagent ió zemo árgen
Thaz ſie génaz bergen
Thaz ſiez io bihéllen
Mit árgemo uuillen.
Iz ſpricht ouch giuuáro
Hierónimus ther máro
Giuuuager uuórtes ſines
Theſſelben alten nides
Er quit ſin ſúmiliche
Thoh in thaz uuérkliche

Sie thoh bi thie meina
Thes árgen nemen góuma
Thaz ſie thaz ió ſpurilon
Uuio ſie in ábuh redinon
Ioh ſie thés ió faren
Uuioz bintorort gikeren.
Nu ſi thaz ni mident
So hoban gómon rinent
Sie ouh thaz nie éltent
Theu Gotes drút ſo ſceltent.
Uuaz dúit thanne iro fráuili
Theru minera midiri
Ioh iro uuillo úbiler,
Got biskirme mih ér.
Sus sint thiu thing ellu,
So ih thir hiar nu zéllu,
Sus miſſemo múate
Sint úbile ioh gúate.
Thie einun uuóllent inuuár
Thaz gúata ófonon ſar
Thie ándere mit ilon,
Iz uuóllent ſar firdílon.
Thie gúata es ſar biginnent,
Ioh iz frám bringent,
Ioh ſint fró thrato
Réhtero dato;
Thie andere álle filu frúa
Sero grúnzent tharzúa
Sero duit in thiu friſt
Theiz bithékitaz niſt
Nu bifilu ih mih hiar
Then béziron allen in uuár
Allen Gótes theganon
Mit ſélben Kriſtes ſéganon
Tház thieſélbun ſmáhi mín
Ingibúgti muazin iro ſin,
Mit uuorton mih ginúagen
Zi Drúhtine gifúagen;
Io ſar in thémo friſte
Zi uuáltan temo Kriſte
Zi uuáltan teru hénti
Ana theh einig énti.
Themo ſi gúallichi
Ubar állaz ſinaz richi
Ubar allo uuórolti
Sidúri ſin ió uuónanti;
In érdu ioh in hímile
In ábgrunte ouh hiar nídere
Mit engilon ioh mánnon
In euuinigen ſangon.
Ther mih hiar ſo gidróſta
Thero árabeito irloſta
Thaz ez min githábta,
Ziſtáde mi bibrahta.
Thoh ih thar zua húgge
Thoh ſcóuuon ſi zirúgge,
Bin mir ménthenti
In ſtade ſtántenti.
Si guállichi thera énſti
Thiu mir thés ió giónſti
Lób ouh thera giuuelti,
Ana theh einig énti
In érdu ioh in hímile
In ábgrunte ouh hiar nidere
Mit éngilon ioh mánnon
In éuuinigen ſángon. Añ.

OTFRIDVS VVIZANBVRGENSIS MONACHVS HARTMVATE ET WERINBERTO SANCTI GALLI MONASTERII MONACHIS.

O *ba ih thero buacho gúati*
Hiar iá uuiht miſſikérti
Gikrúmpti thero rédino
Thero quit ther euangéli O
T *burub Kriſtes Kruzi*
Bimide ih hiar thaz uuizi,
Thurub sína giburt
Es íſt mir Drúhtin thanne thúrf T
F *irdílo hiar thio dáti*
Ioh Drúhtin mih giléiti
Thaz ih ni mángolo thes dróf
In himilriches frítho F
R *ihti pédi mine thar ſine*
Thie drúta thine

Ioh

Ioh minaz miat gifréuui mir
V *In euuon Drúhtin mit thí* R
I *n himilriches ſcóni*
Dúa mir thaz gizámi
Io mih ió thára uuiſi,
Thoh ih es es uuirdig niſ I
D *rúhtin duáz thuruh thih*
Firdanan uueiz ih filu mih
Thin gibot ih ofto meid
Bithiu thúlta ih thráto mánaglei D
V *uëiz ih thaz giuuiſſo*
Thaz ih thes uuirthig uuas ouh ſó
Thiu uuérk firdilo mínu,
Gináda Drúhtin thin V
S *ar ió nú giuuaro*
Thaz ih thir thíono zioro
Ellu iár innan thés,
Ioh dága mines libe S
V *uanta unſer lib ſcal uueſan tház*
Uuir thionoſt duen ió thinaz
Thaz húggen thera uuúnnu
Mit Kriſtes ſélbes minn V
V *uóla ſi es ió gimúzzun,*
Thie uuíllen ſines flizun
Ioh sint ſie nu mit rédinu
In himilrichis freuuid V
I *n bímiles gikámare*
Mit mihilemo gámane
Mit mihileru liubi
Thes uuórtes mir gilóub I
Z *i béliu ſint gifiarat,*
Ioh thie ándere gikérit
Thar thultent béh filu héiz,
So ih iz alles uuio niuuei Z
A *lla uuórolt zeli dual*
So man in búachon ſcal
Thiz findiſtu ana dúala,
Thaz ſagen ih thir in uuar A
N *im góuma in alathrati*
Uuio Abel dáti
Uuior búguribta ſinan
In ſélb Drúhtina N
B *igon daer Gote thankon*
Mit sínes ſélbes uuerkon

Sínen uuérkon er ió kleib
Uuíht ungidánes nibilei B
V *uio ther ánder miſſigíang,*
Ioh harto hintorort gifíang,
Thaz liſiſt thu ouh ziuuáru
Ioh fon theruſélbun far V
R *áter thes gimúagi*
Uuio er Abelan sluagi,
Uuio er gidáti filu ſér
Themo éinegen brúathe R
G *ifréuuit iſt ther gúato*
Nu in himilriche thráto,
Thaz deta thero uuérko githig,
Ther ander niſtes uuírthi G
E *r iſt gilóbet harto*
Selben Kriſtes uuorto,
In búachon ziuuare
Maht ſélbo iz leſan thár E
N *ibríſtit ni thu hórtiſt*
Uuio leid ther ánderer iſt
Miſt ther ſin haberúachon,
Thaz liſiſtu ouh in buacho N
S *ih Lamech ouh firlós*
Ioh zua quémun eriſt kós,
Dʳeta ander úbil ubar thaz,
Uuant er gúater ni uua S
I *n imo iſt uns thiu fórahta,*
Thia uns Cain ouh uuorahta
Lis uuio er then quénon zéinti
Ioh ſelberno imo irdeilt I
S *úntar uuard Enoh inuuar*
Drúhtines drút ſar,
Uuanta éruuialt múates ſines
Nu núzit páradiſe S
M *ánagfalta léra*
Duat Drúhtin uns in uuára
In theſa uuíſun untar im
Theih hiar thir zelle thaz firni M
O *ba thues uuóla drahtos,*
In muate thir iz ahtos,
Maht thánne thugiuuaro
Giniazan béder O
N *i láz thir in muat thin*
Thio dát thio gúoto ni ſin

Ioh láz thìr zi bilidin
Thie auur bèzirun ſi N
A *llo zíti thanne*
Só niuziſthu uab iz untar manne
Theib zálta
Thia fruma mánagfalt A
C *bèri ouh thìr in thráti,*
In muat thio uuoládati,
Uuio Noé biguat githíe
Uuard Druhtine uuirthi C
H *ína uuard thiu uuórolt funs,*
Theiſt allen kúnd hiar untar úns,
In ſúnton uuard ſiu míſſilib
Giuuiſſo thaz nihíluh thi H
V *uas er éino ſcono*
In liutin únbono
Deta éino er tho ziuuáru,
Uuerk álauuar V
S *ih kérta er zi Góte ana uuánk,*
Tho ellu uuórolt thar irdránk
Er eino ther intflóh thaz,
Thiu uuorolt uuirdig es ni uua S
H *óber oba mánnon*
Suebeta in then undon,
Uuant er uuas Gótes ſumirih
Drút thaz nihíluh thi H
A *llaz mán kumi*
Thúlta thar tho grúmi
Uuas uuirdig er in uuára
Zi bimídanne thia zál A
R *ébtor er iz ánafiang,*
Tho iz zinóti gigiang
Thanne thie mézon in uuár
Selbo léſen uuir iz thá R
T *hó ſie thes bigúmmun*
Zi bimile giſúmmun
Uuanta íz uuas úmredihaft
Bithiu zigíang in thiu kráf T
M *úatum ſie ſih thráto*
Thero iroſélbun dáto
Giuuiſſo ſágen ih thir éin
Sie quámun filuſcánthei M
V *uanta íz zi thiu ió irgéngit,*
Ther uuidar Góte ringit
Iſt er ió in uuaru
In bónlicheru zal V
A' *braham ther máro*
Uuas Gótes drut giuuáro
Thoh thúltur ofto in uuára
Mánagfalta zál A
T *hoh riat imo ió Druhtin*
Mit sínes ſélbes máhtin
So ſer ió thémo duat,
Ther thínoſt ſínaz uuóladua T
E *rata ernan filu frám,*
Tho ér zen alten dágon quam,
Sarbith themo ſínde
Zidúnemo kínd E
E *r oub Iácobe ni ſueih,*
Tho er themo brúader insléih,
Uuas ió mit ímo thanne
In themo flia hamn E
T *haz Ioſepe ouh gibúrita,*
Tho er thie dróuma ſágeta,
Therſélbo nid in anfiruuánt
Rumo in ánderaz lan T
V *uarun thar in lánte*
Thie liuti ſúntante,
In fólgetun ſie in uuáru
Mit mihileru pín V
V *uio ſie auur Gót thar dróſta,*
Ioh Móyſes irlóſta,
Thaz ſagent búah ziuuáru
In sines ſélbes lér V
E *igun ouh thio búah thaz*
Then iro mihilan ház
Then drúagún ſie ió in uuáre
Unz themo fiárzeguſten iár E
R *iatun ió ubar thaz*
In thaz férab ſmaz
Ther in dróſt uuas ió ſár,
Then uuóltun ſe ofto irslábantha R
I *n Dauides dáti*
Nimbilidi zinóti
Uuio er thurub sino guati
Firdruag thaz hérot I
N *i mág ih thoh ih uuólle*
Thieſelbun liuoli alle,

Thóh

Thóh uuir thaz iruuéllen
So mámmonto gizélle N
B *ithiu íſt mubáz ziuuaro,*
Thaz uuir gigrúazen hiárę
Thaz oub thaz ni bileib
Thaz Iohane ou hiar léid klei B
E *riſt ábtun ſie ſin*
Thaz ſágen ih thir in uuár min
Fiangun thó mit nide
Zi ſélb Drúhtin E
R *iatun tho ginúagi,*
Uuio mannan irslúagi,
Ginuiſſo ſágen ih thir uuár,
Thaz irfúltun ſe ſá R
T *hó ſie thaz gifrúmitun,*
Thie iúngoron firiágoton
So uuar ſunna lioh leitit,
So uuúrtun ſie ziſpréiti T
O *ba thu es biginnis,*
In búachon thu iz findis,
Thaz uuir nu niazen thráto,
Thero Drúhtines drút O
S *us in theſa uuiſun*
So sleifthiu uuorolt héraſun
Io ahta uuiziſt thu thaz
Thes gúaten ther tharúbil uua S
A *ller liut ginoto*
Áhta tho thero drúto
Noh dages hiutu in uuara
So uuónet ió thiu fár A
N *im góumo nu gimúato*
Theroſélbun Gótes druto
Draht es mu mit uuillen
In ſélben ſanctí Galle N
C *horota er ofto thrato*
Theroſélben arabeito
Thes er mú ana uuanc
Habet fora Góte than C
T *hen kemes in múate*
Uns allen nu zi gúate
Iob uns harto queme in múat
Thieſelba Drúhtines gua T
I *ſt uns hiar gizeinot*
In bethen io thuruh nót

In úbili inti in guati
Unſerero zuhto dat I
G *iuuar thu uuis ió thrato*
Thero bézirun dato
Biſcóuuo thir io umbiring
Ellu thiſu uuóroltthin G
A *lle thie firdanun*
The únſitig uuarun
Thiemid thu ió in uuara
Io allero iro far A
L *az thir in múæt thin*
Thie thar bézirun ſin,
So biſtu, ſo ih thir ſágen ſcal,
Gotes drút ubara L
L *is thir in then liuolon*
Thazſelba théih thir rédinon
Fon alten zitin hina fórn,
So ſint thie búah al théſes fo L
I *n in uuir leſen thare,*
Thaz uuizun uuir ziuuare,
Thera minna gimúati.
Ioh managfalto gúat I
M *inna thiu diura*
Theiſt Karitas in uuara,
Brúaderſcaf ih ſágen thir ein,
Thi giléitit unſih hei M
O' *bo uuir unſih minnon*
Si birun uuir uuérd mannon,
Ioh minnot unſih thrato
Selb Drúhtin unſer gúat O
N *i duen uuir ſó ih ſágen thir éin*
Sero quimit unſiz héim,
Seraguuir esuuérthen,
In thiu uuir iz ni uuólle N
A *ltan nid theih rédota,*
Then Cain ió habeta,
Ther ſi uns léid in uuara
Er iſt uns mihil zal A
S *imes ió mit guate*
Ziſamane gifúagte
Ioh folgemes thes uuares,
Uuir kind ſin Abrahame S
T *hia milti thia Dauid drúag,*
Duemes harto uns in thaz múat

Thia Möyſes unſih lérit,
Thiu boſa iſt éllu ni uuih T
Euangelion in uuar.
Thie zeigont uns ſo ſama thar.

Hucuſque magnum illud *fragmentum* Voluminis Evangeliorum ab *Otfrido* Theotiſce compoſiti, quo editio *Illyrici* in fine libri *quinti* ſupplenda eſt. De reliquo nec illud ſilentio prætermittendum exiſtimo, ultima *duo* Carminis *Otfridi* ad *Hartmutum* & *Werinbertum* Tetraſticha in jam memorata *Illyrici* editione valde corrupta eſſe, & beneficio MSti Codicis Cæſarei reformari debere hoc modo:

Xriſt halte Hartmuatan
Io Uuérinbrahtan guatan,
Mit in ſi oub mir gimeini
Thiu éuuiniga heili
Ioh allen iô zigamane
Themo héilegen giſamane
Thie dages ioh nahtes thuruh nót
Thar ſancte Galien thionont.

Hic enim *primo* notandum eſt, *ultima* hæc *duo Tetraſticha* non eſſe, ut *Illyricus* falſo credidit, eodem artificio compoſita, quo præcedentia; quippe quorum primæ & ultimæ literæ extra numerum ſunt literarum *Inſcriptionis* iſtius, quæ carmini illi præfixa eſt, & in utroque ejuſdem latere legitur. In *primo* igitur horum duorum Tetraſtichorum primus verſus incipit a litera *X*, quæ ibi uſurpatur pro *CH;* ultimus autem verſus non definit eadem litera *X*, ſed litera *I*. Similiter *ſecundi* Tetraſtichi primus verſus incipit a litera *I*, ultimus autem verſus non definit eadem litera *I*, ſed litera *T*. Quod quia non obſervavit *Illyricus*, hinc male primi Tetraſtichi ultimæ voci *heili* addidit literam ſuperfluam *C*, quia primus ejuſdem Tetraſtichi verſus incipit a litera *C;* & ſimili errore primam ſequentis Tetraſtichi literam *I* mutavit in *T*, quia ultimus ejuſdem Tetraſtichi verſus eadem litera T definit. Notandum *ſecundo* eſt, nomen proprium *Hartmuate* ſive *Hartmuatus* compoſitum eſſe ex *hart*, hoc eſt *durus* vel *firmus*, & *muat* ſive *mût*, hoc eſt *animus*, ac ſi græce diceretur Θυμοδένης hoc eſt, ut *Plautus* in Amphitryone loqui amat, *homo animi fortis atque obfirmati.* *Hartmuate* igitur idem eſt atque *Hartmutus*, vel ſi ſecundum dialectum Saxoniæ inferioris *T* mutetur in *D*, *Hartmudus*. Illyricus autem non animadvertens vocem hanc eſſe nomen proprium, fecit ex una voce duas, curavitque imprimi diviſim *hart muatan*. Hic nempe *Hartmutus* ſive *Hartmudus*, ad quem *Otfridus* carmen illud Theotiſcum ſcripſit, idem eſt, qui a *Joanne Trithemio* in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ, & a *Guilielmo Eyſengreinio* in Catalogo Teſtium Veritatis, quem contra *Matthiæ Flacii Illyrici* impium ejuſdem tituli Opus edidit, nec non a R. P. *Antonio Poſſevino* in Apparatu Sacro, a *Joanne Jacobo Friſio* in Bibliotheca Vniverſali atque compluribus aliis, quos hic longum foret recenſere, falſo appellatur *Hartmundus*, hoc eſt *Duri oris homo;* eodem videlicet errore, quo etiam (1) alia nomina Germanica, in *mut* & *mund* definentia, ſæpe confunduntur. (a) Cauſa & occaſio amicitiæ *Otfridi* cum

(1) *Vide librum ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis ad ann. 1250. pag. 109, ubi mentio fit nominum* Gutmudus & Gutmundus.

(2) *En additamentum, huic loco a Lambecio ſcriptum, Lib. II. pag. 1005.* ADDITAMENTUM VIII. pertinens ad paginam 449, ubi fit mentio HARTMUTI, primum Monachi, poſtea autem Abbatis celeberrimi Monaſterii Benedictini S. GALLI in Helvetia. HARTMUTUS celeberrimi Monaſterii Bene-

cum *Hartmuto* & *Werinberto* fuit condiſcipulatus eorum ſub *Rabano Mauro*, utpote cujus omnes tres uno eodem tempore fuerunt auditores & diſcipuli. Ipſa *Joannis Trithemii* verba, quibus jam citato loco de *Hartmuto* agit, ſunt hæc: *HARTMVNDVS* (ita enim ibi perperam legitur pro *HARMVTVS* vel *HARTMVDVS*) *monachus monaſterii S. Galli Ordinis beati Patris noſtri Benedicti, Rabani Mauri quondam auditor atque diſcipulus, ad quem OTFRIDVS Wiſſenburgenſis monachus multis epiſtolis exercitavit ingenium, vir undecunque doctus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & converſatione devotus, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ linguæ peritus, adde & Arabicæ non ignarus, ſcripſit tam metro, quam proſa multa præclara opuſcula, ſed nihil eorum ad notitiam noſtræ lectionis memini perveniſſe. Feruntur autem ſuper quibuſdam Bibliorum libris Commentarii ejus non abjiciendi; item Epiſtolarum ad diverſos liber unus: Sermones quoque, Cantus, Hymni & varii in Scripturis Sanctis Tractatus, quos ſtudioſus quiſque inquirat. Claruit temporibus Lotharii & Ludovici filii ejus Imperatorum anno Domini DCCCLXX.* Hucuſque Trithemius. Eyſengreinius autem in ſupra citato Catalogo Teſtium Veritatis meminit ejuſdem *Hartmuti* his verbis: *Anno Chriſti 867. claruit HARTMVNDVS* (ita enim ibi perperam legitur pro *HARTMVTVS* vel *HARTMVDVS*) *S. Galli Benedictinæ profeſſionis in Helvetia monachus, Rabani Mauri auditor quondam atque diſcipulus, ad quem OTFRIDVS Weiſſenburgenſis & Ruthardus Hirſaugienſis monachi plures Epiſtolas ſcripſerunt. Vir omnium doctrinarum conſumatiſſimus; Græcæ, Latinæ & Hebraicæ linguæ peritus, nec Arabicæ ignarus, Orator facundus & diſertus, Poëta gravis atque ingenioſus, cum conſtanter ſacræ Philoſophiæ incumberet, maximam Bibliæ partem expoſuit. Poſt Notgerum publicæ Monachorum Scholæ præfectus, complures optimæ vitæ & honeſtiſſimorum ſtudiorum diſciplinis exercitatiſſimos diſcipulos reliquit. Sermones præterea, Cantus, Hymnos & varios in Scripturis ſanctis Tractatus, utiliſſimos quidem, compoſuit.* Hæc de Hartmuto illo Eyſengreinius. Multo etiam prolixius de eodem agit *Joannes Stumpffius* libri quinti Hiſtoriæ Helveticæ germanice conſcriptæ capite quarto & quinto: quam narrationem *Heinricus Pantaleon* ſecundi Parti Proſopographiæ Illuſtrium Virorum Germaniæ aliquanto brevius inſeruit his verbis: (1) *Hartmuotus literarum amore Sanct. Gal-*

dictini S. GALLI in Helvetia primum Monachus, poſtea autem Abbas decimus quartus, perperam ab HENRICO CANISIO Tomo quinto Antiquarum lectionum pap. 725. 728. & 729, ubi nonnulla ejus publicantur carmina, vocatur HARTMANNUS & HARTMUNDUS. Quod propterea obiter monendum eſſe duxi, ne ille error, ſi eadem carmina denuo imprimantur, propagetur ad poſteros. *Hæc noſter. Quæ dum paulo incautius ſequitur* Cl. CAVÆUS *in Hiſtoria ſua Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum nugas agere dicitur* OUDINO, *notiſſimo criticis opere, &, ut videtur, non injuria: non tam ob rationes abs* OUDINO *adlatas, quam ob eas, quibus* LAMBECIUM *in* CAVÆO *refutat eruditiſſimus* BASNAGIUS *in editione altera* CANISII Antiquitatum Tom. II. part. III. pag. 190. *quem vide.* KOL.

(1) *Ita hoc nomen proprium ibi legitur impreſſum nempe* Hartmuotus *per* uo, *pro* Hartmuatus *vel contracte* Hartmûtus.

Gallenſe Monaſterium ingreſſus eſt, eo tempore Scholam per ſuperiorem Germaniam celeberrimam. Itaque cum felici eſſet ingenio præditus, brevi in virum doctiſſimum & ad res agendas promptiſſimum evaſit. Cum itaque Grimoaldus anno 841 ſub Rege Ludovico ejus loci Abbas eligeretur, Hartmuotus ille monachorum electione Abbatis Vicarius conſtitutus eſt. Grimoaldus enim Regis Sacellanus plerumque aulam ſequebatur, nec unquam cucullum induerat. Eo tempore Hartmuotus ſcribarum opera uſus, optimos quoſque autores tranſcribi, atque exemplaria multiplicari curavit, ne poſteritas bonorum autorum, præſertim ſacrorum, lectione deſtitueretur. Hinc factum ut de bonis literis optime ille ſit meritus. Ejus etiam diligentia multi Principes & Nobiles bona ſua huic monaſterio conferebant, ut laudabile illud inſtitutum eo in loco perfici poſſet. Cum autem Grimoaldus vita fungeretur, Hartmuotus ob eruditionem & pietatem omnium conſenſu Abbas electus eſt. Tum demum Novum Teſtamentum atque Pſalterium aureis literis deſcribi curavit, atque ligaturam pretioſis gemmis & lapidibus ornavit, quæ adhuc eo in loco ſuperſunt. Monaſterium etiam illud multis ædificiis & egregiis picturis paſſim decoravit, ut ejus memoria ibidem adhuc recens exiſtat. Vnde Carolus Groſſus Imperator monaſterium illud multis privilegiis & circumjacentibus prædiis donavit. Cum autem per multos annos Hartmutus bonas literas mirum in modum in ſuo monaſterio promoviſſet, tandem vivens adhuc, adminiſtrationem Abbatiæ Bernhardo conceſſit, ut commodius ſtudiis ipſe vacare poſſet. Verum paulo poſt moriens in Eccleſia S. Petri ſepultus eſt anno octingenteſimo octuageſimo tertio. Hæc ex Stumpffio Pantaleon. Unde inter cætera, quæ a Joanne Trithemio & Guilielmo Eyſengreinio ſupra citatis locis ſilentio prætereuntur, etiam hoc diſcimus, *Hartmutum* non ſolum fuiſſe *monachum* Cœnobii S. Galli, verum etiam poſt Abbatis Grimoaldi obitum A. 872, in decimum quartum ejuſdem monaſterii *Abbatem* electum eſſe, atque hinc recte colligi Volumen Evangeliorum, de quo in præſens agitur, ante jam memoratum A. 872 ab *Otfrido* compoſitum eſſe & publicatum, quia *Hartmutus* ab illo non *Abbas* S. Galli, ſed tantum *Monachus* appellatur. Cæterum ſi quis hactenus citata Joannis Trithemii & reliquorum recentiorum Autorum de *Hartmuto* teſtimonia veterum quoque Scriptorum autoritate illuſtrari & confirmari deſideret, is conſulat Tomum primum Syntagmatis rerum Alamannicarum a *Melchiore Goldaſto* editi, quippe ubi reperiet duos pervetuſtos Cœnobii S. Galli monachos *Ratpertum* & *Ekkehardum juniorem*, qui duobus libris ſuis, quos *de Origine & Caſibus Monaſterii S. Galli* ſcripſere, vitam quoque & res geſtas *Hartmuti* inſeruerunt, ſed prior ſatis prolixe & ex profeſſo, poſterior autem paucis tantum & obiter. *Ratpertus* enim eodem, quo *Hartmutus*, vixit tempore, & Chronicon monaſterii ſui perduxit uſque ad A. 883, quo jam memoratus Abbas *Hartmutus* ſponte ſe abdicavit, & *Bernhardus* primus ejus nominis Abbas in ipſius locum ſubſtitutus eſt. Capite igitur *octavo*, *nono*, *decimo* & *undecimo* ſive ultimo iſtius Opuſculi narrat *Ratpertus* egregia multa de vita & rebus geſtis *Hartmuti*, partim quidem tanquam adhuc mona-

monachi, partim autem ut Abbatis, vocatque eum non ſolum *ſcientia & moribus præclarum*, verum etiam *nobilitate*, quoniam, uti ſupra citatus *Ekkehardus junior* capite ſecundo teſtatur, *cognatus fuit Rudolphi Regis Burgundiæ*. Inprimis autem ibidem lectu digniſſimi ſunt *Catalogi duo librorum*, quos idem Abbas *Hartmutus* partim in uſum ſuum privatum, partim vero etiam in uſum totius monaſterii ſui ſtudioſe curavit deſcribi & eleganter ac pretioſe exornari. De reliquo nec illud ſilentio prætermittendum eſt, *Hartmutum* ibi ſemper vocari (1) *Hartmotum*, minimeque dubium eſſe, quin in ipſo *Ratperti* authentico exemplari ſcriptum fuerit *HARTMVATVS*, uti legitur in *Otfridi* carmine, vel *HARTMVOTVS*, uti legitur apud *Hepidannum* in Annalibus Alamannicis; quia videlicet ea ætate *ua* & *uo* uſurpatum fuit pro *u* longo ſive craſſo, ita nempe, ut *muat* & *muot* nunc idem ſit atque contracte *mút*, pro quo Saxones noſtri inferiores dicunt *mood* vel *mód*. *Tertio* denique notandum eſt, in ſupra citato *penultimo Otfridi Tetraſtichо Werinbertum* ſecundum corruptam ejus ævi conſuetudinem vulgarem theotiſce vocari *Werinbraht*, literamque *A* uſurpari pro *E*, & *H* pro *CH*, ac ſi ſcriptum eſſet *Werinbrecht*. Eodem enim modo per transpoſitionem literarum *E* & *R*, & adjectionem *CH*, *Werinbrecht* dicitur pro *Werinbert*, quemadmodum *Albrecht* pro *Albert*, *Ruprecht* pro *Rupert*, *Engelbrecht* pro *Engelbert*, *Lambrecht* pro *Lambert*, & alia multa ejuſdem (2) terminationis nomina propria. *Illyricus* autem non animadvertens, *Werinbraht* eſſe nomen proprium, ex una voce fecit tres, curavitque imprimi diviſim *uuer in brabtan*. Hic nempe *Werinbertus* ſive *Werenbertus* monaſterii S. Galli monachus, at quem *Otfridus* carmen illud Theotiſcum ſcripſit, prorſus idem eſt, quem anonymus ille (3) monachus S. Galli, cujus duos de Geſtis Imp. Caroli Magni libros *Henricus Caniſius* in lucem primus edidit, *Magiſtrum ſuum* nuncupat, cujuſque ex ore *primum eorum librorum* teſtatur *proceſſiſſe*. Ejuſdem *Werinberti* & ſcriptorum ejus meminit *Joannes Trithemius* in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ his verbis: *Werenbertus monachus apud S. Gallum Ordinis Divi Patris Benedicti, Rabani Mauri Fuldenſis quondam auditor atque diſcipulus, vir in divinis Scripturis eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus, Philoſophus clarus, Poëta inſignis, Græci ſermonis non ignarus, ſcripſit pro ædificatione legentium multa præclara volumina, quibus talentum ſibi commiſſum a Domino cum ingenti lucro reportavit. Sermones & multos & elegantes compoſuit libro uno, Epiſtolarum quoque ad diverſos librum unum, Epigrammatum diverſi generis metri librum unum, in Evangeliis quoque libros quatuor. Hymnos etiam & cantus in honorem Domini noſtri JEſu Chriſti & Sanctorum varios compoſuit.*

(1) *In* Cunradi de Fabaria, *Presbyteri S. Othmari, Catalogo Abbatum S. Galli, a Goldaſto in Syntagmate Rerum Alamannicarum edito, pag. 149.* pro Hartmûtus, *corrupte legitur* Hartmotus.

(2) *Nempe in* bert *ſive* wert. *Vide ſupra Col. 666.*

(3) *Vide ſupra Segmentum hujus capitis decimum octavum pag. 459.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

posuit. Cætera, quæ scripsisse dicitur, etsi multa sint, ad notitiam meam minime venerunt. Claruit sub Ludovico Imperatore Secundo, anno Domini DCCCLXX. Hucusque Trithemius. Meminit quoque ejusdem *Werenberti Eysengreinius* in (1) supra laudato Catalogo Testium Veritatis hoc modo: *Anno Christi 862. claruit Werenbertus Sangallensis Benedictinæ professionis monachus, natione Germanus, patria Curiensis, vir in monastica disciplina exercitatus, Historiographus atque Theologus sui seculi nobilissimus, egregius ἀναγλύπτης, Musicus absolutissimus, qui Historiam Sangalensem ad sua tempora elegantissimo volumine deduxit. In Genesin quoque Commentarios & doctos & prolixos conscripsit.* Hæc Eysengreinius. Ubi inprimis observatu dignum est, quod refert eum *Commentarios* scripsisse *in Genesin.* Quamvis enim R. P. *Antonius Possevinus* in Apparatu Sacro, ubi de hoc *Werenberto* agit, testetur, se ea, quæ de illo ibi memorat, ex *Eysengreinio* Catalogo descripsisse, attamen oblivione quadam sive errore mnemonico pro *Commentariis in Genesin* falso eum refert scripsisse *Commentarios in Apocalypsin S. Joannis;* quem eundem errorem postea quoque Vir alioqui doctissimus *Gerardus Joannes Vossius* capiti trigesimo sexto libri secundi de Historicis Latinis inseruit. Et hæc quidem hactenus de *Hartmuto* & *Werinberto* obiter, non tamen ab re. Quandoquidem igitur hucusque exposui, quid sæpius laudato MSto Codice Cæsareo *Voluminis Evangeliorum Otfridi* contineatur, & quomodo is differat ab altero illo Codice MSto, ex quo *Matthiæ Flacii Illyrici* prodiit editio, superest, ut corollarii loco subjungam, honorificam ejusdem Codicis Cæsarei mentionem fieri a *Martino Zeilero* Itinerarii Germaniæ Nov-Antiquæ Parte prima, & quidem capite decimo tertio, ubi in descriptione Vrbis *Vindobonæ* sive *Viennæ Austriæ* refert, Codicem istum A. 1628. a V. CL. *Sebastiano Tengnagelio* inter cæteros Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis rarissimos Codices MStos sibi monstratum esse. Quem totum locum *Matthæus Merianus* more suo descripsit, & Topographiæ Austriæ pag. 44 & 45 fine ulla *Zeileri* mentione inseruit. Cæterum quo tempore, aut unde, aut quoniam modo præstantissimus ille Codex in *Augustissimam Bibliothecam Cæsaream* pervenerit, id mihi, licet studiose inquisiverim, prorsus est incognitum. Certo quippe constat, eum non tantum diversum esse a supra memorato Codice *Flacii Illyrici*, verum etiam a tertio ejusdem Operis manuscripto exemplari, quod *Beatus Rhenanus* (2) libro secundo Rerum Germanicarum, ubi de *Francorum* veterum agit lingua, *Frisingæ in Bibliotheca S. Corbiniani* se vidisse testatur his verbis: *Veteres Francos, qui, transito Rheno, nobilissimum istud in Galliis Regnum constituerunt, & per duas familias, priorem Merovingorum, posteriorem Carolingorum, non Galliam solum, sed & Germaniam postea non paucis seculis rexere, Germanica usos fuisse lingua, cum innumera alia argumenta probant, tum vero manifeste convincit Liber ille insignis Evangeliorum Francice, hoc est Germanice*

(1) *Pag. 692.*
(2) *Edidit Beatus Rhenanus tres suos Rerum German. libros Basileæ A. 1531 typis Froben. in folio.*

nice versus, quem nos (1) *nuper, dum* A *Comitia Romani Imperii Carolus Cæsar celebraret apud Augustam Rhætiæ superioris, Fruxini in Vindelicis, quam hodie Frisingam appellant, in Bibliotheca Divi Corbiniani obiter reperimus: nam Livianarum Decadum gratia fueramus illuc profecti. Ejus Codicis hic est titulus,* LIBER EVANGELIORVM IN LINGVAM THEOTISCAM VERSVS. *Constat autem rhythmis totus. Atque ut antiquitatem ejus tralationis non ignores, deprehendi librum exscriptum ab-* B *binc annos ferme sexcentos, ut tum compositum credam, cum Christo primum Franci nomen dedere. In fine enim adscriptum erat:* VVALDO ME FIERI IVSSIT. SIGEFRIDVS PRESBYTER SCRIPSI. *Numeratur autem inter Frisingenses Episcopos* VVALDO, *ni fallor, decimus. Habet ipsum Opus elegantissimam præfationem, cujus hoc est initium, nulla litera mutata:*

(2) *Nu uuil ih scriban unser heil,*
Euangeliono deil,
So uuir nu hiar bigúnnon
In Frénkisga zungun.

Qui germanice callet, satis intelligit ista verba, nisi quod hodie paulo aliter scribimus & proferimus, non addentes alicubi tot vocales, alicubi plures adjicientes; nec bigunnon verbum pro incipere familiare est omnibus Germanis. Item paulo post:

Hiar hores io zi guate
Uuaz Got imo gebiete,
Thaz uuir imo hiar sungun
In Frenkisga zungun.

Nu freuuesshes alle
So uuersó uuola uuole,
Ioh uuer si hold in muate
Francono thute.

Item paulo post comparantur Franci Romanis animositate, nunquam hoc negaturis Græcis:

Sie sint so sama kuani
Selzsó thio Romani,
Nu darf man thaz oub redinon,
Thaz Kriachi nith es uuidaron.

Item alio loco prædicantur ad arma prompti, & viri fortes omnes. Nam B *hoc significat thegan Francis; unde Deganberti sive Dagoberti nomen & Degenhardi.*

Zi uuafane snelle
So sint thie thegan alle.

Ne libet plura addere; nam ista satis evincunt, quod fortassis apud nonnullos controversum esse poterat. Hoc omittere nequeo, Volumen istud egregium esse thesaurum antiquitatis. Solebat olim Maximiliamus Cæsar proposita C *mercede suos provocare ad quærenda vel diplomata, quæ ante quingentos essent annos conscripta. Nam tantum Latini sermonis usus apud Germanos in conficiendis tabulis receptus fuit; id quod cum cæteris Nationibus commune habuimus. Ab annis tamen* (3) *centum & quinquaginta secus apud nos factum videmus. Si Vngaricus sermo nostra ætate primum scribi cœpit. Itaque, si quis monstrasset duntaxat talem Codicem, non indonatus (a Maximiliano Cæsare) abiisset; nam Princeps fuit liberalissimus. Hujus generis* (4) *Psalterium vidimus apud Joannem Huttichium nostrum Argentorati.*

Hæc

(1) *Nempe A. 1530 Libros autem rerum Germanicarum edidit Anno 1531.*
(2) *Vide supra Col. 667.*
(3) *Immo vero inde ab Impp.* Friderici II & Rudolphi I. *temporibus. Qua de re videsis* Christophori Lehmanni *Chronicon Spirense lib. 5. cap. 107.*

Hæc Beatus Rhenanus. Ubi *primo* notandum eſt, titulum *Voluminis* Evangeliorum ab *Otfrido* in *quinque libros* diſtincti æque hic corrigendum eſſe, ac ſupra pag. 649 monui reformandam eſſe editionem *Illyrici;* quippe ubi itidem *Liber* ſingularis cum *Volumine* in *quinque libros* diviſo perperam confunditur. Notandum *ſecundo* eſt, ex jam citatis *Beati Rhenani* verbis ſatis clare apparere, quod is *Otfridum* Theotiſcæ iſtius translationis Evangeliorum ignoraverit eſſe autorem, ideoque falſo crediderit, eam plus quam integris *tribus* ante *Otfridi* ætatem *ſeculis* eſſe compoſitam; nempe (1) *cum Chriſto primum Franci nomen dedere*, hoc eſt, circa (2) annum Chriſti 499, quo *Clodoveus* primus Francorum Rex Chriſtianus a *S. Remigio* Remis baptizatus eſt. Notandum *tertio* eſt, inſcriptionem hanc, VVALDO ME FIERI IVSSIT. SIGEFRIDVS PRESBYTER SCRIPSI, quam Beatus Rhenanus teſtatur in Codice illo *Friſingenſi* extitiſſe, non ita eſſe interpretandam, ac ſi vel ipſe *Waldo*, qui decimus fuit Epiſcopus Friſingenſis, vel ejus juſſu *Sigefridus* presbyter translationem illam Evangeliorum Theotiſcam compoſuerit. Verus enim illorum verborum ſenſus eſt, Volumen illud Evangeliorum *juſſu Waldonis* a *Sigefrido* presbytero ex alio duntaxat antiquiori Codice eſſe *deſcriptum.* Corrigendus itaque eſt *Wolfgangus Lazius* libro tertio de Migrationibus Gentium, pag. 81, ubi de *Francorum* veterum lingua agens ſcribit: *Talia nimirum ſunt, quæ Beatus Rhenanus Friſingæ Bojariæ in vetuſto Codice Evangeliorum, a Waldone quodam ſcripta, reperit in hæc verba:*

Nu uuill ib ſcriban unſer heil, &c.

Ex quibus *Lazii* verbis ſatis manifeſte elucet, quod is ſupra citatum *Beati Rhenani* locum more ſuo inſpexerit admodum negligenter, ideoque falſo crediderit, ab ipſo Epiſcopo *Waldone* Volumen illud Evangeliorum vel deſcriptum eſſe vel compoſitum. Notandum *quarto* eſt, Codicem illum *Friſingenſem* fuiſſe in principio *mutilum*, quia Beatus Rhenanus & Wolfgangus Lazius ſupra citatis locis, & Wiguleus Hundius in Metropoli Salisburgenſi, ubi de Epiſcopo Friſingenſi *Waldone* agit, uno ore teſtantur, initium ejus fuiſſe hoc:

Nu uuill ib ſcriban unſer heil, &c.

Hic enim apparet, defuiſſe in illo Codice non ſolum *Præfationem latinam Otfridi* ad *Liutbertum* Archiepiſcopum Moguntinum, & *duo* ejuſdem *carmina Theotiſca* ad *Ludovicum* Regem Franciæ Orientalis & *Salomonem* primum ejus nominis Epiſcopum Conſtantienſem, verum etiam totum *Indicem Capitulorum Libri primi & maximam partem capitis primi*, quod, uti (3) ſupra monui, tam in vetuſtiſſimo Codice MSto Cæſareo, quam in editione Illyrici revera incipit his verbis:

Uuas liuto filu in flize, &c.

Ab hoc autem vero iſtius capitis primi initio uſque ad illa verba, *Nu uuil ib ſcriban unſer heil*, &c. quæ Beatus Rhenanus in Codice *Friſingenſi*

(1) *Idem error extat quoque apud* Wiguleum Hundium *in Metropoli Salisburgenſi pag. 40.*

(2) *Vide Joan. Tilii Chronicon Regum Francorum ad ann. 499; ut & Chronologiam Univerſalem Calviſii & Emii. R. P. Dion. Petavius lib. 13. de Doctrina temporum refert id ad ann. 495, rationarii autem temporum lib. 7. cap. 2. ad ann. 496.*

(3) *Vide ſupra Col. 671.*

genſi tanquam principium totius Operis reperit, numerantur tam in Codice MSto *Cæſareo*, quam in editione *Illyrici*, *quinquaginta ſex Tetraſticha*, ita nempe, ut, *Nu uuil ih ſcriban unſer heil*, &c, ſit *quinquageſimum ſeptimum*. Notandum *quinto* eſt, *tria* ejuſdem capitis primi loca, quæ a Beato Rhenano ex eodem Codice *Friſingenſi* ibidem citantur, non *ſequi*, ut ille perperam tradit, poſt verba, *Nu uuill ih ſcriban unſer heil* &c, ſed *præcedere*, uti tam in vetuſtiſſimo Codice MSto *Cæſareo*, quam in editione *Illyrici* videre eſt. Quare, niſi *Rhenanus*, ut veriſimile mihi videtur, errore mnemonico lapſus ſit, recte hinc poteſt colligi, Codicem *Friſingenſem* non ſolum in principio fuiſſe *mutilum*, verum etiam vel culpa Codicis vitioſi, ex quo deſcriptus eſt, vel culpa Sigeberti, qui eum juſſu Waldonis deſcripſit, *præpoſtera verſuum collocatione* fuiſſe depravatum. Notandum *ſexto* eſt, Codicem iſtum *Friſingenſem*, poſtquam *Beatus Rhenanus* in ſuis Rerum Germanicarum libris ejus fecerat mentionem, culpa eorum, quibus adeo rari monumenti antiqui dignitas & æſtimatio fuit incognita, per aliquot annos delituiſſe tanquam derelictum aut deperditum, ſed ab *Erneſto* Comite Palatino Rheni & Duce Bavariæ, qui A. 1565. quinquageſimus ſecundus cœpit eſſe Epiſcopus Friſingenſis, fortuito in ciſta quadam iterum eſſe inventum; uti teſtatur ſupra citatus Wiguleus Hundius his verbis: *Sub hoc Walthone* (ſive *Waldone*) *nono ſeu decimo Epiſcopo Friſingenſi, ſcriptus eſt inſignis ille liber Evangeliorum Francicis, hoc eſt Germanicis, verſibus ſeu rhythmis, cujus titulus eſt :* (1) *Liber Evangeliorum in Theodiſcam linguam verſus. Putatur, quod tunc editus ſit, quando* (2) *Franci Orientalis primum Chriſtiani facti ſunt: ex quo Beatus Rhenanus in Germania ſua colligit, veteres Francos, qui tranſito Rheno nobile in Galliis Regnum conſtituerunt, Germanica uſos fuiſſe lingua.* (3) *Incipit autem præfatio illius libri hoc modo: Nu uuill ih ſcriban unſer heil, &c. Extat liber aliquamdiu deſideratus, ſed per Reverendiſſimum ac Illuſtriſſimum Principem D. Erneſtum &c. forte fortuna in quadam ciſta iterum repertus, antiquitatis ergo venerandus ac videndus eſt.* Hæc ille. Notandum *ſeptimo* eſt, Beato Rhenano, Wolfgango Lazio & Wiguleo Hundio *unicum* duntaxat fuiſſe cognitum Voluminis Evangeliorum Otfridi Codicem MStum, nempe *Friſingenſem* illum in principio mutilum, cui *Otfridi* nomen deſuit, reliquorum autem duorum Codicum MStorum, quorum alterum *Flacius Illyricus* olim uſurpavit, alterum autem *Auguſtiſſ. Bibliotheca Cæſarea* nunc poſſidet, nullam eos habuiſſe notitiam. Notandum *octavo* eſt, ex *Beati Rhenani* ſupra dictato teſtimonio liquere, quod *Imp. Maximiliamus I,* licet veterum monumentorum, antiqua lingua Germanica conſcriptorum, eſſet ſtudioſiſſimus, nunquam tamen *Voluminis Evangeliorum Otfridi* ullum exemplar vide-

(1) *Quomodo hic titulus corrigendus ſit, vide ſupra Col. 652.*

(2) *Falſum hoc eſſe demonſtravi ſupra Col. 704*

(3) *Immo ex hoc initio apparet, Codicem illum Friſingenſem eſſe mutilum, & vero ſuo carere principio, uti ſupra monui Col. 704.*

viderit. Hinc enim recte colligitur A Codicem istius Operis manuscriptum, qui nunc in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea* adservatur, non nisi post *Imp. Maximiliani I.* obitum, & quidem post An. 1531, quo *Beatus Rhenanus* suos Rerum Germanicarum libros edidit, in eam perveniſſe. Posteaquam igitur hactenus de *Volumine Evangelicorum Otfridi*, & *tribus* ejus, qui mihi cogniti sunt, diversis Codicibus MStis, nempe *Cæsareo*, *Illyriciano* & *Frisingensi*, quantum obiter fieri potuit, actum est, facere B non possum, quin insuper de aliis nonnullis ejusdem *Otfridi* scriptis pauca quædam notatu digna adjiciam. Referunt nempe *Joannes Trithemius* in Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ & in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Guilielmus Eysengreinius* in Catalogo Testium Veritatis, *Joannes Jacobus Frisius* in Bibliotheca Vniversali, & *Antonius Possevinus* in Apparatu Sacro; *Otfridum*, præter *Volumen Evangeliorum Theotiscum, in quinque libros divisum*, scripsisse.

ad Ludovicum Franciæ Orientalis C Regem librum unum,
ad Salomonem Constantiensem Episcopum librum unum,
ad Monachos S. Galli librum unum,
in Psalterium Volumina tria libris tribus,
de Judicio extremo librum unum,
de Gaudiis Regni Cœlestis librum unum,
Sermonum & Homiliarum tam de tempore, quam de Sanctis libros duos,
Epistolarum ad diversos librum unum,
Epigrammatum libros duos,
Carminum diversi generis librum unum, aliaque multa quorum notitia intercidit.

Et quod quidem ad *Joannem Trithemium*, cujus fidem & autoritatem cæteri omnes supra citati Autores secuti sunt, attinet, produxi (1) supra *unum* duntaxat ejus de *Otfrido* locum, qui extat in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis;* nunc autem necessitas postulat, ut etiam *alterum*, qui in *Catalogo* extat *Illustrium Virorum Germaniæ*, integrum hic proferam in medium. Is autem in supra citata Operum ipsius Historicorum editione, studio & cura V. Cl. Marquardi Freheri Francofurti typis Wechelianis A. 1601. in folio impressa, legitur hoc modo: *Otfridus monachus* (2) *Wissenburgensis Cœnobii Ordinis Sancti Benedicti Spirensis Diœcesis, Rabani Mauri Abbatis Fuldensis quondam auditor atque* (3) *discipulus, Vir in Divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis egregie doctus, Philosophus, Rhetor, Astronomus, Poëta & Theologus nulli suo tempore secundus, ingenio excellens & diserтus eloquio, scripsit & metro & prosa multa præclara volumina, quibus nomen suum & ingenium ad posteros transmisit. Ex eo volumine, quo* (4) *Carolus Imperator quondam Magnus barbariem* (5) *Teutonicæ nostræ linguæ ad regulas inchoavit reducere grammaticales edoctus, multa & miranda lingua materna secundum easdem regulas composuit metro*

(1) *Nempe Col. 651. 652.*
(2) *Vide supra Col. 652.*
(3) *Vide supra Col. 649.*
(4) *De hac Imp. Caroli Magni* Grammatica Theotisca *vide supra Col. 353.*
(5) *Ipse Otfridus vocat eam* Theotiscam & Franciscam. *Vid. supra Col. 666.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tro seu carmine; quæ nemo facile nostra ætate legere & intelligere potest, quantumcunque sermonis nostri peritus; quippe cum sermo ille regulatus a nostro plus differat, quam (1) *Hetruscus a Latino. Mirabile tamen est & lectione dignum, quicquid Vir iste composuit, dum in Theutonico sermone regulas posuit, & quasi in versibus pedes & numeros custodivit. Ex cujus Opusculis extant subjecta. Ad* (2) *Luitbertum, octavum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopum, in quatuor Evangelia secundum prædictas regulas metricum Opus magnum & admirandum, quod prænotavit* (3) *gratiam theotisce, libro quinto: ad Ludovicum Regem lib. 1: ad Salomonem Constantiensem Episcopum lib. 1: ad monachos Sancti Galli lib. 1: in Psalterium tria magna volumina eodem genere sermonis: item de extremo Judicio lib. 1: de gaudiis quoque Regni Cœlestis lib. 1: Sermones & Homilias tam de tempore, quam de Sanctis edidit libros duos; Epistolarum ad diversos lib. 1: Epigrammata multa in utraque lingua vario genere metri libris duobus. Alia quoque multa edidit, quæ priorum negligentia perdita, & ignorantia monachorum Abbatumque desidia rasa & lacerata, in manus nostras non venerunt. Claruit temporibus Ludovici & Lotharii Imperatorum anno Domini DCCCLXX.* Hæc

A Joannes Trithemius in Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ. Ubi, præter alias *in margine* jam appositas animadversiones, notandum *primo* est, per *librum ad Regem Ludovicum* nihil aliud intelligendum esse, quam Theotiscum illud carmen dedicatorium, Volumini Evangeliorum præfixum cujus (4) principium: *Lúdouuig ther snéllo*, &c. Similiter quoque per *librum ad Salomonem Episcopum Constantiensem* nihil aliud intelligendum est, quam Theotiscum illud carmen dedicatorium, Volumini Evangeliorum præfixum, cujus (5) principium: *Si sálida gimúati*, &c. Per *librum* autem *de Judicio extremo* significantur libri *quinti* Voluminis Evangeliorum caput *decimum nonum*, cujus lemma, *De die Judicii*, caput *vigesimum*, cujus lemma, *Quomodo Christus judicaturus sit Mundum*, caput *vigesimum primum*, cujus lemma, *Quam districtum futurum sit tunc Judicium DEI*, & caput *vigesimum secundum*, cujus lemma, *Ibunt justi in Vitam æternam.* Per *librum* porro *de gaudiis Regni Cœlestis* significatur ejusdem jam memorati libri *quinti* caput *vigesimum tertium* sive antepenultimum, cujus lemma, *De qualitate Cœlestis Regni & inæqualitate terreni.* Per *librum* denique *ad monachos S. Galli* significatur carmen Theotiscum ad duos Monasterii S. Galli Mo-

B

C

(1) *Pro* Hetruscus *mendose ibi legitur impressum* Ebruscus.

(2) *Immo* Liutbertum *vid. supra Col. 666.*

(3) *Ita ibi perperam impressum est. At in libro de Scriptor. Eccles. multo etiam mendosius legitur* Gratiam Theotistæ. *Revera enim hic locus æque ac alter ille reformandus est hoc modo:* Opus magnum & admirandum, quod prænotavit Volumen Evangeliorum, Domini gratia, theotisce conscriptum, & in quinque libros distinctum. *Vide supra Col. 652. Illud quoque hic addo, quod ibi a me silentio prætermissum est, etiam in* Guilielmi Eysengreinii *Catalogo Testium Veritatis, æque ac apud* Trithemium *in libro de Scriptor. Eccles. corrupte & sine ullo sano sensu legi* Gratiam Theotistæ.

(4) *Vide supra Col. 657.*

(5) *Vide supra Col. 671.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Monachos (1) *Hartmutum* & *Werinbertum*, quod *Volumini Evangeliorum* ſubjunctum eſt, & hiſce (2) incipit verbis: *Oba ih thero búachо gúati*, &c. Hinc ergo apparet jam memorata *Otfridi quinque poëmata Theotiſca*, quæ *Volumini* ſuo *Evangeliorum* partim præfixit, partim inſeruit, partim ſubjunxit, perperam a *Joanne Trithemio* & cæteris, qui ejus autoritatem ſimpliciter ſecuti ſunt, totidem *Libros* ſingulares appellari. Notandum *ſecundo* eſt, per *tria Otfridi Volumina* ſive totidem *libros in Pſalterium* nihil aliud intelligendum eſſe, quam *Theotiſcam Paraphraſin proſaïcam*, ſingulis cujuſque Pſalmi latinis verſiculis ſubjunctam. Reperi enim A. 1665, cum *S. Cæſ. Majeſtatis* in itinere *Oenipontano* comes eſſem, egregii hujus & publica luce tam reſpectu argumenti, quam antiquitatis & linguæ digniſſimi Operis pervetuſtum, &, uti ex ſcriptura aliiſque circumſtantiis liquet, ipſo Otfridi ævo exaratum Codicem MStum membranaceum in Bibliotheca Arcis *Ambraſianæ* juxta *Oenipontum* ſitæ, eumque una cum aliis multis præſtantiſſimis Codicibus MStis in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* tranſtuli. Extant etiam in eodem rariſſimo Codice ejuſdem *Otfridi Homiliæ* quædam *Theotiſcæ in Evangelia*, quarum *Joannes Trithemius* ſupra citato loco itidem meminit: item Paraphraſis *Theotiſca* in Canticum (3) Eſaiæ Prophetæ, *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, &c; in Canticum (4) Ezechiæ Regis Judæ, *Ego dixi in dimidio dierum meorum* &c; in Canticum (5) Hannæ, *Exultavit cor meum in Domino* &c; in Canticum (6) Moyſis, *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt* &c; in Canticum (5) Habacuc Prophetæ, *Domine audivi auditionem tuam* &c; in Canticum (8) Moyſis, *Audite Cœli, quæ loquor* &c; in *Orationem* (9) *Dominicam*; in Canticum (10) Zachariæ Prophetæ, *Benedictus Dominus DEus Iſraël*, &c; in Canticum Beatiſſimæ (11) Virginis Deiparæ, *Magnificat anima mea Dominum* &c; ac denique in Symbolum S. Athanaſii, *Quicunque vult ſalvus eſſe* &c. De hoc igitur præſtantiſſimo optimæque notæ Codice MSto prolixius, volente Deo, agam proxime ſequenti ſive *tertio* horum *Commentariorum* libro (a) in deſcriptione opimi Incrementi, quo *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* beneficio ſupra memoratæ *Bibliothecæ Ambraſinæ* aucta eſt, eodemque tempore de illis quoque diſſeram *duobus* antiquis Pſalterii Codicibus MStis *Theotiſcis*, quorum alterum autem *Beatus Rhenanus* (12) ſupra citato loco

(1) *Vide de iis ſupra Col. 691. & ſequ.*
(2) *Vide ſupra Col. 684.*
(3) *Eſaiæ cap. 12.*
(4) *Eſaiæ cap. 38.*
(5) *Lib. 1. Reg. cap. 2.*
(6) *Exodi cap. 15.*
(7) *Habacuc cap. 3.*
(8) *Deuteronom. cap. 32.*
(9) *Matth. cap. 6. & Luc. cap. 11.*
(10) *Lucæ cap. 1.*
(11) *Lucæ cap. 1.*
(a) *Ex his manifeſtum eſt,* LAMBECIUM *ne libro adhuc quidem tertio promiſſum toties Aug. Bibliothecæ mss. codicum catalogum ſcribere voluiſſe; mutavit tamen hanc mentem ſuam poſt paulo p. 699. &* Ambraſianæ Bibliothecæ *mss. codicum* Catalogum *libro ſecundo inchoaſſet, verba ejus ſunt hæc:* Supra col. 712. ſcripſeram, me illud, facturum libro tertio horum Commentariorum: nunc autem certas ob cauſas mutavi conſilium. *Vide dictæ pag. 699. Not. 1.* KOL.
(12) *Vide ſupra Col. 700.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loco libri ſecundi Rerum Germanicarum teſtatur ſe vidiſſe apud *Joannem Hüttichium Argentorati*, alterum autem *Juſtus Lipſius* in Epiſtola lectu digniſſima ad *Henricum Schottium*, Vrbis Antverpienſis Syndicum, quæ Centuriæ tertiæ ad Belgas quadrageſima quarta eſt, memorat ſe vidiſſe apud *Arnoldum Wachtendonckium*. Ut interim tamen eruditæ curioſitatis homines Codicis iſtius *Cæſarei* qualicunque fruantur ſpecimine, ſubjungo hic unius tantum *Pſalmi primi* atque *Orationis Dominicæ* Paraphraſin, & quidem ita, uti in ipſo authentico exemplari contextui latino intermixta eſt.

PSALMVS PRIMVS CVM OTFRIDI WIZANBVRGENSIS MONACHI ANTIQVA THEOTISCA PARAPHRASI.

I. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: *Der man iſt ſalig, der in dero argon rat ne gienc; ſo Adam teta, do er dero* (1) *chenun rates volgeta uuider Gote.* Et in via peccatorum non ſtetit: *Noh an dero ſuntigen uuege ne ſtuont; ſo er teta; er chom dar ana, er chom an den breiten uueg, der ze dero hella* (2) *ket, unde ſtuont dar ana, uuanda er gehanɛta ſinero keluſta; hengento ſtuont er.* Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit: *Noh an demo* (3) *ſubtſtuole ne ſaz; ih meino, daz er richeſon ne uuolta, uuanda diu* (4) *ſubt ſturet ſie nah alla, ſo ſi Adam teta, do er Got uuolta uuerden.*

II. Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte: *Suntir der iſt ſalig, des uuillo an Gotes* (5) *eo iſt, unde der dar ana* (6) *denchet tac unde naht.*

III. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. *Unde der* (7) *kedihet alſo uuola, ſo der boum, der bi demo rinnentem uuazere keſezzet iſt, der citigiz ſin uuocher gibet. Daz rinnenta uuazer iſt diu gnada des heiligen Keiſtis; den ſi* (8) *nezhzhet, der iſt birig boum guotero uuerche.*

IV. Et folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur. *Noh ſin loub ne riſet; daz chuit noh ſin uuort ne uuirt uuendic, unde fram dihet* (9) *elliu dei der boum bringet ioub uuocher; ioub pletir; ih meino uuerch unde uuort.*

V. Non ſic impii, non ſic, ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. *So uuola ne dihent aver die argon, ſo ne dihent ſi, ſuntir ſi zeuarent alſo daz ſtuppe dero erdo, daz der uuint feruuaet; ſone demo Gotes riche uuerdent ſi feruuaet.*

VI. Ideo non reſurgunt impii in judicio, neque peccatores in conſilio juſtorum: (10) *Pediu ne irſtent die argon ze dero urteile, do ſi irſten, ſi ne bitent iro danne, uuanda in iu irteilet iſt; noh die ſundigen ne ſizhzhent*

(1) Chenun *pro* Quenun *vel* Quenan, *hoc eſt* Mulieris. *Vide ſupra Col. 584.*
(2) ket *pro* geht; *uti paſſim hic uſurpatur* K *pro* G.
(3) *Nunc ſcriberetur Suhtſthul.*
(4) *Suht pro Sucht; quemadmodum hic paſſim uſurpatur H pro CH.*
(5) *Eo, lex. Aliud autem eſt* Euu. *Vid. ſupra Col. 645.*
(6) Denchet *pro* denket; *quemadmodum hic ſæpe uſurpatur* CH *pro* K.
(7) Kedihet *pro* Gedejet.
(8) *Ita in eo Codice ſæpiſſime uſurpatur* ZH *pro ſimplici* z.
(9) Elliu *pro* Allen. *Cætera ſatis clara ſunt.*
(10) Pediu *pro* Darumb.

ſizhzhent damne in demo rate dero rebtono. Ene ne irſtent ze diu, dazh ſi irteilet uuerden, noh diſe daz ſi irteilen; ene ſint die uuirſiſten, diſi ne ſint die bezhzheſten, uuanda ſi peidi ſundig ſint; die bezhzheſten irteilent den (1) *metemen.*

VII. Quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit. *Uuande Got uueizh den uueg dero rhetono, er geuuerdet ſie uuizhzhen, unde iro uuerhc, unde dero argon uart uuirt florn, uuanda ſie ſelbe florn uuerdent; pidiu uuirt iro uart floren, dazh ſint iro uuerhc.*

ORATIO DOMINICA CVM OTFRIDI WIZANBVRGENSIS MONACHII ANTIQVA THEOTISCA PARAPHRASI.

Pater noſter, qui es in Cœlis. *Uater unſir, du in himile biſt. Uuolne du menniſco skeine ana guoten uuerchen, dazh du ſin ſun ſiſt, ſo heizhiſt du in mit rehte uater. Habe die minna, diu tuot dih uueſen ſinen ſun.*

Sanctificetur nomen tuum. *Din namo uuerde gihеiligot. Uer ſcol in geheiligon, nu iſt er heilic? Uuir biten auir, dazh er in unſeren herzhen gihеiligit uuerde, ſo dazh uuir in uobende gihеiligen.*

Adveniat Regnum tuum. *Din Riche chome, dazh euuige dara alla guote zhuo dingent; da uuir dih giſehen ſculen, unde den engilen giliche uuortine, lih ane tot haben ſculen.*

Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo & in terra. *Din uuille giskehe in erda ſone menniſgen, alſo in himile ſone den engilen.*

Panem noſtrum (2) cottidianum da nobis hodie. *Unſir tagelichih prot gib uns hiuto. Gib uns lera, dera unſere ſela gilabit uuerden, uuanda dera bidarf ſi tagelichis, alſo der lichinamo bedarf brótis.*

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Unde unſere ſculde belazh uns, alſo ouh firlazhen unſeren ſculdenaren. Diſen gidingen firneme manniclih, unde ſi garo ce firgebenne dazh* (3) *luzhzhila, alſo er uuelle, dazh imo firgeben uuerde dazh* (4) *michila.*

Et ne nos inducas in tentationem. *Unde in dia chorunga ne leitiſt du unſih. Dazh chuit ne lazh unſir gichorit uuerden nah unſeren ſunden. Den du ne skirmiſt, den uuirfit diu chorunga nidir, der uuirt ce huohe ſinen fianden.*

Sed libera nos a malo. *Suntir irloſe unſih ſona demo ubile. Loſe unſih ſone des tiufelis chorungen, unde ſone ſinemo giuualte. Siben bete churci ſin diſe; an in uuirt doh funten al dazh, des uns durft iſt.*

Diſen ſalmon heizhen uuir Giuuerf, uuanda in die heiligen poten giſamino-ten unde ceſamine giuurfen, dazh izh zheichen ſi dera chriſtenlichen gloube, alſo ouh in demo uuige dazh zheichin iſt an demo skilte, odar an gieinoton uuorten iſt, dannan iogelichir ſine gnozhzhi irchennit.

Et hæc quidem in præſens ſpeciminis loco ſufficiant. Cæterum, ut ad Joannis Trithemii (5) ſupra citatum locum revertar, notandum *tertio* eſt, de *Grammatica* illa *Theotiſca* ab *Imp. Carolo Magno* compoſita, cujus ibi paucis & obiter fit mentio, aliud inſi-

(1) Metemen *pro* Mittelen.
(2) Cottidianum *pro* quotidianum.
(3) Luzhzhila *ſive* luzzila *parum.*
(4) Michila, *multum.*
(5) *Vide ſupra Col. 708.*

insigne testimonium extare in ejusdem *Tritbemii* libro *sexto Polygraphiæ;* quippe ubi non solum refert *Otfridum* ea Grammatica usum esse, eamque absolvisse & auxisse, verum etiam addit, *Fragmenta* ejusdem Grammaticæ in suas etiam pervenisse manus, ejusque rei confirmandæ causa exhibet ibi *tria Alphabeta steganographica* sive *cryptographica*, ab ipso *Imp. Carolo Magno* excogitata, partim quidem in usum proprium, partim autem, ut iis uterentur *Exploratores* illi & *Judices clancularii*, quos per *Saxoniam*, triginta annorum spatio vix tandem a se debellatam, rebellionis & defectionis a religione Christiana impediendæ causa secreto constituerat. Ipsa *Tritbemii* verba, quæ maxime ad rem pertinent, & capite *secundo* ac *tertio* supra citati libri *sexti* Polygraphiæ extant, hic subjungo; non quidem, uti vulgo sunt impressa, sed quemadmodum leguntur in authentico Codice MSto, *propria* ipsius *Joannis Tritbemii manu* A. 1508 exarato, & *Imp. Maximiliano I.* oblato, quem Anno 1665, cum Gloriosissimi Imperatoris nostri LEOPOLDI I. in itinere Oenipontano comes essem, in *Bibliotheca Arcis Ambrasianæ* juxta *Oenipontem* sitæ reperi, & una cum aliis multis pretiosissimis Codicibus MStis, qui olim ad *Bibliothecam cubicularem Maximiliani I.* pertinuerunt in *Augustiss. Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem* transtuli. (1) Incredibiliter profecto hic *Polygraphiæ* Co-

(1) *In Appendice Libri III. addi his* LAMBECIUS *voluit, quæ adscripsi:* ADDITAMENTUM XI, pertinens ad Libri *secundi* pag. 463, 805 & 988, ubi agitur de *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ duobus Codicibus MStis, Joannis Trithemii, Sponheimensis* primo deinde autem *S. Jacobi* apud *Herbipolim* Abbatis, *Polygraphiæ Libros sex* & *Librum octo Quæstionum* continentibus, qui, ut luce meridiana clarius liquet, illi ipsi sunt, quos PROPRIA MANV exaratos, *Imp. Maximiliano* obtulit.

Extant quoque in eadem *Augustissima Bibliotheca* nonnulla alia JOANNIS TRITHEMII *Monumenta* AVTOGRAPHA, ex quibus speciminis loco in publico *Epistolam* quandam ad *Petrum Abbatem Monasterii in Amorbach*, sive *Amerbach*, quæ inter *Epistolas*, cum *Operibus* ejusdem *Historicis* Francofurti typis Wechelianis A. 1601. in folio impressas, non reperitur, varias tamen ob causas lectu & conservatu est dignissima. Ea est hæc:

Salutem & veram in Domino charitatem:

Quoniam in multis sum plurimum occupatus, ad inquisitiones tuas Pater Venerande, brevius, quam tuæ cogitationes voluerunt, compellor respondere. Ad primum itaque, quo Monasterium (α) *Schutteranum dicis ab Offone quodam Anglo te legisse fundatum, respondeo eam me non latuisse opinionem. Dicunt enim Schutterenses ipsum Offonem de Anglia Romam petiisse sub Gregorio Papa Magno, & in reditu fundasse Cœnobium; sed hoc falsum Sigebertus redarguit in Chronicis, sic dicens: Anno Domini DCCVII. sub Constantino Papa Coreth & Opho Reges Anglorum Romam veniunt, ibique in monachos attonsi, Regi regum militaverunt. Ita Sigebertus. Gregorius autem Papa Magnus prius obierat* (β) *anno Domini DCV. Videsne quod opinator in duobus & centum annis erravit. Sanctus autem* (γ) *Pirminius, ut antehac scripsi, circa Dominicæ Nativitatis annum DCCXXXIV Monasterium Schutterense fundavit, quod ut clarius tibi pateſcat, unum his interserui Capitulum ex antiquissimo Libello vitæ ejus, ita exordiens, postquam Augiensis Monasterii fundationem ab eo factam præmiserat: Iste, inquit, locus, de quo imperitis assertionibus aliquid narrando perstrinximus, primus est, in quo Vir Sanctus Pirminius agonem suum post Episcopatum* (δ) *proprium Deo & hominibus devotissime monstrare cœpit:*

(α) *Vide ejusdem* Trithemii Compendium *sive* Breviarium Annalium, *ubi agitur de* Theodorico *Rege Francorum sexagesimo, pag. 60 & 61 supra memoratæ editionis Wechelianæ atque insuper consule ejusdem* Chronicon Monasterii Hirsaugiensis *ad annum Christi 1002, pag. 45 ejusdem editionis; sed ibi pro* Offo *mendose legitur* Otto.

(β) *Immo A. C. 604. d. 12. Martii.*

(γ) *Vide Cardinal.* Baronii *Notas ad Martyrologii Romani diem tertium Novembris, ubi vocatur* Pirminus.

(δ) *Nempe* Meidensem *in Gallia ad Matronam fluvium.*

Codex manuſcriptus ab impreſſis editionibus diſcrepat, adeo nempe, ut prorſus nova editio ex eo poſſit adornari. Notabile etiam in eo inprimis eſt, *Joannem Trithemium* in fine ſingulorum librorum annotaſſe, quo die puram illam cujuſque eorum deſcriptionem abſolverit. In fine enim libri primi legitur: *Finis Libri primi Polygraphiæ Joannis Trithemii Abbatis (Divi Jacobi in Suburbio* (1) *Peapolitano Francorum) XII die menſis Februarii anno Chriſtianorum MD VIII.* (2) Ἰωάννης ὁ Τριτήμιος γέγραφα. Similiter etiam in fine ſequentium librorum teſtatur ſe *ſecundum* abſolviſſe *ultimo* die *Februarii* ejuſdem anni 1508, *tertium ſeptimo* die menſis *Martii*, *quartum decimo tertio* die ejuſdem menſis, quintum decimo ſexto die ejuſdem menſis ac denique *ſextum* die *vigeſimo primo* ejuſdem menſis *Martii* & ejuſdem anni 1508. *Præfationem* autem dedicatoriam ad *Imp. Maximilianum I.* quæ toti Operi præfixa eſt, & ab impreſſa multum differt, teſtatur ſe ſcripſiſſe ejuſdem anni die *vigeſimo quarto* ejuſdem menſis *Martii.* In hoc igitur præſtantiſſimo Codice MSto, de quo alias prolixius acturus ſum, legitur ſupra citatum *Joannis Trithemii* de

cæpit: poſtea vero cum Dei timore & ſtudio bono decem ordinavit Monaſteria; quorum tamen nomina aliquanta nobis ſunt incognita, quædam vero nota. In tribus tamen Regnis, (α) *Francia ſcilicet noſtra Orientali, Bavaria atque Alemannia liquido novimus eſſe conſtructa: & poſt pauca: quorum vero prædictorum Monaſteriorum nomina novimus, hæc ſunt: Altha, Schutera, Schwartzacha, Morbach, Gengenbach, Moreſmünſter, & Neuwiler; aliorum vero vocabula certe non ſcimus. Uſque huc ex Vita ejus, cui plus fidei tribuo, quam opinionibus in contrarium allegatis quibuſcunque. Ad ſecundum dico, non mirandum, ſi de his rebus nihil ſcripſerunt Italiæ Galliæque Auctores; quia ſua ſtudioſiſſime proſecuti, Germanorum memoratu digna ſemper quaſi ex condicto ſpreverunt. Ad tertium reſpondeo, propter brevitatem temporis Vitam S. Pirminii hac vice dare ad reſcribendum non potuiſſe: curabo tamen, quam cito quivero, ut ea potiaris. Ad quartum, ex quibus id habeam Annalibus, quod de fundatione Monaſterii tui Amorbach, & Sluchtera id eſt ſolitaria, & quibuſdam aliis per Divum Pirminium, quæ in ejus vita non habentur, pridem ad te ſcripſi, ſimiliter & de Sancto Amore primo Abbate, reſpondeo, quod ex* (β) *Megenfrido Chronographo Fuldenſi monacho, qui fundationes & Abbates pæne omnium Cœnobiorum noſtri Ordinis in Germania, qui ipſum præceſſerunt, ſatis diffuſe conſcripſit. Is dicit Beatum Amorem Sancti Pirmini diſcipulum. Ab ipſo primum Abbatem in tuo Cœnobio inſtitutum, annis præfuiſſe tribus & quadraginta, multiſque coruſcaſſe miraculis, & nomen indidiſſe loco, Pirminiumque ex diſcipulis Sancti Mauri extitiſſe; de quibus tamen in ejus Vita nihil habetur. Ad quintum, dico Cœnobium tuum quinque habuiſſe fundatores, S. videlicet Pirminium Epiſcopum Meldenſem, S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinenſem, Carolum Martellum Majorem Domus Regni Francorum, Pippinum ejus filium poſtea Regem Magnique Caroli patrem, & Ruthardum Comitem in Franckenberg, ad cujus proprietatem fundus ipſe pertinebat, in quo Monaſterium dignoſcitur eſſe conſtructum. Caſtellum vero ejus Franckenberg longe poſtea anno Domini MCXL VIII, tunc ſpelunca latronum, deficientibus Comitibus per Fridericum Imperatorem fait deſtructum, & mons Eccleſiæ Herbipolenſi donatus. Megenfridus, Chronographus inſignis & ſolidus, claruit in Monaſterio Fuldenſi* (γ) *Anno Domini DCCCCXC. Sigebertus autem monachus Gemblacenſis claruit anno Domini MCX. En habes ad inquiſita reſponſum, quale breve poterit dare tempus. Vale & Deum ora pro nobis: XXIII die Martii MDXV.*

Joannes Tritemius Abbas
S. Jacobi Herbipolis.

Inſcriptio harum literarum externa:

Reverendo in Chriſto Patri Domino Petro Abbati Monaſterii in Amorbach, Amico venerando.

(1) Peapolitano *per ſimplex* e *pro* Poapolitano *vel* Pœapolitano *quemadmodum pro* πόα, *h. e.* herba, *Ionice dicitur* πόη. Poapolis *vel* Pœapolis *idem eſt atque* Herbipolis *ſive* Würtzburg.

(2) *Hoc eſt*, Joannes Tritemius ſcripſi.

(α) Francia Orientalis *peo* Franconia.

(β) *Vide ejuſdem* Trithemii *Chronicon Monaſterii Hirſaugienſis ad an. Chriſti 1019; item* Ger. Joan. Voſſ. *de Hiſt. Lat. Lib. 2. cap. 42, & R. p.* Chriſtoph. Broweri *Antiquitat. Fuldenſ. lib. 1. cap. 14.*

(γ) *In* Chronico *autem* Monaſterii Hirſaugienſis *refertur idem* Megenfridus *ab eodem* Trithemio *ad annum Chriſti 1010.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de *Grammatica Theotiſca Imp. Caroli Magni* ab *Otfrido* abſoluta & aucta teſtimonium hoc modo: *Carolus Rex Magnus, natione* (1) *Theotiſcon, gentis ſuæ miſertus barbariem, Annonæ, Theobaldo & Berengero præceptoribus, ſicuti OTFRIDVS &* (2) *Turpinus fuerunt, cum eſſet Vir animo cœleſtis, & literarum tam Græcarum, quam Latinarum longe doctiſſimus, linguam tentavit regulare* (3) *Theotonicam, menſibus & ventis, quæ hodie apud nos retinent, nomina dedit, & præcepta Grammatices linguæ Theotonicæ pulchra compoſuit. Sed illo mortuo res imperfecta remanſit, uſque adeo ab hominum notitia hodie jacens abſcondita, ut ſatis admirari nequeam. Niſi enim fuiſſet* (4) *unus ille monachus Wiſſenburgenſis quondam OTFRIDVS, nulla hujus facti memoria haberetur. Is enim ſub Ludovico Pio, ipſius Caroli filio, Grammatica, quæ inchoaverat ille, aſſecutus, multa ſcripſit in lingua Theotonica noviter in parte regulata metro heroico elegiacoque ſimul & proſa, tam ad ipſum Ludovicum* (5) *Imperatorem & alios, quam ad Moguntinum Archiepiſcopum* (6) *Otgarium. Cujus Grammatices fragmenta conſecuti & nos, præſentes Alphabeti characteres inter alia extraximus; quas Carolum conſtat reperiſſe in Operis ſui miniſterium, quod pro linguæ ornatu gentilis inchoaverat.* Hæc ibi Trithemius capite ſecundo. Capite autem tertio ſubjungit iſta: *Memoratus Vir doctiſſimus OTFRIDVS in ſua Grammatica Arte linguæ noſtræ Theotonicæ, quam, ſicut diximus, ex Caroli Regis Magni inſtitutionibus collegerat, & alios characteres quosdam interſeruit, quibus ipſum in arcanis uſum fuiſſe dicit. Ex quibus & nos ſubjectum pro nobis Alphabetum aſſumpſimus, quo ſecretiſſime hactenus uſi ſumus. Datum fuit hoc ipſum Alphabetum hominibus illis, quos Carolus in locum triginta millium ex Saxonia tranſtulerat in Galliam, poſtea videlicet quam annis triginta pugnans contra Saxones, ipſos gladio tandem Chriſti convertit ad fidem. Veritus enim, ne denuo recidivarent, ſicuti frequenter antea fecerant, eorum triginta millia trans Rhenum locavit in Galliam cum filiis & uxoribus, quos ferociores animis fuerat expertus. In quorum locum ex Gallis triginta millia ſimiliter in Saxoniam tranſtulit, quos ad aliorum differentiam* (7) *Weſt-Gallos, vulgariter autem Weſt-Walen nuncupavit; qui hodie corrupto vocabulo, ſed mendoſe, Weſtphali vocantur. His quoſdam præpoſuit Duces non exercitus, ſed morum, quibus commiſit, quatenus per totam Saxoniam, quæ tunc erat ampliſſima manifeſte diſcurrerent & occulte, & quoscunque reperiſſent contra fidem & mores enormiter deliquiſſe Chriſtianos, mox ſine judiciorum ſtrepitu laqueo necarent; ipſi autem ab omni hominum im-*

(1) *Rectius* Theotiſco *vel* Theotiſcus *hoc eſt, ein Teutſcher.*
(2) *Vide ſupra Col. 479 & deinceps.*
(3) *Ipſe Otfridus vocat eam rectius* Theotiſcam.
(4) *At enim vero meminit ejuſdem rei etiam* Eginhardus *in vita Imp. Caroli Magni. Vide ſupra Col. 353. 645.*
(5) *Immo ad* Ludovicum Franciæ Orientalis Regem, *Imp. Ludovici Pii filium. Vide ſupra Col. 656.*
(6) *Immo ad* Liutbertum *Archiepiſcopum Moguntinum. Vide ſupra Col. 666.* Otgarius *fuit* quintus *Archiepiſcopus Moguntinus.* Liutbertus *autem* octavus.
(7) *Notabilis locus de origine & nomine Weſtfalorum.*

impetitione permanerent immunes. Hos hodie Scabinos, vulgo (1) *Feynieros, latine autem Scitos appellamus: qui notis utuntur occultis, quibus ſe mutuo Scitos intelligant, judicium reos, quod Carolus dedit, uſque in hodiernum diem per ſucceſſionem electionis facientes: characterum vero, ſicut cernimus, inſtitutio in gente ad effectum non pervenit.* Hucuſque inſigne illud *Joannis Trithemii* de Grammatica *Imp. Caroli Magni* Theotiſca ab *Otfrido* abſoluta & aucta teſtimonium. Quod ſupereſt, cum ipſe huic argumento in præſens diutius non poſſim immorari, nec tamen dubitem, quin forte aliquis antiquitatum Germanicarum amans uberiorem nonnullarum rerum, quas ſupra curſim attigi, illuſtrationem deſideraturus ſit, hoc ſaltem adjicio, operæ pretium fore, ſi præ cæteris conſulantur *Juſtus Lipſius* in (2) ſupra citata pererudita Epiſtola ad Henricum Schottium, *Conradus Geſnerus* in *Mithridate* ſive Libro de differentiis linguarum, *Wolfgangus Lazius* libro tertio de Migrationibus Gentium. *Melchior Goldaſtus* in Syntagmate Rerum Alamannicarum, & in Notis ad *Tyrolis* Regis Scotorum & *Winsbekii* ac *Winsbekiæ* antiquas Germanicas Paræneſes, *Bonaventura Vulcanius* in Libro de literis & lingua Getarum ſive Gothorum, *Paulus Merula* in Notis ad *Willerami* Abbatis Mersburgenſis antiquam Theotiſcam Paraphraſin in Canticum Canticorum, *Chriſtophorus Browerus* in Diſſertatione de veteri Trevirorum lingua, *Martinus Opitius* in Animadverſionibus ad incerti Poëtæ Theotiſcum Poëma rhythmicum de *S. Annone* Archiepiſcopo Colonienſi, & *Juſtus Georgius Schottelius* in magno & egregio Opere germanico de Lingua Germanica.

XXXV. Et hactenus quidem *viginti tres* recenſui *MStos Codices*, ad Vitam & res geſtas *Imp. Caroli Magni* pertinentes, de quibus alias vel in ipſis horum *Commentariorum* libris, vel ſeparatim, prolixius poſthac acturus ſum, multoque plures adderem ejuſdem argumenti, niſi præviderem fore, ut *Caput* hoc *quintum* in nimis enormem & prorſus abſurdam excreſceret magnitudinem. Abrumpo itaque illud, licet invitus, &, quæ ſuperſunt, commodiori loco & tempori reſervans, ad alia tranſeo. (a)

(1) *Ita ibi ſcriptum eſt; In impreſſis autem editionibus legitur* Feimeros.

(2) *Vide ſupra Col. 713.*

(a) *Non erant in promptu plures; repertum enim ex eorum numero unum in* Appendice *Libri VIII. additum illis eſſe volebat his verbis:* ADDITAMENTUM V, de pervetuſto quodam & rariſſimo Codice manuſcripto membranaceo *Bibliothecæ Privatæ ſive Cubicularis Imp. Caroli Magni*, quem in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* nondum repereram, cum libri *ſecundi* horum Commendariorum Capite quinto a pag. 261. uſque (α) ad pag. 465. ejuſdem *Biblicthecæ Carolinæ* aliquoties memini.

Jam memoratus præſtantiſſimus Codex manuſcriptus membranaceus *Carolinus* eſt inter Codices manuſcriptos Theologicos Latinos *ſexcenteſimus vigeſimus quartus*, conſtatque foliis *ſeptuaginta octo* in folio, quorum primum partim injuria temporis, partim negligentia eorum, qui *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream* ante me adminiſtrarunt, lacerum eſt & aliquatenus mutilum. Continetur eo *in S. Pauli Apoſtoli Epiſtolam ad Romanos Explanatio* ORIGENIS: quam CAROLUS MAGNUS, *nondum Imperator, ſed tantum adhuc Rex Francorum & Longobardorum*, a quodam WINIDHARIO curavit deſcribi, poſtea autem ipſe relegit, & propria

(α) *Vide ibi in Col. 454. 452.*

propria manu emendavit. Præfatio ejus incipit ibi his verbis: *Principia rerum requirenda ſunt, ut notitia earum poſſit haberi. Tunc demum enim facilius poterit cauſæ ratio declarari, ſi ejus ordo diſcatur. Si ergo Epiſtolæ datæ modum oſtenderimus, poteſi verum videri quod dicimus. Conſtat temporibus Apoſtolorum Judæos, propter quod ſub Regno Romano agerent, Romæ habitaſſe, &c, quia hi, qui crediderunt, tradiderunt Romanis, ut Chriſtum profitentes legem ſervarent*, &c; Explicatio deinde ipſa incipit hoc modo: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti. Ex Saulo Paulum ſe dicit, hoc eſt, immutatum, ut quia Saulus inquietudo ſeu temptatio interpretatur. Hic cum ad fidem Chriſti acceſſit, Paulum ſe dixit*, &c. Cæterum in fine totius iſtius Codicis, nempe folii 78. pag. 2, exſtant hæ, æque antiquo charactere Gotthico ſive Toletano exaratæ, & obſervatu digniſſimæ ſubſcriptiones:

INCIPIVNT (α) VERSICVLOS.

Codicis hujus ovans (β) volui confringere penna
(γ) Spinas, quas animo (δ) ſcriptor congeſſit inerti;
Quique legis, precibus pro me pulſare Tonantem
Digneris, valeas (ε) ſi Chriſti vivere Regno.

ITEM ALII.

Qui ſternit per bella truces fortiſſimus Heros,
Rex CAROLVS, *nulli cordis (ζ) flugore ſecundus;*
Non paſſus (η) ſentes mendarum ſerpere libris;
En bene correxit, ſtudio ſublimis in omni.

VVINIDHARIVS PECCATOR SCRIPSIT ISTVM LIBRVM, AMEN.

EXPLICIT LIBER, QVEM DICTAVIT (ϑ) ORIGENIS.

In illis temporibus Chriſtianus fuit; ſed poſtea
(ι) deprevatum eſt mens ejus poſt vana.
Sed vos, qui legitis, non dubitetis legere,
quia proficit vobis, ſi retinetis:
Et orate pro (κ) Scriptore, (λ) ſi habeatis Deum Adjutorem
in die Judicii. Sic fiat, fiat, fiat. Amen, aṁ, aṁ.

Ex his igitur Subſcriptionibus ſine ulla controverſia manifeſtiſſime apparet, quæcunque in hoc Codice, vel in ipſo contextu emendata, vel interlineariter ſuperſcripta, vel ad marginem adnotata ſunt, ſecundum verba illa, EN BENE CORREXIT, propria ipſius CAROLI MAGNI manuſcripta, ideoque Monumentum hoc literarium, ob veneratione tanto Monarchæ debitam, fere inæſtimabile eſſe. Huc quoque accedit, ex ſimilitudine ſcripturæ certo cognoſci poſſe, quænam idem Glorioſiſſimus Princeps, cum in aliis variis *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* Codicibus manuſcriptis, tum præcipue in *Sacris Bibliis*, quorum Libri ſecundi horum Commentariorum capite quinto a Col. 615. uſque ad Col 628. facta eſt mentio, ipſe ſua manu emendaverit. Habent itaque Critici, quo nomine merito glorientur, nec niſi ſumme honorificum illis eſt, Carolum Magnum profeſſionis ſuæ habere collegam. Quod denique reſtat, ſi quis ejusdem *Origenis Explanationem Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos* impreſſam, ſed ab ea, quæ in jam memorato Codice manuſcripto *Carolino* exſtat, prorſus diverſam, videre deſideret, is adeat *Origenis* Opera, Pariſiis typis Petri l'Huillier A. 1574. in folio impreſſa, Partis ſecundæ pagina 296. & deinceps, ubi Præfatio iſtius Explanationis, *S. Hieronymo* translatore, incipit his verbis: *Quod cæteris Apoſtoli Pauli Epiſtolis difficilior putatur ad intelligendum hæc, quæ ad Romanos ſcripta eſt*, &c; Explanatio autem ipſa hoc modo: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti.) De Paulo jam diximus; requiramus nunc, cur ſervus dicatur is, qui alibi ſcribit: Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis;* &c.

Hæc ille. Is liber nunc eſt inter Theologicos ms. CXXXVI. Membraneus, *inquit* GENTILOTTUS, foliorum 78. oblongioris formæ vetuſtiſſimus, ſæculo octavo exaratus, ut tam ex ſcripturæ ratione ejus ævi ſpeciminibus ab immortalis memoriæ viro JOANNE MABILLONIO in Opere de Re Diplomat. exhibitis apprime congruentibus, quam aliis ex argumentis notiſque conjicimus. Non modicum vero propter vetuſtatem detrimentum accepit, corroſis marginibus præſertim primi folii & ſcriptura complures in locis fugiente. CAROLI MAGNI manibus verſatum hunc librum,

(α) Verſiculos *pro* Verſiculi, *nempe accuſativus pro nominativo; ut paſſim alibi in pervetuſtis hujuſmodi Codicibus manuſcriptis Gotthicis ſeu Toletanis. Sic enim in* Codice Epiſtolari Caroino, *de quo Libri ſecundi horum Commentariorum Col. 449. & deinceps egi, ſtatim in principio ſive in ipſa interiori compactura lignea legitur:* Memento quæſo quod ſim PULVEREM, *pro* Memento quæſo quod ſim PULVIS. *Similiter etiam in Codice* Gloſſarii Latino-Theotiſci Rabani Mauri in tota Sacra Biblia Veteris & Novi Teſtamenti, *cujus Col. 646 ejuſdem Libri ſecundi horum Commentariorum memini, legitur* In Nomine Dei Summi incipiunt GLOSAS *pro* incipiunt GLOSSÆ.

(β) *In hoc Epigrammate, quod ſine ullo dubio ipſe* Carolus Magnus *compoſuit, nemo niſi ipſe de ſe & de emendatione ſua hujus Codicis loquitur. Sequens autem Epigramma in ejusdem honorem & laudem, vel* Winidharius, *vel alius aliquis incognitus de ſuo addidit.*

(γ) *Hæ* ſpinæ *in proxime ſequenti Epigrammate vocantur* ſentes mendarum.

(δ) *Nempe* Winidharius.

(ε) Si *pro* ut.

(ζ) Flugore *pro* fulgore.

(η) *Sic ſupra eaſdem* ſentes mendarum *vocat* ſpinas.

(ϑ) Origenis *perperam pro* Origenes.

(ι) Depravatum *perperam pro* depravata.

(κ) *Nempe* Winidhario.

(λ) Si *pro* ut.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

librum, ejuſque victrici dextra emendatum fuiſſe, quemadmodum de Evangeliis ante obitum ſuum ab eo correctis teſtatur THEGANUS cap. VII, non obſcure indicant verſiculi in fine poſiti. Quos tamen ſi quiſpiam referre velit ad emendationem, ejus mandato ab alio factam, ut de Bibliorum vulgata verſione, ALCUINO commiſſa, ex SIGEBERTO conſtat, per me licet. Eorum verſiculorum exemplum infra ſcriptum eſt.

INCIPIVNT VERSICVLOS (ſic)

Codicis hujus ovans volui confringere penna
Spinas quas animo ſcriptor congeſſit inerti
Quique legis precibus pro me pulſare tonantem
Digneris, valeas ſi Xpi vivere regno.

ITEM ALII.

Qui ſternit per bella truces fortiſſimos heros
Rex Carolus nulli cordis fulgore (a) ſecundus
Non paſſus ſentes mendarum ſerpere libris
En bene correxit ſtudio ſublimis in omni.

Verſiculis ſubtexta eſt hujuſmodi epigraphe.

UUINIDARIUS PECCATOR SCRIPSIT ISTUM LIBRUM, AMEN. EXPLICIT LIBER, QUEM DICTAVIT ORIGENIS.

In illis temporibus Xpianus fuit, ſed poſtea depravatum eſt mens ejus poſt vana. Sed vos qui legitis non dubitetis legere, quia proficit vobis ſi re&me&is. Et orate pro ſcriptore, ſi habetis dñ adjutorem in die judicii. Sic fiat, fiat, fiat. añ, añ, añ.

Nimiam autem fidem huic ſubſcriptioni habuit Cl. LAMBECIUS, cum de hoc Codice agens Commentar. Tom. VIII. Additam. V. pag. 645. ſcripſit, eo contineri ORIGENIS explanationem Epiſtolæ S. PAULI ad Romanos, ab edita tamen diverſam. Eſt enim memoratæ quidem epiſtolæ, ſed ORIGENIa librario perperam adſcripta enarratio, alius incerti auctoris, qui centum minime annos poſt ORIGENEM vixit, ut vel ex principio conſtat, in quo fit mentio PHOTINI, A. 345, 347, 349. damnati, atque circa A. 376. mortui. Ut ut vero de auctore parum conſtet, legitur ejuſmodi expoſitio inter AMBROSII Mediolanenſis opera a col. 1800. edit. Paris A. 1569. a Benedictinis S. MAURI in appendicem relata. Ejus prologus in hoc Codice ſine ulla inſcriptione ſic incipit: *Principia rerum requirenda ſunt, ut notitia earum poſſit haberi. Tunc demum enim facilius poterit cauſæ ratio declarari, ſi ergo epiſtolæ datæ modum oſtenderimus, poteſt verum videri quod dicimus &c.* Commentarius. *Paulus ſervus Jhu Xpi. Ex Saulo paulum ſe dicit, hoc eſt immutatum, ut quia Saulus inquietudo ſeu temperatio interpretatur. Hic cum ad fidem Xpi acceſſit paulum ſe dicit. . . . . quaſi jam quietum, quia pax eſt fides noſtra. Cum enim . . . . temptationes emulationes legis dī ſervis . . . . ret. poſt ipſe temptationes paſſus eſt propter ſpem . . . . . m ante judaiſmi amore negaverat ſervum autem . . . . a Xpi ſe profitens a lege ſe exutum oſtendit &c.* In editis initium aliter ſe habet. Finis talis eſt: *In concluſione Xpñ ponit per quem facti & iterum reformati ſumus gratia ejus ut mentibus noſtris hereat, quia ſi beneficiorum ejus memores ſumus ſemper nos tuebitur, ſicut dicit ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi Amen.*

Enarratio hæc continenti ſcriptura, ſine ulla ſectione in capita exarata eſt, & inter complures emendationes & ſupplementa, quæ partim inter lineas partim ad oram comparent, obſervatione eſt digna gloſſa germanica ſuper dictionem *reciprocam*, quæ textus cap. 1. v. 27. legitur & *reciprocam* mercedem &c. ſcripta eſt, videlicet: *uuider uuindende.*

(a) *Sic a prima manu.*

VIII.

Ex hiſtoria Auſtriaca hactenus inedita HENRICI GUNDELFINGII Pars tertia typis a LAMBECIO vulgata cum Appendice de ſucceſſione Comitum Teriolenſium.

MONITUM.

Inerat Libri Comment. ſecundi Capiti VI. a pag. 465. nota jam de cauſa. Eſt cumprimis ſub initium fabulis jam exploſis referta. Principio Partis ſecundæ Habsburgicæ originem gentis ad Comites Aventinos *familiæ* Aniciæ Perleoniæ GUNDELFINGIUS *refert; idcirco pro* Aniciana *rurſum* opinione *ſua prolixe, more ſuo, heic quoque diſſerit noſter, ſed, uti jam ad librum*

bum adnotavi primum, nequaquam ex placitis ſeverioris critices, cujus judicio ceteris GUNDELFINGII *fabellis opinio illa admumerari debet, uti erudite oſtendit* Cl. ac R. V. MARQUARDUS HERGOTTUS in Genealogia Diplomatica Gentis Habsburgicæ. *Utilius operam & tempus impendit* LAMBECIUS *ejusdem hiſtoriæ Parti tertiæ typis vulgatæ, cum appendice* de ſucceſſione Comitum Teriolenſium. *Poterat Pars illa ſcriptoribus Rer. Auſtriacarum inſeri; & ſine miror, a* Cl. ac Ven. Viro HIERONYMO PEZIO, *poſt alia, ex Commentariis noſtris edita, aut non viſam fuiſſe aut neglectam. Sic autem de illa* LAMBECIUS. (a)

I. QUoniam inter varia illa antiqua monumenta, quorum Capite (1) *primo* hujus Libri *ſecundi* in Diſſertatione de nomine Vrbis *WIENNÆ*, feci mentionem, *Hiſtoria* etiam *Auſtriaca Henrici* cognomine *Gundelfingen* a me citata eſt, eaque hactenus nondum in lucem prodiit, idcirco tam argumenti, quam autoris cauſa neceſſarium arbitror, ut, qualis illa, quantaque fide digna ſit, erudito Orbi paucis hic indicem. Quod jam primum igitur ad *nomen, patriam, ſtatum* & *ætatem* Autoris attinet, notandum eſt, quod in principio Præfationis ad *Sigiſmundum*, primum ejus nominis Archiducem Auſtriæ, ipſe ſe appellat *Heinricum* (2) *Gundelfingen de Conſtantia, Artium Magiſtrum & Eccleſiæ Friburgenſis Cappellanum.* Unde patet, etſi cognominatus fuerit *Gundelfingen*, revera tamen eum non fuiſſe *patria* (3) *Gundelfingenſem*, ſed *Conſtantienſem.* Per *Friburgum* autem, cujus Eccleſiæ fuit *Sacellanus*, non eſt intelligendum *Friburgum Briſigaviæ*, ſed *Friburgum Helvetiæ.* De *tempore* porro, quo Opus illud compoſitum & abſolutum eſt, clariſſimum certiſſimumque extat indicium cum in *Præfatione* ad Archiducem *Sigiſmundum*, quippe quem ibi *Fœderis* illius, quod *Helvetii* A. 1474. contra Ducem Burgundiæ *Carolum Pugnacem* cum variis Principibus, Populis & Civitatibus iniere, *ſplendidiſſimum Jubar* nuncupat, tum in ipſius Operis Parte *tertia*, ſive *ultima*, utpote quæ clauditur narratione duarum graviſſimarum cladium, quibus jam memoratus Burgundiæ Dux *Carolus* ab *Helvetiis* eorumque *Fœderatis* A. 1476. apud (4) *Granſeum* & *Murretum* affectus eſt. Perſuaſiſſimum etiam habeo partim ex ornatu ſcripturæ, partim vero etiam ex aliis variis circumſtantiis, Codicem illius Hiſtoriæ MStum, qui nunc in

(a) *Horum in priori editione epigraphe erat hæc:* CAPUT VI. D. HENRICI GUNDELFINGII Hiſtoria Auſtriaca hactenus inedita, cujus Codex MStus membranaceus, qui in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea adſervatur, eſt inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos trecenteſimus vigeſimus primus. KOL.

(1) *Vide Com. lib. II. Cap. I. Segment. I, & Cap. V. Segment. II, Col. 51. Quo utroque loco etſi reſpectu cognominis appelletur* Gundelfingenſis, *revera tamen non fuit patria* Gundelfingenſis *ſed* Conſtantienſis.

(2) *Ita ibi ſcriptum eſt, nempe* Gundelfingen, *non autem* Gundelfinger, *uti legitur apud Conradum Geſnerum lib. 1. de Thermis Helveticis, & apud Joan. Jacob. Friſium in Bibliotheca Vniverſali.*

(3) *De duplici* Gundelfingen, *quorum alterum in Circulo* Bavarico, *alterum in Circulo* Suevico *ſitum eſt, vide* Mart. Zeileri *Tractatum de Decem Circulis Imperii Romano-Germanici.*

(4) Granſee & Murten in Wiflſpurger-gow. *Vid. Joan. Stumpff. Chron. Helvet. lib. 8. c. 14. & 18.*

in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* adſervatur, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos eſt *trecenteſimus vigeſimus primus*, illum ipſum eſſe, quem Autor jam memorato A. 1476 Archiduci *Sigiſmundo* gratulabundus obtulit. Mentio enim fit ibi *Caroli* Ducis Burgundiæ veluti adhuc ſuperſtitis; occubuit autem is ſequenti anno 1477. in tertio infelici prælio apud *Nanſium*. Meminit *Henrici Gundelfingii* & Hiſtoriæ ipſius Auſtriacæ *Wolfgangus Lazius* capite primo libri primi *Commentariorum* ſuorum *in Genealogiam Auſtriacam* his verbis: *Henricus Friburgenſis quidam Sigismundo Archiduci Chronicon ſuum dedicavit, quod incipit, Tremulentus aggredior*, &c. Hæc Lazius. At enim vero nec *Friburgo* oriundus fuit *Henricus* ille, ſed, ut ſupra oſtendi, (1) *Conſtantia*, nec ipſum Chronicon ejus incipit *Tremulentus aggredior* &c, ſed hæc verba ſub finem Præfationis ad Archiducem *Sigiſmundum* leguntur hoc modo: *Nunc inſtitutum Opuſculum, Clariſſime Princeps, tremulentus aggredior* &c. Cæterum non placuit *Wolfgango Lazio*, quod etiam in Chronico hoc (2) vetus illa *Alberti Argentinenſis* traditio de *Auguſtiſſimæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ* Origine, ab antiqua Romana Gente *Anicia Perleonia* derivata, tanquam vera & a Glorioſiſſimis Principibus Auſtriacis conſtanter comprobata, confirmatur. Loco enim antiquæ hujus & veræ traditionis excogitavit tempore *Imp. Maximiliani I. Joannes Stabius* novam aliquam & antea inauditam ejuſdem *Auguſtiſſimæ Domus Originem*, a *Francorum Regibus* derivatam, quam poſtea *Hieronymus Gebuillerus*, *Jacobus Manlius* & complures alii, inter quos etiam ipſe *Wolfgangus Lazius*, variis licet modis ſibi invicem contradicentes, propagarunt, & falſis adinventionibus expoliverunt: qua de re, uti (3) alias promiſi, commodiori tempore & loco in *Annalium* meorum *Auſtriacorum Prolegomenis* accuratius diſſeram. Interim in præſens hic exhibeo *Præfationem* ſupra memoratæ *Hiſtoriæ Henrici Gundelfingii* una cum neceſſariis quibuſdam *Animadverſionibus*, quæ partim quidem marginatim appoſitæ, partim autem eidem ſubjunctæ ſunt.

Sereniſſimo Illuſtriſſimoque (4) *Sigismundo, Domus Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ &c. Principi, Tridentinorumque montium Domino Excellentiſſimo,* (5) *noſtræ Confœderationis Jubari ſplendidiſſimo, Heinricus* (6) *Gundelfingen de Conſtantia, Artium Magiſter, Eccleſiæ Friburgenſis Capellanorum ultimus, humilem obedientiam perſcribit, & præſens dedicat Opuſculum.*

Cum tuam dignitatem atque Amplitudinem tantam eſſe exiſtimarem, Magnificentiſſime Princeps, ut alienum a me eſſe ducerem, fas eſſe ad componendum hoc tuæ laudis Opuſculum animum appellere, quippe cum nullo

(1) *Hinc etiam a* Raphaële Volaterrano *ſub fidem libri XXIII. Antropologiæ recte vocatur* Henricus Conſtantienſis.

(2) *Vide lib. I. horum Commentariorum de Auguſtiſſ. Biblioth. Cæſarea Part. 1. Segment. L.*

(3) *Vide lib. 1. horum Commentar.*

(4) *Obiit is Oeniponti A. 1496. ſine liberis, & reliquit hæredem* Imp. Maximilianum I.

(5) *Significatur hic Fœdus illud, quod* Helvetii *A. 1474. cum Archiduce* Sigiſmundo I, *aliiſque variis Principibus, Populis & Civitatibus percuſſerunt contra Ducem Burgundiæ* Carolum Pugnacem.

(6) *Ita ibi ſcriptum eſt, nempe* Gundelfingen, *non autem* Gundelfinger. *Vide ſupra Col. 730.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lo exercitato in dicendo ingenio, nullaque scribendi auctoritate præditus sim, qua in te ornando atque extollendo insudare possim, tua tamen clementia, ac singularis humanitas, omnibus nationibus cognita atque perspecta, id effecit, ut te Principem clementissimum, Genere nobilissimum, Justitia fulgentem, probitate refertum, humanitate splendidissimum, qualemcunque hunc conatum meum in malam partem non accepturum esse crederem. Nolo equidem hoc in loco, Princeps Excellentissime, tuas virtutes pertractare; id enim facere neque hominis mediocris, neque parum eruditi esse censeo; sed ejus Oratoris, qui oratoriam facultatem norit, multarumque rerum scientia cæteros antecellat; veruntamen nulla de virtutibus tuis; Integerrime Princeps, vel generosior misericordia, vel admirabilior clementia; nec per aliud propius Deo accedere potes, quam quod salutem confers hominibus, vel dando, si eguerint, vel parcendo, si deliquerint, vel indulgendo, si supplicaverint. Cum enim vincamur a Deo in omni munere, sola clementia est, quæ nos Deo reddit æquales, quæque sedet tua in Serenitate sicut Carbunculus in auro. Quis nempe clementior te? Quis affabilior te? Quis ad gratificandum concurrentes ad tuam Celsitudinem aptior? Quis ad audientiam præbendam benigior? Quis magnificentior? cui (1) Bajoariæ Principes, Marchiones Badenses ac Comites Wirtenbergenses tanquam familiares serviunt ac obsequuntur, tuaque a Serenitate ceu a pio (2) alumno magnifice educantur. Quis te generosior? tuus enim divæ memoriæ (3) Genitor (4) Dux, tuique Avi, Proavi Abavi, Atavi, &, ut celerius dicam, Majores fuerunt Duces, Reges & Imperatores, terræ Sanctæ Restauratores; quorum (5) probitates secutus, virtutibus polles. Quod ad thorum autem attinet Contboralia Regia (6) Eleonora, genere Scotica, de antiquissimis (7) Bruti Trojani Principis majoribus nata, gaudes; de quorum Trojanorum sanguine & (8) tu Princeps Generosissime, tuum genus traxisti. Cujus quidem Bruti, juxta (9) Gaufridi Monumetensis, Chronicam Re-

(1) *Singularis & notabilis locus de educatione nonnullorum* Principum Bajoariæ, Marchionum Badensium & Comitum Wirtenbergensium *in Aula Oenipontana Archiducis* Sigismundi I. *Confirmat hoc* Joannes Stumpffius *Hist. Helvet. lib. 7. cap. 18, ubi scribit, ipsum quidem* Sigismundum *nullos habuisse liberos, (unicus enim filius* Wolfgangus *ex prima uxore* Eleonora *natus, in cunis decessit) educasse tamen & aluisse quoscunque aliorum liberos sibi oblatos.*

(2) Alumnus *improprie pro eo, qui alit. Sic* Plinius *Histor. Natur. lib. 3. cap. 5.* Italiam *appellat* terram omnium terrarum parentem & alumnam: *eodemque sensu* Quintilianus *in Dialogo de Causis corruptæ Eloquentiæ, qui* Tacito *perperam attribuitur,* Eloquentiam *vocat* alumnam licentiæ, quam stulti libertatem vocant.

(3) Fridericus *cognomento* Senior, *qui obiit A. 1439.*

(4) *Notabilis locus, unde patet* Archiducalem *titulum 1476. nondum fuisse in usu.*

(5) Probitas *pro Heroico aliquo facto Equestri Ordini conveniente. Vid. supra Col. 125. 126.*

(6) *Ea fuit filia Regis Scotorum* Jacobi secundi, *obiitque A. 1480.*

(7) *Secundum antiquam, sed fabulosam, traditionem, quam ex* Gualteri *sive* Walteri *Archidiaconi Oxoniensis pervetusta Historia Britannica Britannico sermone conscripta* Gaufridus *sive* Galfridus Monumetensis *in linguam latinam transtulit.*

(8) *Nempe propter Augustissimæ Domus Habsburgo-Austriacæ Originem* Romanam, *cujus fit mentio in principio Partis secundæ ejusdem Chronici. Notissimum autem est,* Romanos *a* Trojanis *fuisse oriundos; quam ob causam etiam a* Lucretio *vocantur* Æneades.

(9) *Is est* Gaufridus *sive* Galfridus *vel* Walfridus, *cognomine* Arturus, Monumetensis, *vel*

Regum Britannicorum, generatio hæc fuit. Adam, Seth, Enos, Caynan, Malaleel, Jareth, Enoch, Mathusale, Lamech, Noë, Japhet, Javan, Cethim, Cyprius, Cretus, Cælius, Saturnus, Jupiter, qui genuit Mercurium & Dardanum; Dardanus genuit Erichtonium, Erichtonius Troem, qui Trojam condidit & genuit Ilum, a quo Troja Ilion vocata; Assaracus frater Ili genuit Capyn, Capys Anchisen, Anchises Æneam, Æneas Ascanium, Ascanius Sylvium, Sylvius Brutum a Bruto omnes Principes Britanniæ, hoc est Scotiæ & Angliæ descenderunt; a quibus tua originata est Conthoralis; quæ utinam prole vireret! Tantæ insuper populorum pulchritudini, Illustrissime Princeps, tantæ regionum amplitudini, tantæ plebium multitudini præes; tam plurimis amicorum sociorum fœderatorum anchoris in hujus vitæ procelsi maris littoribus hæres; ut tu ipse sis, cui Deus & fortuna velis tumentibus aspirarunt. Putemusne, Celsissime Princeps, ullam virtutem esse, quæ Principem, excepta Justitia, magis celebret ipsa clementia? Sint alii duri, sævi, feroces, impii prorsumque feri; e contrario autem sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox, & doleat quoties cogitur esse ferox; Cæsaris nempe exemplo, qui, teste Tullio, tantæ fuit clementiæ, ut omnium memoriam teneret præter injuriarum. Clementiam Seneca Neroni suo commendavit, & diligenter de eadem (1) libros conscripsit. Sed notandum, (2) inclementem esse Clementiam, quæ Justitia vacat; eapropter cavendum est Principi, (3) ne, dum cupit esse clemens, signetur esse demens, & sua clementia vocetur dementia, & tandem sicut Actæon ille Thebanorum Rex de Domino mutetur in cervum, & suis occurrat canibus lacerandus, & clamare conetur, nec valeat, Actæon ego sum; Dominum cognoscite vestrum, applaudente Ovidio Metamorphoseos libro tertio. Ecce, nonne (4) canes tui mordaces, truces, rapaces, propter clemen-

ut alii, Monemutensis Archidiaconus, qui ut refert Matthæus Paris, *anno Domini 1151 factus est Episcopus Sancti Asaph in Nerwallia, & Historiam Britonum de lingua Britannica transtulit in Latinam. Extat Latinum hoc* Galfridi *Opus, in* duodecim *divisum libros etiam nunc integrum, & ab* Hieronymo Commelino *una cum aliis nonnullis Rerum Britannicarum vetustis Scriptoribus Heidelbergæ Anno 1587. editum est in folio. Multa quidem in eo Opere reperiuntur fabulosa, non tamen ab ipso* Galfrido, *sed ab aliis antiquioribus Scriptoribus Britannicis conficta; quæ ipse tantum ex Britannico sermone in Latinum transtulit.* Sex *priores illius Historiæ libros, omissis, quæ fabulosa videbantur, redegit in Epitomen* Ponticus Virunnius, *patria Tarvisinus, in gratiam* Badoeræ *clarissimæ Venetorum Familiæ, a Britannis olim oriundæ, Extat etiam hæc Epitome in jam memorato Commeliniano Britannicarum Rerum Syntagmate. Plura de* Galfrido Monumetensi & Pontico Virunnio *videsis apud Ger. Joan. Vossium de Historicis Latin. lib. 2. cap. 52. & lib. 3. cap. 8.*

(1) *Eorum* duo *etiam nunc extant, sed* posteriot *in fine est mutilus.*

(2) Inclemens clementia *per implicationem contractionis dicitur, quemadmodum apud Ovidium* injustum jus, *apud Lucretium* mors immortalis. *apud Horatium* infaniens sapientia & discors concordia, *apud* Manilium discordia concors, *apud Ciceronem* innuptæ nuptiæ, *apud Apulejum* inordinatus ordo & fine pretio pretiosa domus; *apud Plinium juniorem* otiosa occupatio, inæqualis æqualitas, literæ illiteratissimæ, & *apud alios alius ejus generis rationum loquendi innumerus fere numerus.*

(3) *Vide libellum supra Col. 32. a me citatum, cui titulus* Princeps in Compendio, *Puncto quarto, cujus lemma,* De Justitia & Clementia Principis.

(4) *Notabilis locus. Hoc enim respectu etiam duo fratres* Heinricus & Hadmarus de Chuenring *sive* Kunring *propter sævam & crudelem rebellionem, quo naturalem Dominum suum* Fridericum Bellicosum, *ultimum ex Babenbergensi familia Austriæ Ducem, infestarunt,* Canes *cognominati sunt, ut testatur Joan. Cuspin. in sua Austria.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

clementiam, manſuetudinem & bonitatem tuam, (putabant enim te, aut majores tuos, cervum, ſeu potius ſervum,) miris modis te momorderunt, truncarunt, laniarunt, adeo uſque ut ipſorum latratibus oppida, villas, caſtra ſibi ipſis uſurparint, vel aliis eas ſub fœnore implicuerint? Tu, o integerrime Princeps, omnes ſimul virtutes amplectens, nonnullos dinoſceris viciſſe pietate, clementia, fortitudine, juſtitia, magnanimitate Ducali dignitati conveniente. Sine ſanguine & purum a cæde ſuper omnium priſcorum tuum cuncti gloriantur gubernamen. Quapropter omnium horum cauſa neceſſarium videtur mihi, præclariſſimæ Originis tuæ Hiſtoriam ex (1) *aliis Chronographis conſcribenti, te primitus alloqui. Cui namque potius Opuſculum hoc adſcribam, tuorum Majorum Genealogiam ac gubernamina narraturus, & quæ circa eorum Principatus provenerunt, vel per quantas ipſi tranſeuntes tempeſtates, ad tuos, Parentumque tuorum portus acceſſerint? Sane ut tuorum Parentum Originem limpidius in nonnulla redigerem* (2) *Epitomata,* (3) *Librum Auguſtalem Franciſci Petrarchæ ut perſpicerem perutile fuit; nec non* (4) *Jordani Gottici Chronicam apprime utilem, de ſæva Gottorum* (5) *irruptione in Vrbem totamque Italiam pertractantem, qua Romanorum Nobilitas ferme in nihilum redacta extitit, præter paucos, qui ad Alpium juga evaſere: etiam* (6) *Hermanni Contracti Comitis de Veringen & Sulgow & (7) Auguſtenſis Canonici Chronographiam;* (8) *Ottonis Friſingenſis Epiſcopi, qui S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ fuit filius, Hiſtoriam de duabus Civitatibus Auguſtinum imitando dilucidantem; & non-*

(1) *Quæcunque ergo in hoc Chronico fabuloſa ſunt, uti paulo poſt pluribus demonſtrabitur, ea non ipſe primus confinxit, ſed tantum ex aliis vetuſtioribus Chronicis deſcripſit.*

(2) Epitoma epitomatis *barbare pro* Epitome epitomes.

(3) *Locus ſingularis de* Libro Auguſtali Franciſci Petrarchæ. *Minime autem dubium eſt, quin ſignificetur* Benevenuti de Rambaldis, *patria* Imolenſis, *liber de Imperatoribus Romanis, qui* Auguſtalis *inſcribitur, & cum* Franciſci Petrarchæ *Operibus conjunctim impreſſus eſt Baſileæ A. 1496. & Venetiis A. 1501. in folio.*

(4) Jordanus *hic idem eſt atque* Jornandes, *cujus extat liber de Origine & rebus geſtis* Getarum *ſive* Gothorum. *Claruit ſub* Imp. Juſtiniano I. *ſive* Magno. *Vide Com. lib. II. cap. II: item Voſſ. de Hiſtor. Latin. lib. 2. cap. 20. A* Raphaële Volaterrano *ſub finem libri XXIII. Antropologiæ perperam vocatur* Jordanes Oſnaburgius.

(5) *Vide Jornand. de rebus Geticis cap. 29, 30, 31. Notandum etiam eſt capite ſexageſimo ſive ultimo ejuſdem libri egregium extare teſtimonium de* Gente Anicia, *unde Principes Habsburgo-Auſtriaci orundi ſunt.*

(6) *Vide Com. l. II. c. I. & Voſſ. de Hiſtor. Latin. lib. 2 cap. 44. Fuit is* Wolferadi *Comitis Veringenſis in Suevia filius, membriſque prorſus contractus, unde &* Contracti *cognomen accepit. Notabile autem eſt, quod hic non ſolum appelletur* Comes de Veringen, *verum enim* de Sulgow; *pro quo apud Raph. Volaterranum ſub finem libri XXIII. Anthropologiæ legitur* de Sulgon. Sulgow *enim vel* Sulgon *oppidulum eſt* Sueviæ, *duobus circiter milliaribus a* Biberaco *ſitum, quod, uti ex hoc* Henrici Gundelfingii *loco apparet, ad Comites* Veringenſes *pertinuit.*

(7) *Locus ſingularis & notabilis de* Hermanno Contracto, *quod is fuerit* Canonicus Auguſtæ Vindelicorum. *Ipſe enim* Hermannus *in Chronico ſuo ad ann. 1049 & 1053 teſtatur ſe fuiſſe* Augiæ majoris monachum. *Quamobrem ſuſpicandum videtur, annon hic pro* Auguſtenſis Canonici *legendum ſit* Augienſis Monachi. *Certiſſimum autem eſt errare* Joannem Trithemium, *tum eum in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ appellet* monachum Cœnobii S. Galli.

(8) *Vid. Voſſ. de Hiſtoricis Latin. Lib. 2. cap. 53. & Proœm. ipſius Ottonis ad Singrimum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nonnullam (1) *Matthæi Chronicam, ex qua primorum Auſtriæ Ducum ac Principium Originem collegi, ac etiam alios rerum geſtarum particularium narratores. Age nunc omnem virtutem habens, & præcipue Pietatem, quam eſſe Sapientiæ principium ſermo divinus docet, ſuſcipe a me hæc tuorum Majorum geſta, & examina, tuæque Integritatis adjectiones & detractiones adhibens, tuis laboribus ea purga. Procedit autem hæc mea conſcriptio per tria Epitomata.* (2) *Primum autem continebit primorum Auſtriæ Principum gubernamen ac originem a primi Marchionis Abrahæ gentilis temporibus ad uſque vacationis, quo Auſtria Imperio Romano vacaverat, tempus; etiam magnam Principum ac nominis mutabilitatem hoc ipſum complecti videbitur Epitoma. Secundum Illuſtrium Comitum* (3) *Aventini montis, id eſt* (4) *Avensberg dictorum, e quibus tuum videris traxiſſe ſanguinem, Rudolfi videlicet & Alberchti Illuſtriſſimorum Regum, primorumque tuæ Originis, in* (5) *Orientali Marchia, Principum, ac præcedentium ſubſequentiumque Comitum Genealogiam explanat & dilucidat. Tertium vero Clariſſimo tuo Apici dedicavi, quem Deus ſempiterne cuſtodiat magnanimitate inconvertibili hoſtibus prævalentem, & habentem ſub pedibus universos hoſtes, & ad filiorum filios pium gubernamen dirigentem, annuente Chriſto in ſæculorum ſæcula benedicto, Amen. Nunc, inſtitutum Opuſculum, Clariſſime Princeps, tremulentus aggredior, & ſatis ac ſatis parvo cum navigio magnum & ſpatioſum mare, tuas præſertim exquiſitas extollendo laudes, perhorreſco. Sed cæleſti opus eſt munere. Manibus igitur ad Cœlum erectis Divinum invoco Numen juxta Imperatorem Juſtinianum C. de Offic. Præfect. Prætor. Affricæ:* (6) *Ad omnia conſilia omneſque actus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti progredimur. Vnde & apud Perſium* (7) *legitur: Vatibus hic mos eſt, centum ſibi poſcere voces, centum ora, & linguas optare in carmina centum. Ideo Deum totius Opuſculi Autorem ac Præſulem conſtituto, ad quem humiles nunc porrigo preces, & cum Salomone dico: Da mihi Domine Sedium tuarum Aſſiſtricem Sapientiam, ut hoc Opuſculum bene incipere, melius mediare, & optime ac feliciter finire valeam, ad tui laudem & gloriam ſempiternam, Amen.*

III. Hucuſque *Henrici Gundelfingii* ad Archiducem *Sigiſmundum* Præfatio

(1) *Diverſus is eſt a* Matthæo a Mareſchalco de Pappenheim, J. V. D. & Canonico Auguſtenſi *ſive* Auguſtano, *cujus Excerpta ex antiquis Chronicis* Auſtrali *ſive* Auſtriaco & Auguſtenſi *ſive* Auguſtano *extant Tomo primo Scriptorum rerum Germanicarum a* Marquardo Frehero *editorum a pag. 311 uſq; ad pag. 357*

(2) *Tota hæc* prima Epitome *fabuloſa eſt, & mera continet abſurda ac nugatoria figmenta, exceptis tantum* tribus *ultimis foliis, & ne iis quidem integris. Qua de re vide paulo poſt plura, quæ hic in margine propter anguſtiam loci non poſſunt apponi.*

(3) *Certum quidem eſt,* Familiæ Aniciæ Perleoniæ *unde Principes* Habsburgo-Auſtriaci *oriundi ſunt, ſedem & domicilium fuiſſe Romæ* in Monte Aventino, *propterea tamen non eſt nomen* Habsburg *mutandum in* Avensberg.

(4) Avensberg *pro* Aventinsberg. *Non eſt autem hoc nomen confundendum cum* Abenſperg *urbe Bavariæ, quæ in antiquo* Antonini *Itinerario & Notitia Imperii vocatur* Abuſina. *Patria hæc fuit* Joannis *Annalium Bojorum Scriptoris, qui, cum ſe latine debuiſſet cognominare* Abuſinenſem, *maluit tamen falſo uti cognomine* Aventini.

(5) Orientalis Marchia *pro* Auſtria.

(6) *Vide Codic. Juſtin. lib. 1. tit. 27. leg. 2. cujus principium:* In nomine Domini noſtri Jesu Chriſti ad omnia conſilia omneſque actus ſemper progredimur, *&c.*

(7) *In principio Satyræ* quintæ.

fatio dedicatoria in *totum* Chronicon. Cæterum quod ad *primam* ejus Epitomen ſive Partem attinet, notandum eſt, eam, etſi variis *Inſignibus gentilitiis* inauratis & argentatis elegantiſſime ornata ſit, publicatione tamen indignam eſſe, quoniam exceptis *tribus* ultimis foliis, & ne iis quidem *integris*, meras continet abſurdas fabulas & nugatoria figmenta de primo Auſtriæ Marchione *Abrahamo*, ejusque *ſucceſſoribus* partim *gentilibus*, partim *Judæis*, partim *Chriſtianis*, nempe *Achaim*, *Raban*, *Leptan*, *Nynter*, *Lynal*, *Peyna*, *Zawan*, aliiſque compluribus; nec non de variis *Auſtriæ* antiquis *nominibus*, videlicet *Judæiſapta*, *Arratim*, *Sauritz*, *Sannaas*, *Pannaas*, *Tantanyo*, *Mictanaws*, *Fannaw*, *Auarata*, *Fila*, *Raraſama*, *Corrodancia*, & *Auara*. Principum futiliſſimæ iſtius narrationis, hoc eſt: *Primorum Marchiæ Orientalis Principum Chronographiam, quantum ad primum Epitoma, proſequar Matthæi cujuſdam, qui hanc ipſam conſcripſit Chronicam, ſtylum ac calamum parum immutando Anno diluvii octingenteſimo decimo, qui erat trecenteſimus triceſimus tertius ante Abraham Patriarcham, circa initium regiminis Beli, primi Aſſyriorum Regni Principis vel Imperatoris, partibus in tranſmarinis, quæ* (1) *Ammirationis terra vocitatur, nonnullus extiterat Dominus Sathan nomine, in Alienigenarum terra potens ac prædives: cujus temporibus quidam* (2) *militaris nomine Abraham. Hic uxorem duxit Suſannam filiam Domini Terromant dicti anno diluvii 824. natam. Genuit autem Abraham in Ammirationis Terra ex Suſanna filium Achaym, & alterum nomine Balym, & filiam nomine Dentarim. Exortis vero quibuſdam ſimultatibus inter Abraham de Themonaria & inter Dominum ſuum Sathanem de terra Alienigenarum ſuper quibuſdam poſſeſſionibus, victus fuit & expulſus Abraham de terra illa Ammirationis, ſoluſque aufugit & pauper. Aſcendens ripam fluminis Danubii, tandem venit in terram quandam fertilem ac feracem, paſcuiſque uberrimam; quæ Provincia a quodam Judæo dicta fuit Judæiſapta, tametſi ab eodem Judæo nondum fuerit poſſeſſa. In tali plaga Abraham exulans, & quærens ſibi manſionem facere, tandemque inveniens locum ſibi gratum, ædificavit ſibi domicilium, vocans illud Aureatim, quod nunc Stockarow dicitur; impoſuitque ſibi Abraham nomen & titulum*, ABRAHAM PAGANUS MARCHIO DE JVDÆISAPTA. *Venit autem in terram Judæiſaptam anno Diluvii 850. duodecima die menſis Junii; habuit autem diſtantiam ab Aureatim uſque ad loca hominum habitabilia ſeptuaginta milliaria Alemannica.*

Arma Abrahæ. Arma uxoris ſuæ. Arma Auſtriæ terræ. Videns autem Abraham Marchionatum ſuum Judæiſaptam fertilem, bonam & feracem terram eſſe, complacuit ſibi eam inhabitare. Regreſſus igitur eſt in Ammirationis terram, & eduxit inde uxorem ſuam Suſannam, & ſeniorem filium ſuum Achaym, & venit in terram Judæiſaptam tribus annis peractis, & inhabitavit Civitatem Aureatim, colens

(1) Ammirationis *pro* Admirationis.
(2) *Militaris*, Ritterlich, *vel* Rittermeſſig.

Vide ſupra Col. 75. in Nota 1.

colens ipſe & uxor & filius eorum idola more paganorum. Genuit autem Abraham ex Suſanna uxore ſua in Marchionatu ſuo Judæiſapta filiam nomine Bembecka, quam tradidit cuidam nobili in uxorem. Dominabatur autem Abraham in Judæiſapta triginta annos, & uxor ſua Suſanna novendecim annos, & ambo ſepulti ſunt in Civitate ſua Aureatim, quæ nunc Stokarowe nuncupatur. Succeſſit autem Abrahæ filius Achaym, appellando Arratim, quod prius Judæiſapta vocitabatur, ferens arma terræ ſuæ, ſicuti & pater ſuus. Accepit autem Marchio Achaym uxorem filiam cujuſdam Comitis Vngariæ Räctan dictam nomine Namyaym, &c. Sed ohe; jam ſatis eſt: piget enim me ac pudet plures adeo abſurdas fabulas adſcribere. Notandum autem eſt, ipſum *Henricum Gundelfingium* illa fabularum monſtra non confinxiſſe, ſed ea tantum nimis credule deſcripſiſſe ex alio quodam cujuſdam (1) *Matthæi* Chronico, uti teſtatur tam in *Præfatione dedicatoria*, quam in jam citato *primæ* Partis *exordio*. Meminit ejuſdem *Chronici* fabuloſi, cujus fidem *Henricus Gundelfingius* perperam ſecutus eſt, ſed ſine *Matthæi* nomine, *Joannes Cuſpinianus* in *Auſtria* ſua his verbis: *Marchionatus Auſtriæ initium ad amuſſim nunc ſcribere perquam difficile eſt ob ejus ſæculi Scriptorum penuriam. Nec enim* (2) *nugatori illi nugaciſſimo & ſimul perditiſſimo, qui Auſtriæ Chronica ſcribens, Judæiſaptam in exordio appellat, aures ſunt adhibendæ; in quo ſunt tot nugæ, quot verba. Quem etiam Pius ille Sylvius, Friderici Cæſaris olim a ſecretis, in Opere illo imperfecto, cui titulum fecit* AVSTRIA, *ſatis ſuperque confutavit & mendacii coarguit, ineptiſſimum ipſum ſycophantam & nebulonem ſtupidiſſimum nuncupans.* Hæc *Cuſpinianus.* Locus autem *Æneæ Sylvii* ſive Summi Pontificis *Pii II*, quem ex ipſius *Opere Hiſtoriæ Auſtriacæ imperfecto* allegat, extat in duobus *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codicibus propria ipſius Æneæ Sylvii manu exaratis*, ſed utrobique, ut in imperfectarum compoſitionum adverſariis fieri ſolet, multis lituris refertus, incipitque his verbis: *Terram Auſtriam qui primi coluerint quærenti mihi jam pridem,* (3) *nihil oblatum eſt, quod dignum fide videretur. Venit autem in manus Hiſtoria, quam vocant* (4) *Auſtrialem, ſermone Theutonico edita, inepta mendaxque & ab homine compoſita, in quo malignitatis an ſtultitiæ plus fuerit, non facile judices. Cum res legeris nulla ratione cohærentes, dices hominem nihil habuiſſe penſi,* (5) *qui adeo manifeſta mendacia fidem inventura putaverit. Cum rurſus ex hiſtoriis receptis Imperatorum ac Pontificum pleraque decerpta & Operi ſuo inſerta compereris, ruſticanam quandam hominis calliditatem deprehendes, qui veris nonnullis ante oculos injectis, legentium tenere animos arbitratus eſt, ne de ſoliditate reliquarum rerum inqui-*

(1) *Diverſus is eſt a* Matthæo Mareſchalco de Pappenheim, *cujus Excerpta ex Chronico Auſtrali a Marqu. Freherо edita ſunt Tomo 1. Scriptor. Rer. Germanicarum. Vid. etiam ſupra Col. 739.*

(2) *Simile de eodem Opere eademque narratione judicium extat apud Wolfgang. Lazium in principio libri primi de Migrationibus Gentium.*

(3) *In altero Codice MSto legitur:* Nihil certi conſtare potuit.

(4) *In alt. Cod. legitur* Auſtralicam.

(5) *In alt. Codice legitur:* qui tam manifeſta mendacia ſibi credi putaverit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inquirerent. Neque deceptus eſt apud (1) *Auſtriales, qui hanc veluti ſacram Hiſtoriam venerantur,* (2) *in qua ſuam originem vetuſtiſſimam legunt: ſic enim ſe claros laudatoſque putant. Sed minime illi commendare Auſtriales in animo fuit; quorum progenitores ſive idolorum cultores, ſive Judæos fuiſſe commemorat, ac eorum turpiſſima facta referens, nihil unquam illuſtre ab illis geſtum tradit; ut qui Gentem Auſtrialem, ſuo fortaſſe tempore vitiis ſervientem, ſuis majoribus ſimilem oſtendere voluit.* (3) *At mentienti majori opus eſt artificio, quam vera tradenti. Noſter aſſellus bipes neque tempora neque loca ſuo contexit ordine, finxit neſciens fingere. Nimis imperitum eſſe oportet, quem ſua mendacia fallant. Narrat autem homo inſulſus, fuiſſe trans mare in terra Ammirationis Comitem Alienigenarum nomine Sathan, cui Abraham Theomanarienſis ſervierit, huic autem uxorem fuiſſe Suſannam filiam Domini Terremantiæ* (4) &c. Hæc *Æneas Sylvius.* Unde, quod maxime obſervatu dignum eſt, patet, *Matthæum* illum, a quo *Henricus Gundelfingius* primam Chronici ſui partem mutuatus eſt, ineptiſſimum illud & impudentiſſimum figmentum de antiquiſſimo Auſtriæ Marchione *Abrahamo* ejuſque ſucceſſoribus *non latine* ſcripſiſſe, ſed *germanice.* Reperi enim inter *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſa-*

A

B

C

reæ Codices MStos, nullis adhuc certis numeris notatos, exemplaria (5) *duo* antiqui cujuſdam Chronici Auſtriæ *germanice* compoſiti, quod itidem ac Henrici Gundelfingii Chronicon a fictitio illo *Abrahamo* primo Marchione *Judæiſaptæ* incipit, & de ſucceſſoribus ipſius partim gentilibus partim Judæis, eaſdem continet fabulas, quæ jam citato loco ab *Ænea Sylvio* juſtiſſima cum indignatione exploduntur. Quare hoc illud ipſum credi poſſet Chronicon *germanicum,* quod *Æneas Sylvius* vidit, niſi ipſe ejus *Compilator* teſtaretur, ſe quoque iſtam narrationem ex *alio* quodam Chronico *vetuſtiori* & *majori abbreviate* excerpſiſſe. Tituli quippe generalis verba ſunt hæc: *Wie lang das ſey, daz der erſte menſch in das Land Oſterreich kam, und wie derſelb und all ſein nachkommen untz auf die zeit gehaiſſen habent, und wieviel ir aller iſt geweſen, und wie mannigen namen das Land zu Oſterreich gehabt hat, und wie oft ſich des Lands wappen verkert haben, und von wan der Fürſten weib geporn ſein, und was wappen ir väter gefürt haben, und wo die al begraben ſind. Das iſt alles ausgezogen aus der groſſen Kroniken, ſo man allerkurtzlichſt hat mügen.* Principium autem ita ſe habet: *Es was geſeſſen in dem Land uber mer, das da haiſt Terra Ammirationis Graf Sathan von Alligenorum, under*

(1) *In alt. Cod. legitur* Auſtrales. *Sunt autem iidem atque* Auſtriaci.

(2) *In alt. Cod. legitur,* quia ſe laudatos de generis vetuſtate cenſent.

(3) *In altero Codice legitur:* Sed neſcivit homo, quod mendaci majori artificio, quam verum dicenti opus eſt.

(4) *Cætera propter nimiam prolixitatem hic omitto, & integræ iſtius Operis editioni reſervo.*

(5) *Extat etiam ibidem* tertium *ejuſdem farinæ & æque fabuloſum* MStum Chronicon Auſtriæ germanicum, *in folio, ſed recentius: utpote in principio hujus ſeculi ſub* Imp. Rudolpho II. *compoſitum, & quidem ab indoctiſſimo imperitiſſimoque homine, qui ſe appellat* Joannem Raſchium Pechlarienſem.

under dem ward geporn ein rittermeſſig man, der hies Abraham von Theomaria, &c. Hinc ergo, ut dixi, elucet, ne hujus quidem Chronici germanici abbreviati Compilatorem monſtroſas illas fabulas primo confinxiſſe, ſed eas tantum de alio quodam *vetuſtiori & majori* Chronico deſcripſiſſe. Vixit autem germanici hujus Chronici *minoris* ſive *abbreviati* Compilator ſub Archiduce Auſtriæ *Alberto III*, cognomine cum *Trica*, uti apparet ex ampliſſimo elogio, quo claudit narrationem mortis ipſius, quæ in annum Chriſti 1395 incidit: quo quidem loco etiam hoc notabile eſt, quod memorat, ſe de ejuſdem Principis *obitu & ſepultura* etiam *Latinam* ſcripſiſſe *Epiſtolam*. Cum igitur, ut ſupra indicavi ſine ulla controverſia certo conſtet, quæ ab *Henrico Gundelfingio* parte *prima* Chronici Auſtriaci narrantur de primo Auſtriæ Marchione *Abrahamo* ejuſque ſucceſſoribus uſque ad *Familiam Babenbergenſem*, nec non de variis *Auſtriæ* antiquis nominibus, ea omnia adeo falſa & inſulſa eſſe, ut propter manifeſtiſſimam abſurditatem refutatione ulla indigna ſint, cumque inſuper, ut itidem demonſtravi, pateat, nec ipſum *Henricum Gundelfingium* ineptiſſimas illas fabulas *primum* confinxiſſe, nec eundem *ſolum* nimia & merito reprehendenda credulitate iis habuiſſe fidem, eaſque aliunde deſumptas Chronico ſuo inſeruiſſe, ſed jam ante ætatem Archiducis *Alberti III*, cognomine cum *Trica*, qui A. 1395 obiit, ſtolidiſſimum illud figmentum literis fuiſſe mandatum, & pro vera narratione traditum poſteris, hinc minime dubito, quin fingendi tam enormis mendacii occaſionem præbuerint *vetuſtæ ſepulchrorum Inſcriptiones* partim *Romanæ*, partim *Judaicæ*, in Auſtria olim repertæ; cujuſmodi ſunt, illæ, quæ extant apud *Wolfgangum Lazium* in fine Libri primi de Migrationibus Gentium, Libro duodecimo Commentariorum de Republica Romana in exteris Provinciis conſtituta, Libro primo & ſecundo Rerum (1) Wiennenſium, & in Explicatione veterum Inſcriptionum Wiennæ erutarum, ſeparatim edita. Qua quidem de re alias commodior ſe offeret differendi locus: interim nunc pergo ad *ſecundam* Hiſtoriæ Auſtriacæ Henrici Gundelfingii Partem ſive Epitomen.

Ea autem incipit hoc modo: *Secundum Epitoma Illuſtrium* (2) *Comitum Aventinorum tuo ingenio, Præcelſe* (3) *Princeps, relinquo, qui tui* (4) *Originem tuorumque Prædeceſſorum geſta, ac magnalia* (5) *prioribus ex Chronographis melius noviſti. Eapropter eorum ſcribendo magnalia manum retrabo, cum omnibus in Hiſtoriis non exigua cum opera, vigilantia ac lucubratione dilucidata ac deprompta ſint. Eorum tamen ſucceſſionem brevibus incultiſque explicabo verbis.* (6) *Relegatis ac deportatis ob*

(1) *Vide etiam* Henrici Abermanni *Appendicem Annotationum ad Wolfg. Lazii Hiſtoriam Wiennæ in germanicum ſermonem translatam.*

(2) *Hoc eſt, Principium Habsburgo-Auſtriacorum, qui a* Comitibus Aventinis Familiæ Aniciæ Perleoniæ *oriundi ſunt.*

(3) *Intelligitur Archidux Auſtriæ* Sigiſmundus I. *Vide ſupra Col. 732.*

(4) *Nempe* Anicianam.

(5) *Hoc eſt* vetuſtioribus; *nempe* Vlrico Krigio, Alberto Argentinenſi *& aliis.*

(5) *Per* relegationem *&* deportationem *non eſt hic intelligenda interdictio Vrbis per legitimam ſententiam judicialem, ſed injuſta ex Vrbe expulſio per vim & tumultum propter* defenſionem Eccleſiæ Romanæ *contra Hæreſiarcham* Arnaldum de Brixia *ejuſque ſectatores, Summo Pontifici in Vrbe Roma rebellantes. Vid.*

ob potentis Senatoris trucidationem (1) *olim duobus* (2) *fratribus præclaræ Romanorum* (3) *Familiæ Petri Leonis dictæ de Aventino monte, a* (4) *Julii Cæsaris, valentissimi omnium Principis, qui in vigore animi non habuit parem nec ante se nec post se, Familia descendentibus, ipsisque ad Alpium juga venientibus, ubi* (5) *nunc Castrum* (6) *Habsburg Lucernensem circa lacum collocatum cernitur. Senior adeptus est prædia & possessiones, Junior autem ingentia vasallorum dominia; de quibus* (7) *posteri descenderunt Comites.* Hucusque principium *secundæ* Partis Chronici Austriaci *Henrici Gundelfingii.* Ubi præter ea, quæ jam in margine apposita sunt, *primo* notandum est, quamvis ea, quæ in præcedenti Parte *prima* de primo Marchione Austriæ *Abrahamo* ejusque successoribus usque ad Familiam *Babenbergensem* narrantur, sine ullo dubio falsa sint, propterea tamen *totum* illud Chronicon non esse aspernandum & rejiciendum, nec demendam esse fidem iis rebus, quæ in eodem *veræ* sunt, cum sub *finem* jam memoratæ Partis *primæ*, ubi agitur de Marchionibus & Ducibus Austriæ ex Familia *Babenbergensi*, tum præcipue in *duabus* Partibus sequentibus, ubi recensetur Principum Austriacorum ex Familia *Habsburgensi* oriundorum successio ab *Imp. Rudolpho I.* usque ad Archiducem *Sigismundum I*, eorumque Origo recte derivatur a *Comitibus Aventinis Familiæ Aniciæ Perleoniæ*, quæ apud Romanos olim celeberrima potentissimaque fuit, & in monte *Aventino* sedem suam ac domicilium habuit. Notandum *secundo* est, *Henricum Gundelfingium* testari, se illam Principum Habsburgo-Austriacorum Originem hausisse ex aliis *prioribus*, hoc est, *vetustioribus* Chronographis, eamque *Sigismundo* Archiduci melius magisque fuisse cognitam, quam ut ulla indigeret probatione vel ullo elogio. Per *priores*, tum inprimis *Vlricus Krigius* Nobilis Tigurinus, cujus Chronicon, tempore *Imp. Rudolphi I.* compositum, sed hactenus beneficio typographiæ nondum divulgatum, citatur a *Joanne Stumpffio* Historiæ

Otton. Frising. de reb. gest. Imp. Frid. I. lib. 1. cap. 27. 28.

(1) *Nempe anno Christi 1144. Vide Card. Baron. Annal. Eccles. Tom. XII.*

(2) Rudolpho & Alberto *filiis* Leonis maximi Anicii Perleonii, *qui A. 1162 obiit, & præforibus Ecclesiæ* S. Alexii *in monte* Aventino *sepultus est, ubi etiam nunc ipsius extat* Epitaphium.

(3) *Familia hæc* Petri Leonis, *quæ alias etiam* Perleonum & Perleonia *dicitur, pertinuit ad antiquissimam potentissimamque Gentem* Aniciam. *Vide Abb. Seifridi Arbor. Anician. lib. 1. cap. 13.*

(4) *Nempe quoniam* Anicia Gens *æque ac* Julia *creditur oriunda ab* Ænea. *Vid. Abb. Seifridi Arbor. Anician. lib. 2. cap. 7. & 8.*

(5) Nunc *pro* etiam nunc.

(6) *Castrum hoc fuit multo ante conditum, quam duo fratres* Anicii Perleonii *Roma transmigrarunt in Helvetiam. Eorum autem* Junior, *nempe* Albertus, *cognomine* Dives, *nactus est ejusdem Castri possessionem per matrimonium cum filia* Werneri *ultimi Comitis Altenburgensis & Habsburgensis, cujus obitu & masculæ prolis defectu* Prima *illa sive* Antiqua *Comitum Habsburgensium Familia defiit.*

(7) *Per* posteros Comites *intelligitur hic* Secunda *sive* Nova *Comitum Habsburgensium Familia, nempe* Anicia Perleonia, *quæ successit in locum prioris illius* Vindonissensis *sive* Altenburgicæ, *quæ per obitum* Werneri & *defectum masculæ prolis desierat. Item testatur* Albertus Argentinensis, *dum ait ex duobus istis fratribus, videlicet* Aniciis Perleoniis, *omnes de Habsburg* POSTEA *processisse. Vide Abbatis Seifridi Arbor. Annician. lib. 1. cap. 12.*

ſtotiæ Helveticæ libro ſeptimo, capite duodecimo, & *Magiſter Albertus Argentinenſis*, qui a temporibus Imp. Rudolphi I. uſque ad mortem Caroli IV. ſive annum 1378 (1) *bonæ fidei* condidit Chronicon, quod *Joannes Cuſpinianus* in *Auſtria* ſua ſæpe citat & *Chriſtianus Vrſtiſius* Baſileenſis in Syntagmate Illuſtrium Hiſtoricorum Germaniæ, Francofurti typis Andreæ Wecheli A. 1585. edito in folio, primus *integrum* edidit. Et quod quidem ad priorem illum *Vlricum Krigium* attinet, concludit *Joannes Stumpffius* ſupra citatum locum, ubi Chronici ejus meminit, his verbis: *Dieſer Vlrich Krieg iſt der ältiſte geſchichtſchreiber, den wir finden, der gründlich und deutlich anzeigt, der Herren von Habspurg herkommen ſey von altem römiſchen geſchlächt* (2) &c. *So nun dieſer Hiſtorienſchreiber bey König Rudolphi zeiten ſelbs gelebt, hat es ein gar grundlich gut anſehen, daz man damals ſolche oberzelte meinung vom herkommen bemelter Graven für grundlich warhaftig gehalten, und von keiner andern meinung gewuſt habe:* hoc eſt: *Hic Vlricus Krigius eſt antiquiſſimus Hiſtoricus, quem invenimus ſolide & perſpicue indicare, Dominos de Habsburg oriundos eſſe ab antiqua Romana Gente*, &c. *Siquidem igitur hic Hiſtoriographus temporibus Regis Rudolphi ipſe vixit, ſolidiſſime rectiſſimeque hinc videtur poſſe colligi, ſupra memoratam de Origine Comitum Habsburgenſium opinionem tunc temporis pro ſolide vera habitam eſſe, nec ullam aliam fuiſſe cognitam.* Hæc Stumpffius de *Vlrico Krigio*. Quod autem ad *Albertum Argentinenſem* attinet, ejus verba ad rem præſentem maxime facientia, in principio ſupra laudati Chronici ſunt hæc: *Rudolphus Comes de Habſpurg ex* (3) *antiquis progenitoribus ab Vrbe Roma traxit originem.* (4) *Olim namque duobus* (5) *fratribus propter potentis* (6) *Romani occiſionem eliminatis* (7) *ab Vrbe*, (8) *pater eorum nobilior Romanus, dans cuilibet eorum immenſam pecuniam, ipſos juſſit in partes abire remotas. Qui ſe in ſuperiori Alemannia receperunt.* (4) *Antiquior autem ad emptionem prædiorum & munitionum*, (9) *junior vero ad habendam vaſallorum multitudinem contendebat. Patre autem in Vrbe exiſtente*, (10) *poſt aliquot annos cum intellexiſſet, filios cum pace ſtare in Alemannia, ipſos viſitabat. Et cum vidiſſet ſenioris empta prædia, ejus prudentiam nimium commendavit. Requirens autem a Juniore quid cum ſua ſubſtantia egerit, ille ſe omnem in unam munitionem fortiſſimam collocaſſe reſpondit; &, juſſis omnibus vaſallis ſuis, cum eorum libris maſculis optime armatis ad munitionem pertinentibus, & ab eo infeodatis, venire ad montem, ubi Caſtrum* (12) *Habesburg eſt collocatum,*

(1) *Vide Præfation. editionis Chriſtiani Vrſtiſii & Voſſ. de Hiſtor. Latin. lib. 3. cap. 3.*

(2) *Notandum eſt, hanc abrumpendi formulam* & cætera *non eſſe hic a me pro lubitu inſertam, quaſi aliquid de induſtria omiſerim, ſed eam extare apud ipſum* Stumpffium.

(3) *Nempe ex* Aniciæ *Gentis Familia* Perleonia.
(4) *Anno videlicet Chriſti 1144.*
(5) Rudolpho & Alberto *Aniciis Perleoniis.*
(6) *Fuit is unus ex Hæreticis* Arnaldiſtis, *qui Summo Pontifici rebellarunt.*
(7) *Nempe propter defenſionem* Eccleſiæ Romanæ.
(8) Leo Maximus *Anicius Perleonius, qui A. 1162. obiit.*
(9) *Nimirum* Rudolphus.
(10) Albertus *ſcilicet, cognomine* Dives.
(11) *Nempe anno 1152.*
(12) *Accepit hoc Caſtrum* Albertus *per matrimonium cum filia* Werneri, *ultimi Comitis*

catum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem, quos & omnes eorum posteros masculini sexus suos & posteritatis suæ fideles vasallos illis confidentibus patri probavit. Quo viso, pater in illius animosa nobilitate gavisus, reversus ad Vrbem, magnum thesaurum destinavit eidem. Ex quibus duobus fratribus omnes de Habesburg (1) *postea processerunt.* Hucusque *Albertus Argentinensis.* Quem locum si quis cum altero illo supracitato (2) *Henrici Gundelfingii* loco conferre velit, & simul utriusque veram interpretationem, uberioremque ac solidiorem confirmationem desideret, is consulat Reverendissimi doctissimique Viri *Joannis Seifridi* Wratislaviensis, Zwetalensis olim in Austria Abbatis, eruditissimum de Genealogia Habsburgo-Austriaca Opus; quod *ARBOR ANICIANA* inscribitur, omniaque ejus argumenti scripta, quotquot hactenus in lucem prodierunt, solida veritatis demonstratione superat. Notandum *tertio* est, causam, cur jam memorata *vetus* & vera traditio de *Origine* Augustissimæ Domus Habsburgo-Austriacæ temporibus *Imp. Maximiliani I.* & deinceps a variis recentioribus Scriptoribus sit improbata, & per *novas* quasdam ac falsas opiniones, quantum fieri potuit, suppressa & conculcata, esse *duplicem*, nempe *Ignorantiam recti* & *Adulationem.* Si enim *Joanni Stabio, Jacobo Manlio, Joanni Trithemio, Hieronymo Gebuillero, Wolfgango Lazio* & cæteris, qui *Gallicanam* Augustissimæ Domus Habsburgo-Austriacæ *Originem* falsam & antea inauditam confinxerunt & propagarunt, *dignitas Aniciæ Gentis & Familiæ Perleoniæ*, tum quoque *vera causa exilii duorum fratrum Perleoniorum & commigrationis in Germaniam* fuisset cognita, minime dubium est, quin a *novo* illo suo & *adulatorio* commento, tanquam non solum non necessario, verum etiam injurioso abstinuissent. Minime igitur audiendus est *Wolfgangus Lazius*, immo severa castigatione dignus est, dum capite primo libri primi Commentariorum in Genealogiam Austriacam contra vetustissimam de Principum Habsburgo-Austriacorum *Origine Romana* hæc evomit: *Huic opinioni innixi quidam Itali, ac* (3) *Volaterranus inprimis, a Petro Leonis, Romano exule*, HOMINE MALI EXEMPLI, *& qui posterius sub primo ejus nominis Friderico Imperatore* OB SEDITIONEM *pulsus erat, tam splendidæ Domus initia derivare voluerunt.* Hæc *Lazius* non minus falso, quam injuriose. Nam nec *ipse Petrus Leonis* fuit pulsus Vrbe Roma, sed ejus *nepotes* ex filio *Leone Maximo Rudolphus & Albertus;* nec expulsio illa contigit sub *Imp. Friderico I.* sive *Barbarossa*, qui A. 1152. cœpit imperare, sed A. 1144. sub *Imp. Conrado III;* nec expulsi fuerunt duo fratres illi *ob seditionem tanquam homines mali exempli*, sed *propter defensionem Ecclesiæ Romanæ* tanquam æterna laude digni antagonistæ Hæretico-

Habsburgensis *ex Familia* Vindonissensi *sive* Altenburgica.

(1) Postea *hoc est, post obitum jam memorati* Werneri *& defectum masculæ prolis Familiæ* Altenburgicæ, *cui successit* nova *Familia Habsburgensis* Anicia Perleonia.

(2) *Vide supra Col. 760.*

(3) *Sub finem libri vigesimi tertii Commentariorum Vrbanorum.*

ticorum *Arnaldiſtarum:* uti videre eſt ex ipſorum *Arnaldiſtarum* epiſtola, A. 1144. ad *Imp. Conradum III.* ſcripta, quæ etiam nunc extat apud *Ottonem Epiſcopum Friſingenſem* de rebus geſtis *Imp. Friderici I.* libri primi capite vigeſimo octavo. Conſulendus etiam eſt Abbas *Joannes Seifridus* Arboris Anicianæ lib. 1. cap. 9, ubi non minus vere & docte, quam prolixe incorruptis monumentis antiquis demonſtrat, *quam ob cauſam duo fratres Perleonii patrium ſolum vertere coacti ſint*, totamque illam de Familiæ *Perleoniæ* potentia in Vrbe *Roma* & fideliſſima defenſione *Sedis Apoſtolicæ* diſ- B ſertationem tandem concludit hoc lectu digniſſimo epilogo: *Conſtat igitur ipſorum teſtificatione Arnaldiſtarum Romanorum, cauſam exilii Perleonum eam duntaxat fuiſſe, quod non eodem, quo illi, Arnaldi errore depravati, eadem pariter amentia & furore affluentiam bonorum Clericis & Monachis inviderint, ſacra Pontifici vectigalia eripuerint, Eccleſiæ immunitatem & Pontificiam auctoritatem infregerint; ſed quod pro tuenda Eccleſiaſtica auctoritate ſe iiſdem murum oppoſuerint, pro Pontifice arma ceperint, nefarios* C *eorundem impetus ac vim repreſſerint, ac denique, quod M. Albertus Argentinenſis* (1) *ſcriptis prodidit, in hoc laudatiſſimo conatu Civem præpotentem, ſed adverſæ factionis & hoſtem Eccleſiæ interemerint. Mutua enim cæde tunc in alterutram partem ſævitum eſſe, ſatis indicat* (3) *epiſtola D. Bernardi, quam contra eoſdem Romanos Arnaldi alumnos ſtylo ferreo valde acuto exaravit; in qua inter cætera hæc ait: Væ nunc tibi Populo miſerande, non ab exteris nationibus, non a feritate barbarorum, non a millibus armatorum; væ tantum a facie tuorum tibi, væ a domeſticis & amicis, a clade inteſtina, a cruciatu præcordiorum, a tortionibus viſcerum. Hæc S. Bernardus. Itaque etſi, cujus illa cædes fuerit nihil certum & expreſſum ad poſteros tranſmiſſum ſit, illud tamen ex dictis liquet, eam factam eſſe non niſi ex flagrantiſſimo juſtitiæ ardore pro defendenda Eccleſiæ immunitate, & tuenda CHRISTI in terris Vicarii auctoritate. Vnde ſummus ille ac juſtiſſimus rerum omnium arbiter Deus, qui uti nihil mali inultum & impunitum dimittit, ita etiam recte factis merita præmia perſolvit, quemadmodum zelum & factum* (3) *Phinees, quo impuriſſimum hominis Iſraelitæ flagitium vindicavit, adeo gratum habuit, ut non ſolum omnem conceptam in populum prævaricatorem iram ex animo depoſuerit, ſed etiam, ut Regius ait* (4) *Pſaltes, illi hoc reputatum ſit ad juſtitiam in generatione & generationem; itaque Idem horum Perleonum fratrum ferventiſſimo erga ſuam Eccleſiam & ejus Summum Pontificem ſtudio delectatus, non modo poſt paucos annos illam omnem urbanam rebellionem extinxit, Pontificemque Sedi ſuæ & Vrbi maximo omnium applauſu reſtituit, verum etiam dictos fratres, quia in cauſa Eccleſiæ patria extorres facti fuerant, & ingentibus opibus poſſeſſionibuſque locupletavit, & ejus præclariſſimæ Familiæ dedit eſſe auctores, quæ poſtmodum ſumma Imperii dignitate, qua prioribus temporibus condecorata fuerat, iterum exornata, murum ſe pro Eccleſia protegenda contra ejus quoſcunque hoſtes viri-*

(1) *In Chronico ſuo. Vid. ſupra Col. 764.*
(2) *Epiſt. 242.*
(3) *Num. cap. 25.*
(4) *Pſalm. 105.*

viriliter opponeret. Vnde, ut vides Lector, moderni Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domus Principes zelum hunc atque ſtudium erga Sacroſanctam Sedem Apoſtolicam a Majoribus ſuis quaſi hæreditarium acceperunt, & cum ipſo veluti nutricis lacte mente tota penitus combiberunt, meritoque nefandiſſimam hominum peſtem, quæ maxime Aulas Principum obſidere ſolet, modernos POLITICOS *dico, hominis peſtilentiſſimi Arnaldi de Brixia ſobolem & alumnos, odio avito & innato proſequuntur; ſiquidem par eſt, ut quam Illuſtrium Majorum ſuorum veſtigiis ſignatam atque impreſſam intuentur viam, toto pectore omnique animi contentione conſectentur.* Hucuſq; Abbas Joan. Seifridus. Unde licet ſatis ſuperque pateat, quam ſit impudens mendacium, quod *Lazius* (1) ſcribit, *Petrum Leonis tanquam hominem mali exempli temporibus Imp. Friderici I. ob ſeditionem Roma pulſum eſſe*, addam tamen auctarii loco *tria* antiqua *Epitaphia* in perpetuum honorem ac memoriam *Patris, Avi* & *Proavi* duorum illorum fratrum *Perleoniorum*, qui propter ſtrenuam Eccleſiæ Romanæ defenſionem ab adverſariis *hæreticis* Vrbe pulſi, commigrarunt in Helvetiam, & Familiæ *Vindoniſſenſi* ſive *Altenburgicæ* in poſſeſſione Caſtri (2) *Habsburgi*, & *Habsburgenſi Comitatu* jure connubiali ſucceſſerunt. Horum Epitaphiorum *primum* eſt *Proavi* duorum illorum fratrum, *Tritavi* autem Imp. Rudolphi I, quod *Card. Baronius* Annalium Eccleſiaſticorum Tomo XII. in actis anni MCXI. ex Codice MSto Bibliothecæ *Caſinenſis* exhibet hoc modo.

LEONIS *Romanorum Nobiliſſimi Epitaphium, ſcriptum ab Alphano Archiepiſcopo Salernitano.*

Hoc jacet in tumulo LEO, *Vir per cuncta fidelis*
Sedis Apoſtolicæ tempore quo viguit.
Romæ natus, opum dives, probus & ſatis alto
Sanguine materno nobilitatus erat.
Prudens & ſapiens, & Cælo pæne ſub omni
Agnitus, & celebris ſemper in Vrbe manens.
Virgo ter ſenis fuerat cum Sole diebus,
Quando ſuum vitæ finierat ſpatium.

Hucuſque Epitaphium *Leonis Anicii Perleonii*, qui *Imp. Rudolphi I.* fuit *Tritavus. Secundum* Epitaphium eſt *Avi* eorundem duorum fratrum *Perleoniorum*, *Atavi* autem *Imp. Rudolphi I*, quod etiam nunc extat Romæ in atrio Baſilicæ S. Pauli in Via Oſtienſi, & a Card. *Baronio* Annal. Eccleſiaſt. Tomo XII. in actis anni 1144. nec non ab *Arnoldo Wione* in parte Prima *Ligni Vitæ*, ſive Hiſtoriæ Ordinis Benedict. exhibetur hoc modo:

P *ræterit ut ventus Princeps ſeu Rex opulentus,*
E *t nos, ut fumus, pulvis & umbra ſumus.*

T *ot*

(1) *Vide ſupra Col. 766.*
(2) *In Argovia, vulgo* Argow *ita dicta ab* Arula *fluvio. Vide Stumpff. Hiſt. Helvet. lib. 7. cap. 1. & 11.*

T *ot tantiſque bonis pollens* PETRVS *ecce* LEONIS,
R *eſpice quam modico tegitur nunc tumulo.*
V *ir fuit immenſus, quem proles, gloria, cenſus*
S *uſtulit in vita, non ſit ut alter ita.*
L *egum ſervator, Patriæ decus, Vrbis amator,*
E *xtruxit celſis turribus aſtra Poli.*
O *mnia præclara mors obtenebravit amara,*
N *ominis ergo Dei Gratia parcat ei.*
I *unius in Mundo fulgebat Sole ſecundo*
S *eparat hunc nobis cum Polus atque lapis.*

In ipſo Sepulchro.

Te Petrus & Paulus conſervent PETRE LEONIS;
Dent animam Cœlo, quos tam devotus amaſti,
Et, quibus eſt idem tumulus, ſit gloria tecum.

Hucuſque Epitaphium *Petri Leonis Anicii Perleonii*, qui *Imp. Rudolphi I.* fuit *Atavus*. *Tertium* Epitaphium eſt *Patris* eorundem duorum fratrum Perleoniorum, *Abavi* autem *Imp. Rudolphi I*, quod extat etiam nunc *Romæ* præ foribus Eccleſiæ *S. Alexii* in monte Aventino, & ab *Arnoldo Wione* in ſupra citata Parte prima Ligni Vitæ, nec non a *Joanne Seifrido* Abbate Zwethalenſi Arboris Anicianæ lib. 1. cap. 8. exhibetur hoc modo:

Maximus hinc ſurget gemina cum pube ſuorum
Et nata, ſuperis dandus honore pio.
Quos Sergeſtus acer patrum longo ordine ſevit
Illuſtres animas, perque Ducum genera.
Mite genus hominum, ſapiens, inſigne, decorum
Nominis antiqui conſepelit tumulus,
Stephane poſt patris interitum Leo concidit imus,
Poſtque tuum lapſum atque ſororis iter
Extraneo nulli liceat ſuperaddier iſtis,
Aut ſi quis violans, ſit anathema DEO.
CHRISTE, Decus Mundi, ſemper miſerere ſepultis,
Et loca fer pacis, qui bona cuncta facis.

Obiit Dominus Leo de Maximis M. Aprilis D. XXIII. Indictione XI. Anno Dom. noſtri MCLXII.

Hucuſque Epitaphium *Leonis Maximi Anicii Perleonii*, qui *Imp. Rudolphi I.* fuit *Abavus*, quemadmodum ex ſequenti Schemate Genealogico videre eſt.

Tri-

Tritavus.	*Leo* Anicius Perleonius, Comes Montis Aventini, cujus Epitaphium extat apud Card. Baronium Annal. Eccleſiaſt. Tomo XII. in actis anni MCXI. Deſcendit is recta Genealogiæ ſerie ab (1) *Imp. Flavio Anicio Olybrio*, & in titulo Epitaphii vocatur *Nobiliſſimus Romanorum.*	Pater.
Atavus.	*Petrus Leonis* Anicius Perleonius, Comes Montis Aventini, cujus Epitaphium extat apud Card. Baronium Annal. Eccleſiaſt. Tomo XII. in actis anni MCXLIV.	Filius.
Abavus.	*Leo Maximus* Anicius Perleonius, Comes Montis Aventini, qui obiit A. MCLXII.	Nepos.
Proavus.	(2) *Albertus Dives* Anicius Perleonius. Comes Montis Aventini. qui A. MCXLIV cum *Rudolpho* fratre natu majore ob defenſionem Eccleſiæ *Romanæ* ab hæreticis *Arnaldaſtis* Roma pulſus, commigravit in Helvetiam, & per matrimonium cum *Werneri* ultimi ex Familia Altenburgica Comitis Habsburgenſis filia evaſit *primus* ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habsburgenſis.	Pronepos.
Avus.	*Rudolphus Taciturnus*, Alberti Divitis filius *ſecundus* ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habsburgenſis.	Abnepos.
Pater.	*Albertus Sapiens*, Rudolphi Taciturni filius *tertius* ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habsburgenſis.	Atnepos.
Filius.	RVDOLPHVS Alberti Sapientis filius *quartus* ex Gentis Aniciæ Familia Perleonia Comes Habsburgenſis, & *primus* ejuſdem Familiæ *Imperator Romanorum* A. MCCLXXIII.	Trinepos.

(1) *Cæpit is imperare in Occidente A. C. 472, & pater fuit* Julianæ Aniciæ, *cujus imago in Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ vetuſtiſſimo Codice MSto* Dioſcoridiano *cernitur.*

(2) *Notandum eſt, extare apud* Joan. Stumpffium *Hiſt. Helvet. lib. 7. cap. 12, diploma aliquod* Imper. Rudolphi I, *A. 1259 promulgatum, in quo licet ipſe, tanquam adhuc* Landgravius Cæte-

tantum Alſatiæ, *& tres ipſius* fratres patrueles, *accurate & nominatim* Progenitores *ſuos recenſeant, altius tamen non ordiuntur, quam ab hoc* Proavo *ſuo* Alberto Divite, *eoque modo ſatis manifeſte indicant, ſe* plures *ac* vetuſtiores Progenitores, *a quibus bona ille, quorum in eo diplomate fit mentio, in* Landgraviatu Alſatiæ & Comitatu Habsburgenſi *non*

Cæterum quod Familia *Perleonia* non A minus quam *Paulina*, *Proba*, *Olybria*, *Fauſta*, *Juſtiniana*, *Severina*, *Gordiana*, *Frangipania*, aliæque complures illuſtriſſimæ Familiæ ad antiquiſſimam Gentem *Aniciam* pertinuerint, variis monumentis antiquis ſatis perſpicue demonſtrat ſupra laudatus *Abbas Seifridus* tam toto libro tertio *Arboris Anicianæ*, quam capite ultimo libri primi; ubi in primis obſervatu digna eſt ſequens Inſcriptio, quæ ſub Pontificatu *Pauli* Papæ *III.* Romæ in Monte *Aventino* reperta eſt.

MAGNI. FLAVI. ANICI. PE
TRI. LEONIS. GORDIANI.
SENATORIS. AMPLISSIMI.
ROMANORVMQ. PATRITI.
CORPVS. HOC. SEPVLCHRO.
CONDITVM. IACET.
FLAVIA. ANICIA. GORDIA
NA. CON. P.P.P.
FLAVIVS. ANICIVS. FRANGE
PANIS. PETRVS. LEO. PET.
LEONIS. F. ANI.
PETRI. LEONIS. N. PAT.
OPT. DEDI.
OBIIT. ANNO DOM. INCAR
NATIONIS. DCCXXII.

Hucuſque ipſa illa Inſcriptio. Cujus B explicandæ cauſa ab eodem ſupra laudato *Abbate Seifrido* hæc ſubjunguntur: *Ne vero hoc monumentum tibi otioſe ſpectandum propoſitum, Lector, exiſtimes, vide quanta in eo exiſtant, ex quibus proficere poſſis. Imprimis enim Perleones germina fuiſſe Anicianæ ſtirpis, ex eo fit teſtatiſſimum, ſiquidem cum pater, tum ipſe filius Anicios ſe profitentur. Deinde perſpicis hallucinatum eſſe* (1) *Volateranum, qui putavit Perleones hoc cognomen ſortitos eſſe a Petro Leonis, qui tempore Gelaſii II. & Paſchalis II Pontificum Romanorum magna in Urbe potentia floruit; quod etiam* (2) *Card. Cæſ. Baronius exiſtimavit, cum tamen ex hac ſepulchri inſcriptione, ſicut & ex ſequentibus manifeſtum fiat, eandem Familiam hoc cognomine multis ſeculis ante inſignitam fuiſſe. Demum ex eadem inſcriptione Frangipaniæ Familiæ origo demonſtratur, ſiquidem in ea filius Frangepanis appellatur; quod nomen nec a patre, nec ab avo, nec etiam ab ipſa matre acceptum tulit, ſed ab eodem primum uſurpatum eſt in memoriam ampliſſimi beneficii, quo ſibi poſteritatique ſuæ univerſam Romam devinxit;* (3) *dum Roma ingenti aquarum mole oppreſſa, civibus ſumma rerum inopia laborantibus per ſingulas domos ſcapha vectus, frangendo*

habuiſſe. Vide Abbatis Seifridi Arbor. Anician. lib. 1. cap. 11.

(1) *Sub-finem libri XXIII. Comm. Vrbanorum.*

(2) *Annal. Eccleſ. Tomo XII. ad an. MCXI.*

(3) *Contigit hoc Anno C. 717; ut pererudite demonſtrat idem Abbas Seifridus ejuſdem Operis lib. 3. cap. 16.*

gendo panes ſubveniſſet. Hucuſque Abbas Seifridus. Cum igitur certo conſtet, Principes Habsburgo-Auſtriacos originem ducere ex *Comitibus Aventinis Familiæ Perleoniæ*, Familiam autem *Perleoniam* pertinere ad Gentem *Aniciam*, opere pretium porro fuerit, ut conſulatur ſupra laudatæ Arboris Anicianæ liber *ſecundus*, quippe ubi ſplendidiſſima Gentis *Aniciæ* antiquitas recte repetitur inde a (1) *Q. Anicio Præneſtino*, qui *Ædulis Curulis* creatus eſt anno ab Vrbe condita quadringenteſimo (2) quinquageſimo primo, P. Sulpitio Saverrione & P. Sempronio Sopho Coss. & a (3) *L. Anicio Gallo*, qui *Prætor* fuit A. V. C. DLXXXVI, *L. Æmilio Paulo II. & C. Licinio Craſſo Coss.*, miſſuſque in *Illyricum*, intra triginta dies totam illam Provinciam ſubegit, ipſumque Regem *Gentium* cum conjuge & liberis fratreque *Caravantio* cepit, & ſequenti anno in *triumpho* duxit. Idem quoque *L. Anicius* fuit *Conſul* A. V. C. DXCIV cum *M. Cornelio Cethego*, adeoque multi ex eadem *Anicia* Gente deinceps tam in libera adhuc Rep. Romana, quam ſub Imperatoribus ad *Conſulare* faſtigium pervenerunt, ut *S. Hieronymus* in Epiſtola ad *Demetriadem*, mentionem hujus Gentis in transcurſu faciens, merito exclamet: *Scilicet nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, & ILLVSTRE ANICII SANGVINIS DECVS; in quo aut nullus aut rarus fuit, qui non meruit CONSVLATVM.* Ad eandem ſingularem Gentis *Aniciæ* prærogativam reſpicit quoque *S. Auguſtinus* in Epiſtola ad *Probam* & *Julianam*, clariſſimas ex *Anicia* ſtirpe fœminas, ſic ſcribens: *Quis verbis explicet? quis digno præconio proſequatur, quantum incomparabiliter glorioſius ac fructuoſius habet ex veſtro ſanguine FOEMINAS VIRGINES CHRISTVS, quam VIROS CONSVLES Mundus? Nam volumina temporum ſi magnum atque præclarum eſt nominis dignitate ſignare, quanto eſt majus atque præclarius cordis corporiſque integritate tranſcendere?* Hæc S. Auguſtinus. Huc quoque alludit *Claudianus* in Panegyrico carmine ad *Olybrium* & *Probinum Anicios fratres*, de eadem Gente canens.

His neque per dubium pendet fortuna pavorem
Nec novit mutare vices; ſed fixus in omnes
Cognatos procedit bonos: quemcunque requires
Hac de ſtirpe Virum, certum eſt de Conſule naſci.
Per faſces numerantur avi, ſemperque renata
Nobilitate virent, & prolem fata ſequuntur,
Continuum ſimili ſervantem lege tenorem.

Et aliquanto poſt in eadem Poëmate ipſam Vrbem *Romam* introducit, prædictis duobus fratribus *Aniciis* ab *Imp. Honorio Conſolatum* petentem his verbis:

Illis

(1) *Vide Plin. Hiſt. Natural. lib. 33. cap. 1. & T. Liv. Hiſt. Rom. lib. 9. cap. ultimo.*
(2) *Vide Vbbonis Emmii Chronologiam Rer. Romanarum.*
(3) *Vide Liv. lib. 44. cap. 17, & lib. 45. cap. 43.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Illis quam propriam ducunt ab origine ſortem
Oramus præbere velis, annique futurum
Devoveas venientis iter: non improba poſco,
Non inſueta dabis. DOMVS *hæc de more requirit.*

Quod porro ad *Imperatores Romanos* tam *Orientales*, quam *Occidentales*, nec non ad *Sanctos* & *Sanctas Martyrii* laurea & gloria *Confeſſionis* illuſtres, qui ex eadem *Anicia* Gente prodierunt, attinet, operæ pretium eſt, ut ipſum audiamus *Abbatem Seifridum*, qui ea de re paucis multa complectens, libri *ſecundi* Arboris Anicianæ capite *primo* ſic ſcribit: *Cæterum non tantum Conſulari dignitate ornatiſſimos Viros produxit hæc Familia, ſed etiam iterum ac iterum fortuna quadam fatali ad ſupremum Imperii faſtigium evecta partim in Occidente, partim in Oriente, plurimorum annorum curriculo Imperiales rexit habenas, atque nunc etiam Occidentale Imperium ſingulari avitæ hæreditatis prærogativa per manus potentium Cæſarum tradita in ſuis poſteris continuatis multorum annorum ſpatiis felicisſime moderatur. Porro quod maxima ſane admiratione dignum eſt, triplici temporis intervallo divinis plane auſpiciis ad hanc Familiam delata ſunt Auguſta Imperii Inſignia maximo Reip. Chriſtianæ bono: cum primum Anicius CONSTANTINVS Maximus poſt teterrimam idololatriæ caliginem diuturnamque perſecutionis rabiem Eccleſiæ Chriſti tanquam Sol quidam novus affulſit, Chriſtianæ fidei & doctrinæ radiis Urbem & Orbem illuſtrans; deinde cum ex eadem quaſi pharetra eductus Anicius JVSTINVS Senior divinitus ad Imperium aſſumptus eſt, qui Eccleſiam DEI denſiſſimis hæreſium tenebris obvolutam, & hæreticorum Imperatorum Zenonis & Anaſtaſii ma-*
A *chinis prope convulſam, maxime in Orientis partibus, rurſus ad priſtinam lucem revocavit, in integrum reſtituit, pacemque ejuſdem ac libertatem diu exulem quaſi poſtliminio reduxit; denique cum poſt longam Imperii vacationem, turbulentiſſimoſque Germaniæ motus ex eadem Anicia ſtirpe oriundus præter omnem ſpem & expectationem ex Comite in Imperatorem electus eſt RVDOLPHVS I. Habsburgius, qui non ſolum Imperium multis modis labefactatum in antiquum ſuum ſtatum &*
B *ſplendorem auctoritate & conſilio reſtituit, ſed etiam armis & ferro Auſtriam & Stiriam ex ſæviſſima Ottocari Bohemi tyrannide in priſtinam libertatem vendicavit. Jam vero quantus ſe campus aperiret, in quo exultare poſſit oratio, ſi & eos hic recenſere vellem, qui eandem Proſapiam eximia morum integritate & ſanctimonia vitæ, inſignique Martyrii laurea ac gloria Confeſſionis nimium quantum illuſtrarunt? Inter quos veluti majus quoddam ſidus*
C *eminet Divus Pater noſter BENEDICTVS, qui ſpectatiſſimo vitæ ſuæ exemplo temperatiſſimaque morum diſciplina innumerabiles hominum mentes a curis rerum labentium avocatas ad cœleſtes & nunquam interituras divitias & delitias contemplandas & conſectandas convertit. Nullus profecto jam in Cœlis Beatorum civium ordo eſt, in quo non aliquot ſaltem præſtantes Anicianæ Familiæ alumni reperiantur. Nam quid Conſularem illum Virum omni ſcientia præditum Anicium Boëthium commemorem? quid Benedictini agminis Protomartyrem egregium*

gium Placidum Abbatem cum fratribus & ſorore aliiſque non paucis in Martyrum choro præcellentem? Quid in Doctorum ac Confeſſorum cœtu glorioſius illis Eccleſiæ luminibus Sancto Gregorio Magno, Divo Paulino Nolano, B. Thoma Aquinate? Quid inter candida Virginum agmina & Agni ſponſas illuſtrius illa a SS. Patribus adeo celebrata ac decantata Demetriade? Quid de matre ejus Juliana, quid de avia ejuſdem Proba dicam? cujus, ut verbis D. Hieronymi utar, omnium Dignitatum & cunctæ Nobilitatis in Orbe Romano Nomen illuſtrius; cujus, ut idem atteſtatur, Sanctitas & in univerſos effuſa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit. Hucuſque Abbas Seifridus de *Imperatoribus* & *Sanctis* Gentis Aniciæ. De *divitiis* autem & *affluentia opum* ejuſdem Gentis ſubjungit ibidem hæc lectu digniſſima: *Illud etiam hic commemorabo, quod homines hujus Mundi illecebris irretiti maxime admirari conſueverunt, tanta nimirum rerum & opum affluentia ANICIOS cæteris præſtitiſſe, ut etiam locum proverbio dederint, ſicut ex Caſſiodoro Cardinalis refert* (1) *Baronius.* Erant jam, *inquit*, in proverbio Opes, Ædificiorum moles & ſplendor ædium Familiæ Anicianæ. *Hinc Secundinus ad Auguſtinum:* Egonamque fateor non tali diligentia nec tanta induſtria ANICIANÆ DOMVS micare marmora, quanta tua ſcripta prælucent eloquentia. *Et quidem Sextum Anicium Petronium Probum, qui una cum Gratiano Auguſto geſſit Conſulatum anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo primo, tantæ fuiſſe opulentiæ, tantæ magnificentiæ conſtat, ut ad ejus amplitudinem ſpectandam e Perſide Sapientes Romam veniſſe Paulinus teſtetur. Perſtrinxit autem hæc Familiæ nobiliſſimæ Chriſtianiſſimæque opulentia vehementer aliorum Ethnicorum non ſolum oculos ſed etiam animos. Vide* (2) *Ammianus Marcellinus de eodem Probo hæc carptim:* Poſt hæc tempora, *inquit*, Vulcatio Ruffino abſoluto vita dum adminiſtrat, ad regendam Præfecturam Prætorianam ab Urbe Probus accitus, claritudine generis & potentia, & opum multitudine cognitus Orbi Romano, per quem univerſum pæne patrimonia ſparſa poſſedit; juſte an ſecus, non judicioli eſt noſtri. *Eodem invidiæ morbo laboravit* (3) *Zoſimus, qui favens Attilæ tyranno, hiſce ANICIOS perſtringit.* Solam, *ait*, illorum Familiam, qui ANICII dicuntur, mordebant ea, quæ publice univerſis conducere videbantur, quod ſoli omnium prope dixerim divitias poſſidentes, felicitatem publicam permoleſte ferrent.

Sed

(1) *In Martyrol. Rom. ad d. ult. Maji, ubi legitur celebrari eo die Aquilejæ memoriam Sanctorum Martyrum* Cantii, Cantiani & Cantianillæ *fratrum, qui cum eſſent ex illuſtri* ANICIORVM *progenie ſub Diocletiano & Maximiniano Imperatoribus ob Chriſtianæ fidei conſtantiam una cum Pædagogo ſuo* Proto *capite plexi ſunt. Ibidem quoque recte annotat Card.* Baronius, *primum ex omnibus* Senatoribus *Romanis* ANICIVM *quendam Chriſtianum religionem amplexum & profeſſum eſſe, idque teſtari* Prudentium *libro primo adverſus Symmachum his verſibus:* Fertur enim ante alios generoſus ANICIVS Urbis illuſtraſſe caput; ſic ſe Roma inclyta jactat. *Abbas Seifridus exiſtimat hunc fuiſſe* M. Anicium Acilium Glabrionem, *qui Conſul fuit cum* Trajano *nondum Imperatore A. C. 91.*

(2) *Lib. 27.*

(3) *Lib. 6.*

Sed accipe, quæ de ejuſdem Probi opum amplitudine, & munificentia

(1) *Claudianus ſine livore cecinit his verſibus:*

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis undare penates;
Aſſidue intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Hæc de Probo Claudianus. Perſeveravit hæc opum affluentia in ejuſdem poſteris: unde, ut memoriæ proditum eſt a (2) *Gregorio Turonenſi*, (3) *JVLIANA ANICIA, Probi proneptis, Valentiniani III. Auguſti neptis, Olybrii Imperatoris filia, tantas opes tantamque vim auri poſſedit, ut Conſtantinopoli Sacellum Polyeucti Martyris totum texerit veſtieritque laminis ex auro puriſſimo fabrefactis. Eadem etiam, ut idem auctor affirmat, Imperatori Juſtiniano propinquo ſuo annulum aureum dono dedit, pretii pæne inæſtimabilis, propter incluſum in eo lapidem Neroniamum, qui tantæ viriditatis ac ſplendoris fuit, ut oſtenſo eo omnia a pulchritudine ejus viſa ſint in viriditatem converti.* Hæc Abbas Seifridus de *divitiis & affluentia opum* Gentis Aniciæ, unde Familia Perleonia Habsburgo-Auſtriaca oriunda eſt. Quoniam autem ibi ſpeciatim ac præcipue fit mentio JVLIANÆ ANICLÆ, filiæ Imp. Flavii Anicii OLYBRII, qui A. C. 472. poſt Imp. *Anthemium* cœpit imperare in Occidente, facere non poſſum, quin hac occaſione obiter indicem, adſervari etiam nunc in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* rariſſimum quoddam & vere Cæſareum antiquiſſimæ potentiſſimæque Gentis *Aniciæ* monumentum, nempe *Codicem* (4) *DIOSCORIDIS*, jam memoratæ *JVLIANÆ ANICIÆ* auſpicio & liberalitate *majuſculis* literis *Græcis* ſine *accentu* ullo & ſine ulla *diſtinctione ante* (5) *mille & centum ſexaginta tres* annos diligentiſſime exaratum, & *figuris plantarum* ad vivum depictis, aliiſque variis *imaginibus*, inter quas etiam *ipſius* eſt *effigies*, elegantiſſime exornatum, qui proxime præcedenti ſeculo impulſu *Augerii Busbekii* vel ab Imp. *Ferdinando I.*, vel, quod veriſimilius mihi videtur, a filio ipſius & ſucceſſore Imp. *Maximiliano II.*, Conſtantinopoli a Judæo quodam, cujus pater Tyranni Turcarum *Solymanni* Archiater fuerat, *centum* aureis ſive *Ducatis* eſt redemptus, & *Vindobonam* ſive *Wiennam Auſtriæ* translatus, ſingulari quadam Providentiæ Divinæ cura tanquam hæreditario jure in *Auguſtiſſimæ Domus Habs-*

(1) *In ſupracitato Panegyrico ad Olybrium & Probinum Anicios fratres.*
(2) *De Gloria Sanctorum Martyrum cap. 133.*
(3) *Vide ſupra Col. 773 & Arboris Anicianæ lib. 3. cap. 3. in fine.*
(4) *Vide librum primum Commentariorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea & ſupra Col. 778.*
(5) *Si nempe vetuſtatis ejus ſiputatio ab anno Chriſti 505, in cujus actis* Theophanes *Chronographus Templi Beatiſſimæ Deigenitricis ab eadem* Juliana *conſtructi meminit, uſque ad præſentem annum 1668. deducatur. Plura hac de re & accuratiora vide Comm. Libri VI. P. I. Cod. IV.*

Habsburgo-Auſtriacæ poteſtatem rediit, ut nempe ipſa coram intueri & manu prehendere poſſet, quanta Majorum ſuorum, videlicet ANICIORVM, potentia & dignitas fuerit, cum ii ante integra *undecim* ſecula tam in Oriente, quam in Occidente Imperio Romano præfuerunt. Uberiorem vetuſtiſſimi iſtius præſtantiſſimique Codicis MSti deſcriptionem, quæ hic propter nimiam prolixitatem commode non poteſt inſeri, Com. L. VI. P. I. Cod. IV. quippe ubi de eo ſeparatim acturus ſum. Interim hæc nunc ſufficiant contra *Wolfgangum Lazium* cæteroſque (1) ſupra citatos Auctores, qui cum, ut (2) *S. Hieronymi* verbis utar, ILLVSTRE ANICII SANGVINIS DECVS ignorarint, nec majorem habuerint cognitionem veræ cauſæ, propter quam duo fratres Anicii Perleonii *Rudolphus* & *Albertus* A. C. 1144 Roma pulſi, in Helvetiam commigraverunt, ignorantiam hanc ſuam & inſcitiam verterunt in adulationem, & ut *Imp. Maximiliano I.* ac ſequentibus Imperatoribus & Principibus Auſtriacis perſuaderent, Familiam Habsburgo-Auſtriacam a *Pharamundo* primo Francorum Rege oriundam eſſe, non erubuerunt Genealogiæ Regum Franciæ pro fundamento ſtabiliendi ſui figmenti inſerere commentitium quendam *Sigebertum*, quem ipſi *Exulem* cognominant, & *Theodeberti* illegitimo thoro procreati Regis Auſtraſiæ filium fuiſſe, ex *Gregorio Turonenſi* & *Aimoino*, apud quos tamen id minime invenitur, falſo aſſerunt. Quare merito Abbas *Seifridus* caput tertium libri primi Arboris Anicianæ, poſteaquam ibi ſatis demonſtravit, Principes Habsburgo-Auſtriacos a *Pharamundo* & *Sigeberto* (3) non recte derivari, hoc concludit epiphonemate: *Videſne igitur, amice Lector, quo ſtudio & qua fide Lazius cæterique ejus ſectæ comites ſint verſati in celebranda nobiliſſima Familia Habsburgia; ut nimirum controverſum ſit, laudarene eam inſtituerint, an potius vituperare. Quæ enim hæc laus a generis nobilitate, eos gentis Habsburgiæ Progenitores, per quos maxi-*

(1) *Vide ſupra Col. 765.*
(2) *Vide ſupra Col. 778.*
(3) *Vide etiam* Franciſci Guillimanni *Habsburgiacorum lib. 1. cap. 4. quod incipit his verbis:* Sed hæc Lazii, & illa Trithemii reliquorumque ejuſdem ſectæ, quam incerta: ignara, incognita, falſa ſint, omnes vident. *Ibidem paulo poſt de Lazio & Heutero hæc leguntur:* Quod de Sigeberti exercitus reparatione, pugna & fuga refert Lazius ipſe, Heuterus, alii, falſum eſt, neque ex bono ullo ſcriptore probabitur. Quæ ex Gregorio verba Lazius in teſtimonium fert, ſuo ex ingenio adfert, lectorem ludit, publico fraudem facit, Gregorio injuriam, ſe fabulam. Satis enim ex Chronico Sigeberti ex aliis ſcriptoribus conſtat, Turonenſem Gregorium Hiſtoriam Francorum non niſi ad A. D. N. DXCIII. protuliſſe, quo quidem tempore regnabat Childebertus, vivebat Theodebertus eo genitus: Sigeberti vero nepotis, Habsburgenſium, ut volunt, auctoris, nulla adhuc memoria, aut forte uſura lucis, nec de eo proinde, ut belli novo inſtauratore & Duce, Gregorium ſcribere potuiſſe. Sed ut hæc omnia quoque ſint; at enimvero nusquam Sigebertum in Franciam Orientalem fugiſſe & apud cognatos latuiſſe, nuſquam a Lothario Ducatum Allemanniæ ſuperioris ſive Helvetiam accepiſſe, nuſquam diadema & cætera Regni uſurpare prohibitum eſſe, Gregorius vel Aimo. quem annonium vocant, aut veterum alius memoravit. Ut nullum dubium ſit, quem Sigebertum Transjuranum Ducem Trithemius, Manlius, Lazius, alii faciunt, & unde Habsburgenſes ducunt, in rerum natura extitiſſe nunquam, aut cum fratribus cæteris abſque ſobole eſſe trucidatum. *Hæc* Guillimannus *contra opinionem de Origine Comitum Habsburgenſium* Francia *ſive* Gallicana.

maxime Regium Francorum ſanguinem in eam derivare volunt, aut fabuloſos, aut ſpurios fingere? Nam diſertis verbis (1) *Lazius Theodebertum illegitimo procreatum thoro aſſerit, quod tamen falſum eſſe* (2) *Belforeſtius annotavit; neque vero melioris notæ fuiſſe Sigebertum Exulem, ſi tamen unquam fuit, ex dictis eſt manifeſtum. Valeat ergo Lazius cum ſuo fictitio Sigeberto, laudatiſſimamque Domum Auſtriam hac ſua ſordida laude laudare deſiſtat, quæ etſi vera & non ficta eſſet, potius tamen reticenda quam commemoranda foret.* Hæc Abbas *Seifridus* contra *Lazium* de falſa Principium Habsburgo Auſtriacorum Origine *Gallicana.* Cæterum quod attinet ad (3) *Franciſcum Guillimannum* ejuſque ſectatores, qui putant Principes Habsburgo-Auſtriacos propterea non poſſe ex Gentis *Aniciæ* Familia *Perleonia* derivari, quia multo ante adventum duorum fratrum Perleoniorum in Helvetiam, hoc eſt ante annum Chriſti 1144. Caſtrum *Habsburg* in *Argovia* jam fuit conditum, ideoque multorum Comitum *Habsburgenſium*, iiſdem jam memoratis *Perleoniis* fratribus ſine ulla controverſia antiquiorum, memoria in Chronico Cœnobii *Murenſis* aliiſque variis vetuſtis monumentis reperitur, contra eos defendit & declarat ſupra laudatus Abbas *Seifridus* veterem illam *Vlrici Krigii*, *Alberti Argentinenſis*, & *Henrici Gundelfingii* traditionem non minus vere quam ingenue capite quarto libri primi Arboris Anicianæ his verbis: *Licet verum ſit, complura antiquitatis monumenta repe-*

A *riri, e quibus perſpicue argui poſſit, Comitum Habsburgenſium memoriam in Helvetiæ oris antiquiorem eſſe, quam ut poſſit a ſtirpe Perleonia derivari, non tamen inde neceſſario conſequitur, poſteriores Habsburgenſes Comites, quos graviſſimi vetuſtiſſimique auctores a Perleonibus Romanos oriundos tradunt, ab iiſdem in recta & paterna linea propagatos eſſe; quamvis eandem cum veteribus ab eodem Caſtro Habsburg denominationem ac titulum uſurpaſſe reperiantur. Quemadmodum* B *enim non recte collegerit quiſpiam, Habsburgios Auſtrios ex eadem plane proſapia oriundos eſſe, ex qua priſci Auſtriæ, Styriæ & Carinthiæ Duces prodire, quoniam iiſdem titulis ac inſignibus, quibus illi olim, hi etiam nunc utuntur; ita etiam perperam concluditur, Habsburgios poſteriores, eo quod in nomen ac poſſeſſiones veterum Habsburgenſium Comitum ſucceſſerint, eorundem ſtirpis propria germina eſſe, præſertim cum certorum teſtificatione* C *auctorum ſit compertum, hos ab illis genere plane diverſos fuiſſe. Nam ſucceſſio in nomen ac bona alterius non ſolum hæreditate, quæ tamen multis etiam nominibus obvenire ſolet, ſed & emptione, donatione, jure belli, aliisque modis acquiri poteſt, quorum plurima obviaque paſſim ſunt exempla, ut ſupervacaneum ſit diutius in his immorari.* Similiter quoque ejuſdem libri primi capite duodecimo eandem ſententiam illuſtrat & confirmat his verbis: *Vero igitur valde congruum videtur, Albertum Divitem Leonis Maximi filium unam ex filiabus Werneri III. Comitis Habsburgenſis in conjugem*

(1) *In Epiſtola dedicatoria.*
(2) *In magnis Annalibus Franciæ lib. 1. cap. 28. & 29.*
(3) *Edidit is Opus de* Origine Domus Auſtriæ, *inſcriptum* Habsburgiaca *& in ſeptem libros diviſum, quod impreſſum eſt Mediolani Anno 1605. in 4to.*

gem habuiſſe; ratione cujus Caſtrum & nomen Habsburgum ad ipſum poſteroſque ejus hæreditate & ſucceſſione eſt devolutum. Qui modus per connubium hæreditandi non ſolum tunc temporis in illis Helvetiæ partibus uſitatiſſimus fuit, ut ex Hiſtoriis paſſim liquet, verum etiam huic Familiæ Habsburgiæ adeo proprius eſt ac peculiaris, ut ad hanc ſtupendam hujus temporis Imperii magnitudinem nulla alia pæne ratione perveniſſe videatur. Quis enim ampliſſimas poſſeſſiones Comitum Kyburgenſium in hanc Familiam intulit? nonne Hedwigis ſoror Hartmanni ſenioris Comitis Kyburgenſis, quæ nupta fuit Alberto Sapienti, ex quo facta eſt mater Rudolphi I. Imperatoris? Quis clypeum & cor Sacri Romani Imperii, Auſtriam dico, eidem Familiæ adjecit? nonne eam cum Ducatu Styriæ atque Carniolæ Albertus Rudolphi filius uxoris Eliſabethæ Menardi Comitis Tyrolis filiæ intuitu conſecutus eſt? Quis deinde Burgundiam & illum Provinciarum ocellum ac delicias Belgium Habsburgiis Auſtriis addixit? nonne Maria Caroli Ducis Burgundiæ filia & unica hæres? Denique ſic Regnis Hiſpaniæ, ſic Siculo; ſic Neapolitano Sereniſſima Auſtria Domus potita eſt, ſic ſublimia Luſitaniæ ſceptra ad Indos uſque protendit, ſingulariter hoc Divina Sapientia, quæ omnia ſuaviter diſponit, providente, ut ad hoc admirandum humanæ Majeſtatis ac Potentiæ exemplar, ad quod a Deo potiſſimum in terris eſt conſtituta, non ingenio, non induſtria, non divitiis & opibus, non armis, non viribus humanis, ſed ſolius Dei benignitate ac voluntate, qui (1) ſiccavit lignum viride, & frondere fecit lignum aridum, evecta & exaltata eſſe videatur. Quare cum divinum ac cæleſte Numen hoc per connubium modo in amplificanda ac illuſtranda Habsburgica Auſtria Domo uſum eſſe videamus, conſentaneum etiam eſt, ut idem in eadem Familia primum in Germania plantanda eundem modum temuiſſe ſentiamus. Præterea etiam in libri tertii Epiſtola dedicatoria ad eundem modum mentem ſuam aperit his verbis: *De condito Caſtro Habsburg atque de Comitibus Vindoniſſenſibus plane aſſentior Stumpffio & Guillimanno, neque ulla mihi cum ipſis aut cum Chronico Murenſi ultra & infra Albertum Divitem controverſia eſt. In hoc ſolo controvertimur. Hunc ipſi Wernero ultimo Habsburgico natum, ego ex Perleonia ſtirpe oriundum, cum Werneri filia Comitatum Habsburgium accepiſſe affirmo.* Hucuſque tria illa Abbatis *Seifridi* loca præ cæteris lectu digna de *differentia* inter *veteres* Comites Habsburgenſes ex *Vindobonenſi* ſive *Altenburgica* Familia & *novos* Comites Habsburgenſes ex Gentis *Aniciæ* Familia *Perleonia*, ut & de *modo*, quo prioribus poſteriores in Comitatu Habsburgenſi ſucceſſerint. Contra *Gerardum* quoque *de Roo*, qui in principio Hiſtoriæ ſuæ Auſtriacæ *veterem* illam & veram traditionem de Principum Habsburgo-Auſtriacorum Origine *Romana* frigida admodum & jejuna calumnia *vulgarem quorundam hominum errorem* nuncupat, notabilis extat locus in eodem ſæpius jam laudato Abbatis *Seifridi* Opere, nempe libri primi capite quinto, quem, ut certas ob cauſas lectu digniſſimum, hic

(1) *Ezechiel cap. 17.*

hic exhibeo: *Liquido igitur*, inquit, *apparet*, (1) *Volaterranum non hujus ſententiæ primum fuiſſe auctorem, neque eam ab Italis confictam, ſed a Germanis multis ante literis conſignatam, eorumque teſtimoniis roboratam uſque ad tempora D. Maximiliani I. Imperatoris perduraſſe, donec Stabius, Trithemius ac alii emerſerunt, qui ob rationes ſupra enumeratas novam Habsburgiorum Auſtriorum commenti ſunt Genealogiam. Quare non poſſum non ſtomachari in Gerardum de Roo, qui hanc noſtram ſententiam* VULGI OPINIONEM *appellat, eamque hoc nomine ludibrio habet; cum tamen Sacræ Literæ communem populi vocem inſtar divini eſſe oraculi pronuntient. Immo ſi ſemper in animis hominum hæſit hæc opinio, & vulgi in ore verſata eſt, ex hoc illa maxime confirmari ac ſtabiliri debet. Non enim res Genealogicæ adeo captu difficiles & arduæ ſunt, ut ex intimis Sapientiæ penetralibus evocari debeant, ad quam non niſi magnis & perſpicacibus ingeniis patet acceſſus, ſed tota, ut diximus ex majorum traditione ac fide hiſtorica pendent, ad quam ſtabiliendam neſcio an quippiam efficacius afferri poſſit vetuſtiſſima vulgi opinione. Quanquam comparatione facta inter adverſariæ opinionis ſectatores & noſtræ ſententiæ auctores, quos modo recenſuimus, pluresque ſequenti capite referemus, ipſi potius quam hi vulgi nomine cenſendi erunt, quippe qui noſtris nec claritate generis, nec eruditione, nec fidei integritate ullo modo ſunt æquiparandi.* Hæc Abbas *Seifridus* contra *Gerardum de Roo.* Quod denique attinet ad *Gaſparis Sciopii* (2) Diſceptatiunculam, Conſtantiæ typis Joan. Georgii A. 1651. in 12mo impreſſam, qua Abbatis *Seifridi* eruditiſſimum de Genealogia Auſtriaca Opus malitioſe vellicare ac criminari auſus eſt, ea profecto indigniſſima eſt, ut ulla ejus habeatur ratio, quippe quæ nihil continet ſolidi, ſed meras ejuſmodi cavillationes ſcopticas & injurioſas, quibus is (3) tanquam extremæ malignitatis monſtrum maledicentiſſimos quoſque Momos, Zoilos & ſcurras longe ſuperat. Sed his in præſens miſſis, pergo ad Hiſtoriæ Auſtriacæ *Henrici Gundelfingii* Partem ſive Epitomen *tertiam.* Quoniam autem in ea non res narrantur antiquæ & aliunde deſcriptæ, ſed recentiores, & quas ipſe Autor non ſolum reſpectu *temporis*, verum etiam *patriæ* ſuæ & *loci*, ubi vixit, optime ſcire potuit, idcirco hic exhibeo integram, una cum ejuſdem *Henrici Gundelfingii* Appendice de *Succeſſione Comitum Teriolenſium.*

Tertium Epitoma, (4) tua complectens, Spectatiſſime Princeps, magnalia, tuæque dedicatum Serenitati.

Vtinam mihi a Deo immortali datum eſſet, ut prædignis laudibus tuis, Clariſſime Princeps, ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte, parem eloquentiam præſtare poſſem: Sed vereor, ne, ſi aliquid ſcribere incipiam, in Operis hujus medio mihi deſit ſcribendi

(1) *Sub finem libri vigeſimi tertii Commentariorum Vrbanorum.*

(2) *Vide Lib. 1. horum Commentar. de Auguſtiſſ. Bibliotheca Cæſ.*

(3) *Vid. R. F.* Alberti de Albertis *e Soc. Jeſu* Lydium lapidem Ingenii, ſpiritus ac morum Gaſparis Sciopii, *impreſſum Monachii typis Luc. Straubii A. 1649. in 12mo.*

(4) *Intelligitur* Sigiſmundus primus *ejus nominis Archidux Auſtriæ. Vid. ſupra Col. 730.*

bendi copia. Quod enim tantum flumen ingenii, quæ ſcribendi tanta vis, tanta copia, quæ enarrare, conſcribere, vel potius attingere, Fortiſſime Princeps, res tuas poſſit? Nam, ut (1) *Regiam tuam Genealogiam præteream, cujus excellentia, dignitas atque amplitudo, tanta eſt, ut modeſtius ſit de ea ſilere, quam tenuiter ſcribere: cum divina potius quædam res, quam humana videatur, tuæ Familiæ* (2) *nobilitatem exornare, quæ tot jam ſeculis inter tot nobiliſſimas, ſicuti prioribus in Epitomatibus non omiſi, antiquiſſimaſque totius Germaniæ Domos quaſi Sol quidam illuxit; ex qua jam quinque Romanorum Reges fuere,* (3) *Rudolfus, Alberchtus, Fridericus, Alberchtus, quos jam Fridericus Patruelis tuus ſequitur; & quæ tam multos habuit nobiliſſimos Viros atque omni laudum genere ornatiſſimos, qui diverſa Regna & Provincias, Bohemiæ, Vngariæ, Poloniæ, &c. vel ſingulari virtute compararunt, vel ab aliis relicta, incredibili ſapientia gubernarunt. Quis enim adeo omni genere ſcribendi cumulatus Chronographus reperiri, vel, ut, quod ſentio, dicam, excogitari poterit, qui divinas virtutes tuas, qui res præclariſſime geſtas, aliquo modo ne dicam, ſcribendi amplitudine, complecti poſſit? Nihilominus tamen tua magnalia, tametſi harum rerum expers ſim, aggrediar.*

Magna edepol ac ingens, Illuſtriſſime Princeps, liga, confœderatio ac concordia priſtini fœderis Civitatibus, ac Alpium vallibus conſentientibus anno Domini MCCCCLXXIV. per (4) *Te originata eſt, Salvatoris accuratius viam imitatum, inquientis: Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur, & ſi domus adverſus domum, quomodo ſtare poterit? Et hoc experientia monſtrat. Roma namque univerſo Orbi imperavit & dominata eſt; ſed civilis, & plusquam civilis diſcordia Rem illam publicam funditus evertit & annihilavit, juxta illud Saluſtiamm dogma, quod quidem ſemper inſederat animo tuo, conſiderando non exercitus neque theſauros, præſidia tui Potentatus eſſe, ſed amicos, eoſque non armis cogi, vel pecunia parari, ſed officio & fide; &, quæ in eandem ſententiam ſequuntur, concorditer vivendum eſſe: concordia enim parvas res creſcere, diſcordia maximas dilabi. Cumque ob hujuſce amicitiæ, concordiæ ac concivilitatis robur ac firmitatem, tuis Te concivibus coram oſtenderes in tenebroſæ ſylvæ loco,* (5) *qui*

(1) Regiam *vocat Genealogiam propter* quinque *Imperatores Romanorum uſque ad illum diem inde oriundos, quos paulo poſt nominatim enumerat.*

(2) *Alludit his verbis ad Gentem* Aniciam *& Familiam* Perleoniam, *ex quibus, ut ſupra demonſtratum eſt, Principes Habsburgo-Auſtriaci oriundi ſunt.*

(3) *Intelliguntur Imperatores Romanorum* Rudolphus I, Albertus I, Fridericus III *cognomine* Pulcher, Albertus II, & Fridericus V. *Imp. Maximiliani I. pater.*

(4) *Vide* Philip. Cominæi *Hiſtor. lib. 5. cap. 1. ubi ſcribit, fœdus illud conſilio inſtinctuque Regis Galliæ* Ludovici XI. *mitum eſſe. Ipſa ejus verba ſunt hæc;* Se fit ladite alliance per la conduite du Roy, & à ſon pourchas, & à ſes deſpens. *Vnde patet Archiducem* Sigismundum *fœdus illud contra Ducem Burgundiæ* Carolum Pugnacem *cum* Helvetiis *percuſſiſſe ſolicitatu potiſſimum & inſtigatione jam memorati Regis Galliæ. De eodem fœdere conſulendus eſt Franciſcus Guillimannus libro quinto de Reb. Helvetior., cap. 1. Vid. etiam ſupra Col. 731. & 732.*

(5) *Intelligitur celeberrimum Helvetiæ Cœnobium, quod germanicæ vocatur* Einſidlen in Finſtrenwald. *Vide de eo Stumpff. Hiſtor. Helvet. lib. 6. cap. 21.*

qui Eremitarum dicitur, (1) *Thu-*
ricenſique Civitate, aliiſque in locis,
quanta cum gloria tuis a Confœderatis
ſuſceptus fueris, mihi inexplicabile
erit; ſed magna lætitia perfruebantur
univerſi Confœderati tui, tantis gau-
diis exultabant, tanta in voluptate
verſabantur, ut eorum etiam vultus,
facies, oculi Serenitati Tuæ, & pro
immortali eorum dignitate ac gloria
gratulari, & pro ſingulari decore at-
que ornamento, quod eis ſuorumque
civibus ac locis aliis, Tuæ ornatiſſimæ
Magnificentiæ præſentia tunc allatum
contemplabantur, grates agere viderentur. Ecaſtor dies jucundiſſimus in quo tale firmatum fuit fœdus, jucundiſſimus, inquam, hic ille dies fuit, unde (2) *annis jam certis in gyrum revolutis, tot bona, tot res ſecundas atque felices, liberamque vivendi facultatem Tuæ Serenitati ac tuis peperiſti concivibus. O diem itaque fauſtum atque felicem, nulla unquam poſteritate vel temporis diuturnitate delendum! O lucem optatiſſimam, longe a nobis omnibus expectatam! aurea unde libertas, quæ diu ſepulta latuerat, omnium conſervatrix adjutrixque bonorum emicuit, unde noſtris firma ſalus liberis, unde demum perpetua tuo Dominatui incolumitas mirabiliter emanavit. Si Romani veteres lugubre anniverſarium variorum ludorum genere, ſi* (3) *Quinquatria, qui dies nihil prorſus ſuavitatis habebant, honoratiſſime coluerunt, nos quanto univerſi hanc lucem accuratius perpetuo celebrandam, ſummaque feſtivitate agendam duximus, quæ ex tenebris ad lucem, ex ſervitute ad libertatem, ex mœrore ad lætitiam nos liberoſque noſtros atque caras conjuges evocavit. Eapropter huic animitiæ ac fœderi conſenſum non ab re Tua præbuit Magnificentia, ut multorum amicitiam, quæ, teſte Tullio, omnibus rebus anteponenda eſt, acquireres, pacem reformares, libertatem redderes, & ut amando amorem quæreres, Caroli Burgundionum Principis Tyrannidem ac perfidiam refrænares; cujus proverbium hoc fuit: Extorqueamus a Barbaris pecunias, omnem pretioſam ſubſtantiam rapiamus, implebimus domos noſtras ſpoliis; ſortem ergo mittamus, marſupium ſit unum omnium noſtrum;* (4) *Parabolarum primo. Sed longe aliter, Sereniſſime Princeps, Deo favente evenit. Tanquam dimiſſus ab alto, accurrens, & Domui Auſtriæ atque Terræ noſtri Fœderis jam ruinam minanti, tuos appoſuiſti humeros, ita ut ipſius hoſtis ſpoliis, tametſi non Domum tuam impleveris, tuorum tamen Fœderatorum ac concivium domos impleveris ac ditaveris, ſolitumque nihilominus morem ſervando, largitati indulſeris. Cui enim naturalis ineſt largitio cum probitate, licet ad tempus indigeat, nullatenus tamen ei paupertas continua nocet. Commovebat enimvero Te, ut Burgundiones inquietares, rectitudo ac juſtitia, quando impius inviſuſque Carolus fidem Tibi dedignatus eſt tenere, quibus de rebus tuorum ſanguinem vindicare conaris. Arduo nimirum milite, veluti Principis Magnificentia requirit, Burgundionum terras intraſti, eorum civitates ac oppida ocyus obſidere, undique igne, ferro, milite invadere, Ellen-*

gurt

(1) Thuricenſis *civitas eadem hic eſt atque* Tigurina *ſive* Tigurum, *vulgo* Zürch.

(2) *Nempe* duobus.

(3) *De hiſce Quinquatribus Minervæ ſacris vide Ovid. Faſtor. lib. 3. & Roſin. Antiquit. Rom. lib. 4. cap. 4.*

(4) *Proverb. Salomon. cap. 1. verſ. 13. & 14.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gurt videlicet, Blamont, Gramont, Orbe, Lile, Junge, aliaque plura ſolo coæquare præcepiſti, ac ferme totam Dominorum de Bello-monte terram nactus, magnam cædem circa Ellengurt ipſis hoſtibus anno MCCCC LXXIV. Dominica proxima poſt Martini intuliſti. Ceciderunt namque ex Burgundionibus eo die duorum pugnatorum millia: Prætereo cæteras invaſiones; ubi nonnulli capti, alii trucidati ſunt, cæteri ſtupefacti, relicto campo fugam fecere, & qui modo leonina feritate fulminabant, tunc timido corde fugientes, aliquando occulta nemorum, aliquando montes & cavernas montium petebant, ut vivendi ſpatium haberent; quos tuos per Confœderatos inſequi non ceſſaviſti, donec nox ſingulos ab armis ad quietem invitavit; ſemperque Serenitati Tuæ hoc in (1) Gallico bello victoriæ gloria, Numinibus faventibus, arriſit. Neque latet, Illuſtriſſime Princeps, quantas impenſas, Comitatum (2) Gurcinum, alioſque Chriſticolas cruce ſignatos ac fide armatos defenſando, eouſque habueris, ubi non minimam tibi quæſiviſti laudem ac gloriam. Neque latet quanta corporis celeritate ac fortitudine clarueris. Inceſſu enim celer es, ingenio promptus & manu, ad omnia Gymnicorum ludorum genera, ad curſum, ſaltum, jactum, pondere videlicet librato lapides jacere aptus, ad omniaque agonum genera aptior, nihilque cauſæ habes Magnificentiſſime Princeps, unde fortunam accuſes, quæ tibi corporis & animæ dona condiviſit omnia; & præſertim cum hanc tuam (3) Atheſin Tibi Majoribuſque tuis hæc ipſa (4) hera, quæ paucos admittit, gubernare commiſit. Atheſin dico niveis montibus inſignem, urbibus & populis præcelebrem, divitiis atque ubere glebæ fœcundam, Cœlos moribus & fama tangentem. O Atheſis tibi & filiis tuis, qui in te ſunt, adſcribitur illud Pſalmi LXVII: (5) Nive dealbabuntur in Selmon: Mons Dei, mons pinguis; mons coagulatus mons pinguis. Ut quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Et hoc ſatis ad literam claret. Moralitatem videamus. Selmon enim dicit S. Hieronymus interpretatur pax, vel ſenſus, vel fortis imago, aut virtutis umbraculum. O Atheſis; tu pacis alumna, tu ſenſus amica, tu fortitudinis brachium, tu virtutis ſpeculum, tu ſecuritatis clypeus, tu domicilium humanitatis, tu culmen Nobilitatis, tu Religionis ſubſidium. Mons pinguis merito diceris ob inexhauſtæ argenti aurive mineræ (6) inventionem, qua præ aliis hujuſce terræ Majoribus ac Principibus Divino Numine fauſtius Principis tui Sigiſmundi Potentatui arridente, dotata es. Ubi montes

(1) Gallicum *bellum improprie pro* Burgundico.
(2) *Videtur ſignificari Comitatus* Goritiæ, *vulgo* Görtz. *Diverſus autem ab hoc eſt Epiſcopatu* Gurcenſis, *vulgo* Gurck.
(3) Atheſis *fœminino genere improprie & minus recte hic uſurpatur pro parte Comitatus Teriolenſis* Atheſina *ſive ad* Atheſin *fluvium, vulgo* die Etſch, *ſita, quæ Germanice appellatur* das Etſchland.
(4) *Nempe* Fortuna.
(5) *Verſu 15, 16, 17.*
(6) *Intelligenda ſine dubio eſt inventio metallorum* Suacenſium *principio guvernationis Archiducis* Sigiſmundi *nempe A.C. 1448, propter quorum ubertatem is merito cognominatus eſt* Opulentus. *Ea autem non ſunt ad* Atheſin *fluvium, ſed ad* Oenum.

tes (1) *nativi ſalis, in quibus ferro cæditur ut lapis, renaſcens majus tanta alicubi duritie, ut muros domoſque maſſis ſalis facere poſſent. Eapropter hæc ipſa Atheſis, quaſi ſedula pecuniarum nutrix prædives, toti Superiori Alemanniæ pecuniam ſufficientem ſubminiſtrat, ac ſal, dulce quoddam condimentum, uberius largitur; montes quoque pingues ad occupationes venationeſque aptiſſimos. Itaque ſive rapaci ave, ſive mordaci cane, ſive plagis, ſive venabulo, ſive urſa denique ſive feris, ſive canibus, ſive piſcibus delecteris, vicini montes, conjuncti colles, ſubjecta planities, præfluens annis, videlicet Atheſis, affatim omne genus prædæ Tibi largiter ſubminiſtrant. Eſt denique Atheſis pro aſſumenda deambulatione Provincia* (2) *amœniſſima. Ibi inter flaventes ſegetes, & amœna vireta, ramoſque fœcunditate incurvos, ad ipſum amnem,* (3) *ut ita dicam, Atheſin, alii cantant, jocantur alii, alii obſonium conferunt, denique alii inter ſe luctantur lacertoſi, qui deambulandi ac placendi gratia conveniunt. Quos omnes; Integerrime Princeps, violentia majoris roboris ac agilitatis* (4) *proſtrare, & graviſſimo caſu ad terram dejicere, uberemque ridendi materiam aliis præbere ſolitus es. Atheſis Caſtellis eſt referta, quæ a Nobilibus tenentur. Ut igitur viatores paulo plures numero conſpicantur, cum illi Caſtellis ſubſunt, repente ex Arcibus cornua ſonant, & quam maxima fieri poteſt multitudo hominum ex mœnibus & propugnaculis clamorem extollunt hoſtilem, ut dicitur, & rauco crepuerunt cornua cantu. Neque latet, Potentiſſime Princeps, quanta ſemper Fides, Religio, Integritas tua; qui Clerum omnem religioſiſſime coluiſti, qui Religionis amator & Juſtitiæ cultor ſemper fuiſti; cujus Humanitas; Clementia, Benignitas, Fortitudo tanta eſt, ut merito Te omnes veluti Divinum quendam hominem diligant obſervent, colant, adorent, venerentur.*

Bellum adverſus Burgundiones circa (5) *Granſu geſtum.*

Inſignem hanc victoriam, Clariſſime Dux, quam adverſus Carolum Burgundionum Principem, ejuſque complices ex bello circa Granſu (6) *Sabaudiæ oppidum felicibus auſpiciis ſecunda die Martii anno Domini M CCCCLXXVI. una tuis cum concivibus adeptus conſecutuſque es, hanc ſcribendo ordine ad Te ſcribo. Quantum enimvero Prudentia, Fortitudine, Magnificentia, Benignitate, Clementia, rebus denique per totam Superiorem Alemanniam geſtis cunctos antecellas, omnibus ferme notum eſt. Qui cum verum Principantis officium* (7) *duobus maxime capitibus, Sereniſſime Princeps, contineri animadvertis, dum alterum totis viribus complexus es, alterum minime negligendum putas, adeo ut difficile cognitu ſit, in quonam magis excelleris. Primum equidem hoc eſt, ut hi, qui Juriſdictioni ac poteſtati tuæ ſubditi ſunt, pace,*

(1) *Vide lib. 1. hortum Commentar. de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea, ubi agitur de* Salisfodinis Hallenſibus *ad* Oenum.

(2) *Hinc* Virgilius *lib. 9. Æneidos: Sive Padi ripis. Atheſin ſeu propter* amœnum.

(3) *Hinc patet, ipſum falſo credidiſſe, non* fluvium, *ſed* regionem *appellandam eſſe* Atheſin.

(4) Proſtrare *pro* proſternere.

(5) Graſee *in Wiflisburgergow. Vide Joannem Stumpff. Chronic. Helvet. lib. 8. c. 14. Philippus Cominæus Hiſt. lib. 5. cap. 11. ubi de eodem prælio agit, vocat eam urbem* Granſon.

(6) *In ipſo Codice MSto pro* Sabaudiæ *legitur* Sabaugiæ.

(7) *Nempe pro duplici tempore* pacis & belli. *Vide Imp. Juſtiniani Proœm. in Inſtitut.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ce, tranquillitate & gaudio potiantur & quam beatissimi sint, rerum denique suarum plena libertate fruantur. Hoc medius fidius recti regiminis officium est, magis clementia, benevolentia & amplissimis in subditos beneficiis, quam timore ac crudelitate suæ Dominationis fundamenta firmare, ne dum populis ac civibus alio pacto imperitare conaris, Tete in magnum vitæ discrimen involvas, neque te ab adversariorum insidiis usque tutum esse cognoscas, quemadmodum me audivisse commemoro de Carolo (2) Comatæ Galliæ Duce, qui tyrannica cum lege suis dominari nititur, omnium injuriam timens, maximo semper milite stipatus, in Ecclesiam etiam, quæ orationis & pacis locus est, incedit, in hoc (2) Dionysium Siciliæ Tyrannum imitando, cujus doctrinam a teneris imbibit annis; qui cultros metuens tonsorios, candente carbone, sibi adurebat capillum. Secundum est, ut hostiles impetus atque inimicorum injurias longe a tuis finibus repellas. Quid prodesset domi multa comparasse, nisi comparata conservares, & ab hostili impetu, ferro, militibus ac vitæ discrimine custodires? Hoc instituto, hoc consilio, hac denique auctoritate ductus, tanquam nostræ Confœderationis Concivilitatisque Caput ac Jubar, adversus immanem hostem Carolum, amplissimo procinctu, quinquaginta armipotentium millibus & omni telorum genere instructo, qualem raro nostra viderunt secula, & varius est visura posteritas, Gransu oppidum Sabaudiæ, nudius a tuis concivibus arduis armis quæsitum, obsidentem, & arietibus, cuniculis, machinis petrariis, aliisque diversis missilium generibus coarctantem, tuis cùm Confœderatis delectum movisti militem. Nonnulli vero tuorum concivium, ad oppidi hujusmodi defensionem ferme quingenti ab intus deputati, mori non formidantes, pro pellibus eorum solliciti, Burgundionibus viriliter restiterunt; famis tamen inedia demum angustiati, ut jam vitæ spes aut fugæ ipsis supereesset nulla, pacificum oppidi exitum, quem prius repulerant, animo susceperunt grato, quem equidem perfidus hostis gratiæ Sacramento fulcivit, & firmata fide ratum esse novit, hæc ipsaque pacis fides nihilominus, exiguo temporis spatio interjecto, cum jam libere abeundi dies advenisset, & concives tui per medium Burgundionum exercitum oppido cedere vellent, violata est. Tuos enim Confœderatos, ad prædicti oppidi munimentum delectos, hostis atrocissimus comprehendens, miserabili cruciatu discerpsit, crucibus furcisque adjudicavit. O lamentabile tormentum! O mœsta tristitia! Data fidei juramenta violantur, pax infringitur. Hæc est illius Principis militia, qui leone est deterior. Is enim tametsi invadat erectos, prostratis tamen parcit, juxta Poëtam: Parcere prostratis & debellare superbos; & juxta alium: Parcere prostratis novit ira leonis. Dum hæc itaque aguntur, exercitus tuus, Princeps Spectatissime, ad lapidem ferme ab oppido Gransu castrametatus, audiens suos furcis adjudicatos, ira

(1) *Synecdoche totius pro parte. Gallia enim* Comata *complectitur totam* Aquitanicam, Celticam & Belgicam.

(2) *Vide Plutarch. in Dione, Ciceron. lib. 5. Tusculanar. Quæst. & lib. 2. Offic. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 14.*

ira non ab re incanduit & efferbuit, & in ſuorum vindictam caſtris Burgundionum ſeſe approximavit: primo ſe dividens, ſed tandem unitus, orationis ſeſe prius fulcimento genibus affuſus præmunivit, Cunctipotenti ſeſe Deo commendans, cujus Potentatu bella geruntur, ejuſque miſericordiam omni devotione invocans; mox dehinc adverſum hoſtes conſurgens. Quem, dum vidit Burgundio immanis, ſtridet, clamat, & more lupi ululat, qui ſic adverſarios terrere ac pavitare autumat, tuorum exercitum deſpectui habens, in eoque congreſſu eundem intercludere attentans adeo ut noſtrorum iter præripere niteretur; verum procax fortuna ratione potentior omni, ſuum diffudit conſilium, quæque ſola gravata levat, & tuta tuetur, ſparſas tuorum concivium recollegit alas, noſtrumque fulminare exercitum in Burgundiones hæc ipſa hera adeo ammonuit, ut omnes uno clamore aſſentirent, parati mortem prius recipere, quam viventibus ipſis campum fugiendo relinquere. Fraxineis ipſorum lanceis in tantum reſtiterunt, ut armorum fragor & ſtrages bellica tympanorum ac lituum clangorem vinceret, ſagittæq; hoſtium aſtra obnubilarent, & miſſilium, a pixidibus aliisque bellicis inſtrumentis emiſſorum, frequens nimbus aërem obtegeret: Gallorumq; umbones diſſipantes, quibus Gallica inflatio ac bulla reſplenduit, & hoſtium thoraces pixidibus diſſarcientes, vulnera eis lethalia inflixerunt, ita ut cruor manans largis vulneribus arva purpuraverit, potioribus Burgundionum Vaſallis, duobus videlicet Comitibus, ut creditur, quadringentiſque plebeis inibi relictis ac trucidatis. Tandem tuorum impetum Almaniæ hoſtis ſuſtinere non valens, nec ſuſtinens ultra ferre aciem, tanquam degener profugus terga vertit, & caſtrorum & papiliorum compedia elegit, in proximas Civitates & Gebennas & Lauſannam ſeſe recepit. Quem concives tui, Princeps Oculatiſſime, per caſtrorum medium trucidantes inſequuntur hoſtium tentoria omnibus gazis, victualibus, diverſorum telorum generibus, quadringentiſque pixidibus referta obtinentes, &, quod dignum memoratu eſt, Curuli ſede ac Cathedra argentea auro obrizo pluris æſtimationis exornata, (1) pateriſque aureis & argentis, aliiſque clenodiis, pecuniarum copiis, veſtibus lacernatis, milleque curribus falcatis & onerariis, ſub ſexingentorum millium florenorum ſummaria taxa complexis, inibi relictis, acquiſitis. Tanti profecto hoſtis, qui & Romanum Imperium inquietavit, & Galliam domuit omnem, paucis pugnatorum millibus victores Confœderati Tui, ad caſtrorum gazas & rapienda prædæ munera properarunt. Ibi eſuriens reperit refectionem, ſitiens potum, nudus operimentum, debilis refocillationem, laſſus requiem. Illic unuſquiſque ſuæ indulſit voluptati, & partiti ſunt æquis partibus opes partas, quarum ingentiorem copiam ætas noſtra aliquo in bello parari non viderat. O quam bellicoſa eſt tua Alpium Natio, potens viribus & terris? quæ in Gallorum Helvetiorum Comatæ Galliæ genus adeo effera ſemper fuit, ut ipſorum provinciam pæne ſubjecerit totam, & ut in eorum capita conjuraſſe cre-

(1) *De his cladis Burgundicæ* reliquiis *quarum præcipuam partem Dominus* Jacobus Fuggerus *a* Bernenſibus *emit* quadraginta ſeptem millibus florenorum, *agetur infra ſeperatim. Hic enim anguſtia loci id non patitur.*

credendum sit, cum nullum incommodum, nullas mortes reformidet Gens tua, capitalioremque esse inimicitiam inter eos, quam inter lupum & ovem autumem; quorum membris adeo affixum esse odium Summus Albertus testatur, ut si ex utriusque cordulis citharam composueris, nunquam melodiam ac suavem quandam harmoniam resonare valeat. Magnificentissime Princeps, habes tantæ rei ordinem, quem si mature animadvertere curaveris, divinum potius, quam humanum judicabis. Neque velim ad hæc inania verba conspicias, sed ad ipsius pugnæ magnitudinem; longe enim inferior est hisce rebus conscriptio mea.

De Pugna Sedunensi.

Præclaram (1) *Sedunensium pugnam adversus Ligures, Longobardos & Neapolitanos Burgundionum complices, Præclarissime Princeps, Tibi scriptitare non omittendum duxi. Qui ubi Comatæ Galliæ senserunt vastationem ac interitum, gelidas proficiscuntur Alpes, Carolo Burgundionum Duci opitulari intentantes; motis signis, Appenninum petunt montem, qui alias Jovis vel Bernhardi dicitur, per Sessonum, id est Sedunensium terram, Intramontanam dictam, Gallis Togatis Comatisque inimicam, quam nuper Sessones illi arduis quæsierant armis, iter arripientes, & hanc ipsam terram ferro, igne aliisque irruptionibus arcere cupientes, triginta ex Sessonibus, ad viarum excubias deputatos, trucidarunt. Eam ob causam Sessones collecto robore suarum vallium ob defensionem suorum ac vindictam, anno Domini MCCCCLXXVI. d. XVII. mensis Aprilis, illis cum Liguribus congredi ausi sunt, ipsorum aciem adeo dirimentes, ut montium prærupta compendia, saltus & ardua rupis peterent, fugæque præsidium quærerent, incerti, quæ tuta petant & quæ metuenda relinquant. Quos Sessones, per saxa & invia raptim iter quærendo, adusque Bernhardi hospitale insecuti, mille ferme equitibus per talia discrimina præcipitatis ac trucidatis, immensisque gazis inibi quæsitis, & potioribus captivatis, ad propria cum trophæo remearunt.*

Bellum circa (2) *Murretum alias Murten adversus Burgundiones.*

Ea (3) *tempestate, XIII. die mensis Junii, qui de juvenum nomine nomen accepit, a quo vitis habet quod floreat, uva propinat quod autumnus bibat, & quod tibi bruma reservet, & cum tumet in messem arida seges, Soleque tenente medium taurum, Carolus sæpe nominatus Alpium hostis truculentus, tyrannidi suæ adeo usque finem imponere non autumans, ex omnibus Galliæ & Italiæ visceribus sexaginta armipotentium millia delegens, tuorum Fœderatorum terram, Illustrissime Princeps, irrumpens, Murretum usque venit, idque Sabaudiæ*

(1) Sedunenses *seu potius* Seduni, *qui hic corrupte* Sessones *appellantur, inhabitant eam Helvetiæ partem, quæ* Vallesia superior *dicitur. Vrbs autem Episcopalis* Sedunum *vocatur ab Italis corrupte* Seon *vel* Sion, *& Germanice* Sitten. *Vid. Stumpff. Chronic. Helvet. Jos. Simlerum de Rep. Helvetiorum & Vallesia, & Franc. Guilliman. de rebus Helvet. lib. 4. cap. 3.*

(2) Murten *im Wiflisburgergow Vid. Joannem Stumpff. Chronic. Helvet. lib. 8. cap. 18. Philip. Cominæus Hist. suæ lib. 5. cap. 3. ubi de eodem prælio agit, vocat eam urbem* Morat.

(3) *Nempe A. 1476.*

diæ oppidum obsidione vallavit, & nostros ferme MD pro oppidi defensione delectos arcere, furciſque, ut ejus consuevit truculentia, adjudicare cupiens, per multos oppidanis inferens insultus, oppidi muros acriter impetere cæpit, adeoque impegit, ut oppidani subsidii & opitulationis beneficium expeterent. Profecto Bernenses omni cum vigilantia Fœderatorum sociorum omnium opitulamen implorantes, Te etiam Principem fidelissimum, Concivilitatis nostræ tanquam Jubar, non ab re impulsarunt; ubi nisi Te, ut confœderationis hujusce anchoram ostendisses, hæc ipsa Burgundionum irruptio nihil conducibilitatis nobis attulisset. Galeatis enim armipotentibus delectissimis octingentis, duobus cum pedestrium millibus, quos Bernam versus misisti, tuam non dedignatus es ostendere fidelitatem. (1) Belgicæ vero Galliæ, id est Lotharingiæ Dux Serenissimus Richardus, Fœderis nostri non immemor, sese septuaginta cum equitibus, sicuti fidei Princeps, coram ostendit. Itaque tuorum exercitus jam jam coadunatus, triginta millium pugnatorum numero completus, vigesima secunda die mensis ejusdem mane, cum Sol stillaret Eous roriflua lampade, Murretum versus iter accelerans, pernicibus gressibus pavidum prævertere Burgundionem, obviusque ire Gallis parat; hunc ipsum Carolum Alpium hostem bello petit, commissoque prælio, (2) Militares tui, Militiæ insignibus ac sacramentis (3) a Balivo tuo Osualdo Comite de Tierstein insigniti, laxis habenis, veluti fortissimi tyrones, imparibus concurrere viribus hosti æstuantes, primi in acie cornipedes stimulant, jamque sonus, strepitus & armorum fragor utrinque audiri cœperat, lituumque sonitibus valles respondebant, ictusque aer fragoribus per Echo strepitum ingeminabat. Quos adesse videntes Burgundiones, armorum luce & splendore fulgentes, & in ipsorum millibus confisi, in campi planitie nostris atrociter obviarunt, bellique ingruit horror, ut utrinque caderent. Debinc discursantibus hac illacque Burgundionibus, tuis autem, Clarissime Princeps, ob antiquæ fortitudinis geminam virtutem viriliter dimicantibus, & sedecim millibus (4) Gallorum cæsis in campoque relictis, cæteri versis in pectora dorsis ac vultibus una cum Principe ipsorum degenere, quo unicuique locus dabatur, turpissimam fugam rapuere. Plures fugæ terga mandantes, per vicini laci gurgitem gradum rapientes, quatiuntur & absorbentur, juxta illud: Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Nostri vero per duos lapides insequi non cessantes, multos extinxerunt, & ad hostium papiliones reversi, opulentiorem quam circa (5) Grandson prædam nacti, Burgundionumque pluris existimationis exuviis ditati, ingenti cum trophæo ibidem tribus diebus, sicuti bellantium mos est, feriati sunt. Centum duntaxat ex nostris, ut creditur, tru-

(1) *Synecdoche totius pro parte.*

(2) Militares Ritterliche *vel* Rittermäſſige Perſonen Militia *enim sic passim a mediæ ætatis scriptoribus usurpatur pro* Ordine Equeſtri. *Vide supra Col. 75. in nota.*

(3) Balivus *seu potius* Baillivus, *vulgo* Baillif, a bailler, *hoc est tradere vel committere, significat hic* Commiſſarium *vel* Vicarium. *Vide Spelmanni & Vossii Glossaria, & Ægid. Menagium de Originibus linguæ Gallicæ.*

(4) *Hoc est* Burgundionum.

(5) Granſee *vel* Granſon. *Vide supra Col. 800 ubi legitur* Granſu.

trucidati sunt, plures tamen vulneribus sunt afflicti. Postridie Lotharingiæ Dux Clarissimus, assumptis secum tuis galeatis, Serenissime Princeps octingentis, decem cum peditum millibus, ex toto fœderatorum procinctu delectis, cæteris demum revertentibus, Helvetiorum Civitates Lausannam, aliaque Sabaudiensium oppida ac Castra fere (1) *Gebennas usque, cana in rupe pendentes, hostes insequendo perdere nititur, juxta* (2) *Lucanum lib. 1.*

Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Primo ad munitissima Helvetiorum (3) *oppida Reymont sive Rotubdum montem, alias Regis montem, Milden, Paterniacum, olim Päterlingen, Lausannamque celeriuscule iter convertunt; quas mehercule munitiones, pretiosioribus gazis ablatis, virisque muri abrupta tuentibus pæne vacuas invenere, cum omnes præ timore ex eis effugerint, hasceque Laci Lemanni munitiones præter Lausannam, quam duntaxat spoliarunt, ferro, milite, igne vastare, evertere, evellere, soloque penitus coæquare non formidarunt, fuitque ecastor magnus planctus prædicta in terra factus & flebile murmur, adeo ut femineus clamor aurea sidera personaret; ab eaque parte nostri prædictis oppidis ignem subjecerunt, qua magis ventorum spiritus incubuit, omnibus exuviis manubiisque inibi relictis, depopulatis ac adeptis; totaque nihilominus Sabaudiensium Laci Lemanni terra, quæ jam Fœderatorum nostrorum anchoris post plurima bellorum pericula ac discrimina hæret, obtenta, quæsita, nacta, ad propria duplici cum triumpho remearunt; ejus, inquam, laci Lemanni, a quo non ab re* (4) *Alemania vocitatur, juxta Lucanum: Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno. O immense Deus, fortissime adjutor!* (5)

O stelliferi Conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio,
Rapido Cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis;
Qui frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviori mora;
Qui cum fervida venerit æstas,
Agiles noctis dividis horas;
Cujus vis varium temperat annum!

O Protector clementissime! quo Duce, quo percutiente, quo feriente tanta bellan-

(1) *Immo* Genevam.

(2) *Per* Gebenas *non intelligit hoc versu* Lucanus, *ut falso* Henricus Gundelfingius *credidit* Genevam, *ad lacum Lemannum & ex eo prorumpentem Rhodanum sitam urbem, sed oppidum Galliæ* Cevennes *ad radices montis* Gebennæ, *qui diversis insignitus nominibus, inter* Rhodannum & Garumnam *in longam maxime extenditur. Eodem errore etiam in Thesauro linguæ Latinæ* Roberti Stephani Gebenna *cum* Geneva *perperam confunditur.*

(3) *De hisce oppidis, vide Joannis Stumpffi Chronic. Helvet. lib. 8. cap. 16.*

(4) *De* Alemannorum *proprie dictorum origine, sedibus & ratione nominis vide* Philipp. Cluverii *Germaniam antiquam lib. 3. cap. 4. ubi* Taciti, Agathiæ *aliorumque veterum probatissimorum Autorum testimoniis demonstrat, antiquissimos istos* Alemannos *seu potius* Allemannos *non fuisse origine* Germanos, *sed homines* miscellaneos, *ex compluribus* Galliæ *nationibus in unum corpus congressos, qui ex* Gallia *transmigrarunt in* Germaniam & *inter* Rhenum, Mœnum, Danubium & Hermundurorum *confinium sedem occuparunt, quam* Marcomanni, Harudes & Sedusii, *a* Rheni *ripa in* Bojohæmum *profecti, vacuam reliquerant. Appellati sunt* Allemanni *ab* all & mann, *quasi multitudo hominum undique collecta.*

(5) *Boëth. de Consolat. Philosoph. lib. 1. metr. 5.*

bellantium multitudo obtereretur, nisi forti tua dextera quatereturʔ Tu enim hostes nobis subjecisti & gentes nostris sub pedibus; alioquin totus ferme Imperii Romani Potentatus, si adfuisset, vix illos fugere coëgisset. Memento, Princeps Victoriosissime: magnalia enim fecit Dominus tecum; nulli enim Principi in tam exiguo tempore tot arduorum bellorum contulit victoriam, quantam tibi cum disparibus mirifice concessit, ex quo adversus Burgundiones bellum cœperas, quæ si accuratius inspexeris, potius Divina, quam humana judicabis.

Contra rerum mutabilium calamitatem Exclamatio.

Omnis homo capax adhoc rationis est, Spectatissime Princeps, ut auctorem suum cognoscat, factaque sua cœco corde non transeat, surdis auribus non audiat; denique ad hoc creatum hominem esse, forma quoque corporis, non in modum cæterorum animantium declivis, sed Cœlum respiciendo sublimis probat, juxta Metamorphoseos principium:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, Cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Eapropter Potentatuum mutabilitatem, Dei bonitate ordinatam, bene animadvertamus, nec duritiei id, sed Dei bonitati & misericordiæ adscriba-

A *mus; qui, ut sui amorem, permanentemque in Cœlo mansionem nos vocaret, hanc Potentatuum mutabilitatem tyrannidemque hominibus inesse voluit. Ecce, Princeps Excellentissime, Burgundiæ Dux, leonina olim immanitate ac tyrannide prærabidus, qui totius fere Galliæ victor, tum portas æreas, vectesque ferreos confregit; tum Christianissimi Regis Franciæ dorsum vertit, quique teneris ab annis humanum sanguinem avara siti concupivit, &* B *Alexandri Macedonis,* (1) *Arturique Britonum Regis, quorum discipulum sese fatetur, gesta, magnalia, rudimentaque militaria sibi usurpare, ascribere, &, ut ita dicam, vendicare voluit, jam leporina timiditate fugaque, bellis terga vertendo, dedecori serviri didicit, ejusque* (2) *fides in metum conversa est. Nihilominus tamen eorum sese* (3) *militiæ non sine injuria adscribit, qui, ut ait Justinus, cum nullo hostium unquam congressi sunt, quem non* C *vincerent, nullam urbem obsederunt, quam non expugnarent, nullam gentem adierunt, quam non calcarent. Vigilantiori enim magisque irrigua, ut creditur, aure, quam hic noster Gallus, militarem prudentiam, moresque honestos, cordis thalamo impegerant. Etsi ergo DEVS hujuscemodi Potentatus mutabilitates fieri permittit, sine odio tamen vel invidia id provenire, non solum ex hoc, quod ab optimo, juxta Platonem, longe invidia relegetur, sed & per hoc, quod Auctor & Creator omnium, nihil eorum, quæ fecit,* (4) *odire potest, innuitur. Non enim ex ira, quia cum tranquilitate judi-*

(1) *Vide* Galfridi Monumetensis *Historiam Britannicam, cujus supra facta est mentio Col. 734.*
(2) Fides *pro* fiducia sui.
(3) Militia *pro* Ordine Equestri, *ut supra Col. 75. in nota.*
(4) Odire *pro* odisse. *Vid. Voss. de Vitiis Sermonis lib. 4. cap. 30.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

judicat juſto judicio cauſaque; quæ et-
ſi nos lateat, utiliſſima tamen credi-
tur. Nullum enim malum Auctor bo-
nitatis & Fons pietatis fieri permitte-
re credendus eſt, præter id, quod,
quamvis in ſe ipſo noceat, Univerſita-
ti prodeſt; quod in malo Judaicæ gen-
tis conſiderari poteſt, quia, primo ex-
cæcato eo populo, Univerſitas gentium
lumen veritatis accepit. Sic & Prin-
cipantium mutationes, & ad ultima
tyrannorum gubernamina quis fructus
ſequatur, quia non ſine gravi ſcandalo
dicere poſſem, Deo, apud quem nihil
imutiliter effluere poteſt, relinquam.
Attamen apud populum ideo tyrannos
eſſe arbitror, quia in lege pluſcula ſunt
ſupplicia. Quando igitur in Civitati-
bus, Illuſtriſſime Princeps, adeo bo-
mines abundant, ſicuti a Philone com-
pendioſius ſumpſi, ut nulla legum re-
verentia ſit, tunc Deus, ut vitia re-
pellat, & ad virtutem homines con-
vertat, crudelibus atque tyrannicis
viris potentiam præbet. Vitiorum
enim cumulus ſine crudelitate mundari
non poteſt: ſed quemadmodum publica-
rum rerum vindices ad homicidas, pro-
ditores & ſacrilegos interficiendos pu-
blice aluntur, non quia tale hominis
exercitium laudetur, ſed quia populo
neceſſarium eſt; eodem pacto hujus
Mundi Gubernator, quaſi communes
vindices, tyrannos exſuſcitat, ut in-
juriam atque impietatem aliaque hujus-
modi vi & crudelitate iſtorum puniat.
Quid autem demum miramur, ut ali-
quando finem attingam, ſi tyrannorum
interdum miniſterio effuſas hominum
injurias Deus compeſcit? quum etiam
ſæpius non aliorum opere, ſed per ſe
ipſum fame, terræ motu, peſte aliis-
que hujuſmodi, quibus multas urbes
deſolatas vidimus, id factitet. Ecce,
Oculatiſſime Princeps, illum armipo-
tentiſſimum Burgundiæ Principem ta-
metſi (1) NONDVM PENITVS
ab exiguo tuorum milite fugatum pro-
fligatumque, tamen ſui diminutione
propemodum ſibi minantem interitum.
Quid ergo dicemus, qui rebus tranſi-
toriis inhærere cogitamus, dum eas
mutari, mutatas labi, poſtremo omni-
no deleri videmus? Denique dum præ-
teritorum temporum calamitatem re-
miniſcimur, inſtantis quodammodo preſ-
ſuræ quomodo oblivi ſcimur? Modo
nempe ubique terrarum, & præcipue
in provinciis Sabaudiæ, Burgundiæ ac
Lotharingiæ, quas nuper tuorum ex-
ercitus invaſit, quoniam ibi non ſolum
agros vaſtavit, verum etiam bona Ec-
cleſiarum Dei diripuit, clamor audi-
tur; &, quod majus eſt vitæ periculo,
animarum diſcrimen timetur. Quid
igitur illud quam profligatio pauperum
& devaſtatio Eccleſiarum, juxta illud
(2) *Horatii,*

Quidquid delirant Reges, plectuntur
Achivi;

expectari poteſt? Si ergo, Tua Cel-
ſitudo, Victorioſiſſime Princeps, de-
lirare, a ſtatuque deviare non velit, ſi
tuus animus lætatur, ſi pectus affectat
ampliare Principatum tuum, a Bur-
gundionumque tyrannide terras tuas
eripe-

(1) *Hinc patet Ducem Burgundiæ* Carolum Pugnacem *tunc temporis, cum hæc ſcriberentur, fuiſſe adhuc ſuperſtitem, nempe anno 1476. Occubuit autem is ſequenti anno 1477. in* tertio *infelici prælio apud* Nanſium.

(2) *Epiſtola prima Libri primi.*

eripere, hæc (1) *Vegetii,* (2) *Ægidii,* (3) *Gualterique in Alexandreide militaria monumenta, a me Tuæ Serenitati dicata, & carptim, ceu quasdam scintillulas, excerpta, omni cum studio, diligentia, opera, vigilantia perpendas, perspicacique Ingenio tuo more periti nautæ animadvertas, quod navis, tametsi in alto æquore nonnullis procellarum fluctibus agitetur, si tamen ipsius nautæ peritia regitur, fluctum unum item alium superando, cursum suum perficiet, & ad optatum portum incolumis applicabit. Sic enim exercitus quoque tuus, Magnifice Princeps, etsi nonnullis viribus hostium propulsetur, tamen militari prudentia si gubernabitur, insultum unum item alium frequentando, contra hostes indubie trophæum accipiet & finem peroptatum. Quam equidem militarem prudentiam, si virtutis alumnus esse conaris, his ipsis documentis subsequentibus extremæ cellæ commendare, tuique cordis thalamo impingere velis. Primo itaque Tu, qui Procerum Consultor es, Præcelse Princeps, servos contemne bilingues & nequam, nec exalta, quos humiles natura jacere præcepit. Nam quemadmodum torrens, qui pluvialibus undis intumuit, perenni amne acrior fluit, sic & servus, partis acquisitisque opibus honorisve culmine, in Dominum surgit, truculentiorque surda aspide aures suas obturat ac manusuescere nescit. Non tamen prohibet rationis calculus, ut eos exaltare debeas, quos honestas insignit, & quos morum apex sublimat, tametsi ipsis ampla facultas & alti sanguinis gloria desit. Nam, si vera perpendis, Celeberrime Princes, pecunia mores auferre, non afferre solet, atque inter monstra cætera monstriparæ noctis nihil pecunia corruptius. Secundo si lis causaque inciderit Te extante Judice, dirige judicii libram & æqualitatem, nec flectat Te alicujus amor, nec munera palpent, nec personæ acceptio stabilem moveat mentem. Mumus enim a norma recti acutam mentis discretionem Judicis distorquet, vitiorumque mater avaritiæ pestis, quæ sola incarcerat omnes virtutum species, cum semel locum in pectore Judicis obtinuit, tetra caligine Judicis mentem adeo involvit, ut per avaritiam in facinus curratur, & moderamine Juris spreto, Judex legum institutionem non curet. Tertio humili parce; quia instabilis est Principatus tuus, Invictissime Princeps, si non clementia firmatur. Sis ergo facilis oranti juxta illud: Et faciles motus res generosa capit. Frange tamen superbum; Deus enim superbis resistit; militesque adversus superbum ad bella instaura, turmasque in hostes transfer, & dum Martis ludus exercetur, Te prius armatum, habilem, hilarem, pugnantemque milites tui videant. Plerisque terrarum Principibus jubendo pugnare profuit. Nam dum metus castrenses calcat, dum terror agmina languida prosternit, dum corda manusque titubant, si gravis Præceptor & Dux militum pugnantium aures hortatu inebriet, impleatque, timor se absentat, &, formidi-*

(1) *Is est* Flavius Vegetius, *cujus libri quatuor de Re militari ad* Imp. Valentinianum *extant cum eruditissimo* Godescalci Stewechii *Comment.*

(2) *Is est* Ægidius Columnensis *Romanus*, S. Thomæ Aquinatis *discipulus, qui Anno 1296 electus est in Archiepiscopum Bituricensem. Intelliguntur autem hoc loco ipsius libri tres de* Regimine Principum.

(3) *Is est* Philippus Gualterus Castellionius, *Episcopus Magalonensis, qui Carmine heroico libros* novem *de rebus gestis* Alexandri Magni *composuit, quos inscripsit* Alexandreida.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

midine depoſita merſaque, effrena juventus talibus monitis in ferrum irruit. Primus autem ante alios fugientibus hoſtibus inſta; &, ſi tuorum procinctus fugæ præſidium quærat, ultimus fugias, militeſque tui Te morantem & hoſtibus reſiſtentem videant, pudeatque eos ſine Te, ceu fuga indecora ad caſtra reverti. Quarto interea metire oculis tuis, Victorioſiſſime Princeps, quot equitum millibus hoſtes tui, quod peditum turmæ inſtent, quot hoſtes fuſi e vallibus adſint, nec de terruerit hoſtium numerus, ſi molliter, negügenter, muliebriterque illos videris inſtantes, tunc primus in arma rue, primus equum tuum flecte, & freno preſſo contentoque ad ſocios relabere. Hic vigor, audacia & (1) probitas tua emineat, affectuſque tuorum, quem erga Te habent; hic equus opponatur equis, hic enſibus enſis, hic clypeus clypeis: cumque intraveris vel ceperis civitatem vel vi vel pace, gazas aperi, plue, abundanterque da militibus donativa, vulnera crudelia recentiave habentibus, cordeque ægro & avaro tumentibus, muneris oleum infunde, ac theſauris apertis unge & refove mulceque donis tuorum militum animos. Sic enim largiendo, dives medetur inopi & largus avaro. Sed ſi res pecuniave non reſpondeat voluntati alti animi tui, deſitque copia & rei largitas, divitiarumve acervus diminuatur, dandi tamen voluntas non minuatur, mentis largitas non deſit, eoſque milites promiſſis pollicitiſque allice. Quibus in præſenti largiri non potes, promiſſa tamen competenti tempore ſolve; ſic favorem omnium, Spectatiſſime Princeps, obtinebis. Munus enim mores dat & confert, avaros allicit, illaqueat, irretitque, dantis vel accipientis vitium occultat, genus auget, hoſtes dantis voluntati ſubjicit. Non enim vallo Tibi opus eſt, cum Te dapſilis munificaque dextera ambit. Non ſive pacis tempus vigeat, ſeu in toto orbe diſcordia ſæviat, militibus munera dare Tibi, ſubitum hoſtem timenti, ad inſtar ſolidi muniminis pro muro eſt. Non enim murus; non armati milites Ducem tutantur avarum. Quinto, Oculatiſſime Princeps, non te molliat intus prodiga luxuria, juxta illud: Et Venus & vinum ſublimia pectora frangunt. Si enim Baccho Venerique operam das, qui cætera ſuppeditare ſoles, jam ſub luxuriæ juga veniſti, libertasque animi tui periit, ac Veneris camino flagrante ebria mens interius hebet, rixaſque, pugnas, contentiones & bella ebrietas imperat, rationiſque vile ſepulchrum ſuadet, cum tota ratio in ebrio ſepeliatur, juxta illud Horatii Epiſtolarum libro 2: (2)

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes facit eſſe ratas: in prælia trudit inermem.

Hæc enim duo vitia luxuria & ebrietas rigidos mores enervant. Rara enimvero & non aſſidua ſit Tibi voluntas, Celeberrime Princeps, tuas explere voluptates, qui aliorum hominum leges moderare debes. Celebrata ergo Juſtitia Majorum tuorum tua dirigat facta, & Aſtræa, id eſt Juſtitia, ſic dicta quaſi Aſtræi Gigantis filia vel ab

(1) Probitas, *Ritterlichkeit.*
(2) *Epiſt. 3. cujus principium.* Si potes archaicis, &c.

ab aſtris nata, (1) *quæ prima Dearum terras reliquit, per Te e Cœlo revocetur. Divinos etiam rimare apices, manſuetuſque ſis roganti; legibus inſuda civiliter & miſericorditer; argue ſontes; vindictam differ, donec ira tua pertranſeat præteritaque ſit, nec poſt verbera velis meminiſſe odii; nam poſtquam alicujus vindictam ſumpſeris, odium ad memoriam non reducas. Et, ut præſens opuſculum aliquando concludam, ſi ſic vixeris, Valentiſſime Princeps, perpetuum in ſidera nomen extendes, juxta illud: Tunc omnia tenebis, cum poteris Rex eſſe tui.*

CONCLUSIO LIBRI.

Vade nunc Opuſculum ad Integerrimum Sigiſmundum Auſtriæ Principem. Accipe igitur, accipe, inquam, (Princeps Munificentiſſime) hoc munuſculum, quantillum illud eſt, tuæ laudi, tuæque gloriæ oblatum atque dedicatum, quoddam mei Tuam in Amplitudinem amoris præcipui pertenue monumentum; quod tanti eſt, quanti Tu feceris. Hoc Tibi devoveo Opuſculum, & quotiens illius inſpectandi Tibi facultas vel occaſio fuerit, totiens mei, quæſo, ut memor evadas. Cum hoc ſimul, quidquid eſt munuſculi, omnia quæ in mea manu ſunt, operam, ſtudium, diligentiam, fidem ſinceram, corpus, ac denique ipſam animam, Tuæ libens Amplitudini offero, do ac dedo. Si quid aliud mihi aut majus aut illuſtrius extitiſſet, id Tuæ Amplitudini, quam libentiſſime & multo alacrius obtuliſſem. Sed, ut Artaxerxes, (atteſtante Plutarcho ſuis in Apophthegmatibus) præſtantiſſimus Rex Perſa-

A *rum, dicere ſolitus erat, non Regale minus atque humanum eſt in ipſo Rege & Principe, accipere parva munuſcula, quam ingentia munera elargiri. Non ſum inſcius, ea Te eſſe Altitudine animi, ut longe majora ſis ſolitus referre, quam acceperis. Nam*

Qui ſua dat largo, non dat, ſed fœnerat illi,
Semina pauca jacit: commoda multa metet.

Pro mea itaque erga Te fide a me poſcitur, ut æquo animo feras, Te Ipſum
B *amem, Te colam, Te admirer; & me, qui unice Te veneror, quam maxime commendatum habeas velim. Poſt debitas nunc Summi Optimique Dei ac reliquorum Cœlitum gratias, Tibi imprimis gratias agant, &, ſi poterunt, referant omnes, tuumque tollant ad ſidera nomen, quandoquidem Tui cauſa ac gratia factum eſt, ut hanc Majorum tuorum Chronographiam ad Te, quanquam rudibus verbis, prout ingenii mei mediocritas tulit, perſcripſerim. Dicant igitur cuncti, proclament uni-*
C *verſi: Dii Te perpetuent cuncta per ſecula lætum, immo & felicem Omnipotens Te conſervet, ut ſublatis bellis, una Tecum poſſimus congaudere ad laudem Omnipotentis Dei, & tui nominis gloriam ſempiternam.*

Hucuſque Pars *tertia* ſive *ultima* Hiſtoriæ Auſtriacæ *Henrici Gundelfingii.* *Appendix* autem ejuſdem Autoris de *Succeſſione Comitum Teriolenſium*, quæ in eodem Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto ſequitur, eſt hæc:

COMI-

(1) *Alludit ad* Juvenalis *verſ. 19 & 20 Satyræ ſextæ:*

Paulatim deinde ad Superos Aſtræa receſſit,
Hac comite, atque duæ pariter fugere ſorores.

COMITVM (1) TYROLIS (2) SVCCESSIO.

Carinthiæ (3) *Duces primo poſſederunt Tyrolis Comitatum uſque ad Conradini* (4) *tempus ; qui Imp. Friderici Secundi fuit nepos ex filio* (5) *Cunrado. Veniens is in Italiam cum* (6) *Auſtriæ Duce, adjuncta ſibi & Germanorum multitudine, cum Carolo, Provinciæ Comite, ob Siculi Regni uſurpationem conflictum* (7) *iniit ; victoque per Germanos Caroli exercitu & fugato, Germani prædam fugientium inſequentes, Conradinum cum Duce Auſtriæ & paucis dereliquerunt. Quod videns Carolus, qui ſe in monte cum magna exercitus ſui parte, ut finem videret, receperat, Conradinum quaſi deſolatum invaſit ; quo cum Duce capto, & quibuſdam aliis vehementer abducto, exercitus totus, diſperſus ob prædam, miſerabiliter fugatus & occiſus eſt.* (8) *Scripſit autem Carolus Clementi tunc Papæ quarto, quid faciendum ſibi eſſet de Conradino; qui reſcripſit : Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini, vita Caroli. Sic Carolus Conradinum cum Duce Auſtriæ & cæteris* (9) *decollavit. Quod Petrus*

(1) *Vulgare hoc & corruptum nomen* Tyrolis *accepit celeberrimus iſte Comitatus a vetuſtiſſima arce ad* Atheſin *fluvium ſita, quæ in antiqua Notitia Imperii Romani Occidentalis, ubi agitur de Duce Rhetiæ primæ & ſecundæ, appellatur plurali numero* Terioli.

(2) *Operæ pretium eſt, ut hæc de Succeſſione Comitum Teriolenſium Narratio conferatur cum eorundem Comitum* Chronologia, *quæ a* Marco Henningio *ſubjuncta eſt Iconibus ipſorum a* Dominico Cuſtode *æri inciſis, & Auguſtæ Vindelicorum Anno 1599 editis in folio.*

(3) *Per* Carinthiæ *Duces intelliguntur hic Duces* Meraniæ, *quorum ſedes fuit* Meranum, *ad* Atheſin *fluvium ſita urbs, & totius Comitatus* Teriolenſis *eo tempore primariæ. Quod enim* Carinthiæ *nomen olim adeo fuerit latæ ſignificationis, ut illud non ſolum Ducatum* Carinthiæ *proprie dictum, & Ducatum* Stiriæ, *Ducatum* Carniolæ *atque Comitatum* Goritiæ, *verum etiam Ducatum* Meraniæ, *& ſub eo Comitatum* Teriolenſem *comprehenderit, recte jam pridem obſervatum & demonſtratum eſt ab* Hieronymo Megiſero *Annalium Carinthiæ lib. 1. cap. 2. Vide etiam* Hieronymi Henningii *magnum Opus Genealogicum, Parte priori ſecundi & tertii Regni in quarta Monarchia pag. 52, ubi agitur de antiquis Ducibus* Meraniæ.

(4) *Duplex hic intelligi poteſt tempus: nempe vel annus 1248, quo ultimus Meraniæ Dux* Otto *cognomine* Junior *obiit, &* Conradinus *Imp. Conradi IV filius natus eſt, vel annus 1269, quo jam memoratus* Conradinus *Neapoli decollatus eſt, &* Vlricus *ultimus ex Sponheimenſi & Ortenburgica Familia Carinthiæ Dux obiit. Vid. Megiſeri Annal. Carinth. lib. 8. cap. 25.*

(5) *Is eſt Imp. Conradus IV, qui A. 1254 obiit.*

(6) *Nempe* Friderico.

(7) *A. 1268.*

(8) *Hunc locum citat* Gerardus de Roo *Hiſtoriæ Auſtriacæ lib. 1. pag. 19, ubi de Conradini decollatione agit, his verbis :* Heinricus Gundelfingerus Conſtantienſis in ſuis Chronicis Auſtriæ ſcribit, Carolum etiam Summi Pontificis conſilium expetiiſſe, qui ipſi pauciſſimis verbis ita reſpondit : Vita Conradini mors Caroli; mors Conradini vita Caroli. *Hæc Gerardus de Roo. Vbi primo notandum eſt,* Henricum Gundelfingium *perperam ab eo vocari* Gundelfingerum, *æque ac a* Conrado Geſnero *libro primo de Thermis Helveticis, & a* Joan. Jacobo Friſio *in Bibliotheca Vniverſali. Verba Geſneri, quibus ejus meminit, ſunt hæc:* Scripſit libellum de Thermis noſtris Badenſibus Henricus Gundelfinger, Beronenſis Eccleſiæ Canonicus anno Salutis 1489, unde mihi ea, quæ ſubjeci, excerpere libuit. *Hucuſque Geſnerus. Friſius autem de eodem facit mentionem his verbis:* Henricus Gundelfinger, Canonicus Eccleſiæ Beronenſis, ſcripſit librum de Thermis Badenſibus in Helvetia, ex quo Conradus Geſnerus quædam in ſuos libros de Thermis tranſtulit. Idem, cum Friburgenſis Eccleſiæ Capellanus eſſet, ſcripſit Chronica, quæ extant in 4to MS. in Bibliotheca Imperatoria. *Notandum ſecundo eſt,* Gerardum de Roo *errare, dum ſcribit, ſupra citatum* Henrici Gundelfingii *locum extare in* Chronicis ejus Auſtriacis, *utpote cum is, uti hic videre eſt, revera extet in peculiari & ſeparata* Appendice de Succeſſione Comitum Teriolenſium.

(9) *A. 1269.*

trus Rex Arragonum ægre ferens pro Affine ſuo Conradino, aliquibus machinationibus per mare occultis inſulam Siciliæ ingreſſus, (1) *occiſis Francigenis & fugato Carolo, inſulam Siciliæ occupavit; ſub quo* (2) *Guelfones ex parte Eccleſiæ & Gibelini ex parte Imperii ſunt inchoati. Poſt Conradini* (3) *mortem* (4) *Alberchtus, filius Luduici Bavariæ Ducis, in Romanorum Regem electi* (5) *eo tempore, quo Fridericus Auſtriæ Dux, Alberchti Habsburgenſis Romanorum Regis filius, etiam in Imperium fuit vocatus, nempe anno Domini MCCC XIV, Dominum Tyrolis poſſedit. Johannes Marchio Moraviæ, Johannis Bohemiæ Regis filius, Comes Tyrolis impotens, ut dicitur, qui Carinthiæ Duciſſam Tyroliſque Comitiſſam* (6) *Multeſch dictam, matrimonialiter duxit deformem & ſemifatuam, cum plurimum eam moleſtaret inter alia ejus mordendo mamillas, illa cum Baronibus ſuis habitis occultis tractatibus, & præſertim cum Engelmaro* (7) *Milite* (8) *Atheſis, ejecto Bohemo de Comitatu Tyrolis, Luduicum Marchionem Brandeburgenſem, Luduici Bavari prædicti in Regem electi, filium de facto in maritum ſuſcepit, inconſuetum & horribile facinus attentando, quod is uxorem conſanguinei ſui in tertio gradu, non ſeparatam nec divortiatam ab ullo Eccleſiæ Judice, ipſamque ſuam conſanguineam non uxorem, ſed mœcham traduxit. Eam ob rem inter Bohemos & Bavaros non immerito edax livor ſuſcitatus eſt; ſed tamen ex commiſſione Clementis ſexti Papæ Epiſcopus Curienſis divortium celebravit. Luduicus autem cum Maſtino Veronenſi ligam contraxit, Maſtinique filio filiam ſuam copulavit. Poſt Luduici mortem Rudolfus Alberchti Contracti ex Comitiſſa Ferretarum, filius, qui cum dicta Multeſch* (9) *contraxit, Comitatum Tyrolis poſſedit: cui Leopoldus frater, qui in Sempach* (10) *periit, ſucceſſit; huic autem Fridericus filius ſuus, & deinde Tu, Magnifice Princeps, qui Tyrolis gubernacula pro nunc tenes. Vtinam vero Succeſſore & Hærede gauderes!*

IX.

(1) *A. 1282.*

(2) *Prima horum* nominum *&* factionum *origo multo eſt antiquior morte* Conradini, *& revera pertinet ad annum Chriſti 1140, quo in pugna Weinſpergenſi inter* Welfonem *Ducem Bavariæ, Imp.* Conrado III. *rebellantem, &* Fridericum *Ducem Sueviæ, qui exercitus Cæſariani ſupremus fuit Præfectus, Bavari ab una parte clamarunt* hie Welf, *Suevi autem* hie Giebeling, *nempe quoniam Dux* Fridericus *in quodam ejus nominis Suevico pago educatus fuerat. Vide Chriſtoph. Lehmanni Chronicon Spirenſe, lib. 5. cap. 50.*

(3) *Omittuntur hic aliquot Comites* Teriolenſes, *qui ſucceſſerunt ſupra memorato ultimo Duci Meraniæ* Ottoni Juniori, *& ſimul fuerunt Comites* Goritiæ *atque Duces* Carinthiæ. *Vid. Hieron. Hemingii Opus Genealog. T. III. pag. 53, ut & Megiſeri Annal. Carinth. lib. 8. cap. 40.*

(4) *Locus ſingularis de* Alberto *Imp.* Ludovici Bavari *filio, qui ab aliis Scriptoribus traditur ſucceſſiſſe fratri ſuo* Wilhelmo *in Comitatu Hollandiæ, Selandiæ & Hanoniæ. Quid autem de hoc loco cenſeam, alio commodiori tempore a me indicabitur.*

(5) *Vide Diarium meum Sacri Itineris Cellenſis, Additamento 1, pag. 118 & deinceps.*

(6) *Alias* Maultaſch.

(7) Miles *pro Viro* Ordinis Equeſtris *dignitate prædito, uti ſupra Col. 75. in not.*

(8) Atheſis *pro Regione ſive ditione* Atheſina. *Vid. ſupra Col. 797.*

(9) *De hoc contractu non* matrimoniali, *ſed te*ſtamentario, *vide Gerardi de Roo Hiſtor. Auſtr. lib. 3. pag. 113. Contigit autem hoc anno Chriſti 1363.*

(10) *A. 1386.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IX.

Ill. Viri Jo. Jacobi Fuggeri Deſcriptio Germanica prælii Granſeenſis, a Lambecio in Latinum ſermonem converſa, in qua celebris fit memoria Cimeliorum Caroli Pugnacis, Ducis Burgundiæ.

MONITUM.

Legebatur Libro Commentar. ſecundo Cap. VI. a pag. 510. cauſam poſt paulo ipſe Lambecius *adferet. Hiſtoria* Illustris. Fuggeri *Auſtriaca, duobus maximi modi voluminibus comprehenſa, eſt nunc in claſſe Hiſt. Prof. n. VII. & VIII. Eam, ut notum, correctiorem auctioremque ſtylo ſui temporis ex his Codicibus typis vulgavit* Cl. Vir Sigismundus a Birken, Noribergæ CIↃIↃCLXVIII. *ubi memoratum hiſtorema legeris a pag. 827.*

Hucuſque *Henrici Gundelfingii* ad Hiſtoriam ſuam *Auſtriacam* Appendix de Succeſſione Comitum *Teriolenſium.* Cæterum quandoquidem ab illo in deſcriptione (1) *prælii Granſeenſis* præcipue & ſpecialim facta eſt mentio *Cimeliorum*, ſeu, ut ipſe appellat, (2) *Clenodiorum, Caroli* Ducis Burgundiæ, quæ poſt ipſius cladem in poteſtatem victorum devenerunt, haud ab re fuerit, aliam quandam ſingularem & obſervatu digniſſimam de iiſdem *Cimeliis* notitiam, quam itidem in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* reperi, corollarii loco hic ſubjungere. Extant enim ibi ingentia (3) *duo Volumina* in *folio*, ut vocant, *regali*, cum propter incredibilem *ſcripturæ* elegantiam, tum ob *Inſignium* gentilitiorum aliarumque variarum *antiquitatum* innumeras fere *imagines*, admiranda prorſus & vere Imperatoria, quibus continetur (4) HISTORIA HABSBVRGENSIS ET AVSTRIACA, a Perilluſtri & Generoſiſſimo Domino, Dn.

(1) *Vide ſupra Col. 804.*

(2) *De origine & ſignificatione hujus vocis, vide ſupra Col. 103.*

(3) Prioris Voluminis, *quod complectitur Hiſtoriam Habsburgenſem & Auſtriacam uſque ad Imp.* Friderici V, *Patris Imp. Maximiliani I, obitum incluſive,* duo *ibi* extant exemplaria *æque elegantia & perfecta, licet diverſo genere ſcripturæ exarata Compactura unius eſt* rubra, *alterius autem* viridis.

(4) *Integer pretioſiſſimi iſtius Operis titulus, uti in utroque prioris Voluminis authentico exemplari legitur, eſt hic:* Warhaftige Beſchreibung zweier in einem der Aller-Edleſten vralten vnd Hochlöblichſten Geſchlechten der Chriſtenhait des HABSPVRGISCHEN vnd OESTERREIGHISCHEN Geblüets, ſambt derſelbigen lobwürdigen Herkommen, Geburten, Leben, Regiment, vnd Ritterlichen Thaten, von dem anfang bis auf die Vnüberwindlichſten, Groſmächtigſten Fürſten vnd Herren, Herren CAROLVM den Funften vnd FERDINANDVM den Erſten, Römiſche Kaiſer vnd Künige, auch recht ordentliche erwelte vnd gekrönte Obriſte Häubter der Chriſtenhait, durch den Wolgebornen Herrn HANNS JACOB FVGGER, beider hochgenanten Römiſchen Kaiſerlichen vnd Königlichen Majeſteten Raht, auch Herrn von Kirchperg, Weiſſenhorn vnd Pfirdt, nicht ohn kleine muehe vnd vnkoſten nach Stammensgerechtigkeit auf das getreulichiſt vnd fleiſſigiſt, ſo immer müglich, mit ſeinen Wappen vnd Figuren geziert, zuſammen gezogen vnd in dis Werck der Ehren beſchlieslichen gebracht Anno 1555.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dn. (1) JOANNE JACOBO FVGGERO, Domino de Kirchperg, Weiſſenhorn & Pfirdt, atque Imperatorum *Caroli V.* & *Ferdinandi I.* Conſiliario, anno Chriſti 1555. ſumma diligentia & (2) fide collecta, ſermoneque & ſtylo *germanico*, qualis tunc in uſu fuit, ſatis copioſe & ornate conſcripta, ac in *ſeptem* diviſa *Libros:* in quorum *ſeptimo* ſive *ultimo*, qui Imp. *Maximiliani I.* Vitam & res geſtas complectens, ſolus *ſex* priores Libros magnitudine æquat, & peculiari conſtat Volumine poſteriori, de ſupra memoratis *Caroli* Ducis Burgundiæ *Cimeliis* prolixe narratur, quomodo ea ab Helvetiis (3) *Jacobo Fuggero*, ab hujus autem poſteris *Henrico* octavo ejus nominis *Angliæ* Regi fuerint vendita, & tandem per matrimonium cum ipſius filia *Maria* in Regis Hiſpaniæ *Philippi II.* poteſtatem pervenerint. Ipſa igitur *Joannis Jacobi Fuggeri* verba fide digniſſima, quibus illud ſempiternæ memoriæ prodidit, ſunt hæc:

A

Superiori libro ſexto perſcripſimus, quomodo Carolus Dux Burgundiæ, cum A. 1475. Noveſium obſidione liberatum eſſet, principio ſequentis anni 1476. auxilio ſupra memoratorum ſuorum Fœderatorum Lotharingiam invaſerit potenti exercitu, expulſoque inde Duce (4) Reinhardo, totam ſubjugaverit. Hoc itaque facto duxit idem Dux Carolus exercitum ſuum, qui quinquaginta millibus militum conſtare credebatur, contra oppidum Granſee, cumque ibi caſtra metatus eſſet, ſuperarunt eum prælio Helvetii, diſſipatoque ipſius exercitu, omnia tormenta bellica, cum omnibus theſauris & ſuppellectile, plus quam decies centenis florenorum millibus æſtimatis, in poteſtatem ſuam redegerunt. Tentoria igitur illa argentea, quæ Helvetii falſo

B

Zuvor in dem ſechſten Buech haben wir beſchrieben, wie Hertzog Carl von Burgund, nach dem die Statt Neuſz Anno tauſend vierhundert funff und ſiebenzig erlediget worden, Anno tauſend vierhundert ſechs und ſiebenzig im anfang deſz Jahrs mit hülf ſeiner vorernanten Bundtsgenoſſen in das Land Lottringen mit gewaltiger hand gezogen, auch daſſelbig gentzlich eingenommen, und Hertzog Reinharten daraus vertrieben. Nach dieſem hat Hertzog Carl ſein Heer, das auf funfzigtauſend ſtarkh geſchätzet ward, wieder die Stadt Granſee gefürt, und ſich daſelbſt zu feldt gelegert; in ſumma die Schweitzer haben Ihn daſelbſt geſchlagen, ſein Heer zertrennet, und alles geſchutz, Schätz und alles Guet, über die zehenmahl hundert tauſend gulden wehrt, erobert und gewonnen.

C

Die

(1) *Natus is eſt Anno 1516; obiit autem Anno 1575.*

(2) *Notandum tamen eſt, huic quoque Operi inſertam eſſe* novam *illam* & falſam *opinionem de Auguſtiſſimæ Domus* Habsburgo-Auſtriacæ *Origine* Francica *ſive* Gallicana, *quam* Joannes Stabius *tempore Imp.* Maximiliani I. *primus excogitavit*, & Jacobus Manlius, Hieronymus Gebuillerus, Wolfgangus Lazius, *aliique complures, variis licet modis ſibi invicem contradicentes, propagarunt*, & *falſis adinventionibus expoliverunt. Vide ſupra Col. 731.*

(3) *Is eſt* Jacobus Fuggerus, *qui natus eſt A 1459*, & *obiit A. 1515. Diverſus autem hic eſt a Patre ſuo* Jacobo Fuggero, *qui deceſſit A. 1469.*

(4) *Ab Henrico Gundelfingio vocatur is* Richardus. *Vide ſupra Col. 807.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Die ſilberne zelten, welche die Aidtgenoſſen vermeinten zinn zu ſein, item die köſtliche ſeidene gezelten, und anderer Fürſtlicher Hauszrath ward alles den Schweitzern zu einer beuth. In welcher auzthailung der beuth auch geweſen iſt der groſz und dick ſpitzig Diemandt, von dem in der gantzen Chriſtenhait geſagt ward; welcher in ein Kleinnoth mit dreyen groſſen Balaſſen, ſo von ihrer gröſſe, dicke und gleicheit des gewichts halben die drei brüder genant wahren, und mit vieren der gröſten Orientiſchen Perlen, altem gebrauch nach, geziert, darzu die drey Balaſs ohn alle folien, auf das dieſes hochſchätzig und theur Kleinnoth zu beiden ſeiten mit ſeiner reinen dicke und groſſe möchte geſehen werden, allein mit güldenen ſteffilein, ohn alle andere zierung des golds, fein artlich und künſtlich mit guter ordnung in ein gebänck zuſammen gebracht worden. Dieweil und aber dieſes theur und edles Kleinnoth nit bald zu geld gemacht werden möcht, iſt ſolches, in welchem ſich der löblich Fürſt Hertzog Carl von Burgund zinn offtermahlen faſt herlich ſehen laſſen, über wenig Iahr hernach dem Herrn Jacob Fuggern, meinem geliebten Vettern, meines Anherren Brudern, welcher dieſer zeit an ehren und reichthumb allenthalben faſt berühmt wahr, zu kauffen angebotten worden. Vnd wiewol dieſs edel Kleinnoth an den edlen geſteinen ſo rein, groſz und herlich, auch des löblichen Hertzogen von Burgund

A crediderant eſſe ſtannea, ut & reliqua pretioſa tentoria ſerica, aliaque omnis Ducalis ſuppellex illorum evaſit præda. In cujus diviſione etiam fuit magnus ille & craſſus Adamas acuminatus, per totum Orbem Chriſtianum tunc temporis celeberrimus, qui una cum tribus magnis (1) Balaſiis, propter æqualitatem magnitudinis, craſſitiei & ponderis appellatione trium fratrum inſignitis, nec non cum quatuor rariſſimæ magnitudinis Margaritis Orientalibus, more anti-
B quo ordineque eleganti & artificioſo in formam Monilis fuit redactus, & quidem ita, ut jam memorati tres Balaſii ſine ullis (2) bracteis alioque ullo aſcito ornamento, ſubtilibus tantum nonnullis commiſſuris aureis connexi eſſent, quo magis pretioſiſſimi iſtius Cimelii nativa puraque craſsities & magnitudo ab omni parte eſſet conſpicua. Cum ergo rariſsimum hoc & nobiliſsimum Cimelium, cujus geſtatu (3) laudabilis Burgundiæ Dux Carolus ſuam ſæpe oſtentaverat ma-
C gnificentiam, haud facile præſenti pecunia vendi poſſet, emendum illud non multos poſt annos oblatum fuit Domino Jacobo Fuggero, charo meo Patruo magno, ſive Avi mei Georgii fratri, honoribus & divitiis ea tempeſtate ubicunque terrarum clariſsimo; qui, licet hoc (4) Cimelium tam reſpectu puritatis, magnitudinis & ſplendoris ipſarum gemmarum, quam quod laudabilis Dux Burgundiæ Carolus illud olim poſſediſſet, adeo eſſet exi-

(1) *De* Balaſio *ſive* Balaſſio, *qui ſpecies eſt* Rubini, *vide* Camilli Leonardi *Piſaurienſis Speculum lapidum, libro ſecundo;* & Anſelmi Boëti de Boot *Brugenſis Hiſtoriam Gemmarum & Lapidum, Lib. 2. cap. 17. 18. 19. & 20.*

(2) *Vide* Anſelmi Boëtii de Boot *lib. 1. de Gemmis & lapidib. cap. 22.*

(3) *Ab* Henrico Gundelfingio, *autore coætaneo, non ſolum non laudatur, verum etiam vituperatur. Vid. ſupra Col. 796.*

(4) *Conf. Philipp. Comnæum Comment. Lib. VII.*

geweſen, hat derſelbig Herr Jacob Fugger gemeltes Kleinnoth ſambt einem Rubin, Schaubhut und Federn, wie hernoch folgen wird, umb ſieben und vierzig tauſend gülden von den Aidtgenoſſen kauffweis an ſich gebracht, und daſſelbig in hofnung, das ſolches dem löblichen Haus Oſterreich wiederumben zukommen ſolte, etliche viel Jahr lang behalten. Vnd wiewol ungefährlich vor dreiſſig Jahren, als man zu der gahr köſtlichen Crone des Turckiſchen Kaiſers Solimanni durch die ganze welt nach den gröſſiſten und köſtlichiſten edlen geſtainen durch viel mächtiger Herren groſſe nachfrag gehabt, meines Vatters Bruder Herr Antoni Fugger ſolches Kleinnoth umb ein hohe und dapffere ſumma gelts mit groſſem nutz und gewin wol mochte verkauft haben, auch darumben hochlich erſucht worden, noch hat er ſolches edels Kleinnoth, allein der hofnung, das ſolches bey den Chriſten bleiben, auch mit der zeit an die Her-

A eximium, non pluris tamen, quam quadraginta ſeptem millibus florenorum de Helvetiis illud emit una cum quodam Rubino & Pileo criſtato, de quibus poſtea ſeparatim agetur, retinuitque ea omnia aliquammultos annos, hac nimirum ſpe, ut in Glorioſiſsimæ Domus Auſtriacæ poteſtatem (1) reverterentur. Quamvis etiam ante triginta circiter annos, cum pretioſiſsimæ coronæ Imperatoris Turcarum Solimanni ornandæ cauſa per totum terrarum Orbem a multis præpo-
B tentibus Dominis maximæ quæque & pretioſiſſimæ gemmæ ſumma diligentia inveſtigarentur, Patruus meus Dominus Antonius Fuggerus Cimelium illud grandi pecuniæ ſumma, utpote vehementer rogatus, cum magno emolumento & lucro potuiſſet vendere, noluit tamen is tunc temporis illud alienare, ſed hac fine retinuit, ut poſſeſſio ejus permaneret penes Chriſtianos, & aliquando ad Principes Auſtriacos rediret. (a) Cum igitur hoc Cime-

(1) *Fuit enim* Imp. Maximiliani I. *prima uxor* Maria, *Caroli Ducis Burgundiæ filia & unica hæres.*

(a) *In exemplari Bibliothecæ noſtræ, LXII. E. g.* Annalium Rer. Flandric. JACOBI MAYERI *excuſo Antverpiæ* CIↃIↃLXI. *fol. 369. pag. 2. ad hæc verba:* Adamantem ſuum toto orbe celeberrimum, vaſa tot aurea & argentea tot auratos tapetes & peripetaſmata pauperi hoſti incognita ita perdidit *(Carolus)* ut vix quiſquam noverit, in quorum devenerit manus. *Adnotavit ſua manu quidam H. D.* Et ego H. D. adamantem illum vidi & manibus meis contrectavi Auguſtæ Anno 1547. fuit autem in quantitate articuli primi in pollice oblongi undique perlucens & quaſi ex utraque parte in acumen vergens. Oſtenſus eſt CAROLO V. Imperatori tunc Auguſtæ ſed pretium eum abſterruit. Venditus eſt Regi Angliæ HENRICO paulo minus centum millibus ducatis. Et forte habetur nunc in Hiſpania apud Philippum Regem, qui filiam duxit Angli. *Hæc ille.* Singulorum enim libido ſingulis pretia facit, & maxime Regum, *ut recte inquit Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. Cap. VI. Mirum profecto quod* Ill. Baro de BAAR *Auctor Satyrarum, quæ inſcribuntur:* Epitres diverſes ſur de ſujets differens *decimam prioris partis epiſtolam ſuam non huic Adamanti, ſed Gallico illi, a priore Hero Anglo,* Pitt *dicto, inſcripſerit; & hunc enim ex legibus ſanæ Philoſophiæ interrogare poterat:*

Quelle eſt donc ta vertu? Par l'eclat de tes feux,
Un œil voit-il plus clair, plus loin que deux bons yeux?
Ou ſais tu garantir ta Maitreſſe & ton Maître,
De ces maux douloureux, que les plaiſirs font naître?
Tu brilles, & c'eſt tout, ne reſſemblant pas mal
A plus d'un gros Seigneur, inutile Animal,
Qui pour toute vertu n'a qu'un èclat frivole
Et que pourtant les ſots érigent en Idole.

Felices contra illi, qui virtute meritoque ſuo ſimiles videri queant lapidi, de quo Claudianus Carmine XLVIII. ita cecinit:

- - - - - - - - Lapis eſt cognomine Magnes,
Decolor, obſcurus, vilis, non ille repexam
Cæſariem Regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per cingula morſu:

ren von Oſterreich wiederumb kommen mocht, auff dasmahl behalten und nit verkauffen wöllen. Nach dem aber hochgemeltes Kleinnoth bey uns den Fuggern bey vierzig Jahren lang, biſz auff mich Hans Jacob Fugger, Fundatorn dieſes Oſterreichiſchen Ehrenwercks herkommen und behalten, auch durch meine Voreltern, Freunde und zu letzt durch mich ſelbſt den Römiſchen Kayſern und Künigen Carolo dem Funften und Ferdinando dem Erſten zu mehrmahlen um ein zimlichs geldt zu kauffen angeboten worden, ſo hat ſich doch der ſchwären Krieg halben hierinnen nichts fruchtbarlichs ſchlieſſen wollen; und als gar kein hofnung mehr verhanden geweſen, ſolches ſchönes und edles Kleinnoth durch uns an das Haus Oſterreich zu bringen, da haben wir dieſes köſtlich Kleinnoth dem Durchleuchtigſten, mächtigſten Künig in Engelland Hainrichen dem Achten mit gutem gewin verkauft; und wiewol ſein Künigliche Würde bey etlichen wenig tagen vor dem ziel der bezahlung geſtorben, ſo iſt doch die kauffſumma, laut der Obligation ohn alles verhinderen uns ſchon bezahlt worden. Es hat ſich auch hernach aus den Göttlichen Gnaden der handel dermaſſen geſchickt, das dieſes edel Kleinnoth welches bey ſechs und ſiebenzig Jahren in der Aidtgenoſſen von Bern handen und in einem Fuggeriſchen Geſchlecht geweſen, durch den Hochlöblichen und Küniglichen Heurath, welcher ſich zwiſchen Philippo Prinzen in Hiſpanien, des gewaltigen Römiſchen Kayſers Caroli des Funften Sohn, und

A Cimelium apud nos Fuggeros per quadraginta circiter annos, nempe uſque ad me Joannem Jacobum Fuggerum, Hiſtorici hujus de Gloria Auſtriaca Operis Autorem, eſſet adſervatum, nec tantum Majores mei & Cognati, ſed tandem egomet quoque Imperatoribus & Regibus Romanorum Carolo V. & Ferdinando I, ſæpius æquiſſimo pretio illud venale obB tuliſſem, propter graviſſima tamen bella negotium hoc non potuiſſet confici, ſed omnis ſpes pulcherrimi iſtius nobiliſſimique Cimelii in Domum Auſtriacam per nos transferendi prorſus decollaſſet, venditum illud denique cum bono lucro a nobis eſt Sereniſſimo Potentiſſimoque Regi Angliæ Henrico Octavo; & licet Regia Ipſius Serenitas paucis ante ſolutionis termi num diebus obierit, ſumma tamen pretii conventi ſecundum ſyngrapham ſine ulla mora jam nobis perſoluta eſt: Evenit etiam poſtea ſingulari quadam Divini Numinis benignitate, ut ſæpe
C memoratum nobiliſſimum Cimelium, quod per ſex circiter & ſeptuaginta annos in Helvetiorum Bernenſium & Fuggerianæ Gentis manibus fuerat, per Regium Matrimonium, quod inter Philippum Principem Hiſpaniæ, Potentiſſimi Imperatoris Caroli Quinti filium, & Principem Mariam, ſupra memorati Regis Henrici VIII. unicam filiam & hæredem Regnorum Angliæ contractum eſt, in poteſtatem (1) quarti ex Auſtriaca Domo Ducis Burgundiæ feliciter rediit. Cæterum quandoquidem antehac multi multa falſa & fabuloſa de eo-

Sed nova ſi nigri videas miracula ſaxi,
Tum pulcros ſuperat cultus, & quidquid Eois
Indus littoribus rubra ſcrutatur in alga. KOL.

(1) *Intelliguntur hic* Imp. Maximilianus I, Philippus I. Rex Hiſpaniæ, Imp. Carolus V. & Philippus II. Rex Hiſpaniæ.

Frawen Maria des zuvor ernenten Kü-
nig Hainrichen des Achten enige erb-
dochter der Engliſchen Reich, in der
Oſterreichiſchen abſteigenden linien an
den vierten Sohne mit allen gnaden wie-
derumb kommen iſt. Vnd dieweil zu-
vor von Vielen von dieſem edlen Klein-
noth in mannicherley weiſe und weg,
nemlich wie das ſo offt verlohren und
wiederum gefunden worden, auch et-
wan hingeworffen, und umb ein ſchlecht
geld verkauft worden, ja in mancherley
hand kommen ſey, aber falſch und ge-
dicht geſchrieben worden, wollen wir
als der ienig, ſo ſolches Kleinoth ſelbſt
gehabt, und den Künig von Engelland
verkauft, des gemelten Kleinoths
mehr dan andere wahres wiſſen tragen,
auff daz meine Söhne, Erben und Nach-
kommen deſto gewiſſere gezeugnüſz al-
ler ſeiner gröſſe, form und geſtalt, wie
das an ihm ſelbſt geweſen, hieher inſe-
riren und einverleiben laſſen, wie dan
nachfolgents klarlich geſehen wirdt.

Vnd auf das meine geliebte Söhne,
Erben und Nachkommen ſich auch der
liebe, welche ich, wie auch alle meine
Voreltern zu dem Haus Oſterreich und
Burgund die zeit meines und ihres le-
bens getragen, erinnert werden, wil
ich zwey kleine alte ſilberne und ver-
gülte ſchalen, welche des Löblichen
Furſtens Hertzog Carls von Burgund
hochlöblicher gedächtnus geweſen, und
ſeine Furſtliche Gnad dieſelbigen mit
erlüſtigung des confects zu dem ofter-
mahlen gebraucht, und aber in gemel-

A eodem pretioſiſſimo Cimelio literis prodiderunt, nempe quomodo illud ſæpius perditum, ſæpiuſque iterum inventum, & nonnunquam pro derelicto habitum, exigua pecunia venditum ſit, (a) & per varias manus tranſierit, eam ob rem ego, qui Cimelium iſtud ipſe habui, Regique Angliæ vendidi, ideoque majorem verioremque ejus, quam ullus alius notitiam habeo, veram & genuinam magnitudinis & formæ ejus imaginem hic inſeram, ut ea filiis meis, Hæredi-
B buſque & Succeſſoribus pro certiſſimo rerum ſupra narratarum ſit teſtimonio. Ea igitur hæc eſt.

(*)

Vt etiam chariſſimi Filii mei, Hæ-
C redeſque & Succeſſores affectus illius, quo ego non minus, quam omnes Majores mei Auſtriacam Burgundicamque Domum proſecuti ſunt, commoneantur, inferam hic itidem ad hæredum Succeſſorumque meorum memoriam veras & genuinas imagines duarum parvarum veterum argentearum & inauratarum paterarum, quæ ejuſdem ſupra memorati Ducis Burgundiæ Caroli fuerunt, & a Ducali Ipſius Clementia ad comedendas, quas

(a) *Quid igitur ſtatuemus de* PHILIPPO COMINÆO *Commentariorum Libri VII. ſcribente:* Torquem illius quemdam, valde præcioſum, & eleganter fabrefactum, quem collo geſtare ſolebat, & honorifice circumferre: vidi poſtea Mediolani, quo in loco duobus aureis venditus fuit. *Certe teſtis hic eſt graviſſimus & coætaneus & commilito Caroli & qui in ejuſdem aula vixerit, ut vel ex primis ejus hiſtoriæ verbis manifeſtum eſt:* Quum, *inquit*, in ea eſſem ætate, quæ laborem equeſtrem ferre poterat, dedi me in familiam Caroli, cui pater erat Philippus Burgundiæ Dux. KOL.

(*) *Huc pertinet tabula, æri inciſam exhibens imaginem pretioſiſſimi ijtius* Monilis, *cujus hic fit mentio.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Monile pretiosissimum, quod Burgundiæ Dux CAROLVS *Pugnax in prælio Granseensi A. 1476. perdidit.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Pileus p



Rubinus adulterinus Ducis Burgundiæ CAROLI Pugnacis

Pileus pretiosissimus, quem Dux Burgundiæ CAROLVS Pugnax An. 1476 in prælio Granseensi perdidit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Pateræ duæ argenteæ et inauratæ, quas Burgundiæ Dux CAROLVS Pugnax An. 1476 in prælio Granseensi perdidit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Pateræ duæ argenteæ et i[illegible]ensi perdidit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ter ſchlacht zu Grandſee verloren, und ausgebeutet worden ſeind, die ich auch aus begierlicher liebe Kauffweis an mich gebracht, und noch in meinen gewaldt habe, (dieweil wir ie von dieſem handel zu red worden,) allen meinen Erben und Nachkommen zu guter gedächtnus gleichfals in dieſes ort conterfettiſch auch verleiben laſſen; welche wie dieſelben geſehen, nachfolgender maſſen geſtaltet geweſen.

A quas vocant, confecturas ſæpiſſime uſurpatæ, in prælio autem Granſeenſi amiſſæ, interque reliquam prædam captæ, & tandem a me ex ſingulari quodam affectu redemptæ ſunt. Illæ igitur fuerunt tales, uti hic videre eſt.

(* *)

Noch hat Hertzog Carl von Burgund hochlöblicher gedächtnus in der ſchlacht vor Granſee neben andern köſtlichen Kleinnoten, wie vor gemelt, einen köſtlichen und faſt zierlichen Hut verloren, von welchen Hut wir auch etwas meldung thun wollen. Dieſer Hut was, wie man dieſer zeit die Italianiſchen Hüt mit einem runden ſchirm fur die Sunnen und hohen runden gupfen machet, geformiret, und aus gelben ſammet gemacht. Oben in der mitten auf dem gupfen des Fürſtlichen Huts ſtund ein langer ſpitziger Ballaſs, der in einem guldin geſtell faſt zierlich eingeſetzet was. So was ſonſt der gantze Hut in einer ſchönen zierung mit gantz koſtlichen perlen fein artlich uberſtickt, und unden ob dem ſchirm des Huts gieng an ſtatt einer ſchnur ein faſt koſtlicher Krantz, in welchem alweg ein groſſer Saphier und Balas gleicher gröſſe einer umb den andern in gold eingefaſt geſtrickt, und darzwiſchen mit dreien groſſen perlen und mit zweyen groſſen perlen zu beiden ſeiten oben und unden zu rings umb den Hut verſetzet was; aber zu vornen auf dem Hut was ein faſtkünſtliches Rohr, darein man die Federn geſteckt von gold gemacht, welches Rohr oder geſtell, ſo

Præterea perdidit idem Burgundiæ Dux Carolus in prælio Granſeenſi B inter alia, ut ſupra expoſui, pretioſa Cimelia, Pileum quoque non minus elegantem quam magnificum, cujus hic mihi lubet aliquanto accuratiorem ſubjungere notitiam. Confectus erat hic Pileus ex flavo holoſerico, & quidem ea forma, qua conficiuntur nunc pilei Italici, nempe ita, ut non ſolum haberet umbellam ſive marginem rotundum & ad arcendum Solem mediocriter largum, verum etiam rotundum ſimul & exaltatum apicem. C Summo hujus Pilei Ducalis cacumini in medio ſuperimpoſitus erat oblongus & acuminatus Balaſius, aureæ cuidam palæ ſive loculamento inſertus. De cætero erat totus Pileus circumundique pretioſiſſimis Margaritis exornatus, loco autem ſpiræ vel tæniæ ſupra umbellam erat corolla aurea, cui Saphiri & Balaſii æqualis magnitudinis alternatim inſerti, tribuſque magnis Margaritis Orientalibus a ſe invicem diſtincti erant, accedentibus inſuper binis Margaritis, quæ radiatis corollæ extremitatibus ſuperne & inferne erant infixæ. In anteriori parte Pilei erat artificioſiſſimus tubulus aureus, Adamantibus, Mar-

(* *) *Huc pertinet tabula, æri inciſas exhibens imagines* duarum Paterarum, *quarum hic ſit mentio.*

man die Feder genant, mit Diamanten, Perlen und Balaſſen beſetzet, und die Diemant alle rautend in fatzeti durch graben und geſchnitten; ſo was die Feder roth und weis mit gold und perlen uber die maſſen gantz Fürſtlich und köſtlich geſchmuckt und gezieret. Vnd wiewol wir dieſes köſtlichen und Fürſtlichen Huts, welcher einer Königlichen Cronen wol zuvergleichen were, form und geſtalt warhaftig bericht, und ſelbſt geſehen haben, wollen wir zu einem anzeigen des Reichtumbs Hertzog Carls von Burgund unſeren Erben zu gefallen denſelben in dieſes unſer Oſterreichiſche Ebrenwerck, wie der mit aller zierung geſtaltet geweſen, conterfettiſch ſtellen laſſen; dergeſtalt auch das geſchmuck oder das Rohr, die Feder genannt. Welchen Hut wir zergenzen, die ſtein in Kleinoter und ring verſetzen, mehrer theils neben der Feder, den Durchleuchtigſten Fürſten Maximiliano Römiſchen Kayſer umb N. tauſend gulden verkauft haben, alſo das ſolche Kleinnoter mehrertheils wiederumben an das Haus Burgund kommen.

A Margaritis & Balaſiis exornatus, cui inſertæ erant duæ criſtæ ſive pinnulæ, quarum una rubra, altera alba erat, utraque autem Margaritis & auro pro dignitate Ducali magnificentiſſime reſplendebat. Quamvis igitur ea, quæ de jam memorati pretioſiſſimi & Regiæ Coronæ haud injuria æquiparandi Pilei Ducalis forma & ornatu tanquam oculati teſtes narravimus, veriſſima ſint, ut tamen hæredes noſtri ſuis quoque oculis qualitercunque poſſint cernere, quantis divitiis Carolus B Dux Burgundiæ fuerit præditus, ea de cauſa in illorum gratiam integri iſtius Pilei criſtati hic inſeremus imaginem. Curavimus enim ipſum illum Pileum diſſolvi, gemmaſque inde ademtas, & in diverſa Cimelia & annulos tranſpoſitas, una cum duabus eodem pertinentibus criſtis Sereniſſimo Principi Maximiliano I, Romanorum Imperatori, - - - - - - millibus florenorum vendidimus eaque ratione etiam hæc Cimelia majori ex parte in Burgundicæ Domus poteſtatem reverſa ſunt.

(***)

C

Noch iſt bey gedachten Kleinnotern ein Rubin geweſen, ſo fur köſtlich gehalten und geachtet worden, aber im grund nit gerecht, ſonder ein doblet geweſen, dannoch wollen wir denſelben, weil er in mein gewalt kommen, und bisher auch darinnen geweſen, auch hierinnen conterfettiſch ſetzen laſſen.

Fuit inſuper inter cætera ſupra memorata Cimelia, quæ poſt prælium Granſeenſe victoribus in prædam ceſſerunt, Rubinus, qui pretioſiſſimus maximæque æſtimationis fuit habitus; ſed licet is revera fuerit adulterinus, quoniam tamen is quoque in meam pervenit poteſtatem, & in ea etiam nunc eſt, facere non poſſum, quin & illius imaginem hic inſeram.

(****)

Huc-

(***) *Huc pertinet tabula, æri inciſum exhibens pileum pretioſiſſimum, quem Dux Burgundiæ* CAROLUS PUGNAX *A.* CIↃCCCCLXXVI. *in prælio Granſeenſi perdidit.*

(****) *Huc pertinet Tabula, æri inciſum exhibens* Rubinum adulterinum, *cujus hic fit mentio.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

us, cui
nnulæ,
i erat,
ro pro
me re-
, quæ
& Re-
arandi
u tan-
s, ve-
noſtri
ue poſ-
arolus
is, ea
ntegri
s ima-
ſum il-
que in-
elia &
n dua-
Sere-
, Ro-
- - -
us ea-
majo-
Domus

ſupra
t præ-
ædam
tioſiſſi-
ſuit ha-
it adul-
oque in
& in ea
oſſum,
ram.

Huc-

AROLUS

tio.



Vera Effigies Ducis Burgun



Vera Effigies Ducis Burgundiæ CAROLI Pugnacis An. 1477 quo apud Nanſium in prælio occubuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hucuſque inſigne illud Perilluſtris & Generoſiſſimi Domini *Joannis Jacobi Fuggeri* teſtimonium de *Cimeliis* nonnullis, quæ Burgundiæ Dux *Carolus Pugnax* in prælio *Granſeenſi* A. 1476 perdidit. Quod ſupereſt, veram hic ſubjungo *imaginem* ejuſdem *Ducis*, qualis fuit anno 1477, ubi in tertio infelici prælio ad *Nanſium* occubuit. Deſumpta autem ea eſt ex *libro ſeptimo* ſupra laudati præſtantiſſimi *Operis Fuggeriani* DE GLORIA HABSBVRGENSI ET AVSTRIACA; teſtaturque ibi idem Perilluſtris ejus Autor, Sepulchro Ducis *Caroli Pugnacis* in Cathedrali Eccleſia *Nanſiana S. Georgii* inſculptum fuiſſe hoc Diſtichon: (*)

TE PIGVIT PACIS, TEDVITQVE QVIETIS IN VITA;
HIC IACES CAROLE, IAMQVE QVIESCE TIBI.

A Hanc ergo imaginem debita conſideratione intueantur omnes ambitioſi & inquieti Principes, qui effrænata ſua & inſatiabili cupiditate dominandi per temeraria & injuſta bella pacem & tranquillitatem publicam perturbant, & ex ſubitanea prorſuſque inopinata mutatione ſplendidiſſimæ fortunæ bellicoſiſſimi iſtius Principis, qui toti Orbi Chriſtiano ſua ætate fuit formidabilis, ſubſecutoque præmaturo ipſius & miſero interitu, diſcant tandem aliquando affectuum ſuorum moderari vehementiæ, & immodica magnarum cogitationum ſuarum vota intra juſtos & legitimos cohibere limites, ne Divini Numinis patientia nimium abutendo, ſerum quidem illud, ſed certum ſuperbiæ injuſtitiæque ſuæ vindicem & ultorem experiantur, atque Æſopici inſtar canis, dum alienum inique appetunt, amittant merito proprium.

X.

Vetuſta quinque monumenta, ad hiſtoriam celeberrimi in Inferiori Auſtria Mellicenſis cœnobii Ordinis S. BENEDICTI pertinentia, videlicet. I. Hiſtoria Martyrii & Miraculorum S. COLOMANNI. II. Hiſtoria de Beato GOTHALMO. III. Hiſtoria de particula S. CRUCIS, quæ in cœnobio Mellicenſi adſervatur. IV. Hiſtoria fundationis cœnobii Mellicenſis. V. Epitaphia Marchionum & Marchioniſſarum ex ſtirpe Babenbergica, quorum oſſa in cœnobio Mellicenſi ſecundum Divini Servatoris adventum expectant.

MONITUM.

Libro Commentar. ſecundo a pag. 608. in Deſcriptione Itineris Oenipontani, in quo D. LEOPOLDO IMP. *comes fuerat, de cœnobio Inſtitut.* S. BENEDICTI *Mellicenſi multis, ὡς ἐν παροδῷ,* LAMBECIUS *egit, ubi hæc etiam monumen-*

(*) *Adeo vitioſe, uti hic exhibetur; extat hoc* Diſtichon *in* Opere *illo* Fuggeriano, *nec dubitandum eſt, quin ab ipſo Autore ſuo pro conditione Seculi poſt Chriſtum decimi quinti, maxima ex parte adhuc barbari, ita fuerit compoſitum. Correxit autem illud* Pontus Heuterus, *& Rerum Burgundicarum Libro quinto, pag. 187. interpollatione ſatis dura inſeruit hoc modo:* TE PACIS PIGVIT, TE TÆDVIT ATQVE QVIETIS, CAROLE SICQVE JACES? JAMQVE QVIESCE TIBI.

numenta in lucem primus protulit ex uno eodemque Cæſareo Codice nunc in claſſe Hiſt. Eccleſ. CLIII. Eadem illa hiſtoremata poſt LAMBECIUM *typis ſecundo vulgavit* R. & Cl. Vir ANSELMUS SCHRAMB, *Benedictinus cœnobita Mellicenſis, in præclaro opere, quod* Chronicon Mellicenſe *inſcripſit. Tertio denique, ſed multo diligentius, vulgata fuere* a R. ac Cl. HIERONYMO PEZIO in Scriptoribus Auſtriacis; *priora videlicet duo Tom. I. a pag. 94. tertium Tom. II. a pag. 386. quartum & quintum Tom. I. a pag. 294. Quod autem auctorem primi attinet, uterque hic, notante* Cl. GENTILOTTO, *recte obſervat, male ſtatuiſſe* LAMBECIUM, *Erchinfridum, eorum actorum ſcriptorem, S. Colomanni æqualem fuiſſe; cum ille integro ſæculo, eoque amplius, poſt hunc in hominum memoria fuerit.*

Hiſtoria Martyrii & Miraculorum S. (1) COLOMANNI, natione (2) Scoti, qui (3) A. C. 1012. in Oppidulo Auſtriæ Inferioris Stocherau, olim Auſturis vocato, paſſus eſt, compoſita ab (4) ERCHINFRIDO tertio Cœnobii Melicenſis Abbate, qui eodem vixit tempore.

Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, audiens a Domino, Mundi contemptores centuplo hic remunerandos emolumento, & in futuro vitam æternam poſſeſſuros cum Chriſto, A multas aſſeclarum copias ſuæ converſionis acquiſivit exemplo. Conſiderantes enim, quæ, & qualia ſunt, quæ repromiſit Deus diligentibus ſe, ſpreverunt ea, quæ in Mundo poterant habere,

(1) Ditmarus *Epiſcopus Mersburgenſis, qui eodem floruit tempore, meminit ejus in fine libri ſeptimi ſui Chronici his verbis:* In Bavariorum confinio atque Mararenſium quidam Peregrinus, nomine COLOMANNVS, ab incolis, quia ſpeculator eſſet, capitur, & ad profeſſionem culpæ, quam non meruit, diris caſtigationibus compellitur. Ille cum ſe nimis excuſaret, pauperemque Chriſti ſe ſic vagari affirmaret, in arbore diu arida innocens ſuſpenſus eſt. Nam caro ejus a quodam poſtea paululum inciſa ſanguinem fudit; ungues ac capilli creſcebant: ipſa quoque arbor floruit, & hunc Chriſti Martyrem eſſe monſtravit. *Hæc* Ditmarus. *Vide &* Laurentii Surii *Tom. quintum de vitis Sanctorum, ubi extat Hiſtoria Martyrii* Sancti Colomanni *Sapphico carmine conſcripta a* Joanne Stabio, *Imp. Maximiliani I. Hiſtoriographo. Conſule ſuper Cardinalis* Baronii *Notas ad Martyrologium Romanum die 13. Octobris, & Annal. Eccleſ. Tom. XI. Anno 1012.*

(2) Arnoldus Wion *libro tertio Ligni Vitæ in Martyrologio Sanctorum Monachorum Benedictinorum, eumque ſecutus* Philippus Ferrarius *in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, valde errant, dum hunc* S. Colomannum, *natione* Scotum, *qui in Sacro Itinere Hieroſolymitano, tanquam hoſtilis explorator in Auſtria Inferiori A. 1012. innocens ſuſpenſus eſt, perperam & falſo confundunt cum alio quodam multo antiquiore* Colmanno, *itidem natione* Scoto, *qui* Epiſcopus *fuit* Nordhumbrorum *in Anglia, & errorem Scotorum de celebratione Feſti Paſchalis publice defendit in diſputatione quadam, A. C. 664 eam ob cauſam coram Rege* Oſuui *ejuſque filio* Alchfrido *habita, uti ex Venerabili* Beda *recte & vere refert Cardinalis* Baronius *Annalium Eccleſiaſticorum, Tomo VIII. Injuſte igitur hic ab illis arguitur erroris, cum ipſi potius juſta reprehenſione digni ſint.*

(3) *Chronologiæ hujus veritatem confirmant antiqua illa duo Chronica Manuſcripta* Zwethalenſe & Krembſmonaſterienſe, *quæ alibi a me citata ſunt, his verbis:* A. C. 1012. *Beatus* Cholomannus martyrizatus eſt & ſuſpenſus apud Socherouwe. A. C. 1013. Beatus Cholomannus ſepultus eſt in eodem loco. A. C. 1014. Sanctus Cholomannus a Megingaudo Eiſtatenſi Epiſcopo in Medilicha ſepultus eſt.

(4) *Vide antiqui anonymi Autoris Hiſtoriam hactenus ineditam* de Fundatoribus Monaſterii Melicenſis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bere, vitæ perennis poſſeſſione ut mererentur diteſcere. Horum quorundam converſionem converſationemque nobis commendat fidelis Hiſtoria, ut illorum apud ſuperſtites per ſecula vivat memoria. Quo circa nos quidem officio ſterili poſteris commendare dignum duximus, quæ in (1) NOSTRA *Regione & Nostris quoque gratulamur acta temporibus.*

Regnante glorioſiſſimo Imperatore (2) *Heinrico, qui, tertio Ottone mortuo, Romanorum præponebatur Imperio, plures pro nomine Chriſti peregrinantes, iter direxerunt per Regna ejus Ditioni ſubdita, quia tanta fuit præfati pietas Imperatoris, ut in illo ſitum eſſet grande ſolamen peregrinis, præſidium pacis, refugiumque miſeris. Accidit autem quendam* COLOMANNUM *nomine,* (3) *Scoticæ gentis oriundum, peregrinationis iter arripere, terreſtrem cœleſtis amore Jeruſalem cum aliis, quibus eadem mens erat, expetens inviſere. Venit itaque in* (4) *Orientalem Noricæ Regionem cui a plaga Orientali Pannonia, ab Aquilonari confinis adjacet Bohemia. Harum Nationes Regionum populis* (5) *Noricæ telluris admodum tunc temporis erant moleſtæ, eo quod ab illis ſæpenumero ſint turpiter humiliatæ, devictæ, multiſque modis miſerabiliter afflictæ. Inde contra Virum Dei orta eſt falſa ſuſpicio, tanquam veniret miſſus a prædictis Nationibus cauſa explorationis ac prodendæ Regionis. Hac ſuſpicione furioſæ plebis animi adeo incanduerunt adverſus Famulum Dei, ut ſcopis atrociter caſtigatum traderent ad cuſtodiendum, poſtera die Judici præſentandum; ſed invictus Chriſti miles, parvi pendens breve labentis vitæ ſpatium, mentis ſuæ conſtantiam viriliter corroborando præparavit ad ſupplicium, cupiens adipiſci coronam legitime certantibus promiſſam, quia ſicut Apoſtolus ait: Nemo coronabitur niſi qui legitime certaverit. Vt autem ventum eſt ante Judicem, modeſtiam, quam in animo habuit, ſermone vultu & habitu demonſtravit. Interrogatus itineris ſui cauſam veraciter expoſuit; aliud quicquam confiteri, quam quod res erat, compelli nunquam potuit. Tunc Judicis edicto aſperis horrendiſque cædebatur verberibus, ut ſi explorator eſſet, ſaltem confiteretur victus pœnarum doloribus; ſed fortiſſimus Athleta Colomannus, qui ſolvi & eſſe cum Chriſto cupiebat, acria tortorum flagra, lapides,* (6) *ovaque fortiter ignita, candentem quoque forcipem, qua quidam perverſus malleator corpus ejus miſerabiliter vellendo cruciavit, ſerram etiam, qua cru-*

ra

(1) *In Auſtria videlicet Inferiori.*

(2) *Cognomine* Secundo, Sancto & Claudo, *qui Imp.* Ottoni III. *ſucceſſit A. 1002, & A. 1024. obiit.*

(3) *Ita ibi ſcriptum eſt in caſu genitivo pro* Scotica gente.

(4) *Locus hic ſecundum veritatem antiquæ Geographiæ reformandus eſt hoc modo:* Venit itaque in occidentalem Quadorum regionem, cui a plaga meridionali Noricum Ripenſe & Pannonia Superior, ab Aquilonari autem confinis adjacet Bohemia. *Vid. Philip. Cluverii Germaniam Antiquam, ubi agitur de Quadis, ut & ejuſdem Chronographiam Vindeliciæ & Norici.*

(5) Noricum Ripenſe, *quod in dextera Danubii ripa ſitum eſt, perperam hic confunditur cum tellure* Quadorum, *quæ eſt e regione in ſiniſtra ripa ejuſdem fluvii. Secundum veritatem igitur antiquæ Geographiæ pro* populis Noricæ telluris *ſcribendum hic eſt* populis telluris Quadorum *Oppidulum enim* Stockerau, *ubi* S. Colomannus *paſſus eſt, ſitum eſt trans Danubium in Regione* Quadorum, *non autem cis Danubium in* Norico Ripenſi.

(6) *Locus Notabilis de cruciatu per* ova ignita.

ra ejus lacerabantur, constanter innixus præsidio Christi nullificavit. Carnifices vero cernentes invictam viri Dei constantiam, animam ejus tormentis, sicut aurum, quod in fornace probatur, excoctam, tandem extorsere suspendio, duobus latronibus suspensis cum eo. Horum carnibus frequenti morsu avium bestiarumque dilaniatis ac putredine consumptis, Sancti Viri corpusculum, unguibus cum barba cæsarieque crescentibus, materiali corruptione procul remota floruit. Insuper (1) *torta, in qua pendebat, fronduit, impleta Prophetia Psalmigraphi, quæ ait: Justus ut palma florebit. Incolis autem Regionis ejusdem novo & inaudito stupidis miraculo, contigit cujusdam Rumaldi filium morbo debilitari podagrico; patre vero super hac re graviter anxio, & quid ageret, dubio, quadam nocte sibi revelabatur in somnis, filium suum pristinæ sanitati restituendum, si locus morbi oblineretur carne strangulati videlicet hominis. Igitur experrectus, ac tali visione solito quidem hilarior effectus, accuratissime quæri & afferri medicinam misso festinanter præcepit nuntio, quam prædicta sibi revelavit visio. Profectus ergo nuntius, postquam devenit ad locum, ubi venerabile pendebat Corpus, infixa lancea frustum carnis de sura pendentis, ut jussus erat, abstulit, & mox mirum in modum magna sequebatur copia tam calidi cruoris, ac si anima adhuc observaretur in hospitio corporis. Hoc viso legatus velut attonitus expavit, tamen deferenda ad Dominum suum perferens, rem, ut gesta erat, pleniter enarravit. At puer, cujus causa fiebant hæc, allatæ carnis medicamine tertio oblinitus, surrexit incolumis, viribus fortiter innitens propriis, qui prius ad surgendum vix utebatur alienis. Tali modo ipse sibi redditus, indefessas grates retulit Deo & Beato Colomanno, cujus per merita pristina sanitas est ei restituta. His ita gestis, idem Rumaldus iter faciens divertit ad patibulum, ubi Sancti Viri corpus erat pendens. Intuitus autem diligentius tam ipse, quam omnes, qui secum advenerant, & ille potissimum, qui causa abscindendæ carnis missus fuerat, nam & is in eodem comitatu aderat, admirabantur non solum non factum vulnus, sed nec cicatricem vulneris in corpore pendentis apparere. Ita etenim, Divina præstante Gratia, diminutio illa fuit reintegrata, ut nullum omnino cicatricis vestigium reperiri posset in illo. Quidam autem venator, cujus præcordia frigore obriguerunt perfidiæ, si verum est, inquit, quod asseritur, ut de isto cadavere cruor decurrat calidus, hoc ego sum jam comprobaturus. Arrepto itaque venabulo Venerabilis Viri latus perforavit, unde confestim sanguis ubertim profluens, ipsum, & cui insidebat jumentum sacris imbuit reliquiis. Rumaldus autem, & qui cum eo aderant, visæ rei formidine trepidi, non parva multitudine Cleri & populi coadunata, decreverunt beatæ memoriæ Viri corpus sepeliendum deponi. Si quis autem nosse velit, quantum temporis spatium pen-*

(1) Torta *significat hic surculum, qui ab arbore reciditur, & in funem torquetur. Plura hujus vocis eodem sensu usurpatæ exempla vide sis, in* Frid. Lindenbrogii *Glossario Legum antiquarum & in* Matthiæ Martinii *Lexico Philologico.* Henricus Spelmannus *in Glossario suo Archaiologico* Tortam *interpretatur vimen tortum, vel ad torquendum facile.* Ditmarus *Episc. Merseburgensis in fine libri 7. ubi ejusdem miraculi meminit, his utitur verbis:* Ipsa quoque arbor floruit, & hunc Christi Martyrem esse monstravit.

pendendo impleverit, integrum annum computet & dimidium. Est autem prope Danubium quædam speciosa & delectabilis (1) augia, in qua noviter constructa fuit Basilica; illuc prædictus Dei Famulus utriusque sexus tripudio & plausu deferebatur humandus. Sequenti igitur anno Danubius, effreni licentia littorum curvitates evagatus, pleraque ædificia suis viribus eruta funditus ingurgitavit, & quæque loca sibi contigua æstuantis diluvii copiis inebriavit. Atrium autem Basilicæ, juxta quam Beati Colomanni cadaver venerandum humatum quievit, tanta diluvies replevit, ut medietas Ecclesiæ prævalentibus aquis vix appareret; sed Omnipotentis Dei clementia per Famuli sui merita nova ostendit miracula, & nostris quoque seculis inaudita. Nam tumulus, quo claudebatur corpus ipsius, aquarum diluvio non attingebatur penitus. Fluctibus etenim undique sævientibus, locus sepulchri aprica viriditate fruebatur, quasi muri validi fuissent munimine circumdatus. Quidam autem piscator, quem vacui ventris furor, & rerum habendarum inopia compulit vagari per Danubium, aquarum violentia impulsus ad eundem pervenit locum, videnque insoliti miraculi prodigium, proræ gubernaculo paululum demisso, vehementer obstupuit, sed mox ad se reversus, suæ aliarumque villarum civibus ipsam rem iterum attonitus prædicavit. Illi autem, correptis navibus, festinabant videre magnalia Dei, & videntes admirati sunt, dicentes: Sicut audivimus sic vidimus. Deinde Omnipotentiam Dei his glorificabant vocibus: Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Hujus tam præclari stupendique miraculi fama ad aures (2) Henrici Marchionis pervenit rumoribus allata: qui statim missis Clericorum ordinibus & quibusdam (3) Militiæ suæ primatibus, præcepit, ut in suam (4) Civitatem honorifice transferrent miraculis glorificatum corpus. Venerunt autem missi ad sepulchrum, sed priusquam impresso sarcofagum tangeretur fossorio, tanta miri & insoliti odoris occurrit eis fragrantia, ut omnes, qui aderant, lacrymis maduissent effusis præ gaudio. Aperto itaque sarcofago, invenerunt Sancti Viri corpusculum ab omni corruptione penitus illæsum, ac si eadem die esset humatum. Consideremus ergo quanti meriti Sanctus iste sit apud Dominum, qui tantum temporis in tumulo quievit, quantum in patibulo pendens adimplevit, & tamen corpus ejus corruptionis detrimentum non novit. Nam a die illius suspensionis usque ad diem translationis totum triennium transiit temporis. Elevato igitur desiderabili thesauro, & linteis palliisque ad hoc præparatis involuto, optatum iter primo arripuere diluculo, fugiente procul adversitatis infortunio. Non autem parvam multitudinem sequi & occurrere visa auditaque compellebant miracula, laudes hymnosque refe-

(1) Augia *vocabulum Latino-barbarum ex germanico* Au *vel* Aw, *quo significatur campus pascuus amni adjacens vel amne circumfusus. Intelligitur autem hic Austriæ Inferioris Oppidulum* Stocherau, *situm in sinistra ripa Danubii, & olim a Romanis vocatum* Astura.

(2) *Is est* Henricus, primus *ejus nominis ex familia Comitum Babenbergensium Marchio Austriæ, qui patri suo* Leopoldo I. *cognomine* Illustri, *successit A. C. 983; secundum antiquum Chronicon Austriacum Zwethalense MS.*

(3) Militia *significat hic* die Ritterschafft *sive Ordinem equestrem.*

(4) *Nempe* Medlicum *sive* Melck, *a Romanis olim vocatam* Nomale.

referentes viventi & regnanti in ſecula. Inſtante autem noctis jam crepuſculo, diverterunt ad Eccleſiam non longe a via poſitam, cupientes in illa noctem divinis laudibus poſito tranſigere corpuſculo. Cumque omnes, vigiliis præteritæ noctis ac laſſitudine itineris victos, languor opprimeret ſoporis, quidam adventitius Clericus, cæteris dormientibus, leniter arripiens Beati videlicet Hominis pedem, reſecto pollice mutilavit, unde vix ſedandi ſanguinis ubertas profluens pavimenta irrigavit. Orto autem die, cum elevato corpore dirigerentur in itinere, occurrit quidam infirmus nomine Adalgerus adductuſque ad feretrum, ſuæ infirmitatis imploravit remedium. Cumque oratione completa ſurrexiſſet, unicuique membrorum proprio officio pleniter initebatur, ut ſuis fortiter greſſibus inſiſtens & manibus Crucem portans ante feretrum uſque ad locum ſepulchri tripudians ac Deum glorificans graderetur. Clerici vero, qui Sacras deferebant Reliquias, hæc cernentes, cum cætera multitudine laudibus extulerunt Dei magnalia, & Sanctum ejus Colomannum, cujus per merita ſigna fiebant talia. Hac glorioſa jucunditate tandem pervenerunt ad Civitatem nomine Medlicam, in qua pretioſi pignora theſauri Henrici Marchionis juſſu fuerant reponenda. Vbi in (1) Nonis Octobris Dominicæ Incarnationis milleſimo (2) quinto decimo anno Optimatum conſilio poſuerunt eum in Eccleſia, bonori Principis Apoſtolorum dedicata, Auſtrali in abſide, ubi plurima per illum mirabilia jugiter operatur Dei Virtus & Sapientia, quæ cum Patre & Spiritu Sancto vivit & dominatur per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Sequuntur Miracula ex pluribus pauca, quæ circa præſens ſepulchrum poſt ejus Sacri Corporis illuc translationem geſta ſunt.

Ex multis mirabilibus, quæ DEI Clementia per ſuum fidelem Famulum oſtendit, pauca, quæ nobis videndo cognita ſunt, perſtringimus, ut fideles animentur & corroborentur, infideles vero convertantur & meliorentur. Poſito itaque in Eccleſia Sacro Corpore, multi quotidie veniebant, & ſecundum quod unicuique copia erat, oblationes deferebant ad Sanctum; quas quidam nomine Huzo ſtimulo Sathanæ incitatus ad furandum, nocte per feneſtram intravit, cumque ſuper ſepulchrum Viri Dei ſtaret, & ea, quæ ad laudem Sancti ſuſpenſa pendebant, diriperet, ut dudum mentem humanam, ita demum faciem ſuam amiſit, & caninam accepit, & pro verbis latratum fudit. Quem cum ædituus regrediens latrantem in Eccleſia audiſſet, expavit, & non audiens accedere, donec Cives Villæ vocaret, eorumque congregatione confortatus, oſtium aperuit & intravit. Ignorantibus autem cæteris quid eſſet, hominis Dominus nomine Wilhelmus (nam & ipſe aderat) veſtibus fuiſſe ſervum ſuum cognovit, & quid agerent ignorantibus, hoc conſilium placuit potiſſimum, ut ad ſepulchrum Viri Dei traderet illum, quod cum factum fuiſſet, & multitudine circumſtantium orante, priſtinum rece-

(1) *Hoc eſt, die 7. Octobris. In* Martyrologio *autem* Romano *celebratur memoria paſſionis ejus* tertio Idus Octobris, *hoc eſt die 13. Octobris.*

(2) *In duobus ſupra citatis antiquis Chronicis MS.* Zwethalenſi & Kremſmonaſterienſi, *refertur hæc S. Colomanni translatio ad annum 1014.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recepit vultum & oris officium, ac ita usque ad finem vitæ suæ in servitio degebat fratrum, cujus adhuc filia in nostro est servitio. Hac igitur fama magis magisque crebrescente, Petrus Rex Vngarorum est accensus, quali modo posset hoc acquirere & in suum Regnum traducere Sanctum Corpus. Hæc eo meditante, Treverorum Archiepiscopus Poppo, Marchionis Henrici præfati frater, ab Jerosolyma rediens, venit in Regnum ejus, quod Rex ut audivit, magno gavisus gaudio, ad se vocavit, sperans effectum sui desiderii per eum se inventurum, quod ita est etiam factum. Cum enim vocatus veniret, sicut utrumque decuit, Regem videlicet & Archiepiscopum, honorifice suscepit, magnifice habuit, gloriose tractavit. His, ut sæpe fit inter bonos, Archipræsul vicissitudinem cupiens rependere, quidquid ab eo Rex desideraret, magna pollicebatur & bona se voluntate facturum. His auditis Rex factus multum hilaris, quod diu animo volvebat, optimo Præsuli verbis exponebat. Sed quanto Rex ex verbis Pontificis fuit lætior, tanto Pontifex ex verbis Regis factus est tristior. Anxius enim hærebat animo quid ageret; promittere non audebat, veritus se non posse apud Fratrem impetrare, timuit vero negare; nam formidavit, si negaret, ut vi, sicut factum est, cogeretur. Postquam enim Rex vidit illum stupentem, minatus est, si non faceret, vincula & carcerem. His minis victus Episcopus cum promitteret, constrinxit eum Rex sacramento, ut, quod promisit, sine dubio fieret. Veniens itaque Episcopus ad Fratrem, magna afflictione cordis aperuit & lacrymis, quod violentia compulit Regis. Marchio autem, ut semper fuit

A *Vir bonus & prudens, ne qua macula optimum suum genus fuscaret, quamvis invitus, decrevit tamen facere, quod Rex coëgit suum Fratrem jurare. At postquam delata sunt sacra ossa Regi in Vngariam, retrolapsa est res ejus. Nam aëris siccitas, terræ sterilitas, fames & mortalitas totum Regnum ejus in tantum urgebant, ut penitus interire se crederent. Miserunt tandem ad prædictum Marchionem Heinricum, postulantes Legatos mitti, qui digne Sancti reportarent ossa Viri.*

B *Missis itaque Religiosis Viris, videlicet Clericis ac Laicis, sacra ossa receperunt, & Regi suisque veniam pro delictis dantes, ad laudem & gloriam nominis Omnipotentis Dei in prædictum locum Medlicam honorifice reportaverunt. Nec prætereundum est, qualis vindicta Dei persequebatur eos, qui sepulchrum fregerunt, & sacra ossa extulerunt. Clericus quidam paralysi morbo percussus, linguæ officio est privatus. Faber vero ferrarius, qui*

C *primus fregit sarcofagum & aperuit, hac ultione Divina est percussus, ut maxilla ejus per integrum annum penderet super lectum, in quo ipse jacebat infirmus. Nec hoc silebimus, quod quidam Pictor nomine Ludovicus, dum sederet juxta sepulchrum Beati Colomanni causa pingendi, elevatis palliis sepulchri introspexit, & confestim omni destitutus est membrorum officio, donec publica voce confessus est, qua de causa hoc meruisset, & veniam petens promisit, quoadusque viveret, Sancto Colomanno se esse serviturum quantum posset, & ita Dei gratia & per famuli sui merita periculum evadens, sanitatem recepit. Quadam nocte inter matutinales laudes quidam nomine Gnanno, qui mutus quinquennio in ser-*

vitio erat Fratrum, cum de monte de-
ſcenderet pro deferenda aqua ad ſuum
miniſterium, viſum eſt ſibi quaſi qui-
dam lineo fune ligato circa brachium,
vi eum traheret ad ſepulchrum Viri
Dei. Qui cum a circumſtantibus,
quid quæreret aut quid vellet, inter-
rogaretur, manibus innuit, orandi
ſpatium petiit, & ſic inter orandum
loquendi facultatem accepit. Filia
quoque Comitis Wolfradi muta & cur-
va eodem modo eſt allata, ſed Gratia
Dei per merita Beati Viri loquens &
erecta, Crucem de ſepulchro ad majus
Altare Sancti Petri Apoſtoli portavit.
Alia quædam puella, cujuſdam Her-
manni filia adhuc ſuperſtitis, cæca,
muta, curva, a matre eſt illuc addu-
cta, quæ oratione Fratrum per merita
Beati Martyris Colomanni & viſum,
loquendique uſum cum integritate alio-
rum membrorum recepit. Tertia puel-
la venit manibus genibuſque repens,
crura pedes humo traxit, quæ inter
Miſſarum ſolennia ſurrexit, & a ſe-
pulchro ad majus Altare Sancti Petri
Apoſtoli progrediens gratias Deo ſuæ
ſanitatis retulit. Vir quidam tanta
infirmitate correptus eſt, ut, uno ocu-
lorum ejus in modum crateræ extra lo-
cum tumore ejecto, magna ſpe recupe-
randæ ſanitatis a Beato Viro auxilium
flagitaverit: ſed, cum conſumptis lon-
gis precibus, & multis effuſis lacry-
mis, nil ſoſpitatis ſentiret, receſſit
flens & ejulans atque dicens: Heu,
heu, o Beate Martyr Colomanne, unde
hoc merui, quod ego ſolus omnium,
quorum tu miſertus es, nullam gratiam
inveni? His & aliis, quæ dolor di-
ctat, vocibus multiplicatis, in ipſa per-
gebat via, & quam deſperabat, ſalus
ſibi ſubito conceſſa eſt. Percepta igi-
tur hac gratia, flexis in terram geni-
A *bus tanta perfuſus lætitia, quanta prius*
mæſtitia, regreſſus eſt, magnificans
& laudans Deum ac ſalutis ſuæ impe-
tratorem Pium Colomannum. Aliud
quoque miraculum in quodam Rudolpho
accidit. Hic omnium, præter oculo-
rum & linguæ, membrorum officio de-
ſtitutus, vehiculo ad januam Eccleſiæ
ductus, & ad ſepulchrum Famuli Dei
manibus in ſella deportatus eſt. Do-
mino itaque Abbate cum Fratribus
orante, Clementiam Dei tam velocem
ſenſit, quod ſine mora propriis viribus
B *innitens ſurrexit, & gratiarum actio-*
nes Deo perſolvens, qui prius alienis
utebatur viribus, equum aſcendit &
hilaris repatriavit. Hæc pauca ex
multis, quæ Dei Clementia ad laudem
& gloriam ſui nominis & honorem
Beati Colomanni operata eſt, & quo-
tidie operatur, digeſſimus ad fidelium
corroborationem & infidelium conver-
ſionem, ne quis id, quo indignus eſt,
præſumat, neque illud, quod Gratia
Dei valet conſequi pertimeſcat, Amen.

Hiſtoria de Beato GOTHALMO, qui
in Cœnobio Melicenſi ſepultus eſt,
C compoſita a BERNHARDO cognomi-
ne DAPIFERO, Monacho Meli-
cenſi, Anno 1362.

Sequitur de Beato Gothalmo Peregri-
no, cujus oſſa a dextero latere Altaris
Beatæ Mariæ Virginis in crypta in
Sarcofago marmoreo quieſcunt albo, &
dietim ab univerſis pæne, qui Monaſte-
rium iſtud & ipſum locum devotius vi-
ſitant, venerantur. Qui licet haud du-
bium miraculis claruerit, tamen alia
nobis Sanctitatis ejus teſtimonia ad præ-
ſens non conſtant, præter ea, quæ ſub-
ſequens breve Memoriale, ex quodam
antiquo Codice hic reſcriptum, con-
tinet in hunc modum.

Ego

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ego Frater Bernhardus, professus Monachus Mellicensis Cœnobii, dictus Dapifer, existimavi esse utile ac salubre in rei memoriam perpetuo apud homines perducere, & ad notitiam omnium Christi fidelium præsentium & futurorum, nationem & adventum in Austriam & ad Cœnobium Mellicense & inibi mansionem Beati Godhalmi Peregrini, in crypta Mellicensis Monasterii quiescentis, & hoc ut veraci relatu seniorum fide dignissimorum, & aliorum multorum hominum ex utroque sexu, meis in temporibus viventium, melius percipere potui, & ut ipsi ab eorum senioribus & contemporaneis Deum timentibus perceperunt. Igitur ego Bernhardus supra nominatus Anno Domini MCCCLXII. in Vigilia Sancti Barnabæ Apostoli, quæ fuit in una sexta feria post synaxin vespertinam chartis commisi sic & sic contigit.

Cum Beatissimus Christi Martyr Colomannus patriam suam Scotiam, dominiumque terrenum sive Regnum prædictum pro amore & Regno JEsu Christi Domini relinquere disposuisset, & hoc non alteri viventi, nisi huic Beato Viro Gothalmo, revelasset, qui videlicet Beatus Gothalmus Patris Sancti Colomanni (1) Cellerarius dicitur fuisse, non tamen quando id facturus esset sibi indicando, Beato Colomanno postea clam perdito Jerosolymamque tendente, cum præ amore, quem erga eum habuit, ipsum sequeretur, eumque undique quæreret, Austriamque veniret, & ibidem jam passum, mortuum & jussu Pii Henrici, tunc temporis nostræ terræ, scilicet Austriæ Marchionis, in Mellica sepultum audiret, tunc & ipse ad suum dilectum (2) Domicellum & Dominum tali modo advenit. Cum una dierum suæ peregrinationis versus (3) Mellicam, ad villam dictam Maur a prædicta Civitate Medlica miliario uno distantem, quæ Sabbato dies esset, inibi pernoctando venisset, & quidam rusticus nocturnam ei dedisset quietem, & ipse ad horreum dormitum ivisset, & in crastino videlicet die Dominico surgendi tempus adesset, & non surgeret; pluries excitatus, tandem percunctatur diligentius, ut quomodo sibi foret, inveniturque obdormisse in Domino. Et super feretrum collocato, inveniuntur sine humana administratione candelæ accensæ cum eo. Tunc ad Medlicam perducitur, (nescitur tamen quoto Domini anno) & ibidem sepellitur, nobis tamen modo primæ sepulturæ ejus locum ignorantibus, modo ubi ejus sacra ossa continentur, bene scitur, scilicet in cavato & marmoreo & hoc albo lapide juxta Altare Dei Genitricis Virginis Mariæ in crypta Mellicensis Cœnobii, in parvis columniolis locato, ejusque memorialis dies est in die Sanctæ Annæ, Matris almæ Mariæ perpetuæ Virginis. Signum etiam quoddam, quod Dominus per eum fecit, & ejus Sanctitatem in hoc ostendit, ut etiam

(1) Cellerarius *latino-barbare pro* Cellario, *qui præest cellæ, in qua cibus ac potus aliaque ad victum necessaria reponuntur. Vid. lib. 2. Historiæ meæ Hamburgensis pag. 201.*

(2) Domicellus *diminutivum ex* Dominus. *Nempe a* dominus *fit* dominicus, *inde* dominiculus, *hinc* dominicellus, *pro quo latino-barbari Scriptores usurpant corruptam vocem* domicellus. Domicellus *ergo idem est atque* Dominus junior, *quem Terentius vocat* herilem filium.

(3) *Ita ibi promiscue interdum quidem* Mellica, *interdum autem* Medlica *scriptum est.*

etiam relatu didicimus ſeniorum fide digniſſimorum, his ſcriptis omnibus legentibus & audientibus manifeſtamus. Cum quidam Rex Bohemorum, proprio nomine nobis tamen ignotus, Mellicam veniſſet, & ſarcofagum marmoreum & album, in quo ejus oſſa, ut prædictum eſt, continentur, vidiſſet, & dubitaret, quod inibi Reliquiæ eſſent, foramen quadrangulum fecit in capite ipſius ſarcofagi fieri. Quod ut cœpit facere, protinus viſum amiſit. Tunc omnes perterriti, genua flectentes ante Altare Matris Mariæ Virginis ibi juxta ſitum, cum devotione ſupplicantes primo Domino Deo & Virgini Mariæ ac poſtea Beato Gothalmo, ut cum cæco Rege facerent miſericordiam, Rexque talia nunquam amodo ſe vovit acturum. Tunc, oratione finita, Rex viſum recepit, meritis & interceſſione, ut firmiter credimus, & credere tenemur, Beati Gothalmi, & quadrato lapide & albo fracturam clauſit, uti usque hodie manifeſte videtur ſignum hujus foraminis ipſum ſarcofagum intuentibus, & cum gaudio receſſit. Quo autem hæc acta tempore fuerint, vel quoto Domini anno, nobis non patet, & hoc vel propter tunc viventium deſidiam & negligentiam, vel propter noſtri Monaſterii & librorum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, & hoc in vigilia aſſumptionis exuſtionem contigit. Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, in die Sancti Paulini Epiſcopi & Confeſſoris, qui eſt in Vigilia S. Ægidii Abbatis, Rudolphus, inclytus Dux Auſtriæ, & cæterorum ſuorum titulorum Princeps & Dominus, hujus nominis Quartus, hic in Mellicenſi Cœnobio exiſtens, volens experiri, ſi quod ſcriptum, aut aliud evidens ſignum cum Beato Gothalmo eſſet peregrino in marmoreo lapide, ſcilicet in ſuo ſarcofago, in crypta Mellicenſi, in parvis columniolis ſito. Itaque prædicto die devotus Dux una cum Domino Abbate & aliquibus aliis, ad hoc ſpecialiter vocatis, ſecrete accedens & adſtans, accenſiſque candelis, & pſalmis ſubmiſſa voce fratribus aliquibus de Conventu dicentibus, ipſius ſarcofagi ſuperiorem lapidem removens, ſicque inibi exiſtentia oſſa videns, nihil aliud reperit quam ipſa oſſa, & in media fronte capitis ibidem reperta eſt Crux parva & alba affixa, quaſi eſſet facta de pura ſimilaginea (1) paſta. Quam crucem quidam ſuorum Capellanorum Presbyter ſecularis, dictus Liemberger, abrupit incaute manibus attrectando nobis præſentibus, & pro hujuſmodi abruptione dolentibus, primoque tamen nobis ſuper hanc admirantibus, & ſic poſtea beatis oſſibus ſacrario commendatis uſque ad reparationem ejuſdem ſacrofagi, tunc quoque & ipſa oſſa ſunt in eodem loco reincluſa, præſente Domino Gotſchalco tunc temporis cuſtode, me vero Bernhardo Dapifero prob dolor abſente.

Hiſtoria de particula Ligni S. Crucis, quæ in Cœnobio Melicenſi adſervatur, conſcripta ab anonymo quodam vel Abbate vel Monacho ejuſdem Cœnobii.

Tabula ſive Memoriale Scriptum de portione Ligni ſalutiferæ Crucis, quæ in præſenti Monaſterio Mellicenſi ſub laminis aureis habetur, & a fidelibus populis tam devote adoratur & officioſe viſitatur, & de miraculis Divina virtute in ea mirabiliter oſtenſis.

Quia

(1) Paſta *vox latino-barbara pro* Maſſa.

Quia generatio præterit & generatio advenit, ad memoriam autem rerum gestarum nihil melius literis convenit sive scriptis, ad cautelam nostri nostrorumque posterum insimuamus notitiæ præsentium fidelium & futurorum, qualiter Divina dispositio patentibus claruerit miraculis in parte Ligni S. Crucis, quæ præ cunctis aliis Ecclesiis Mellicensem Ecclesiam ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem, tanquam aliarum Ecclesiarum Dominam inhabitare voluit & elegit. Miranda utique nostris sensibus intonuit nuper novi rumoris veneranda festivitas, & celebris in Monasterio Mellicensi fama, totum divulganda per Orbem, non immerito recolenda concrevit, super quibus tanto relatoribus fides est certior adhibenda, quanto facti qualitas & series gestæ rei verisimiliora videntur habuisse primordia, & autorisabiliores obtinere noscuntur in tanto Monasterio patratores. Sane olim sicut habet Antiquorum fida relatio, & in lege Mosaica plenius dicitur contineri, prius quam Mundo Sacræ Doctrinæ Lumen Apostolicæ rutilaret, Dei Providentia, quæ in sui dispositione non fallitur, populo Israëlitico Moysè Duce ad terram promissionis redeunte, fienda salutiferæ Crucis quibusdam sub figuris præsignavit Mysteria, quæ veniente plenitudine temporis Verbo Dei incarnato, crucifixo, resurgente, & Cœlos ascendente, jam Sancta Mater Ecclesia exultans saluberrime credit facta, eadem sua nobis clementia Passionis Dominicæ portione Crucis pretiosæ licet in parva, virtutis tamen ingentis, miracula non minima in præfato Mellicense Monasterio suscitavit. Hæc licet scripta non appareant manifesta, quæ si fuerint tantæ forte gratiæ, ma-

A *mus rapuit invida, vel lingua dolosa subticuit, aut magni ignis flagrantia, quæ Monasterium dicitur prælibatum graviter exposuisse, & exustionis ipsius immanitate forsitan in cineres commimuit, ex nonnullorum testimonio, qui adhuc favente Domino supervivunt, & alias a multis, qui se illud a Progenitoribus suis asserunt accepisse, habetur credibilis certitudo.*

B *Anno quippe Incarnationis Domini millesimo centesimo septuagesimo, veridica testante scriptura, eandem portionem salutiferæ Crucis, aureæ Cruci cum aliis Reliquiis inclusam, quidam Clericus, minister Sathanæ, Rupertus nomine, auri cupidine illectus furatus erat, de quo furto propter communem ad Deum & devotum Ecclesiæ clamorem publicatus est, & deprehensus, & judiciali insuper sententia suspendio vitam finivit. Propter quod Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Adalbertus Sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus his in magna delectatione cordis auditis, habitaque super hoc meditatione sollicita, velut Pastor bonus ad ovile Domini congregans vigilantius gregem suum, & tanquam doctus puppis Apostolicæ remex portum quietis desiderans parare fidelibus ac salutis, attendens quoque dignum fore Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Mellicensem Ecclesiam, qui caput fuerunt Fidei & Ecclesiæ præcipui fundatores, magna honoris & reverentiæ prærogativa gaudere, si, ut prætiosissimum Lignum, & iidem Apostoli eo amplius honorentur, quo eodem Mellicensis Ecclesia, quæ in eorum est dedicata honore, devotius fuerit a fidelibus frequentata, hanc Solennitatem in Mellicensi Ecclesia tertia decima die*

C

Menſis Februarii ſolenniter celebrandam inſtituit, &, prout decet, inſtituta ſolenniter obſervatur, quando venerabilis Crux, a præfato Ruperto Clerico furata, a Wienna uſque ad Nusdorf in navi ſine nautis & ampluſtribus ſupernatavit. De quibus ambiguitas fideli cuique nulla eſſe debet, ex eo quia in retroactis temporibus facta fore aſſerantur, ſed major fides eo amplius eſt adhibenda, quo eodem pretioſum Sanctæ Crucis Lignum ſua virtute ſtupendis inauditiſque miraculis in aqua non diſſimiliter & in terra noſtræ ætatis clarius effulſit temporibus, ſicut in infra annotatis jam patebit.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo fuit quidam Otto Grimſinger cognomine, civis dives in Emerſtorf qui in confinio Mellicenſis Cœnobii affines dinoſcitur habere non paucos. Hic itaque amentia magna & ſtimulo Sathanæ longo animadvertebat tempore, quali modo Sanctæ Crucis Lignum venerandum a Mellicenſe Monaſterio deferret, & illuc, ubi pro eo ſe credebat remunerari, traduceret. Is etiam, quaſi Dominorum collactaneus, eorum raro defuit ſolatiis, fidelem forinſecus ſe ſimulans, infidelitatis tamen & vitiorum mala, unde vitari debuit, intus contexit, & hominibus quorundam demonſtratione operum de ſolo foras juſtitiæ colore blanditus eſt. Accidit hoc itaque decima die menſis Novembrium, quando ea nocte cæteris amplius cibis & in potibus vulgus convivare aſſuevit, quod præfatus Otto Grimſinger perfidiam, quam diu tulit in pectore, non ſegniter ſatageret perficere. Nam Fratribus in eorum collatione ſedentibus, clavibus quibuſdam, alternatim ſecundum formam juſtarum clavium ceræ impreſſam limatis, Sacriſtiam aperiens, Sanctæ Crucis Lignum in papyro tunc poſitum, quod Illuſtris Princeps & Dominus, Dominus Rudolphus, Quartus Dux Auſtriæ, &c. parvo antea tempore de aurea Cruce poſuit, (voluit enim ſicut fecerat eam auri pondere augmentare,) & aliam Crucem deauratam, quæ Pectoralis Abbatis dicitur, cum Reliquiis incluſis, & Infulam & Calices cum aliis ad Altare attinentiis, furtive usque in Reëcking ad Danubium deportavit, qua de re amentias ſe magnas & membrorum diſſolutionem ibidem & antea in Sacriſtia ſuſtimuiſſe profeſſus eſt. Sed ſic attritus a ſua via mala non eſt reverſus, & naviculam, quam ibi reliquerat, aſcendens, deferre in aquam voluit, & infra Schönpühel, Deo volente, deducere nequaquam potuit. Qui mutato animo & itinere, Danubium transfretavit, & in domum ſuam hæc omnia deferens, per aliquot ibi dies ſecum latenter ſervavit. Interea dum Domini dormitum irent, & Dominus Bernhardus, Dapifer dictus, tunc temporis Cuſtos Sacriſtiæ, pro emendatione luminis, quod tunc intus ardebat, vellet intrare, Sacriſtiam apertam inveniens maxime expavit, aliquibuſque intrantibus, hæc omnia exportata cernebant, ſed quis fecerit, quove devenerint ignorantes, maxime turbati ſunt. Hujus itaque direptionis cum aliquod jam tempus tranſiſſet, nec ab aliquo ſciſſitari poſſet quiſnam abſtraxiſſet hæc, neſcio quo malignus iſte ſpiritu ductus fuit, quod quadam nocte quendam Kerner dictum adiit, mutataque, ne agnoſceretur, voce, rogabat eum, ut literam, quam ſibi per feneſtram tribuit, Domino Abbati ex parte cujuſdam Gotſchalci de Haſelpach præſentaret, & ſic incognitus ab eo receſſit,

ceſſit, famuluſque ſicut ſibi ſupplicaverat, literam Domino Abbati apportavit. Qua lecta coram eo tenor ſcripturæ talis erat: Subreptionis Sanctæ Crucis aliarumque rerum obnoxius nemo tenetur, Priore duntaxat & fautoribus ſuis exceptis, & in hujus rei teſtimonio quæratur in Cellari Prioris, & ibidem invenietur Infula dilapidata & ornatu ſuo privata. Intellecto igitur hoc, Dominus Abbas hæc inquirere ilico præcepit, ſed everſo Cellari toto, horum nihil, ut mentiebatur, inventum eſt. Nam Infulam ornatu ſuo privatam, in Cameram unam, quam Cellare credidit eſſe Prioris, nequiter ipſe nequam per feneſtram jactavit. Voluit enim ſuæ infidelitatis culpa innocentes etiam illaqueare. Verum, ut dicit Cato, nolo putes pravos homines peccata lucrare, temporibus peccata latent, & tempore patent, ita cum iſte ſceleratus malum malo aggregare niteretur, laqueis, quibus aliis noxam furti irrogare conabatur, ſe ipſum & ſuum complicem quendam Petrum ſcriptorem; & hujus furti adjutorem, qui ſcripſit literam antememoratam irretivit. Inſuper ejus maleficia haud dubium, Deo diſponente, tali modo patenter enituerunt. Factum eſt ut multi legerent literam, quam nuper ex parte Gotſchalci de Haſelbach Domino Abbati miſerat. Vnus tunc temporis de ſervis Heinrici, (1) Mutuarii in Emerſtorf, Baltherus nomine, cum legiſſet literam, in ſcriptura ſtatim novit, quis eam ſcripſiſſet, & tenorem literæ non in malam alicujus, quam Domini ſui, qui Domino Joanni Priori ſpecialis præ cæteris erat, confectum ſolum ex informatione Ottonis Grimſinger arbitrabatur. Quamobrem ipſe Baltherus & ſui conſervi ſtatuerunt inter ſe, ut ſcriptorem vel plagis afficerent, vel penitus occiderent. Sed ne hæc ita fierent, Dominus Abbas intervenit, & potiori conſilio in Emerſtorff quarto Calendas Decembris captivatus eſt, & carceribus in Weitteneck mancipatus, qui furti noxam protinus & furtum cauſantem ducentibus ipſum innotuit, ſed ne vero alter nequam, videlicet Otto Grimſinger præmunitus diſcederet, idcirco non palam loquebantur, quod ipſis ſcriptor denudavit. Veruntamen idem Grimſinger audiens ſcriptorem apprehenſum captivumque duci in Weitteneck accinctus gladio & accepta baliſta, quia erat vir pulcher, fortis & velox, velociter ad Danubium cucurrit. Interrogatus vero quo tam cito feſtinaret, finxit ſe unum velle inſequi in aqua, qui pecuniam ſibi deportaſſet. Sed Danubium uſque Schönpühel pro refugio transfretavit. Cum autem ſecuritatis aliquid ibi non habere meditaretur, profugus ire cæpit, ingredienſque ſecreto domum ſuam Pectorale Domini Abbatis fixit in tectum domus ſuæ, & Calices cum aliis clenodiis in epicauterio coquinæ in quodam foramine reconditis. Sed verum Lignum Sanctæ Crucis ſecum ſumens, ut Imperatori deferret, iter verſus Bohemiam arripuit. Arrepto itaque itinere, cum jam profectus eſſet quantum eſt unius miliaris videlicet in Lach ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, deſtitutus eſt vigore corporis, atque divinitus ita impeditus, ut extra cæmiterium pedem, ponere non poſſet,

&

(1) Mutuarius *vox eſt latino-barbara, quæ hic ſignificat Publicanum ſive exactorem vectigalis, qui germanice dicitur* ein Mautner.

& cum ſecundo & tertio aufugere attentaret, & deſtitutione virium impeditus cœmeterium exire nequiret, tandem Eccleſiam intravit, coram altari Beatæ Virginis Mariæ genua flectens, cum mœrore lacrymas fudit, & Lignum Sanctæ Crucis recondit ſub lapide, ſuper quem ob reverentiam Corporis Chriſti genuflectitur; & ſic cum gemitu magno profugus abſceſſit, ſed confinia ibidem excedere non poterat. Interea Heinricus Mutuarius & Conradus frater ejus ſtatuerunt exploratores, ut ſagaci inquiſitione ipſum illaquearent vinculis. Quod etiam ita accidit. Nam unus de exploratoribus Martinus Koltzner nomine in ſexta feria, ſcilicet quarto Nonas Decembris vidit ſororem ipſius Grimſinger emere piſces multos. Ex qua re cogitavit mulierem tantos piſces non propter ſe, ſed propter fratrem ſuum, quia ſplendide ſemper epulabatur, emiſſe, & exinde Heinricum Mutuarium & Conradum fratrem ejus adiit, & ipſis rem taliter indicavit. Qui eadem nocte, aliquibus in Weitteneck ſecum aſſumptis, domum mulieris ejuſdem circum vallabant cuſtodibus, evertentes etiam domum eum non invenerunt, tandem inquiſitus in horreo, mirabiliter in acervo ſtraminum eſt repertus quadam ſtudioſe in ſcrobe detectus, ex qua eum nudum extrahentes veſtibus induerunt, & apprehenſum duxerunt in domum præfati Conradi, ubi dum eum compedibus vinxiſſent, & rebus ſuis privaſſent, duxerunt eum in Weitteneck caſtrum carceribus mancipandum. Dum vero ſuper direptione Ligni Sanctæ Crucis aliarumque rerum interrogaretur, ſtatim ſe abſtuliſſe non negavit, ſed hæc neminem niſi ſeipſum poſſe invenire aſſeruit. Quare ipſum extrahentes e carcere, equo ligatum pedibus impoſuerunt, atque in propriam ſuam domum duxerunt in Emerſtorff, ubi Pectorale Domini Abbatis & alias res præter Lignum Sanctæ Crucis monſtravit invenienda. His itaque, Pectorali videlicet & cæteris inventis, negantem quod abſtulerit Lignum Sanctæ Crucis, vinctum reduxerunt iterum in carcerem. Altera vero die petiit ut educeretur, affirmans ſe monſtraturum Lignum Sanctæ Crucis, quia in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis recondiſſet in Lach. Quapropter e carcere ad Eccleſiam ductus, ſolus cum Hermanno ſcriptore de Weitteneck, cæteris præ foribus expectantibus, Eccleſiam ingrediens, flexis genibus ante Sacramentum Dominici Corporis Lignum Sanctæ Crucis, quod antea ibi abſconderat, ſubito reaſſumpſit occulte, & capitio latenter impoſuit; ſperabat enim omnia ſua gravamina alleviari, ſi ſecum portaſſe potuiſſet. At vero, ut Hermannus hoc vidit, coëgit eum, quod ſuper aram id poneret quod ibi accepiſſet, & poſita ſuper Altari Cruce, qui præ foribus expectabant, vocati Eccleſiam intrabant, & ſic Dominus Ruetelperger & Dominus Atzenprucker fratres Conventus, Lignum Sanctæ Crucis acceperunt, trans Danubium reportantes, ubi Dominus Abbas, Joannes Radenprunner dictus, totuſque Conventus, cum magna multitudine expectabant ſolenni cum proceſſione, cappis videlicet, vexillis, inſtrumentis Muſicalibus & compulſationibus omnium ſignorum, reverenter, ut decuit, ſuſceeperunt, reportantes octavo Idus Decembrium anno præhabito. Sed hujus ejuſdem Sanctæ Crucis ſolennitas Inventionis in craſtino Sancti Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris

ris celebratur. Clientes autem de Weitteneck reduxerunt Ottonem Grimsingerum in carcerem, quem postea in die Sancti Thomæ Martyris propter hoc furtum, & alia scelera, quæ commiserat, judiciali ex sententia in cineres comminuerunt; scriptorem vero totius furti adjutorem Petrum, quem fortassis jussu Domini Abbatis comprehenderant, liberum permiserunt abire conditione tali, ipsometipso dictante talem sententiam, ut quandocunque in confinio ibidem apprehenderetur, illico pœna patibuli occumberet, quod parvi temporis spatio, haud dubium Divino Judicio disponente ita accidit, & pœna patibuli, ut digmus erat, universæ carnis viam cum pudore profectus est. Quia vero omnium sanctarum Solennitatum totus Mundus est particeps, & unius fidei pietas exigit, ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur, veruntamen harum inventionum Solennitates speciali & propria Mellicensi Ecclesiæ exultatione venerandæ sunt, ut ubi infidelium partem Ligni Sanctæ Crucis diripientium temerarius propulsus est ausus, ibi in diebus earundem inventionum sit fidelibus lætitiæ principatus, præstante Domino ac Salvatore nostro JESU Christo, qui eandem Venerabilem Crucem suo pretioso sanguine decoravit, & per ipsam a maledicto mortis nos liberavit, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & dominatur per infinita seculorum secula, Amen.

Unum ex pluribus quæ DEI Clementia in hac Venerabili particula S. Crucis mirifice ostendit, ad præhabita non adscribere in memoriam fidelium non possumus. Sicut superius continetur, quando Venerabilis Crux Wi-

A *emnæ apud Scotos inventa memoratur, didicimus ex nostrorum relationibus seniorum fide dignorum, quod inter Venerabiles Patres & Dominos, Dominum Abbatem Mellicensem & Dominum Abbatem Scotorum pro obtinenda Sancta Cruce jam dudum furata, quisquis Ecclesiæ suæ tolleret, orta fuerit dissensio, & ecce in eadem mutua oppositione Abbatum per arbitros decretum est, ut segregatis in partes Abbatibus Crux Sancta in ipsorum medio*

B *poneretur, si tunc alicui ipsorum sine adminiculo mortali, implorato ad hoc Divino auxilio donaretur, in jurisdictione servaret sua, pacifice etiam frueretur. Quo circa his ita peractis occultorum omnium Cognitor Deus, qui non solum non privat bonis suis ambulantes in innocentia, sed reddit etiam cuique, quod suum est, Domino Abbati Mellicensi in suas manus jam dudum subreptam Sanctam Crucem miraculose cunctis coram astantibus recommendavit, & ut sua dignosceretur esse plenius, in aqua ut prælibatum est, a*

C *Wienna usque Nusdorf gloriose approbavit.*

Protestatio ad memoriam futurorum Illustris Principis Domini Rudolphi Quarti Ducis Austriæ, &c. de præfata Sancta Cruce hujus Monasterii per ipsum comparata, ut patebit.

Nos Rudolphus Quartus, Dei Gratia Archidux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ ac Portus Naonis, Comes in Habspurg, Tyrolis, Ferretis & in Kiburg, Marchio Purggraviæ, nec non Lantgravius Alsatiæ, profitemur, quod hanc Crucem ob Dei reverentiam, & ob specialem amorem Sanctissimi

Martyris Colomanni comparavimus, & multorum Reliquiis Sanctorum ab intra decoravimus sub anno Nativitatis nostræ vicesimo quinto, Dominationis nostræ anno sexto, Regnante Imperatore Carolo Quarto, & Vrbano Papa Quinto, scilicet Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo.

Historia Fundationis Cœnobii Melicensis, composita ab anonymo quodam vel Abbate vel Monacho ejusdem Cœnobii.

De Fundatoribus hujus nostri Monasterii Mellicensis.

Primus itaque fundator hujus Monasterii Mellicensis dicitur fuisse Leopoldus Primus, qui originem duxisse fertur a quodam Nobilissimo Comite Babenbergensi de genere Francorum, cui disponsata erat filia Ottonis Ducis Saxonum. Hic Leopoldus terram hanc Austriam hoc modo obtinuit. Dum adhuc adolescens die quadam in venatione per avia secutus fuisset Imperatorem, (1) qui tunc temporis Rempublicam Romanorum administrabat, solum scilicet solus, & ille feram percussurus, arcum fortius attrahens comminuisset, juvenis arcum suum, ut erat contentus manui cunctantis promptissime inseruit, sicque A *Princeps, fera percussa, super alacritate adolescentis delectatus, sub autoritate Regia promisit ei terram, quam sibi proximo vacare contingeret ipsique competeret, atque pro memoria & confirmatione promissi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo autem post tempore, mortuo (2) Marchione Austriæ sine hæredibus, cum multi Procerum instarent Imperatori, petentes sibi conferri Marchiam, prorumpens in medium juvenis cum attestatione facti arcus, Regalis promis-* B *sionis petiit executionem. Cui Princeps nihil moratus, industriam suam commemorans, auctoritate Regia Marchiam traditam confirmavit. Ipse autem terram hanc cum multo comitatu adiens (3) Castrum munitissimum, in monte isto nostro situm, quod homo potentissimus nomine (4) Giso tenebat, magna vi cepit atque destruxit, ibique Canonicos duodecim, ne videlicet aliqua munitio instaurari posset, instituit. Mons enim idem, qui modo corrupto* C *nomine dicitur Medilich, a quo fluvius præterfluens denominatus est, propter opportunitatem situs & munitionem antiquitus (5) Mea Dilecta vocabatur, quod nomen ei Julius Cæsar imposuit. Sic itaque omni terra potitus multis annis Marchiam suam strenue tuebatur & dilatavit. Hic anno Domini (6) nongentesimo octogesimo tertio*

(1) *Fuit is* Imperator Henricus I. *cognomine* Auceps, *qui A. C. 919. cæpit imperare, & A. 936. obiit.*

(2) *In antiquo MSto Chronico Austriaco Zwethalensi vocatur is* Rugerus de Pechlarn. *Vide & Joan. Cuspiniani Austriam, ubi vocatur* Rudingerus de Pechlaren.

(3) Nomale *a Romanis olim appellatum.*

(3) *A Wolfg. Lazio lib. 8. de Migrat. Gent. pag. 530. perperam is vocatur* Stillo.

(5) *Anile hoc est commentum, & risu potius, quam refutatione dignum.*

(6) *Chronologiam hanc recte confirmat supracitatum antiquum MStum Chronicon Austriacum* Zwethalense. *In* Cuspiniani *autem Descriptione Austriæ perperam legitur id contigisse anno* nongentesimo octogesimo octavo. *Culpa tamen istius erroris non ipsi Cuspiniano attribuenda est, sed tantum typographo: ut manifeste patet, si quis anno Christi 928, quo Cuspinianus Marchionem* Leopoldum I, *recte refert ab Imp. Henrico I. præfectum esse Austriæ, addat* quinquaginta quinque annos regiminis *illius. Hoc enim facto, prodit annus 983, non autem 988vus. Corrigendum ergo*

tio

tio decedens, filium reliquit Hainricum. Cujus temporibus, anno videlicet ab Incarnatione (1) MXII, regnante glorioſiſſimo Imperatore Hainrico, qui, Tertio Ottone mortuo, Romanorum præponebatur Imperio, qui cum Conjuge ſua Sancta Chunigunde continenter & ſancte vixit, ac ſororem ſuam nomine Giſilam Regi Vngariæ Stephano tradens in uxorem, ipſum & totam gentem ſuam convertit ad fidem Chriſti, Beatus Colomannus iturus Jeroſolymam, in partes iſtas peregrinando pervenit, qui pro eo, quod (2) guerras habebant continuas cum extraneis gentibus conterminis ſuis tunc Principes noſtri, pro exploratore habitus eſt atque tentus. Et primum quidem ſcopis atrociſſime cæſus, & ſic carceri mancipatus, ut poſtera die Judici præſentaretur. Cui cum præſentatus fuiſſet, & ab eo fuiſſet interrogatus, cauſam itineris ſui veraciter expoſuit, nec aliud confiteri, quam quod res erat, compelli unquam potuit. Tunc Judex iniquus juſſit eum aſperis horrendiſque verberibus cædi, ut, ſi explorator eſſet, ſaltem confiteretur victus pœnarum doloribus. Acribus igitur tortorum flagris, lapidibuſque ac (3) ovis fortiter ignitis forcipeque candente corpus ejus miſerabiliter cruciatum eſt; ſerra etiam crura ejus lacerata ſunt, atque ad ultimum ſuſpenſus cum duobus latronibus Cælos adiit apud Stockeraw. Cujus autem ſanctitatis eſſet ſius famulus Colomannus, martyriſatus pro ejus nomine, Omnipotens Deus multis miraculis & prodigiis ad laudem ſui nominis poſtea oſtendit & declaravit. De quibus pauca ad credulitatem & ſalutem fidelium conſcripta ſunt, ne omnia conſcripta, quæ multa præclara & admiranda ſunt, fidelibus Chriſti incredulitatem generarent. Latronibus autem cum eo ſuſpenſis frequenti morſu avium beſtiarumque dilaniatis, ac putredine conſumptis, Sancti Viri corpuſculum unguibus cum barba cæſarieque creſcentibus per annum integrum cum dimidio in patibulo pendens incorruptum permanſit, ac ſi eadem die fuiſſet interemptus. Inſuper (4) torta, in qua pendebat, fronduit, & tandem ſignis & miraculis clarificatus glorioſis, ut præmiſſum eſt, deponitur & ibidem ſepelitur in Eccleſia noviter conſtructa ſcilicet Stockeraw. Tantundem vero tempus ibidem ſepultus jacens, ſcilicet annum & dimidium, peracto poſt paſſionem ejus triennio, miraculis iterum proditus, juſſu præfati Hainrici glorioſiſſimi Marchionis huc ad Medlicam honorifice cum plauſu univerſi populi transfertur, tam integer & incorruptus inventus, ac ſi eodem die fuiſſet ſepultus. Vbi a Meingaudio Aichſtetenſi Epiſcopo, & cæteris Primatibus hujus terræ, & ab univerſa plebe, quæ huc convenerat, degentibus adhuc hic Canonicis, honorifice valde, ut decebat, tumulatus eſt. De miraculis ejus vide (5) in Legenda, &c. Hujus Sancti Viri Colomanni ſocius fuit Bea-

eſt Speculum Gloriæ Auſtriacæ, *Norimbergæ apud Endteros germanice editum in folio, quippe ubi æque ac in Cuſpiniani Auſtria falſo legitur, Marchionem* Leopoldum I. *obiiſſe A. 988.*

(1) *Vid. ſup. Col. 844. Extat enim ibi* Hiſtoria Martyrii & Miraculorum S. Colomanni, *ab* Erchinfrido, *tertio Cœnobii Mellicenſis Abbate, ſatis prolixe compoſita.*

(2) Guerra *barbare pro* bello.

(3) *Vide ſupra Col. 846.*

(4) *Vide ſupra Col. 847.*

(5) *Vide ſupra Col. 852.*

Beatus Gothalmus, qui hic in crypta in latere Altaris Beatæ Deigenitricis Mariæ in ſarcofago marmoreo ſepultus eſt, qui & ipſe pluribus miraculis claruit, ſpecialiter circa quendam Regem Bohemorum, qui temeritate ſua auſus fuit aperire ipſum ſarcofagum. Nam ſtatim cæcitate percuſſus, vix tandem multis precibus pœnitentiam de ſua curioſitate agens, per eundem Domini Famulum meruit illuminari. Præfatus autem Marchio Hainricus duravit per annos circiter (1) *quadraginta uſque ad tempora Petri Regis Vngarorum, qui Sancto Regi Stephano in Regno ſucceſſerat. Iſtius Petri precibus & minis circumventus Poppo Treverorum Archiepiſcopus, frater Marchionis, obtinuit a fratre ſuo ut mitteret in Vngariam Corpus Sancti Colomanni: ſed, cum ex hoc terra Vngariæ peſtilentias & famem ac varias plagas pateretur, compulſi ſunt reddere corpus Sancti Colomanni. Eodem anno ſæpe nominatus Marchio Hainricus anno Domini* (2) *milleſimo vigeſimo tertio IX. Kal. Julii decedens, filium reliquit Adalbertum, cujus induſtria Dominicæ Crucis Portio non minima, quæ hactenus hic habetur & ab omnibus veneratur & adoratur, ad locum iſtum delata eſt; quæ etiam multis ſignis & miraculis approbata, ipſum locum Medlicenſem inſignivit glorioſe. De hac Sancta Portione Sanctæ Crucis noſtri Monaſterii Melicenſis qualiter Deus noſter Omnipotens ipſam honoraverit & glorificaverit habetur* (3) *ſupra &c.*

Hic Albertus habuit conjugem nobiliſſimam nomine Adelhaidam, quæ obiit anno Domini MLXXI, VII. Cal. Februarii, ſcilicet in die Sancti Polycarpi Epiſcopi, Diſcipuli Sancti Joannis Evangeliſtæ. Ille Adalbertus cum filio ſuo Leopoldo, Secundo hujus nominis, qui erat ſtrenuiſſimus Miles & fortis, commiſſa pugna cum Ottone Rege Vngarorum, qui Petro Regi ſuperpoſitus fuerat, maximam partem exercitus ejus delevit, victor exiſtens. Ipſe tamen Leopoldus ante patrem defunctus eſt anno Domini (4) *MXLIII, quinto Idus Decembris. Adalbertus autem Marchio moriens Anno Domini* (5) *MLVI, VII. Cal. Junii, filium reliquit Erneſtum. Hic contulit loco noſtro Melicenſi Lanceam Sancti Mauricii, in qua impreſſa videtur Portio quædam Dominici Ligni Sanctæ Crucis, quam Angelus Dei impreſſit & crateram S. Vdalrici Epiſcopi & Confeſſoris Auguſtenſis. Hic Erneſtus poſt mortem patris A. XIX. in primo bello Hainrici Imperatoris occiſus eſt in Saxonia juxta fluvium Vnſtruth anno decimo Beati Altmanni Epiſcopi Patavienſis, Cancellarii præfati Marchionis Adalberti, fundatoris Gotwicenſis, qui fuit annus Dominicæ Incarnationis milleſimus ſeptuageſimus quintus, quinto Idus*

(1) *Obiit ergo A. C. 1023, quippe qui eſt ab anno Chriſti 983, quo Pater ejus Marchio* Leopoldus I. *obiit*, quadrageſimus. *Joannes Cuſpinianus in Auſtria ſua minus recte tantum* triginta quinque *annos regiminis illi tribuit, ideoque obiiſſe eum tradit A. C. 1018.*

(2) *Veritas hujus Chronologiæ ex eo patet, quod certo conſtat filium ipſius & ſucceſſorem* Adalbertum *Auſtriam gubernaſſe integros* triginta duos *annos, & A. C. 1056 obiiſſe, uti in ſupra citato antiquo MSto Chronico Auſtriaco Zwethalenſi videre eſt.*

(3) *Vide ſupra Col. 860.*

(4) *Vide Hermanni Contracti Chronicon ad hunc annum. Idem confirmat antiquum Chronicon MStum Krembſmonaſterienſe.*

(5) *Confirmant hoc ſupra citata duo antiqua Chronica MSta Zwethalenſe & Krembsmonaſterienſe ad hunc annum.*

Idus Junii. Huic ſucceſſit filius ejus Leopoldus, Tertius hujus nominis, quo favente Ordo Monachorum eſt inſtitutus hic in Medlico ſub Abbate Sigiboldo, in feſto Sancti Benedicti Abbatis, remotis inde Canonicis, qui prius hic erant, anno ſcilicet Domini MLXXXIX. Hic Leopoldus Tertius poſt mortem patris (1) anno XXI. decedens, quarto Idus Octobris, filium reliquit Leopoldum quartum, cognomento Pium. Hic extitit Fundator duorum Monaſteriorum, ſcilicet (2) Neuburg & (3) Sanctæ Crucis, Tertium vero a Progenitoribus ſuis fundatum; ſcilicet Mölckb, libertati donavit, ac Sedi Apoſtolicæ obtulit exemptum permiſſione & rogatu Domini Vdalrici Epiſcopi Patavienſis nobiliter dotavit. Quartum in Cella Sanctæ Mariæ, quod tamen ipſe non fundavit, ſed habito ſuorum conſilio hæſitantes fundatores prævenit, & Oratorium in ſuo jure fundavit. Anno igitur Verbi Carofacti MCXIII. Ordinatione præfati piiſſimi Marchionis Leopoldi Quarti Monaſterium hoc Medlicenſe dedicatum eſt, & a Venerabili Domino, Domino Vdalrico Patavienſi Epiſcopo III. Idus Octobris, Indictione XIII, quod a Leopoldo patre ejus & avo ejus Erneſto, atque proavo ipſius Adalberto & abavo illius Haimrico erat fundatum.

A *Eodemque die ab ipſo Glorioſiſſimo Principe Leopoldo præmemorato nobili dote dotatum eſt, videlicet ſex Eccleſiis (4) plebejanis, ſcilicet Medling, Dräſskirchen, Weickendorff, Lauchſee, Wulderſtorff, Ravelſpach, quas ſub teſtimonio prædicti Domini Epiſcopi Patavienſis Vdalrici & omnium aſtantium noſtro Monaſterio perpetuali poſſeſſione tradidit. Inſuper magna animi benevolentia Illuſtriſſimus Marchio Leopoldus Quartus prædia ſubſcripta huic Monaſterio noſtro tradidit.*

B *Vnum quod noſtro Monaſterio Melicenſi adjacet ſcilicet Mölck, aliud in Landfridſteten, tertium in Zedlmaringen, quartum in Neubofen, quintum in Robr, ſextum in Grefendorff, ſeptimum in Raddendorff, octavum in Blewinckel, nonum in Weickendorff, cum omnibus poſſeſſionibus ſuis ad eadem prædia pertinentibus. Hanc delegationem & dotem præmemoratus Venerabilis Dominus Epiſcopus Vdalricus banno ſuo confirmavit, & omnem*

C *huic Monaſterio noſtro Melicenſi vim inferentem, & res Eccleſiæ noſtræ violenter diripientem excommunicavit, & ſui ſigilli impreſſione hæc ſe egiſſe poſteris deſignavit. Quam etiam dotationem Paſchalis Papa ſecundus anno undecimo ſui Pontificatus, & plures alii Romani Pontifices confirmaverunt. Iſte Leopoldus Pius, Illuſtris*

(1) *Secundum ſupra citata duo antiqua Chronica MSta Zwethalenſe & Krembſmonaſterienſe obiit Marchio* Leopoldus III, *cognomine* Pulcher, *A. C. 1096.*

(2) *Monaſterii hujus* Neuburgenſis *antiquum & hactenus ineditum Chronicon Manuſcriptum, quod pertingit uſque ad annum Chriſti 1310, extat in Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ Codice membranaceo, inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos 4 0 5to, & alias integrum a me publicabitur.*

(3) *De Monaſterio hoc* S. Crucis *vide Diarium meum Sacri Itineris Cellenſis pag. 206, 207 & deinceps.*

(4) *Per Eccleſiam* plebejanam *intelligitur hic Eccleſia* parœcialis, *quæ proprium ſuum habet* Plebanum, *hoc eſt,* Rectorem *ſive* Paſtorem. *Vide librum ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis pag. 226 & 290.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtris & Nobilis Marchio, duxit uxorem nomine Agnetem, filiam Hainrici Imperatoris de qua genuit XVIII. pueros & puellas, quorum ſeptem tempore infantiæ de medio ſublati ſunt, undecim vero, qui ſupervixerunt, ſcilicet ſex filii & quinque filiæ, ad honores rerum temporalium non modicos promoti ſunt omnes. Primogenitus Albertus, qui factus eſt Advocatus omnium Monaſteriorum iſtius terræ noſtræ Auſtriæ. Secundus Hainricus, qui & diutius omnibus vixit, & a patre minus diligebatur. Hic Hainricus factus fuerat Dux Bavariæ, ſed per Fridericum Imperatorem ab eodem Ducatu remotus fuit, & quia ipſius erat magna nobilitas & honeſtas, quæ exigebat, ut nomen Ducis non perderet, utque Duces Bavariæ minus deinceps valerent contra eum ſuperbire, præfatus Imperator Fridericus collecta Curia in Ratiſpona de conſenſu & voluntate Principum Marchionatum Auſtriæ a juriſdictione Ducis Bavariæ exemit, & quoſdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo in Ducatum vertit, judiciariam poteſtatem præfato Principi Hainrico & ſuis ſucceſſoribus ab Anaſo uſque ad ſylvam prope Pataviam, quæ dicitur Rotenſaal, protendendo. Sic igitur iſte Hainricus, dictus Jochſamergott, factus eſt primus Dux Auſtriæ, cum antea Marchiones tantum eſſent, & cuncta ſibi ſubjugavit patrui ſui præfati Imperatoris Friderici potentia coadjutus. Hic Hainricus fundavit Monaſterium Sanctæ Mariæ Virginis, alias Scotorum, Viennæ, ubi & ſepultus eſt, genuitque duos filios, ſcilicet Leopoldum, qui ei ſucceſſit in Ducatu, & Hainricum fratrem ejus, qui dictus eſt Dux Heinricus de Medlico. Tertius filius Leopoldi Pii, Fundatoris Neuburgenſis, dictus eſt Leopoldus, qui tertio anno poſt mortem patris, ejecto præfato Hainrico, Ducatum Bavariæ accepit, ſed brevi heu duravit, quia poſt auctum honorem anno ſecundo vita præſenti minutus eſt, ſuperſtitem & ſucceſſorem relinquens præfatum Hainricum fratrem ſuum. Qui tamen, cum cognoviſſet ſe moriturum, Nobiles ſecum manentes adjuravit, ut ipſum mortuum in Auſtriam deportarent ad Sanctam Crucem, ibique eum ſepelirent, quod & factum eſt. Quartus Erneſtus, qui etiam ſepultus eſt in Sancta Cruce. Quintus Otto, qui factus eſt Mormundenſis Monachus cum quindecim electiſſimis Clericis, qui ſecum illuc venerant a Studio Pariſienſi. Ad cujus Ottonis preces pater ſuus fundavit Sanctam Crucem, qui poſtmodum factus eſt Epiſcopus Friſingenſis: qui cum viſitaret domum Mormundenſem mortuus eſt illic, ac ibidem ſepultus. Sextus Conradus, qui factus eſt Epiſcopus Patavienſis & deinde Salzburgenſis & in Cœnobio Admuntenſi ſepultus. Primogenita filiarum Bertha, quam duxit Hainricus Burchgravius Ratiſponenſis. Secunda Agnes, quam accepit Boleslaus Dux Poloniæ. Tertia Gertrudis, quæ copulata eſt Laslao Duci Bohemiæ. Quarta Eliſabeth, quam accepit Hermannus Landgravius de Saxonia. Quinta Juditha, quam duxit Regengerus Marchio de Monte Pbetran. Præfati Leopoldi piiſſimi & Sereniſſimi temporibus, patris omnium prædictorum puerorum & puellarum, qui ita nobiliter dotavit iſtud Monaſterium, anno ſcilicet Domini MC XXXVI, Reginmarus Epiſcopus Eccleſiæ

cleſiæ Dei moleſtus & amarus libertatem prædictam, dotationem noſtri Monaſterii Mellicenſis molitus eſt infringere & infirmare & decimas Eccleſiarum noſtrarum auferre. Contra quem Erchinfridus, Tertius Abbas hujus Monaſterii noſtri Mellicenſis, qui & (1) Hiſtoriam Sancti Colomanni compoſuit, Dominum Apoſtolicum vita & A nomine Innocentium adiit, & privilegium noſtrum tertio innovavit, & Epiſcopi conamina ſeu factiones Apoſtolica autoritate annihilavit, eodem Piiſſimo Leopoldo Marchione favente & adjuvante, qui & eodem anno XVII. Cal. Decembris de hac luce ſubtractus eſt, & in Neuburga ſepultus, cujus Epitaphium tale eſt.

Iſte docet titulus, quem noſtra ferat caro fructum;
Iſque monet tumulus, quem fata gerant tibi luctum.
Marchio Laus veri Leopoldus gloria Cleri
Hoc jacet indigno quadro ſub limite ligno,
Hic Medlica ſuis ſtuduit te condere donis.
Hunc ſociare tuis ſtudeas prece, thure Patronis.

Mortuo igitur præfato Leopoldo ac filio ejus Hainrico dominante dicto Jochſamergott, inventum eſt Lignum Dominicum Wiennæ, anno ſcilicet Domini MCLIX, quod aureæ Cruci cum aliis Sanctiſſimis Reliquiis incluſum quidam Clericus, miniſter Sathanæ, nomine Rupertus, auri cupi- B dine illectus furtive abſtulerat. De quo furto propter communem Eccleſiæ ad Deum clamorem publicatus & comprehenſus, ex judiciali ſententia ſuſpendio vitam finivit. Inventa autem eſt glorioſa ac Venerabilis Crux Wiennæ apud Scotos. De hac Venerabili Cruce quære (2) ſupra.

EPITAPHIA duo veterum ex Familia Babenbergenſi Marchionum & Marchioniſſarum Auſtriæ, qui quæve in Cœnobio Melicenſi ſepulti ſepultæve ſunt, quorum apographa ex Cod. Hiſt. Eccleſ. CLIII. ita ſunt. Vide Comment. Libro II. in Catalogo Bibliothecæ Ambraſianæ Codice CCLXXIII.

EPITAPHIUM MARCHIONUM HIC SEPULTORUM.

Mors quaſi cæca furit, quaſi ventus, hyems, rapit, urit;
Cum (3) foliis flores vorat omnis carnis honores.
QVINQVE *ſub hac tumba mortis Proceres tenet umbra;*
Quos redimens gratis, Deus, omnibus adde beatis.
Marchio (4) LEOPOLDVS *a verme ſit igneque ſalvus,*

Hujus

(1) *Vide ſupra Col. 843.*
(2) *Vide ſupra Col. 860.*
(3) *Pro* filiis *ſine dubio hic legendum eſt* foliis.
(4) Primus *ejus nominis ex* Familia Comitum Babenbergenſium Marchio Auſtriæ, *cognomento* Illuſtris. *Vide ſupra Col. 871, & Joan. Cuſpiniani Auſtriam pag. 593 & 594 edit, Baſil. Oporin. A. 1553. in folio.*

Hujus honor ſedis, fons Cœnobii, pater Ædis.
Hac ſitus in foſſa, Colomanni *Martyris oſſa*
Fratribus (1) Hainricvs *dedit his Princeps & amicus.*
Dormit (2) Adalbertvs; *hic ſurgat luce refertus.*
Vita ſit (3) Ernesto (4) *pars omnibus in grege juſto.*
Quem ſopor hic urget, (5) Leopoldvm *gratia purget*
Confer eis vitam, virtute fideque petitam.

Epitaphivm Marchionissarvm hic sepvltarvm.

O dolor! o luctus! heu (6) *ve tuus eſt caro fructus;*
Lege pari Dominas Sex *legis hic domitas.*
Sex *celebres Dominæ hic ſervant vota ruinæ,*
(7) Richart & (8) Sweinhilt, (9) Alheit, & (10) Frewiza, (11) Methilt,
Sexta puella ruit, dicta (12) Jvditha *fuit.*
Juſtus ut ancillas Dominus dedit abſtulit illas.
Has Devs *abſtulit ut* (13) *ſtellas Orientis.*
Nunc lavet, induat, inſtruat, ut Sponſo venienti
Sacris ergo thoris has fœdere jungat amoris.

Hucuſque pertingunt antiqua illa antehac inedita monumenta, quæ quoniam *Cœnobii Melicenſis* hic facienda fuit mentio, digna judicavi, ut ea occaſione proferrentur in lucem, & publici juris fierent.

XI.

(1) Primus *ejus nominis* Marchio Auſtriæ, & *præcedentis Leopoldi primi* filius, *cujus cura Corpus* ſancti Colomanni *in Eccleſiam Cœnobii Melicenſis translatum eſt, triennio poſt, quam in Oppidulo* Stocherau *ſuſpenſus fuerat. Vide ſupra Col. 850.*

(2) Filius *Marchionis Henrici I & tertius ex Familia Babenbergenſi Marchio Auſtriæ, cognomento* Victorioſus, *qui donavit Cœnobio* Melicenſi *particulam Ligni* ſanctæ Crucis. *Id enim in ipſo hoc Codice MSto Ambraſiano annotatum eſt in margine his verbis:* Hic Sanctam Crucem attulit. *Vide etiam ſupra Col. 875.*

(3) *Cognomine* Strenuo, *qui filius fuit Marchionis Adalberti Victorioſi, & Cœnobio* Melicenſi *donavit* Lanceam ſancti Mauricii; *ut in ipſo hoc Codice MSto expreſſe annotatum eſt in margine. Vide etiam ſupra Col. 876, &* Joannis Cuſpiniani *Auſtriam pag. 597.*

(4) *Pro* Pars *ſine dubio hic legendum eſt* par.

(5) Tertium *ejus nominis Marchionem Auſtriæ, cognomento* Pulchrum, *qui filius fuit Marchionis Erneſti Strenui, & A. C. 1089,* Canonicis *ob nimis licentioſam vitam ex Cœnobio* Melicenſi *remotis, Monachos Ordinis* ſancti Benedicti *ſub primo Abbate* Sigiboldo *in eorum locum ſubſtituit. Vide ſupra Col. 876, &* Cuſpin. *Auſtriam pag. 598.*

(6) *Pro* ve *videtur hic ſcribendum eſſe* væ.

(7) Richardis, *Marchionis Leopoldi I. uxor.*

(8) Sweinhildis *ſeu, ut apud Cuſpinianum legitur.* Suenhildis, *uxor Marchionis Auſtriæ Henrici I.*

(9) Adelheidis, *uxor Marchionis Auſtriæ Adalberti I.*

(10) Frewiza *ſeu, ut apud Cuſpinianum legitur,* Frowiza, *uxor Marchionis Auſtriæ* Leopoldi II, *filii Marchionis Adalberti I.*

(11) Mechtildis, *uxor Marchionis Auſtriæ Erneſti Strenui, filii Marchionis Adalberti I & fratris Leopoldi II.*

(12) Juditha, *filia Marchionis Auſtriæ Erneſti Strenui. quæ in virginitate obiit.*

(13) *Videtur hic deeſſe aliquod* epitheton *vel ad* ſtellas, *vel ad* Orientem *pertinens; ut exempli gratia;* nitidas ſtellas Orientis. *Sic enim apud* Lucretium *legitur* nitor Solis; nitor Lunæ & exoriens nitor auroræ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XI.

Theodorici Thuringii de vita, morte, miraculis S. ELISABETHÆ Appendix.

MONITUM.

Vulgarat hanc noſter Libro Comment. II. a pag. 879. in recenſione Codicis Ambraſiani CCLXVII. nunc in Claſſe Hiſt. Eccleſ. LXXXVI, quo continetur : THEODORICI de Appoldia, a patria dicti THURINGII Libri de vita, morte ac miraculis S. ELISABETH, ANDREÆ Ungariæ Regis filiæ, LUDOVICI PII Thuringiæ & Haſſiæ Landgravii uxoris. *Hiſtoriam hanc primus omnium edidit* HENRICUS CANISIUS *Antiq. Lect. Tom. V. Parte II. a pag. 147. Verum, ut recte obſervarat* LAMBECIUS, *Codex iſte appendice illa auctior eſt, quam is loco, ſupra memorato, integram evulgavit.* Nec tamen ea dumtaxat parte, *inquit* GENTILOTTUS, amplior eſt, ſed integro libro de miraculis S. ELISABETH, ſumpto ex CONRADI MARPURGICI libello, ſeu epiſtola, a LEONE ALLATIO in Symmictis Lib. I. a pag. 269. edito, & peculiaris libri in modum intexto poſt librum octavum, cujus in MS. finis eſt: *cui facillime reſiſtebat.* Quæ verba prope finem Cap. VI. Lib. VIII. apud CANISIUM leguntur. Libro hujuſmodi de miraculis præmittitur prologus, cujus miniatus titulus & initium: *Incipit prologus de miraculis beate Elyſabeth. Nunc nimirum & alia, que non fidelibus ſed infidelibus in ſignum data ſunt &c.* Miraculorum caput primum ſic minio inſcribitur & incipit: *Incipiunt miracula a Sede Apoſtolica approbata. Primo de diverſis languoribus curatis, &c.* Quamvis autem, ut dictum eſt, ex epiſtola jam edita CONRADI narratio hæc m. s. miraculorum accepta ſit, animadverti tamen, non quoad ordinem modo, & ſtylum, ſed etiam miraculorum numerum non levem inter utramque differentiam intercedere; adeo, ut ei, qui novam editionem inſtituet, ſim auctor, ut Codicem hunc conſulere & excutere non gravetur. *Hæc* GENTILOTTUS. *Quæ ſi nota fuiſſent tum* Cl. Baſnagio Antiquas Caniſii Lectiones Amſtelodami anno CIↃIↃCCXXV. *recudenti, tum* Cl. SCHWANDTNERO, Scriptores Rer. Hungar. *in Bibliotheca noſtra indaganti, procul dubio eruditos in uſus pridem jam fuiſſent converſa. Porro memorata* Appendix *eſt in hunc modum.*

Incipit SERMO ANGELI, quo inſtruxit Beatam ELIZABETH de ſtatu perfectionis.

Apparuit Sanctæ Elizabeth Angelus Domini, ſic eam allocutus inſtruxit, dicens: Omnes, qui hujus Mundi renunciaſtis concupiſcentiis, ejuſque, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum, & inter adoptionis filios, ut in noviſſimo die judicetis duodecim Tribus Iſraël, ſuſcepit, ſequi veſtigia elegiſtis, videte, (1) quod cum omni humilitate ambuletis obedientia

&

(1) Quod *barbare pro* ut.

& charitate, ſine murmuratione & detractione, abſque odio & elatione, ab omni ſpecie (1) *mala & vitiorum contagio abſtinete; diligite invicem in charitate, ne blaſphemetur & iraſcatur vobis Pater cæleſtis, & pereatis de via recta ſuæ contemplationis. Quod ſi fuerint inter vos contentiones, murmurationes, diſſenſiones, detractiones, rea invidia, oculi ſublimes, inanis gloria, ſcurrilitas, deriſio, ventris ingluvies, ſomnolentia, otioſitas, & hujuſmodi, in quibus hujus ſeculi filii ambulant, quem locum reperiet in vobis divinus intuitus? Vos autem populus meus, qui non ſpeciem tantum, ſed veritatem ſpiritalis pietatis habetis, qui mundanis illecebris indixiſtis bellum, qui mente in Cælis converſari decreviſtis, qui ab hujus Mundi concupiſcentiis convertimini, conſtantes eſtote in via contemplationis, quam elegiſtis; emundate oculos cordis veſtri ad ſpeculandum lumen, in quo vita & redemptio veſtra manet. Ut autem ad aſpectum veri luminis valeatis mentis oculos elevare, purificandi ſunt per ſecularis averſationis ammonitionem, carnis caſtigationem, cordis compunctionem, frequentem confeſſionem, lachrymarum effuſionem: cumque ſic interioris hominis oculi fuerint permundati, extollentur per conſiderationem ammirabilis Deitatis, pudicam ſpeculationem veritatis, puram & efficacem orationem, laudis DEI jubilationem, deſiderii in DEUM ardentis æſtuationem. Apprehendite hæc, & in ipſis permanete: occurrite vero lumini, quod ſuis ſe offert electis, veſtriſque mentibus gratiam deſideranter infundit. Abſtrahite corda veſtra, abnegantes voſmetipſos vobis, exhibentes vos ad ea, quæ divinitus didiciſtis. Sic divinis replebimini ſplendoribus, eritis ſicut filii lucis & ſicut Angeli Dei, ipſi jugiter adhærentes, ex virtute contemplationis ad fontale principium refluentes. Cavete, ne lumen, quod in vobis eſt, elationis vel avaritiæ turbo exſufflet, qui in Paradiſo parentum veſtrorum gloriam evacuavit. Avertite, o filii pacis a ſeculi tumultibus aures veſtras, & date ſilentium ſpiritui, cum loquitur in vobis, ſicque erit in vobis Domini perpetuus ſabbatiſmus, & requieſcet in vobis pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, torrenteque replebimini divinæ majeſtatis. Non turbetur anima veſtra, nec concidat vultus cordis veſtri, ſi mundus deſpicit vos, & odit, & inter infructuoſos vos & mortuos æſtimabit. Si calamitas ingruerit, ſi afflictionis vel adverſitatis ſive paupertatis tempeſtas vos turbaverit, ne conturbemini, nec a luce, quæ ante faciem veſtram eſt, veſtros oculos avertatis.*

C Epiſtola GREGORII (2) Papæ (3) de Canonizatione B. ELIZABETH.

GREGORIVS Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconibus, Archipresbyteris & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos Litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Glorioſus DEVS in majeſtate ſua. Æterni Patris Filius, Redemptor noſter Dominus JESVS CHRISTVS de

(1) *Videtur legendum eſſe* malum.

(2) *Nempe* Noni, *qui A. 1227 electus eſt, & Anno 1241 obiit.*

(3) *Peracta eſt hæc* Canonizatio Perusii *in Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum Anno Chriſti 1235, die 27 Maji. Vide* Theodorici Thuringi *lib. 8. cap. 9.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de ſummitate Cœlorum proſpiciens, conditionis humanæ gloriam, viſo concurſu miſeriæ, cui primi parentis culpa dedit initium, reformatam ineffabili diſpoſitione provìdit, ut virtutem ſuam ſedentibus in umbra mortis exponeret, & in exſilio poſitos ad libertatis patriam revocaret. Igitur quia nulli potius quam ſibi ſuæ facturæ redemptio competebat, eoque artifici decens ſit & debitum, ut quocunque caſu depereat, quod pulchrius feciſſe dinoſcitur, in ſtatum priſtinum ſuæ virtutis ſtudio reformetur, in exile vaſculum, ſi tamen ſit exiguum, quod recepit hoſpitem ſuper omnia ſpatioſum, ſcilicet in aulam Virginis, refertam omni plenitudine ſanctitatis, de regali throno ſe conferens, opus inde cunctis viſibile protulit, per quod propulſo principe tenebrarum, de ſui redemptione plaſmatis triumphavit, certa relinquens inſtituta fidelibus, per quæ ipſis ad patriam redderetur tranſitus expeditus. Hujuſmodi quidem pietatis ſeriem Beata ELIZABETH, ex regali orta progenie, & Thuringiæ Landgravia gratioſa, ſolerti meditatione conſiderans, & jam dicta eligens inſtituta continuis obſervare ſtudiis, ut dignam receptione ſe redderet perpetuæ claritatis, quaſi ab ortu vitæ uſque ad occaſum virtutis vacando cultui, nunquam deſiit in charitatis amplexibus delectari. Nam in confeſſione veræ fidei menteque dedita ſanctitati, cœleſtis Reginæ diligendo Filium, per quem dulcedinem conſequi poſſet cœleſtium virtutum, ita dilexit & proximum, quod amœnum ſibi conſtituens illorum familiarem ſibi habere præſentiam, (1) quam eorum corruptio cunctis mirata fuerit effici peregrinam ſe in multis reddidit inopem ſibi ſollicitam fore pauperibus multipliciter effluente, quorum abeunte ætate nutrix eſſe deſiderans & amatrix, eo quod ſciret perrennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipſorum ſibi gratam conſtituit, quantum naturaliter ſecularis elatio vilipendit. Quare etiam licitis ſibi deliciis, quas offerebat ſtatus excellentia conjugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum & tenerum reddebat aſſiduæ parſimoniæ ſtudio maceratum, tanto ſibi meriti quantitate proficiens, quanto, quod ſponte geritur, majoris gratiæ præmio muneratur. Quid ultra? quæque jura ſanguinis in ſuperuæ transferens deſiderium voluptatis in perpetuum profectum quid exiſtimans, ſi jam Viri deſtituta præſidio ac reſiduum vitæ decurrere, quod ſe ad jugum obedientiæ amplexatrix excitaverat, religionis habitum induit, ſub quo Dominicæ Paſſionis in ſe celebret myſterium, uſque in diem ultimum non omiſit. O felix Mulier! O felix Matrona! O dulcis ELIZABETH dicta Dei ſaturitas, quæ pro refectione pauperum panem meruit angelorum! O inclyta Vidua, virtutum fœcunda ſobole, quæ ſtudens ex gratia conſequi, quod a natura non poterat indulgeri? Diris animæ hoſtibus per ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, gladium Spiritus ſancti, galeam & haſtam perſeverantiæ debellatis, ſic amabilem Sponſo immortali ſe præbuit, ſic Reginæ Virginum dilectione continua ſe colligavit, ſuum deprimendo Dominum & ancillæ humilis famulatum. Sic ſancta ELIZABETH proceſſibus utique conformem ſe reddidit, dum in man-

(1) *Locus mendoſus & corruptus, de cujus vera lectione nondum mihi ſatis liquet.*

mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela ſimpliciter ambulavit, Dei gratiam ſecrete mentis per affectum concipiens, & eandem per effectum pariens, & nutriens aſſidue per profectum, quod ſolus omnium in ſe ſperantium & exultatio quorumlibet in humilitatis & innocentiæ vallibus poſitorum in promiſſæ ſuis præmia retributionis exſurgens ipſam mortis nexibus expeditam provexit abſolvit luci in acceſſibili luminoſum. De cujus ſtupenda & inexplicabili claritate proceſſit, quod illius ſpiritus ſuperflui fulgoris abyſſo rutilat, & in hujus profectu caliginis multis coruſcat miraculis glorioſis, quorum virtute Catholicis fidei, ſpei & charitatis augmenta proveniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis multæ confuſionis materia cumulatur. Unde ſtuporis turbine obvoluti quod dictæ Sanctæ meritis, quæ dum carcere clauſa tenetur, pauper ſpiritu, mitis mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, juſtitiam ſitiens, (1) minime dedita, munda corde, vere pacifica, attrita perſecutionibus & opprobriis extitit laceſſita, vitam mortuis, lumen cæcis, auditum ſurdis, verbum mutis, & greſſum claudis cæleſti dextera. Confluunt partes Teutoniæ (2) ſpatioſas, quas mortis dogmate geſtiebant inficere in doctrinæ cæleſtis amplexibus cernuntur multipliciter exſultare. De hujuſmodi quidem, & aliis ejuſdem miraculis, quæ mentis inſpecta oculis uberiorem lætitiam proferunt: quam ſi diffuſis diſtincta literis viderentur, facta Nobis per Teſtes idoneos tanta plenitudine fidei ſicut debetur & competit colenda per omnia veritati. Noſtrum quoque depoſcit officium his continue ſudare ſtudia, per quæ augeatur gloria Redemptoris. Dictam Sanctam, quam ſibi ad intuitum placuit ſuæ Majeſtatis aſſumere, de Fratrum noſtrorum conſilio, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Prælatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum Catalogo duximus adſcribendam, Vniverſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte mandamus præcipiendo, quatenus tertio decimo Calendas Decembris die, videlicet, quo eadem mortis abſoluta vinculis perenniter ad fontem ſuperne prodiit voluptatis, Feſtum ipſius, prout miranda ipſius magnitudo meritorum exigit, celebretis & ſolenniter celebrari faciatis, ut id vobis de theſauris cæleſtibus ejus pia interceſſione proveniat, quod ipſa, præſtante CHRISTO percepiſſe dinoſcitur, & poſſidere perpetuo gloriatur. Cæterum ut Vniverſitati fidelium inviſibilis Aulæ conſequendi delicias ex conceſſa nobis parvitate, deſuper propitiante Domino, ſit voluntas; quin imo & ut Nomen exaltetur Altiſſimi, ſi Sponſæ ſuæ venerabilem ſepulturam fidelium procuremus acceſſibus honorari, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſe illuc annis ſingulis, devotionis aromata, etiam ſinceritatis inſignia deferentes, in memorato Feſto & uſque ad octavam ipſius contulerint, de Omnipotentis DEI gratia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Peruſii Pontificatus noſtri anno nono, Calendis Junii.

Lite-

(1) *Deeſt hic aliquid.*
(2) *Locus mendoſus & corruptus.*

Litera Domini (1) INNOCENTII QVARTI Papæ de Translatione Beatæ ELIZABETH.

INNOCENTIVS Episcopus, servus servorum DEI, venerabili Fratri (2) Archiepiscopo Moguntinensi salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Magistri & Fratrum Theutonicorum Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitani nobis oblata petitio continebat, quod, cum Sepulchrum, in quo Beata ELIZABETH in Ecclesia Beati Francisci in Marpurg requiescit, ipsius gloriosis meritis miraculorum titulis refulgeat venerandis, ac per hæc fidelium populorum frequentationibus dicta Ecclesia cum laudibus oblatis Redemptori omnium visitetur, nec ad ipsius sepulchrum propter loci angustias, in quo ejus tumba dicitur collocata, præ multitudine nimia confluentium absque periculo valeat accessus haberi. Dictus Magister & Fratres nobis humiliter supplicaverunt, ut super hoc fidelium devotioni providere paterna solicitudine curaremus. Cum igitur, ubi fuerit corpus sanctum, illic aquilæ congregantur, illi videlicet, qui piis desideriis Deum quærunt, ac devotorum dona, prout eorum exigunt merita, pœnitentibus viam præparant latiorem, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter accedens ad Ecclesiam prædictam & locellum ejusdem Sanctæ, ubi sunt conditæ ipsius reliquiæ, circumstantiis universis diligenter inspectis, ad locum oportunum ac idoneum tandem transferri facias, si Tibi videbitur expedire. Ut autem ex præsenti collatione munerum firma maneat expectatio futurorum, illis vere pœnitentibus & confessis, qui die translationis ipsius ad prædictum locum cum debita veneratione accesserint, prout Tibi videbitur, auctoritate tua oportunam indulgentiæ gratiam largiaris. Datum Lugduni secundo Nonas Novembris Pontificatus nostri anno septimo.

De Translatione reliquiarum sacrosancti corporis Beatæ ELIZABETH, & construenda Ecclesia in ejus nomine.

Hujus igitur mandati auctoritate translatæ sunt solemnissime ut (3) prædictum est, beatissimæ ELIZABETH reliquiæ sacrosancti corporis ad locum tantæ dignitati congruum, in quo tubam novissimam exspectabit. Jacta sunt tunc circumquaque firmamenta firmissima pro construenda in ejus nomine Ecclesia, quæ latitudine proportionata protensa, elevantur non dissimili altitudine protensa, per manus quoque artificum doctissimas celata & sculpta decenter, fenestrisque perspicuis ordinata luculenter, intuentes in admirationem, adorantes ad devotionem allicit, perfecta in omnibus opulenter. Principatur in hoc Summi Regis Palatio regalis illa ELIZABETH Sponsa ejus, suntque domestici ejus præclarissimi Viri, Magister Domus Theutonicæ, videlicet Illustris, ac dulcis ille olim Princeps Thuringorum Frater CONRADVS, item-

(1) *Electus is est A.C. 1243, & anno 1254 obiit.*

(2) *Nempe* SIGEFRIDO III., *qui a* Theodorico Thuringo *lib. 8. de Vita S. Elizabeth cap. 12. vocatur* SEIFRIDVS.

(3) *Nempe Libri octavi cap. 10, 11, 12 & 13.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

itemque ANNO, Vir religiosus ac devotus; quibus adjunctus est Magister CONRADVS DE MARPVRG dictus, Vir justus & Prædicator per Theutoniam egregius, Sanctæ ELIZABETH instructor præcipuus, quem præcipue triplici aureola, videlicet martyrii, prædicationis ac virginitatis a Deo credimus coronatum. Novissimis autem diebus istis apposita est bis mulieris bonæ species in ornamentum eximium Domus, ALHEIDIS videlicet, Illustris Principis ALBERTI DE BRVNESWIG filia, quæ etiam miraculis dinoscitur claruisse. Adest quoque Frater GERHARDVS de Ordine Fratrum Minorum, Vir magnæ virtutis & austeritatis in corpus suum præcipue & rigoris. Hos aliosque cives Sanctorum & domesticos DEI ELIZABETH nostra beata in hoc suo suscepit domicilio, resurrectura cum eis in novissimo die, & fruitura æternitatis gaudio. Interim tamen non vacat Domus illa a divinæ laudis præconio. Etenim Fratrum de Domo Theutonica religiosa inibi ac numerosa collecta Congregatio quotidiano ac solenni DEVM colit & veneratur officio, jucundum diebus & noctibus cum devotione ac celebrem exhibens famulatum. Adhoc in prædicto religiosorum loco aluntur & reficiuntur pauperes, nudi vestiuntur, suscipiuntur advenæ & peregrini hospitantur, infirmi procurantur & omnibus necessitatem patientibus pietatis & misericordiæ beneficia largiuntur, præstante Domino nostro JESV CHRISTO, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

A De Viro religioso, cui in die mortis suæ Beatæ ELIZABETH apparuit.

Est in Thuringia Cœnobium quoddam solenne Ordinis Sancti Benedicti REYNERSBRVNNEN nominatum, in quo illius Provinciæ Principes tumulati sunt; ubi & felix ille Beatæ ELIZABETH maritus LVDEVICVS Princeps Serenissimus, multis florens miraculis requiescit. Hoc in Monasterio fuit tunc temporis, cum Beata migravit ELI-
B *ZABETH, frater quidam conversus magnæ religionis & austeritatis, & ad carnem loricam ferream gestans, corpus proprium affligebat. Hunc Beata ELIZABETH, dum adhuc viveret, pro sua sanctitate speciali diligebat affectu. Qui dum aliquando memorati Principis sepulchrum visitaret, huic famula DEI devotissime se commendans, caritativæ fraternitatis ac communicationis exegit manualem & accepit a viro renitente & humili sponsionem. Erubuit enim vir rusticus*
C *& justus manum contingere excellentissimæ & sanctissimæ Mulieris, quippe arte & exercitio serviebat molendino. Cujus reparandis instrumentis dum eo tempore studiosius insisteret, impetu quodam improviso & inopinato brachium ejus dextrum arreptum, concussum est miserabiliter & confractum; qui multo dolore affectus, consolationem a Domine cum patientia exspectabat. Hic ea nocte, qua Beata ELIZABETH in Marpurg Oppido a corpore migravit ad Dominum in Ecclesia sua vigilans & orans, & in doloribus suis gemens residebat. Cui electa DEI ELIZABETH in visu apparuit, regalibus induta, inæstimabilique claritate fulgens, & dulciter eum alloquens,*

quens, Qualiter, inquit, agis, & quomodo vales, Frater mi VOLCMARE? qui præ nimia claritate contremuit ſtupefactus, tamen cognoſcens eam dixit: Quomodo, o Domina mi, quæ abjectis operiri ſolebas induviis, nunc tam ſpecioſis veſtibus & ſplendidiſſimis amiciris? Reſpondit: Ego mutavi ſtatum meum. Tunc illa apprehenſa dextra fratris qua ſibi fraternitatem ſpoſponderat, quam molendinum confregerat, ſanavit eum. Qui ad tactum tanquam dolens expavens, repente evigilavit, brachiumque cum manu conſolidatum ſentiens & ſanum, in ſuæ ſalutis procuratrice Dominum benedixit.

De Magiſtro CONRADO Lantgravio.

Dulcis memoriæ frater CONRADVS, olim Magiſter Domus Theutonicæ, qui fuerat Princeps Thuringiæ, de quo ſupra fecimus mentionem, Romæ infirmatus eſt. Hic ad tantam cordis & corporis munditiam a Gratia operante pervenerat, quod in ægritudine poſitus, nullius, qui criminali obnoxius eſſet peccato, præſentiam abſque cruciatu poterat ſuſtinere. Unde neceſſe fuit, totam ejus familiam prorſus ab omni crimine abſtinere. Aderat tunc Vir religioſus, Abbas de Hagine, Ciſtercienſis Ordinis, homo valde venerabilis & devotus, per quem etiam iſtud vulgatum eſt: qui eum facta confeſſione reverenter adibat. In cujus præſentia idem infirmus die quadam raptus in ecſtaſin tenebatur; a quo dum quæreret Abbas, quid vidiſſet, reſpondit: Ego ante tribunal æterni Judicis fui; ubi de ſtatu meo diſtricte diſceptatum eſt: tandem, juſtitia exigente, ſententia Judicis per quinque annos me purgatorio pro pœnitentia deputavit; accedens autem ſoror mea ELIZABETH remiſſionem mihi hujus purgatorii protinus impetravit; (ſororem Beatam ELIZABETH appellabat, quia uxor fuerat fratris ſui;) unde ſciatis me de iſta infirmitate moriturum, & æternam gloriam percepturum.

XII.

Vetuſtæ memoriæ, hiſtoriam monaſterii Cluniacenſis *in Gallia*, & Gemblacenſis *in Brabantia illuſtrantes, videlicet:* I. *Officium Eccleſiaſticum in honorem* S. MORANDI, *monachi Cluniacenſis, cui intexta eſt ejuſdem* Sancti *vita, ab anonymo quodam, &, ut videtur, coætaneo ſcripta, & in lectiones ſex diviſa.* II. *Narratio de elevatione corporis* S. GUIBÉRTI *ſive* WIBERTI, *fundatoris cœnobii* Gemblacenſis; *compoſita a* SIGEBERTO, *monacho Gemblacenſi: cui junguntur diplomata duo* OTTONIS *videlicet* I. *Imp.* & BENEDICTI VII. Pontif. Max. *de privilegiis monaſterii* Gemblacenſis. III. *Narratio incendii, quo, anno* CIↃCXXXVII. Gemblacenſe *cœnobium conflagravit.*

MONITUM.

De Officio & vita S. MORANDI *nihil eſt nobis reliqui, quod monere heic oporteret, poſt ea, quæ in actis Sanctorum Tom. I. menſis Junii, a pag. 339. & in Appendice a pag. 10. ab eruditiſſimis eorum Actorum collectoribus ſunt obſervata. Narratio de elevatione corporis* S. GUIBERTI, *licet a* LAM-

BECIO *integre hic edita, re vera tamen mutila est, & plenius habetur in alio Codice Cæs. nunc inter historicos Eccles. CVI. sicuti collatione facta testatum reliquit* Cl. GENTILOTTUS. *Ex diplomate* BENEDICTI VII. *heic vulgato, non modo* LAMBECIUS *præposteram* SURII *emendationem quoad notam temporis nomenque Pontificis refutavit; verum etiam* ANTONIUS PAGIUS, *observante* Cl. GENTILOTTO, *in* Critic. Baronii Annalium *ad annum 946. n. III. initium Pontificatus* BENEDICTI VII. *eruit. Confer Franc. Pagii Brev. gest. Pontif. Rom. Tom. II. pag. 246. Miraculum illud, quod occasione incendii monasterii* Gemblacensis *accidisse heic dicitur, non* SIGEBERTUM, *sed* ANSELMUM *Abbatem, auctorem habet in auctario Chronici Sigeberti, ut ibi ad oram adnotatum est.* (a)

Prologus (1) in vitam Beati MORANDI Confessoris.

A *Sanctorum Patrum præcedentium dicta vel gesta literis tradere, & succedentium memoriis commendare, utilissimum est, maxime cum in ipsis, velut in quibusdam florum hortulis, diversarum virtutum condimenta carpere liceat, ex quibus homo, quamvis corruptibilis & caducus, vigore quodam divino efficiatur immortalis & impollutus. Qui licet multifaria inimici fraude præventus, temeritate propria promerente, brutis animalibus sit comparatus, non tamen a pio Conditore penitus est abjectus, quin imo si a sua iniquitate, recesserit, & tempus sibi indultum non in vacuum deduxerit, sed talentum suum largitori benigno cum lucro portare studuerit, non solum pristinæ conditionis dignitati restitueretur, verum etiam amplioris gratiæ palma donabitur, cum paulo minus Angelis minoratus, in Cœlis sine fine lætabitur. Sed quia unius tantummodo talenti pondus multiplicandum esse diximus, auditorum mentes in animadversionis angorem mittimus, quibus in Evangelio quinque talentorum negotiatores esse præcipimur. Sed hæc conclusio facile solvitur, si singularis talenti prærogativa diligentius discutiatur. Quinque enim talentorum nomine quinque sensus corporis actuales significantur; scilicet Visus, Auditus, Gustus, Odoratus & Tactus; qui a principali, qui est Intellectus, singuli in sua proprietate reguntur & diriguntur. Cui subsistunt quatuor accidentia cæterorum usibus necessaria, Memoria, Voluntas,*

B *Ratio, & Sapientia, & pari numero quibus horum sui juris & proprietatis regatur arbitrio. Intellectus enim visum regit, cum compescit illicitum; ut in Psalmo (2): Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Dirigit vero, ut in (3) Apostolo legitur: Videte quomodo caute ambuletis. Memoria autem agit, ut, quod audieris bonum, retineas; Voluntas, ut, quod jam audisti bonum, implere festines & diligas; Ratio, ut, quod tenes rectum, proximo tuo annunties & persuadeas: Sapientia, ut scias, quid vel quando ratione proferas. His itaque virtutum gradibus sæviens vincitur Mundus: his*

(a) *Legebantur prius hæc monumenta Lib. Comment. II. a pag. 886. usque ad pag. 908. Vide nunc ejusdem Lib. II. Catal. Codicum Ambrosianorum n. CCLXVIII. & CCLXIX.*

(1) *Totus hic Prologus deest in* Andreæ Quercetani *Bibliotheca Cluniacensi.*

(2) *Psalm. 119. vers. 37.*

(3) *Epist.* S. Pauli *ad Ephesios cap. 5. vers. 15.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bis exercitiis bonis Sanctorum ampliatur numerus. Ex quibus nobis DEI gratia Beatus datus est MORANDVS; in terris consolator piissimus, & in Cœlis Patronus certissimus, in cujus hodie natalitio fidelium decrevit devotio congregari in Domino, ac ejusdem Beati Viri commendari patrocinio. Cujus vita sacris virtutibus extitit plena, sed prædecessorum desidia oblivioni est tradita, nec ad nos scriptis constat esse delata. Sed nos alios causamur, cum etiam nostris temporibus multa & ingentia circa diversorum infirmitates divina clementia per servum suum sic operata, a nobis quodam scrupulo de necessitate sint occultata. Quantum corporum invalitudines, quanti dæmoniaci, vel paralytici, ad ejus memoriam sint liberati, non est nostræ facundiæ vel possibilitatis per singula quæque referre. Sed ne tantorum beneficiorum servi DEI videamur esse ingrati perceptores, pauca de pluribus colligamus, &, licet inertes, qualicunque tamen schemate ab ipsius Viri infantia gesta scribere incipiamus, & posteris nostris legenda relinquamus, hoc præcipue ammonentes, ut audientes dictis fidem habeant.

Incipit Vita Beati MORANDI Confessoris.

LECTIO PRIMA.

Beatus itaque MORANDVS ex (1) GALLIÆ partibus nobilissimis est ortus natalibus. Parentes ejus inter Potentum catervas Primates præclari, tam in religione Christiana, quam rerum temporalium opulentia plenius fuerant locupletati; & quia totius felicitatis suæ DEVM diligebant Autorem, talem justitiæ suæ meruerunt habere hæredem. Non multo post antiquorum Patrum imitantes exemplum, hunc, ut Samuelem castissimum, ferre decreverunt ad Dominum, ipsique serviturum in perpetuum. Denique WORMACIÆ petentes Oppidum, divinum flagitabant auxilium, ut eis locus monstraretur idoneus, quo eorum Domino manciparetur filius.

LECTIO SECUNDA.

Nec defuit altissimus justorum præcibus, pia vota solvere cupientibus, moxque intelligentes consilium cœlitus sibi inditum, ut summum peterent Atrium, quod est in honore DEI GENITRICIS decenter inibi constructum, ibique præfatum puerum sacris literis traderent imbuendum. Ad quod cum venissent, & adventus sui causam probabilioribus detexissent, sunt officiosissime recepti, ac benedictione percepta, de collega quamvis modico plurimi exultarunt in Domino, Parentes vero sancti desiderii sui compotes effecti, universam Ecclesiam convocantes, filium suum cum maximis prædiorum ac manciporum donariis, utpote potentes, omnibus commendantes, DEVM benedixerunt, ac lætantes in sua redierunt.

LECTIO

(1) *In Andreæ Quercetani Bibliotheca Cluniacensi pro* ex GALLIÆ partibus *perperam & falso legitur* ex GERMANIÆ partibus. *Quod enim* S. Morandus *natione* GALLVS, *non autem* GERMANVS *fuerit, manifestissime appa-*

ret ex hujus Vitæ Lectione quarta, *utpote ubi expresse narratur, quod is propter* idioma Gallicum *monachis Cluniacensibus natione Germanis*, linguam Gallicam *ignorantibus, tanquam* interpres *adjunctus sit.*

Lectio Tertia.

Beatus igitur MORANDVS a ſuis progenitoribus voluntarie ſalubriter derelictus, a Domino autem aſſumptus, & in Domo DEI, velut arbuſcula recens & novella, poſtmodum juſtitiæ fructum plurimum paritura, plantatus, ſacris Literis initiatur; non multo poſt, velut herbida tellus, divino rore perfuſus, omnium liberalium artium fructu fœcundatur. Revera enim in diſcendo nulla mora eſt, ubi Spiritus Sanctus Doctor adeſt. Itaque creſcente ſervo DEI, quotidie ſtudebat implere, quod præcinebatur in Pſalmo; ſenes reverens, juvenes honore præveniens, & ſic de virtute in virtutem tranſiens.

Lectio Quarta.

Talibus, ut diximus, cum fulgeret virtutibus Beatus MORANDVS, non, ut aſſolet ætas junior, ejus extollebatur animus, ſed ſemper manebat humilis & quietus, &, ut magni Davidis adoleſcentulus, in Domini meditabatur juſtificationibus. His, inquam, humilitatis gradibus athleta Chriſti emutritus, Mundi calcavit impetus, factus Sacerdos Deo digniſſimus. Sed quo majori potitur munere, eo ferventior fit in bono opere, moxque & delectatur altius pro Chriſto inſudare laboribus, & convocatis ſuis omnibus domeſticis & parentibus, eorum ſe commendans orationibus, ad (1) MOENIAS. JACOBI perrecum pluribus ejuſdem viæ ſponſoribus.

A *In (2) eiſdem vero partibus habetur Vicus famoſiſſimus, qui dicitur (3) CLVNIACVS, amœnitate amabilis, fertilitate fœcundus, &, quod multo eſt felicius, Apoſtolorum PETRI & PAVLI nominibus inſignitus, ac monachis ſub regula militantibus, mirabiliter gubernatus. His præerat HVGO cognomento PIISSIMVS, genere clarus, ſermone facundus, ſanctitate præcipuus. Ad hunc igitur locum Beatus MORANDVS cum ſuis devenit Comitibus, Apoſtolorum*
B *patrocinia oraturus, ac ſervorum DEI ſuffragia petiturus. Quid multa? Ad notitiam piiſſimi Patris deductus, ſalutaribus ejus monitis, ceu optima terra, tantum eſt irrigatus, (4) quod ſe monachum futurum fore diceret, ſi, peregrinatione peracta, Dominus ſibi redire concederet. Benedictione itaque pii Patris ac fratrum oratione munitus, exſul egregius cum ſuis comitibus itinerare cœpit citius, ac Domino*
C *ducente, quo propoſuerat, (5) GALLACIÆ invebitur partibus, & Beati JACOBI pignore adorato, concite rediit, ac CLVNIACVM pervenit. Cui illico occurritur ab omnibus, & a pio Patre ſuſcipitur ut filius; moxque ſuis valedicens comitibus, lætantibus omnibus rite conſecratur monachus. Qui mox in tantum excrevit ſacris virtutibus, ut in profeſſione monaſtica nulli haberetur ſecundus. In vigiliis carnis laſciviam refrænabat, imperanti obediebat, fluctuantem pia exhortatione conſolidabat, diſcordantes concordabat, orationibus continuis dæmones fugabat. Talibus virtutibus cum fulgeret Beatus*

(1) *Nempe primariam* Gallæciæ *Vrbem* Compoſtellam, *vulgo* S. Jago *dictam.*

(2) *Per* eaſdem partes *intelligitur hic* Iter *ſive* Via per Ducatum Burgundiæ, *in quo* Cluniacum *ſitum eſt.*

(3) *Vulgo* Clugny.

(4) Quod *pro* ut, *quemadmodum alias paſſim.*

(5) Gallaciæ *pro* Gallæciæ.

tus MORANDVS, venerabatur ab omnibus, & jam a veris Christi cultoribus inquiritur diligentius. Nam ex EISDEM partibus (1) quidam nominatissimus ejus fama incitatus, CLUNIACUM venit, &, ut idem Vir memorabilis ad ædificationem suorum sibi per modicum tempus concederetur, venerabilem Virum HVGONEM Abbatem rogavit; quodque Beato Viro annuente impetravit. Quo mox assumpto, in Arverniam propere rediit, cunctisque suis fratribus Virum venerandum commendat. Verum quantis inibi Vir DEI virtutum claruerit signis, frequens turba peregrinantium, ob benedictionis gratiam etiam ex NOSTRIS partibus ad eumdem confluentium, declaravit, quæ eum in NOSTRIS partibus vulgari laude extulit. Dicebant enim sæpius se evasisse periculum per ejus suffragium. Multa enim & pæne innumerabilia Viri DEI fuere insignia, quæ si dicantur per singula, nulla scribenti sufficeret pagina. Sed ne tædium auditoribus, inferamus, ad nostræ narrationis finem tendamus, qualiterque DEI dilectus superna providentia NOBIS sit collatus, quibusve virtutibus vivus & defunctus fuerit redimitus, breviter dicamus. Extitit itaque in territorio BASILIENSI de CASTRO FERREO Comes nobilissimus ex prosapia Regum (2) senatorum ortus, nomine FRIDERICVS. Hic quandam Ecclesiam, (3) ALTICHILCHAM nuncupatam, in allodio suo a suis progenitoribus beatissimi CHRISTOPHORI Martyris nomini dedicatam, plenius exstruxit, ac prædiorum largitate ampliavit. Erat autem Ecclesia a supradicti Principis genitoribus Canonicis regularibus primitus ordinata, sed, peccatis exigentibus, illis secedentibus, pæne desolata. Videns autem Comes prudentissimus, locum a se constructum, habitatoribus privatum, desolari, CLVNIACVM misit, ac HVGONI Abbati sanctissimo suisque Successoribus regendum, ac monasterii ibi Ordinem instituendum in perpetuum donavit. Venerabilis autem Pater tanti Principiis voto gratanter susceptо, illico, ad locum jam dictum paucos primum fratres misit diutina quidem monastica disciplina probatos, sed (4) IDIOMATIS penitus ignaros. His præfecerat Priorem nomine CONSTANTIVM, religione præcipuum, consti-

(1) *In Bibliotheca Cluniacensi legitur:* Erat namque in Arverniæ partibus multorum fratrum Pater quidam nominatissimus &c.

(2) *Ita hic in Codice illo Ambrasiano scriptum est: pro quo in Bibliotheca Cluniacensi legitur* Regum Francorum. *Ego autem minime dubito, quin hic pro* Senatorum *legendum sit* Sequanorum. *Agitur enim hic de* Suntgovia, *quam olim incoluere* Sequani.

(3) Altkilch *per mutationem* R *in* L *pro* Alt-Kirch *in* Suntgovia *Ejusdem Ecclesiæ in Diplomate quodam Papæ* Paschalis II. *ad* S. Hugonem *Abbatem Cluniacensem A. 1106 dato, sit mentio his verbis:* Omnia igitur ad vestrum Cœnobium pertinentia, sicut a prædecessoribus vestris munita sunt, ita & nos auctoritate Apostolicæ Sedis munimus. In quibus ea propriis vocabulis exprimenda duximus, quæ temporibus nostris per DEI gratiam adquisita, & vestri regiminis dispositioni subjecta noscuntur: Monasterium videlicet S. Albani a Burchardo Episcopo datum in Suburbio Basileæ Vrbis: in eodem Episcopatu Monasterium ALTICHIRCA, a FRIDERICO Comite per supra dicti Episcopi sollicitudinem in manus vestras abdicatum atque concessum. *Hæc* Paschalis *Papa. In* Andreæ *autem* Quercetani *Bibliotheca Cluniacensi pag. 537, ubi idem extat Diploma, pro* Altichirca *sive* Alt-kirch *mendose legitur* Altichica, *eodemque modo ibi etiam in* Indice *perperam impressum est.*

(4) *Nempe* Gallico, *quale tunc ibi in usu fuit, ut paulo post videre est.*

consilio providum, in fratrum utensilibus dispensatorem prudentissimum. Qui convocatis subdelegatis sibi fratribus, exsul egregius, sancti Patris ac omnium fratrum commendatur orationibus, & valedicentes omnibus, GALLIARVM invehuntur partibus. Moxque præfati Comitis se ingerentes conspectibus gaudentibus omnibus, cum comitatu Principis ducuntur ad Cœnobium, confirmationis sui secumferentes Privilegium. Qui protinus, velut bonæ pecudes, locum collapsum diligentissime reparantes, ad armentarium divinæ reparationis confluxerunt, in quo non multo post fœtum mundissimum spiritalium filiorum Domino pepererunt. Sed in hoc solum impediti fuerant, quod (1) *NOSTRÆ LOCVTIONIS modulum non noverant. Unde CONSTANTIO Priori solertissimo visum est potissimum, cum Principis literis precatoriis redire CLVNIACVM, ac super hoc sanctissimi Patris HVGONIS expetere auxilium. Moxque hujus itineris necessariis dispositis, ac supra dicti Principis literis acceptis, CLVNIACVM propere rediit, & inopportunitatis suæ causam Abbati sanctissimo humilime suggessit, asserens se suosque comites GALLICVM* (2) *ignorantes,* (3) *ALAMANNIÆ sine interprete minime profuturos esse. Quem Pater piissimus potissimo, quo semper erat plenus, consilio blande consuluit, eumque in ARVERNIAM, ut Beatum inde MORANDVM, quoniam habebat GALLICVM,* (4) *reduceret, direxit. Illico CONSTANTIVS in ARVERNIAM perrexit concitus, & coadunatis ejusdem loci fratribus, mandatum pandit ocius, cunctisque circumstantibus cum beato Viro valedixit omnibus, ac CLVNIACVM rediit quantocius. Quem protinus ut aspectibus sancti Patris exhibuit, illico in amplexus beati Viri se ultro Pater sanctus obtulit, ipsumque secum detinuisset, si hujus legationis necessitas non incubuisset. Nec mora CONSTANTIVS sancti Patris cum beato Viro confirmatus benedictionibus, GALLIARVM partes repedavit, ac* (5) *senem venerandum judicio angelicum, cignea albedine refertum, præfati Comitis obtutibus intulit, ac demum in hunc modum ora resolvit: En, inquit, Domine, noster MORANDVS, quem Vestræ Excellentiæ pius flagitabat affectus. Illico Princeps devotissimus cum suis Optimatibus beati Viri humilime se inflexit benedictionibus, sicque salutaribus ejus perfruitur collocutionibus, & sacris ipsius quampluribus eruditus ammonitionibus, sanctis ejus orationibus se commendavit, ac demum cum CONSTANTIO ad cæteros fratres, ejus adventum ex intimo desiderantes, consolandos ad Cœnobium direxit. Qui beato Viro occurrentes suum dignissimum consulem una cum CONSTANTIO Priore reverendo lætanter suscipiunt, ac digna reverentia cuncti præferunt. Denique quantæ bonitatis, quantæ benevolentiæ beatus Vir iste fue-*

(1) *Nempe* Gallicæ.
(2) *Scilicet* Idioma, *sive* Linguam Gallicam.
(3) *Locus notabilis & singularis de usu Linguæ* Gallicæ *in* Alamannia *tempore* S. Hugonis *Cluniacensis.*
(4) *Scilicet* Idioma. *Hinc autem certo liquet* S. Morandum *fuisse natione* Gallum. *Vide supra Col.* 901.
(5) *Locus notabilis de* senectute S. Morandi *superstite adhuc* S. Hugone *Abbate, qui secundum* Sigebertum Gemblacensem *A.* 1109. *obiit. Videtur itaque hanc ob causam in dubium vocari posse, quod* Paulus de Stocherau *supra scribit de* Epitaphio *a* S. Morando *composito in honorem* S. Bernardi *Abbatis Clarevalensis, qui A.* 1153. *obiit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuerit, quis enumerare queat? Mira ergo omnis benignitas, omnis caritas; semper hilaris, semper seremus; nunquam invidus, nunquam severus; in docendo prudens & facundus; in corripiendo modestus & discretus; in consilio providus; in universa morum honestate præclarus. Erat vero omni veneratione dignus Beatus MORANDVS & aspectu amabilis, colloquio affabilis; rectam conversationem habebat, ac forma perfectionis cunctis existebat, idemque omnes fieri optabat & ammonebat, sicque quotidie Sanctorum dignitatibus proximabat. Verum quoniam omnium bonorum invidus diabolus in Sanctorum profectibus succenditur, acrius beati Viri sanctis invidit laboribus, eumque ut retulerunt. QVI CVM EO FVERVNT, crebrius diversis singulis pæne noctibus suis impetebat phantasmatibus. Quadam vero nocte, cum Vir DEI post laborem se quieti dedisset; in teterrima specie diabolus affuit, operimentum cum (1) sorularibus vehementer ei detrahere cæpit. Quod expergefactus Vir DEI, illico cum monstrum horribile vidit, vim diabolicam esse cognovit, ac imperterritus manu injecta operimentum fortissime retraxit, sicque diutius (2) altricantes, tandem Vir DEI (3) SIGNVM VICTORIÆ intulit, quo devictus inimicus, velut fumus evanuit. Erat in eadem nocte quidam pœnitens apud Virum DEI, qui fuit ob infirmitatis molestiam a collegio fratrum segregatus, salutis gratia hospitatus, qui hæc, quæ diximus tremebundus vidit, ac omnibus sub fidei testificatione narravit. His autem mirabilibus mirabiliora succedunt.

Lectio Quinta.

Quodam autem tempore cum Vir beatus solus sederet in (4) caminata, ob infirmitatis suæ incommodum sibi deputata, contigit, ut hanc incendium totam flagraret, & hoc Vir DEI, & cæteri fratres tam diu ignorarunt, quousque totius villæ homines ignem de foris conspicientes, ad extinguendum velocius concurrerent. Cumque ex strepitu eorum fratres essent pertusi, atque ad defendendum DEI hominem concurrissent cuncti, interrogavit Vir beatus, quidnam esset, quod tam impetuose ad eum concurrissent. Cui cum dicerent, quoniam ignis jam omnia consumeret, protinus Vir DEI a timore eos blande compescuit, moxque elevata manu TRIVMPHALE CRVCIS SIGNVM igni opposuit, atque hunc velut aquarum inundantia penitus extinxit. Ex quo facto liquido cunctis innotuit, quanti meriti apud DEVM Vir iste beatus fuerit. Nam ex totius GALLIÆ NOSTRÆ confinibus universi, variis collisi infirmitatibus, ob salutis gratiam ad ipsum confluebant. Hinc potens, hinc impotens ejus suffragium flagitabat. Vnde huic NOSTRÆ EDITIVNCVLÆ quoddam mirabile digne videtur inferendum de jam dicto (5) Comite HVIVS

(1) Sorularibus *barbare pro* foccularibus, *hoc est*, foccis *sive* focculis. *Vid. Ger. Joan. Voss. de Vitiis Sermonis seu Glossematis latino-barbaris.*

(2) Altricantes *pro* altercantes.

(3) *Paulo post idem appellatur* Triumphale Crucis Signum.

(4) Caminata *substantive pro* Cella caminata, *hoc est, habente caminum. Eodem modo apud* Monachum Sangallensem *legitur singulari numero* Caminata dormitoria.

(5) *Nempe* Friderico. *Vide supra Col. 906.*

HVIVS (1) *LOCI Fundatore, quodque ad correptionem noſtrorum Principum valde conſtat utile. Nam quodam tempore contigit, ut idem Comes quendam villicum hujus Eccleſiæ OTTONEM DE WERTISHAVSEN immoderatum tributum dare cogeret, ac pro eodem captum, acrius cruciaret. Pro quo dum Vir Dei plurimum contriſtaretur, nec pro hoc Comes a ſua auſteritate deflecteretur, illico ultio divina eum proſequitur. Nam protinus paralyſi graviſſima invaditur, ac invaleſcente ægritudine, vultus ipſius contrahitur in tantum, ut os auribus contigue contractum videretur. Qui mox reatum ſuum cognoſcens, beatum Virum conſulendum adiit, ac ſibi ut ſubveniat, humilime depoſcit. Verum quoniam probata virtus inſipientem corripit, Comitem velut deſipientem durius arguit. Quomodo, inquit, tibi ſubvenire depoſcis, qui noſtrum villicum injuſte detinens, ſaluti tuæ ipſe contrarius exiſtis? Revera noveris, te graviori pœna plectendum, ſi non celerius noſtrum dimiſeris villicum. His auditis, Comes terrore nimio concutitur, & non ſolum villicum dimittendum pollicetur, verum etiam eundem ab omni tributo liberum fore, ſi ſanitati reſtituatur, clara voce profitetur. Cujus ſponſionem Dei ſervus placide ſuſcipiens, illico manum vultui ejus impoſuit, ac integræ ſanitati reſtituit. Hoc igitur ſigno patrato, omnium, qui affuere, voces in DEI laudem extolluntur, ac Virum ſanctum in terris poſitum, jam Cœli conſulem eſſe clara voce præconizant. Circa Virum vero ſanctum Comitis tantus pietatis excrevit affectus, ut hunc ſibi in ſpiritualem Patrem eligeret, ac nil ſine ipſius nutu & conſilio agere præſumeret. Beato autem MORANDO tanta Virtus contulit divina, quod ſuis ſanctiſſimis interventionibus omnem curaret infirmitatem. Nam quicunque paralytici ſeu febricitantes, vel energumeni, vel qualicunque incommoditate conſimili ad eum pervenerunt, ſalutis remedia percepperunt. Sed ne tædium faſtidioſis Lectoribus inferamus, ſi ſingulos quoſque huic Opuſculo imprimamus, unum tantum de pluribus VLRICVM DE KARLSPACH excipiamus. Qui ut IPSE fratribus, QVI (2) ADHVC SVPERSVNT, retulit, quartana febre diu graviſſime laborabat, nec ullo medicamine curari poterat. Hic cum ad Virum Dei veniſſet, & ut ſibi ſuper hac infirmitate conſuleret, flebiliter exoraſſet, illico Vir DEI graviſſime febricitanti compaſſus, manum ejus comprehendens benedixit, ac integre ſanitati reſtituit. Qui in propria bilaris reverſus, cunctis nunciavit, quod beati Viri meritis ſanatus fuerit. Verum quia beatum Virum omne genus febrium ſeu diverſarum infirmitatum veris indiciis curare probavimus, reſtat ut, qualiter in energumenis dæmonibus imperaverit, breviter dicamus. Eodem vero tempore cum quadam die DEI ſervus more ſolito Miſſarum*

(1) Monaſterii *videlicet* Altkirchenſis. *Vide ſupra Col. 905. Hinc etiam haud abſurde videtur poſſe colligi, quod* Autor, *a quo hæc* S. Morandi Vita *compoſita eſt, fuerit* Monachus Altkirchenſis, *& quidem natione* Gallus, *quoniam* GALLIA *paulo ante ab eo vocatur* NOSTRA, *&* Lingua Gallica *ſimiliter* NOSTRA LOCUTIO.

(2) *Hinc patet Autorem, a quo hæc S. Morandi Vita compoſita eſt, ipſi fuiſſe fere coætaneum. Vide Ger. Joan. Voſſium de Hiſt. Lat. lib. 3. pag. 733, ubi expreſſe negat, ſe de ætate Autoris Vitæ S. Morandi quidquam ſcire.*

ſarum ſolennia celebraſſet, duæ mulieres, a ſpiritibus immundis mirabiliter faſcinatæ, ob ſalutis commercium ad eum de longinquo ſunt adductæ. In quibus, ut dictum eſt, cum ſpiritus immundi immaniter graſſarentur, ut a pluribus vix detinerentur, illico Vir Dei ut erat piiſſimus, miſerarum miſericorditer compaſſus, exorcizando ſpiritus malignos, membra earum exagitavit, ac per ventris fluxum exire compulit. Prædictæ autem mulieres integerrimæ ſanitati redonatæ, Deum benedixerunt, ac famulo Dei, prout poterant, grates referentes, lætantes in ſua redierunt. Sed ne quempiam moveat, cur hoc ſcripto non emineat, quod noſtræ Narrationis textus ſuperius innumeroſitatem ſignorum reſonat, noverit Virum ſanctum in vita plurima ſigna conceſſiſſe, quæ, ſolo Deo teſte, intra conſcientiam potius maluit occultare, quam humano favore ab interno munere deperire. Præterea ſciendum, ob auditorum tædium multa eſſe prætermiſſa, ne dum ſimilibus nectterentur ſimilia, faſtidioſis, ut dictum eſt, plurima efficerentur tædia. Quapropter ne loquacitate nimia arguamur, ad ea, quæ reſtant, his utcunque digeſtis, redeamus, quibuſve poſt tranſitum beatus Vir multigenis micuerit ſignis, pauca de pluribus, fidelibus pandamus.

Lectio Sexta.

Igitur Beatus MORANDVS, (1) *longo jam ſenio affectus, curſum hujus vitæ laborioſæ glorioſiſſime complevit, ac corruptibili carne exemptus ſidereos Cœlos penetravit. Ad cujus exſequias omnes pæne* (2) *NOSTRÆ DIOECESIS utriuſque ſexus & gradus Religioſi venerunt, ac ſumma cum reverentia una cum Fratribus beati Viri efferentes corpus cum divinis laudibus, in tumba gypſea, imagine ipſius decenter expreſſa, in media Baſilica digno honore condiderunt. Verum quamvis humanas inferias nonnunquam veteranorum reprobet auctoritas, hos tamen voto potiori non confunditur venerari Chriſtiana pietas, quos digniores Deo poſt hujus vitæ tædium ſignorum probavit immortalitas. Unde & univerſorum fidelium Beatum MORANDVM eo diligentius excolit vocalitas, quo hunc miraculis crebris glorificat ſuperna pietas. Nam multo enim poſt tranſitum ipſius ingenti miraculo eadem divina Clementia ejus memoriam cunctis celebrem reddidit, quod ſuperna devotio fidelibus pandere ſtatuit. Erat itaque eodem tempore quædam mulier de KAROLSPACH, quæ filium ſatis elegantem habebat, qui jam octavum ætatis ſuæ annum impleverat. Hic quadam nocte ſecreto Dei judicio totus contractus, & non ſolum totius operis actualitate privatur, verum etiam omni corpore invalidus, manibus, pedibus, artubuſque obriguis, ſolo penitus reclinatur, ac manibus trepidis ſuſtentatus, modicum quaſi ſerpere videbatur. Cumque per triennium fere inutilis eſſet, nec ullo reme-*

(1) *Haud immerito dicitur* Longo ſenio. *ſi* S. Morandus, *ut ſupra traditur, ſuperſtite adhuc* S. Hugone, *qui A. 1109 mortuus eſt, fuit* ſenex cignea jam refertus albedine, *& tamen* Epitaphium *compoſuit in honorem* S. Bernardi *Abbatis Clarævallenſis, qui A. 1153 obiit.*

(2) *Nempe* Baſileenſis, *ſeu potius* Veſontinæ; *utpote cum ad Archiepiſcopatum* Veſontinum *ipſe Epiſcopatus* Baſileenſis *tanquam ſuffraganeus pertineat.*

remedio medicari potuiſſet, quadam nocte mater ejus ſoporando, voce quadam ammonetur, quod hunc ad monumentum Sancti MORANDI deferat, Sanctorumque inibi patrocinio implorato, debilem ad ſepulchrum Beati MORANDI ponat, Sanctumque pro filio ſupplicari non deſinat. Nec cunctabatur mulier divinitus ſibi inditum implere præceptum. Ad Beati MORANDI tumulum, ut docta fuerat, ſuum poſuit filium: pro quo dum ab omnibus divinum flagitatur auxilium, dumque fratres tertio ſignati, Sancti Spiritus canunt oraculum, dictu mirabile, viderunt claudum paulatim ambire Sancti ſepulchrum, attractis manibus tumbam palpitare; jamque ſolo potens ſe elevare artubuſque crepitantibus vigorem vitalem, baſes plantasque replere, cunctiſque concurrentibus, claudum ſaniſſimum exilire, ac in Dei Sanctique laudibus cum cæteris fidelibus ambitum Eccleſiæ circuire. Huic autem miraculo placuit divinæ Clementiæ aliud non minus mirabile beati Viri meritis addere. Denique eodem tempore quidam dæmoniacus, ligatis manibus corrigia fortiſſima poſt tergum, ad idem monumentum ſalutis gratia eſt adductus. Hic cum ad Sancti ſepulchrum penitus excerebratus a ſuo fratre fuiſſet ligatus, & jam biduo die noctuque diligentiſſime cuſtoditus, idemque ſe nocte quadam Dominica ſopori dediſſet, protinus energumenus inimicum venire vidit anxius, Beatumque MORANDVM candida ſtola præfulgidum vidit ex ſepulchro procedere, ac hoſtem, ne ipſum lædat, concite propellere. Moxque ſaniſſimus effectus, fratrem appellavit crebrius, nexibuſque, ac ſi ferro ruptis, divinitus ſolutis manibus, cunctis adſtantibus voce, præconia ſagaciter retulit, qualiter per beatum Virum viſitatus, ac ab hoſte liberatus fuerit. Verum quis hunc Virum beatum antiquis Sanctis digne conferendum non cenſeat, qui tam potenter vivus & defunctus, cunctis dæmonibus imperat, omniumque laboribus pleniſſimum ſolamen ſubpeditat. Hunc ergo ſibi ſuffragari omnium fidelium devotio expetat; huic pio affectu ſupplicet, quisquis juvamine indiget. Hæc interim pauca de pluribus de vita & tranſitu Viri Dei excepta ſufficiant; & nunc vero, quæ de revelatione Reliquiarum Viri Dei ſuppetunt, pennula noſtra percurrat, protinuſque operi finem imponat. Tranſacto itaque longo temporis ſpatio, exigente plurimo periculo exoritur incendium, ex cujus immanitate totius Cœnobii concrematur ædificium, ac colliſura trabium ſancti Viri conteritur Epitaphium. Sed cum jam ejuſdem Eccleſiæ fabrica adjutamento fidelium admodum fuiſſet reſtaurata, Fratrum devota præcordia non modica mæſtificabat triſtitia, quod reverenda oſſa beati Viri tam indigna humarentur foſſa, qua magis eſſent conculcationi dedita, quam debita veneratione habita. Vnde & unanimes eadem ab humo potius ſublevare ſtatuunt, moxque receptaculum digniſſimum ſculpere ſatagunt, ac deſuper Ciborium opere polymito fortiſſime eſſe intectatum, ne, ut prius, aliqua læſura conteratur. Hoc itaque parato, die ſtatuto quamplurimi Priores, univerſique utriuſque ſexus conveniunt, moxque ſacras veſtientes induvias, cum maxima reverentia exuvias efferunt, ac divinis concentibus cunctis perſtrepentibus, ſarcophago decentiſſimo condunt. Nec diſtulit ſuperna Pietas divinis

vinis miraculis ſancti Viri, ut prius, glorificare reliquias. Nempe eadem hora duos cæcos viſu diu privatos optati luminis excepit claritas, itemque claudos tres ſoſpitati conredonavit Sancti venerabilitas. Cæterorum vero copioſa conſtat numeroſitas; quam, ne pigreſcat aut frigeſcat auditorum charitas, innotata prætermiſit fraterna ſagacitas.

Compendioſa Relatio Elevationis Corporis SANCTI GUIBERTI Confeſſoris.

Igitur S. GUIBERTUS quadraginta fere annorum ſpatio in bonorum operum conſummatus exercitio apud Gorziam ſuæ converſionis Cœnobium vita defunctus, in GEMMELAUS, ſuæ primæ converſationis loco ſepultura eſt affectus: ubi ab anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo ſecundo (eo quippe hominem exuit) per annos centum triginta tacito nomine jacuit, vix paucis fidelibus per chartas veteres recordantibus umbram ejus ſanctitatis. Anno autem Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo nono refulſit nominis ejus memoria, nova ſignorum gratia illum magnificante Dei munificentia. Quæ ita mirabilis in eo fuit per duodecim annos ante ſancti Corporis elevationem, ut longe lateque maximum ei ab omnibus comparaverit amorem & honorem. Unde multis NOSTRORUM, multis etiam extraneorum, videri cœpit indignum, quod Vir tantæ apud homines æſtimationis, tantæ apud Deum ſanctitatis, nullo cultu venerationis honoraretur a NOBIS. Horum maxima pars erat SIGEBERTUS, antiquæ ſcientiæ & reverentiæ monachus, hujus NOSTRÆ Eccleſiæ Gemmelacenſis oculus; cui pie invigilabat vita & converſatione & religionis fervore. Tanto namque certior erat de ſanctitatis ejus gratia, quanto vitam ejus virtutibus plenam multa ſtyli perſecutus eſt elegantia. Qui ex evidenti miraculorum oſtenſione accepta explendi deſiderii ſui occaſione, de elevatione ſancti ejus Corporis cæpit agere apud eos, quorum hæc erat autoritas. Denique Domini LIETHARDI Abbatis voluntate conſulta & benedictione percepta, ad impetrandam ſuper hoc Epiſcopi Leodicenſis autoritatem, ipſe ab eo ſuſcepit legationem. Currum DEI tunc Leodii aurigabat Dominus OTBERTUS, Eccleſiæ ſuæ inter prædeceſſores ſuos ſatis commodus. Qui ubi bonam bene deſiderantium voluntatem audivit, diſcuſſa & comperta rerum veritate, juſta petentibus aſſenſum dedit, gaudens tempore ſuo per Dei miſericordiam revelatum, unde omnis Mundus a neceſſitatum pondere ſe ſentiret relevatum. Ab Domino HENRICO loci NOSTRI Archidiacono cauſa defertur FREDERICO Colonienſium Archiepiſcopo. Confert ille in Synodo generali, quid eſſet agendum ſuper negotio NOBIS ſpeciali, & ex conſilio libenter adnuit, quod fidelis NOSTRÆ partis fautor innuit. Poſtquam autem per crebra noſtræ legationis interruntia diverſa de hac re data ſunt & accepta reſponſa, Dominus Abbas LIETHARDUS jam per ſe ſtatuit curare, quod aliis totum curandum videbatur commiſiſſe. Ergo licet fractus ætate ſenili, ſeipſum impendens grandioris viæ labori, Leodium properat, quodam, ut ita dicam, alleviatus vehiculo boni deſiderii. Ubi tam Epiſcopum, quam Archidiaconos, tam Abbates, quam univerſos Eccle-

ſiaſticæ Reipublicæ conveniens Præpoſitos, petiit ut ab eis unanimiter diffiniretur, quando conceptum fidelibus animis votum compleretur. Quod & factum eſt. Sane quoniam ad tanta novæ ſalutis gaudia non facile poſſet evocari ſemota fidelium populorum frequentia, placuit ut NONO KALENDARUM OCTOBRIUM DIE Elevatio ſancti Corporis fieret, eo quod pridie in martyrio ſanctorum Thebæorum, ſpecialiter NOBIS ſolenni, ſatis ingens populus & indicti commercii & votivæ orationis cauſa in hunc locum conveniret. Dominus Abbas LIETHARDUS, in his, quæ ſibi bene vel dicta vel facta ſunt, lætatus, hujus lætitiæ participationem ad NOSTRAM detulit exſpectationem: monuit deinde, ut deſiderata boni Patroni ſolennia debita NOSTRÆ devotionis prævenirent munia. Namque ad proſperandos a Deo hujus rei ſucceſſus ex Epiſcopi mandato jejunium indixit, quod ipſe una nobiſcum eo devotior, quo ſollicitior, perfecit. Jamque effulſerat dies illa, Cælo terræque feſtiva; Cælo pro compare deſignato, terræ pro Patrono ſibi aſſignato. Aderat utriuſque ſexus plebs innumerabilis, quos undecunque advocaverat amor & honor ſancti Confeſſoris. Convenerant etiam plures Abbates & Archidiaconi, & alii Eccleſiaſticæ religionis tam auctores, quam diſcipuli, quos ad cœleſtis theſauri compoſitionem incitaverat auctoritas Domini Epiſcopi & religioſitas tractandæ rei. Quorum devotis obſequiis ſancti Corporis margaritum elevatum de loco ſepulturæ, in proximam agri planitiem eſt deportatum, exſpectantibus populis demonſtrandum. Interea pro re & tempore habito ad populum ſermone, cum omnibus ſatisfactum eſſet pro ſua exſpectatione ſuper ſancti Corporis viſione, Sanctus Confeſſor GUIBERTVS ab omnibus veneratus, a pluribus votiva vel ſpontanea oblatione muneratur. Inde ad loci NOSTRI tutelam & ſalvationem cum feretro ad hoc fabrefacto in placitam ſibi Eccleſiæ NOSTRÆ Gemmelacenſis repoſitus eſt manſionem.

Diplomata duo, monaſterium Gemblacenſe concernentia, alterum OTTONIS I. IMP. alterum BENEDICTI VII. Pontif. Max.

Finita hac Narratione *Elevationis S. GUIBERTI*, ſubjungitur in eodem Codice MSto *Diploma Imp. Ottonis I.* ſive *Magni*, de confirmatione & Privilegiis Monaſterii *Gemblacenſis* A. C. 946. promulgatum, cujus ipſe *Sigebertus Gemblacenſis* capite undecimo Vitæ *S. Guiberti* meminit his verbis: *Omnis res jam compoſita videbatur, omnia jam in tuto eſſe credebantur, nihil ex aliqua parte metuebatur; de rebus Eccleſiæ traditis & de libertate ipſius loci Charta conſcripta Imperiali Edicto erat confirmata, & annuli Imperialis impreſſione auctorizata. Quæ auctorizatio facta eſt ſolenniter Leodii XII. Calend. Octobris anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo quadrageſimo SEXTO, Indictione QUARTA, Regni Domini OTTONIS Primi anno VNDECIMO.* Hæc *Sigebertus*, & quidem vere ac recte. Quod enim *Imp. Ottonis Primi* anno Regni Romanorum a morte patris ſui *Imp. Henrici Aucupis* VNDECIMO, & ſimul etiam Indictioni QVARTÆ, reſpectu XII. Calend. Octobris ſive *dici vigeſimi Septem-*

ptembris non alius vulgaris Æræ Christianæ annus, quam NONGENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS respondeat, jam pridem luculentissime solidissimeque demonstravi in *Chronologia & Auctario Libri primi Rerum Hamburgensium.* Errat itaque *Aubertus Miræus*, dum in supra citato *Diplomatum Belgicorum* veterum Syntagmate asserit, Diploma illud *Imp. Ottonis I.* promulgatum esse anno Christi *nongentesimo quadragesimo* OCTAVO; simul etiam corrigendum est ipsius *Sigeberti Gemblacensis Chronicon*, ab eodem *Miræo* Antverpiæ apud Hieron. Verdussium A. 1608. in quarto editum, cujus auctoritate is hunc errorem suum stabilire ac confirmare frustra annititur. Cæterum quod ad ipsum Diplomatis istius contextum attinet, incipit is tam in supra memorato *Auberti Miræi* Diplomatum Belgicorum Syntagmate, quam in nostro Codice MSto *Ambrasiano*, his verbis: *In nomine Domini Dei & Salvatoris æterni OTTO Divina favente Clementia Rex Lotariensium & Francigenum. Quicquid* (1) *Germanensium sub Imperii nostri ditione* (2) *ac religionis DEI mutu a venerabilibus ac Dei timoratis agitur Viris*, &c. Finito igitur hoc *Imp. Ottonis I. Diplomate*, sequitur in eodem Codice MSto *Ambrasiano* aliud quoddam Diploma, de ejusdem Monasterii *Gemblacensis* Privilegiis a *Papa* BENEDICTO VII. A. C. 983 promulgatum: quod quoniam nec apud *Surium*, nec apud *Miræum* extat, sed hactenus, quod sciam, nondum est editum, integrum hic infero.

A *BENEDICTUS Episcopus, servus servorum DEI Religioso Abbati venerabilis Monasterii Sancti Salvatoris Domini nostri JESU Christi ac S. Petri, noviter ibi constituti, suisque successoribus imperpetuum. Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis ac piis locis invigilandi, ne aliqua necessitate jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Ideo convenit nos tota pastoralis mentis integritate eorundem venerabilium loco-*
B *rum maxime integritatem & stabilitatem procurare, & sedulo eorum utilitatibus subsidia illic conferre, ut Deo nostro Omnipotenti id, quod pro Ejus Sancti Nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam Ejus Divinæ Majestatis venerabilibus nos certum est contulisse locis, sit acceptabile, nobisque ab ejus locupletissima misericordia digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur Arcibus remuneratio. Igitur, quia postulastis a nobis, quatenus pro Dei Omnipotentis amore*
C *ac Domini OTTONIS, præcellentissimi Imperatoris, nostrique dilecti filii, concederemus atque confirmaremus vobis prædictum Monasterium in honore Sancti Salvatoris ac Sancti Petri constructum cum omnibus rebus mobilibus atque immobilibus, quæ sub eodem Monasterio adjacere ac pertinere videntur, tam mansis, quam etiam Castris, villis atque casalibus, tam quæ præsentes sunt, quam quæ etiam usque in finem esse debebunt positæ in loco, qui vocatur GEMBLAVS. Concedimus atque confirmamus Apostolica auctoritate, ut de alio Monasterio Abbas*

(1) *In editione Miræi legitur* Germanienſium.
(2) *In editione Miræi desunt hæ duæ voces* ac religionis.

Abbas ibi non constituatur, sed ipsi servi Dei secundum regulam Sancti BENEDICTI viventes ex sua propria congregatione potestatem eligendi Abbatis habeant, Abbasque privilegiis Sedis Apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Et ideo cujuslibet Ecclesiæ Episcopum in præfato Monasterio ditionis quamlibet habere auctoritatem probibemus, nisi tamen benedicendi habeat licentiam, statuentes Apostolica censura atque auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis sub divini Judicii obtestatione ac validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontificum, vel alia parva magnaque persona aliquid de rebus vel possessionibus, ad idem pertinentibus Monasterium, auferre vel alienare præsumat. Si quis autem, quod non credimus, nefario ausu, parva magnaque persona, contra hoc nostrum Apostolicum Privilegium agere temptaverit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, ac a Regno Dei alienum, ac cum omnibus impiis æterno incendii supplicio condemnatum: at vero, qui observator extiterit præcepti: gratiam ac misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur. Scriptum per manum Bonifacii Notarii regionarii ac scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martio, Indictione undecima. Bene valete. Datum VIII. Kalend. Aprilis per manus Stephani Episcopi ac Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ anno Pontificatus Domini nostri BENEDICTI sanctissimi SEPTIMI Papæ NONO, imperante Domino nostro OTTONE a DEO coronato, magno ac pacifico Imperatore, anno DECIMO SEXTO, in mense ac indictione, quibus supra.

Hucusque *secundum* illud Diploma de Monasterii *Gemblacensis* confirmatione ac privilegiis. Meminit autem ejusdem Diplomatis etiam *Sigebertus Gemblacensis* capite undecimo Vitæ S. Guiberti his verbis: *Ad hanc confirmationem Imperialis Potestatis accessit etiam Apostolicæ Sedis auctoritas, dum a BENEDICTO SEPTIMO hujus nominis Papa, decretum est, ut rata esset in perpetuum Gemmelacensis Cœnobii prærogata immunitas. Decretum est etiam, ut de alio Monasterio ibi Abbas non constituatur, sed ipsi servi DEI, secundum S. BENEDICTI regulam viventes, ex sua propria congregatione Abbatem eligendi potestatem habeant, & ut Abbas ipse privilegiis Sedis Apostolicæ infulis decoretur, & ut ipsum Monasterium sub jurisdictione S. Romanæ Apostolicæ Sedis constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur, interminando ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis sub divini obtestatione judicii ac validis anathematis interdictionibus, ut nulla aliquando vel parva vel magna persona aliquid de rebus vel possessionibus, ad idem Monasterium pertinentibus, auferre vel alienare præsumat. Hoc scriptum per manum Bonifacii Notarii regionarii atque scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ, datum est VIII. Cal. Aprilis per manus Stephani Episcopi ac Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini BENEDICTI VII. Papæ NONO, imperante OTTONE a DEO coronato, magno ac pacifico Imperatore anno*

anno DECIMO SEXTO, qui eſt annus Domini NONGENTESIMVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS. Hæc *Sigebertus.* Quem locum idcirco integrum hic exhibui, quoniam eum *Laurentius Surius* non ſolum mendoſe & corrupte edidit, verum etiam falſa emendatione marginali multo adhuc magis depravavit. Falſo enim is credidit, per Imp. OTTONEM, cujus annus DECIMVS SEXTVS cum Papæ BENEDICTI SEPTIMI anno NONO hic conjungitur, intelligendum eſſe eundem *Imp. Ottonem Primum* ſive *Magnum*, qui in principio ejuſdem capitis traditur Monaſterium Gemblacenſe confirmaſſe *anno Regni ſui undecimo*, hoc eſt, anno Chriſti 946, ideoque pro Papæ BENEDICTI SEPTIMI anno NONO legendum eſſe cenſuit Papæ AGAPETI SECVNDI anno SEXTO, & pro anno Domini 953, ut in fine ejuſdem capitis perperam legitur, ſubſtituendum eſſe annum Domini 951. Verum enimvero, nec nomen Papæ BENEDICTI SEPTIMI, nec annus Pontificatus ejuſdem NONVS ibi mutandus eſt, ſed per Imp. OTTONEM, cujus *annus Imperii* DECIMVS SEXTVS tanquam ſynchronus ibidem additur, intelligendus ſine dubio eſt Imp. OTTO SECVNDVS, & in fine totius capitis pro *qui eſt annus Domini 953.* ſive *nongenteſimus QVINQVAGESIMVS TERTIVS* abſque ulla controverſia ſcribendum eſt, *qui eſt annus Domini 983.* ſive *nongenteſimus OCTOGESIMVS tertius.*

Quod enim *Imp. Ottonis* SECVNDI anno Imperii a coronatione per *Papam Joannem Decimum tertium* DECIMO SEXTO, & ſimul *Indictioni* VNDECIMÆ, reſpectu *VIII. Calend. Aprilis* ſive *diei 25. Martii* non alius vulgaris Æræ Chriſtianæ annus, quam *nongenteſimus OCTOGESIMVS tertius* reſpondeat, jam pridem accuratiſſime manifeſtiſſimeque demonſtravi in *Chronologia & Auctario Libri primi Rerum Hamburgenſium.* Ut igitur *Monaſterium Gemblacenſe primam* ſui confirmationem debet *Imp. Ottoni* PRIMO A. C. 946, ſic *ſecundam* debet filio ipſius *Imp. Ottoni* SECVNDO, utpote cujus ſtudio & cura eam impetravit a Papa BENEDICTO SEPTIMO A. C. 983. Cæterum poſt jam memorata duo *Imp. Ottonis I.* & *Papæ Benedicti VII.* Diplomata ſequitur in eodem Codice MSto Ambraſiano *Narratio combuſtionis Monaſterii Gemblacenſis*, quæ (1) A. C. 1137. accidit, compoſita ab Autore *coætaneo* & *præſente*, nempe GVIBERTO, qui poſtea non ſolum *Gemblacenſis*, verum etiam *Florinenſis Abbas* electus eſt. Quoniam autem hæc Narratio hactenus quidem, quod ſciam, nondum eſt edita, digna tamen videtur, ut publici fiat juris, & poſteritati commendetur, integram hic exhibeo.

Deſtructio vel potius Combuſtio Monaſterii Gemblacenſis, quæ facta eſt (2) anno milleſimo CXXXVII, a prima ſui combuſtione anno triceſimo. Quam qui-

(1) *Ita enim ſatis clare ac perſpicue in* Titulo *ſive* Inſcriptione *iſtius Narrationis ſcriptum eſt.*
(2) *In auctario Chronici* Sigeberti Gemblacenſis, *ab* Aubero Miræo *edito refertur hæc combuſtio ad annum 1136, ſed minus recte.*

quidem miſerandam deſtructionem GVIBERTVS, poſt ejusdem Monaſterii factus Abbas, ac etiam Monaſterii Florinenſis, Vir ſane omnium judicio ſanctiſſimus, his deplorat verbis:

Expediam paucis, ſi tamen præ dolore ſufficiam, lachrimabilem cauſam gemitus & triſtitiæ circumvallantis me, hoc eſt, miſerabilem ruinam & deſtructionem Eccleſiæ noſtræ, in qua fere uſque ad mortem periclitatus ſum. Oppidum noſtrum in confinio Lovanienſis Ducatus & Namurcenſis Comitatus ſitum eſſe dinoſcitur, quod ei ſæpius factum eſt in laqueum & everſionem & ſcandalum, & ad inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum. Orta itaque nuper ſimultate inter Ducem & Comitem, Comes idem improviſe illud cum exercitu ſuo circumdedit, & immiſſo igne in munita, idem, quæ foris vallum & murum offendit, penitus depopulatus eſt. Cum vero nihil tale timeretur, flabris ventorum, qui vehementiſſimi inſurgebant, ſubvehentibus, favillæ flammantes per cuncta Oppidi interiora diſperſæ ſunt, & ita totum ſimul & Oppidum & Monaſterium ferventiſſimo incendio conſumptum eſt, ut in Oppido nulla domus præter duas humilimas, recenti humo obductas, & in Clauſtro, ne una quidem officina inuſta remaneret. In qua exuſtione cum Miſſam matutinalem ad Altare minus cantarem, nolens aliquid imperfectum relinquere, tardius pæne, quam debui, ad tutelam me contuli. Nam ſacris exuſtis veſtibus, cum præ ignibus, late jam omnia vaſtantibus, foras erumpere non poſſem, in vicinius, quod patebat, ſacrarium ingreſſus, quatuor ibidem e fratribus meis mærentes & anxios inveni. Quo in loco præter ſpem undique vallantibus nos flammis, fumo & calore ita exæſtuavimus, & ſuffocati ſumus, ut duo ex his graviter læderentur, ſed evaderent; ego & alii duo anguſtiati, terræ ſine ſpiritu inſtar mortuorum uſque ad veſperum decubaremus. Sed me per auxilium Dei & ſancti Patroni noſtri GUIBERTI ſuperſtite, iidem duo ſocii martyrii mei poſt paucos dies rebus humanis exceſſerunt. Sed, ſicut ſcriptum eſt in (1) Prophetis, Auditus auditui, contritio contritioni, & terror terrori ſuperveniet, & reſiduum locuſtæ comedet brucus, nono combuſtionis die prædictus Comes Namurcenſis, aſcito ſibi Comite Hanonienſi, nepote ſuo ex ſorore, denuo multitudine gravi Oppidum circumdedit, & quibuſdam in locis dirutis muris intravit utriuſque exercitus, & ubique liberrime diſcurrens, (omnes quippe imparatos, & nihil horum aliquatenus metuentes invenerat) univerſa, quæcunque ſuperfuerant diripuit. In qua direptione nihil nobis, nihil burgenſibus vel populo terræ, qui inibi ſua convexerat, relictum eſt. Animalia quæque & altilia domeſtica aut cremata, aut ab hoſtibus abducta: nullus ſacris vel Altaribus honor impenſus eſt, adeo ut in medio Presbyterio coram principali Altari, & per tota utriuſque Eccleſiæ ſpatia, & pedeſtri & equeſtri certamine congredientibus hinc noſtris, hinc adverſariis, multi interficerentur, monachi ipſi & ſacerdotes diſcuterentur & ſpoliarentur. Nullus fratrum prorſus indemnis evaſit. Horreo referens; unus letali telo per latera adacto continuo oppetiit, alius

(1) Ezechiel. *cap. 7. verſ. 26.* & Joel. *cap. 1. verſ. 4.*

alius ita nudus ab eis relictus est, sicut cum natura ab utero matris in lucem produxit. Sed quid queror de cæteris? Ipsi Abbati cum reliqua veste & caligas detraxissent, nisi a quodam sibi noto vix excussus, per horrentis noctis tenebras nudus & solivagus diffugisset. Et ut cœpta prosequar, nulla in direptione prædicta vel fœmineo sexui penitus reverentia, quin & ipsæ mulieres nudæ dimitterentur, nulla omnino lactentibus misericordia exhibita est: sed & matres vestibus exutæ, & filii ab uberibus matrum distracti, contra naturæ jura cum maxima parte burgensium in captivitatem traducti sunt. Itaque hostes spoliis nostris ditati, & ad propria cum triumpho & tripudio reversi, læti pro victoria super miseriis nostris plaudunt hodie, dicentes, quod vix in qualibet ampla Civitate tantas se sperarent inventuros divitias, quantæ apud nos inventæ sunt. In hac quoque destructione pejus mihi aliquid contigit, quam in conflagratione, quoniam & Capella, id est, apparatus Missæ, quem honestissimum habebam, & reliquiæ, quas super aurum & topazion diligebam, sed & desiderabile oculorum meorum, id est, (1) Beati MARTINI Vita, in cujus rhythmica descriptione aliquantulum desudaveram, & quicquid librorum ab ineunte ætate confeceram, vestes quoque meæ omnes præter eas, quibus indutus eram; &, ut brevi multa colligam, cum propter infirmitatem alias quietis gratia evectus essem, omnia mea ab hostibus sublata sunt. Nunc cum cæteris tantæ miseriæ sociis sub dio in parietinis instar nyctocoracis sine tecto gemens sedeo & fleo, quoniam A versus est in luctum chorus noster. In majori Ecclesia, utpote homicidiis profanata, nec legitur, nec cantatur, sed in crypta quadam utcunque divinum explemus Officium. Gravabat me quoque vehementius, quia & plurimos mecum inclementia cæli & inæqualitas aëris nunc æstu, nunc frigore, nunc imbribus sævis & crebris, tam die, quam nocte diversis modis nos affligebant, cum nulla domorum, quibus ab his protegeremur, igne cremata tecta superessent. Angebar nihilo minus maxime, quod majus Altare B Apostolorum Petri & Pauli solennitate Missarum, carebat a die incensionis Templi usque ad introitum meum in Abbatiam, nemine super illud audente divina celebrare, eo quod camera testudinis supervolutæ, ligatura cementi propter imbrium infusionem penitus destituta, ruinam suam & mortem subtus incedentium minari videretur. Hinc etiam non minimum affligor, quod deambulatoria totius Claustri pæne omnia, nullum nisi solius Cæli tectum habentia, toto brumali tempore limo & cœno plena, possessoribus C suis intrandi, sedendi vel quiescendi oportunitatem nullam præbent. Denique sæculares quidam filii Belial, armis injustitiæ utentes, & nos persequentes, nostra quoque invadentes, & sibi usurpare conantes, Ecclesiam impugnabant. Pro cujus bonis tuendis, ut nobis semper moris est, superno fulti præsidio, non viribus, sed precibus, non jurgiis, sed sanis nos armantes consiliis, æque illis resistimus. Sed quid de externorum vel inferiorum persecutorum inquietatione conqueror? cum nos summæ Potestates & Principes nostri,

(1) *Locus singularis de* Vita S. Martini *a* Guiberto *Abbate Gemblacensi rhythmice composita.*

noſtri, hi ſcilicet, qui nos ab illorum A *infeſtatione ubique & indeſinenter tueri ex debito tenebantur, ALBERTVM DE AICH dico Epiſcopum noſtrum, & MATHILDEM Duciſſam Lovanienſem, dum, Viro ſuo Hieroſolymis peregrinante, ſola dominaretur in terra. Epiſcopus terram quandam, diu ab Eccleſia poſſeſſam, uterque autem duarum perſonatus Eccleſiarum, quæ noſtræ ſunt, ab alio ALBERTO fratre Ducis, ad reſtructionem Clauſtri noſtri, pro guerra patris ejus combuſti, nobis dudum* B *collatos, auferre ſumma vi tentantes, tantis nos damnis & cladibus affecerunt, ut, cum ipſi magnis æque cladibus ante mortem confecti, jam exſpiraverint, damna ipſa, quæ nobis intulerunt, longo nos fatigantes incommodo, per ſingulos annos adhuc reſpirent.*

Hucuſque deſtructio Monaſterii Gemblacenſis ſecunda, ex Epiſtolis Domini GUIBERTI decerpta.

Hoc igitur modo extat *Narratio* illa C in ſupra memorato Codice MS. *Ambraſiano*, & corollarii inſtar annexum habet quoddam *Miraculum*, quod tempore ejuſdem combuſtionis Monaſterii *Gemblacenſis* contigit, & ab (1) ANSELMO *Abbate* in *Auctario Chronici Sigeberti* memoriæ traditum eſt his verbis: *Diſcordiæ malum* (2) *quam perniciosſim ſit omnibus, plus jam noſtris tribulationibus* (3) *diſcimus, quam in Codicibus legimus. Cum enim monachi cum oppidanis, oppidani cum monachis non concordarent in ſubſtituendi Abbatis electione, ad hoc uſque proceſſit malum diſcordiæ, ut* (4) *Dux Lovanienſis, & Comes Namurcenſis, rupto pacis fœdere, hoſtiliter inter ſe concertarent multo tempore. Erat autem cernere miſeriam & omnium rerum deprædationem violentiſſimam, homicidia ſæpiſſime fieri, villas cum habitatoribus concremari, in tantum ut Gemelacenſe Oppido cum Parochiana Eccleſia combuſto cum maximo inhabitantium periculo, Dei Clementia majus Monaſterium, quod eſt contiguum, undique graſſante incendio, jam ſuccenſum, miro reſtinxerit modo. Vicini enim fluminis* (5) *in ſtagnum collectus alveus rivo ſuo* (6) *omni ex parte ſubito eſt evacuatus, ita ut arenæ ejus cernerentur* (7) *circumcurſantibus & his, qui reſiſtebant hoſtibus, ejuſque aqua ſuperfuſa Monaſterio in modum pluviæ, incendium omne reſtinxit Dei virtute. Ne cui autem hoc videatur incredibile, multæ hoc hodieque atteſtantur non ſolum laicales, ſed & eccleſiaſticæ perſonæ.* Hæc *Anſelmus Abbas Gemblacenſis.* Quod ſupereſt, ne quis poſſit dubitare, quin Codex iſte *Ambraſianus*, de quo hactenus ſatis prolixe egi, in ipſo *Monaſterio Gemblacenſi* olim exaratus ſit, ſubjungo hic ejus rei probandæ cauſa

ipſum

(1) *Huic enim in Codice hoc MSto* Ambraſiano *Appendix iſta nominatim & expreſſe attribuitur his verbis:* Hæc ſunt verba ANSELMI Abbatis, qui Chronicon Sigeberti augmentavit in fine. *Errat igitur* Aub. Miræus, *qui alium quendam anonymum monachum narratiunculæ iſtius Autorem eſſe exiſtimat.*

(2) *In editione Miræi pro* quam *mendoſe legitur* quia.

(3) *In editione Miræi perperam deeſt verbum* diſcimus.

(4) *In editione Miræi additur* Godefridus.

(5) *Verba hæc* in ſtagnum collectus *deſunt in editione Miræi.*

(6) *In editione Miræi pro* omni *legitur* magna.

(7) *In editione Miræi legitur*, cernerentur a circumſtantibus, & his, qui &c.

ipſum illud ad *Imperatorem Maximilianum I. Epigramma dedicatorium,* quod prima ejus pagina extat hoc modo

Accipe, quæ ſupplex GEMLAVS tua filia mittit
Parvula devoto munera corde Tibi:
GEMLAVS, quæ Regum quondam lactata mamillis,
Longinquas Vrbes ſparſit odore bono.

XIII.

Vita S. Remigii, Archiepiſcopi Rotomagenſis.

MONITUM.

S. Remigius, *Archiepiſcopus* Rotomagenſis, *filius fuit* Caroli Martelli, & *frater* Pipini *Regis Franciæ. In catalogo Archiepiſcoporum Rotomagenſium apud* Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana *numeratur Archiepiſcopus* trigeſimus; & merito, *inquit Lambecius,* corrigitur eorum error, qui eum falſo Ægidium nuncupant. Deſcripta eſt hæc vita ex cœnobio S. Audoeni in urbe Rotomagenſi, ubi feſtum ejus celebratur die 13. Januarii in octava Epiphaniæ. Quandoquidem autem hujus S. Remigii nec in Martyrologio Romano nec in Philippi Ferrarii Catalogo generali ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, nec in Laurentii Surii probatis Sanctorum Hiſtoriis, nec in RR. PP. Joannis Bollandi & Godefridi Henschenii Actis Sanctorum menſis Januarii ulla prorſus fit mentio, operæ pretium me facturum arbitror, ſi ſupra memoratam ipſius vitam obiter hic publicavero. *Vide* Lambecii *Comment. Librum ſecundum, Catalogi Bibliothecæ Ambraſianæ Cod. CCLXX. nunc in Claſſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. CLX, in quo ea vita habetur hoc exemplo:*

Prologus in Vitam S. Remigii Archiepiſcopi Rotomagensis.

SI plerique mortalium Scriptores rerum, humanæ laudis avidi, ob ſui nominis titulum vel memoriam plura pro ſuæ artis copia radiante ſtylo edidere, multo magis æternæ ſalutis gratia id noſtræ parvitati convenit ſcribere, quod ſanctæ Eccleſiæ filiis oportunum maneat ac ſalutare. Operæ prætium eſt igitur Sanctorum Vitas literis propalare, & eorum in laude Dei merita extollere, tametſi ardua ſcribendi videatur materia, & noſtræ imperitiæ ponderoſa. Cum enim præcedentium Geſta electorum præſentialiter recitantur, auditorum animus ad æternorum deſideria inflammatur, & Regis Regum Gratia in eis impenſius honoratur. Ipſi enim laus eſt & gloria illorum, qui & inchoandi boni operis accendit amorem, & felicius conſumandi tribuit facultatem. Vu-

de ſancti Antiſtitis NOSTRI REMIGII Vitam licet antiquorum incuria Scriptorum aut non ſcripſerit, aut ſcriptam forte negligenter amiſerit, nequaquam tamen, uti in Catalogo ſanctorum Rotomagenſis Eccleſiæ Pontificum reperimus, virtutum ſignis eum refulſiſſe ambigimus. Quapropter ea, quæ de ipſo veridica Patrum traditione accepimus, ob ejus memoriam poſteris intimandam ſcripto tradere curavimus.

Vita S. Remigii, Rotomagenſis Metropolis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

Lectio Prima.

Beatus igitur REMIGIVS, carnis ſtemmate nobiliſſimus, nobiliorem ſe præbuit fide & moribus. Hic KAROLI extitit filius, qui MAJOR DOMVS REGIÆ eſt appellatus. Habuit autem fratres, PIPPINVM ſcilicet, quem Beatus Stephanus Papa apud ſanctiſſimi Martyris Dionyſii Monaſterium conſecravit & unxit in Regem, & KARLOMANNVM poſtea habitu & religione laudabilem. Enim vero bonæ indolis puer REMIGIVS regio more in Palatio educatus, liberalibus apprime literis eruditur. Porro ejus pueritia dulcis erat & modeſta, tam Deo, quam hominis grata, & ad fluenta artium epotanda agili ſenſu & tenaci memoria. Nam divino fervens amore, Eccleſiarum crebro limina terere, pſallentium choris intereſſe, & divinæ Legis dogmata avidiſſime haurire, & cordis armariolo recondere ſatagebat.

Lectio Secunda.

Vbi vero primæ ætatis limitem exceſſit, & bivium humanæ vitæ juxta Pythagoræ litteram attigit, dextrum incunctanter ramum arripiens, lævum prorſus deſeruit, & anguſto, qui ad vitam ducit, tramite incedere cœpit. Nam quanto ſublimior erat genere & divitiis, tanto humilius ac enixius Chriſto ſtuduit famulari, liberali dapſilitate pauperum inopiæ ſubvenire, profligatis & in carcere conſtrictis ſuccurrere, captivos & exſules libertati vel patriæ reddere; omnibus in afflictione poſitis conſulere properabat. Inter cætera quoque Sancti Spiritus dona virginalis pudicitiæ privilegio præditus, illibatæ Virginis Filio mentis integritate copulabatur, ut cum virginibus novum in citharis canticum modularetur. Malebat enim hic certamina & agones extrinſecus experiri, quam libidinoſè animum ſubjicere voluptati. Quamobrem parſimoniæ operam dans & frugalitati, expugnabat principem cocorum Babylonis, cœleſtis Jeruſalem muros gaſtrimargiæ impulſu evertere cupientem.

Lectio Tertia.

His ergo ſanctimoniæ copiis redimitus, quanquam in terreno moraretur Palatio, nulli tamen ſecundus æſtimabatur ſanctitatis præconio. Non enim oblectabant ejus animum phaleramenta divitiarum nec aulicorum copia miniſtrorum, cujus erat omnis ambitus gloria de conſcientia pura & fide non ficta. Jam quippe veri Pontificis imaginem morum ornatu præferebat, cujus in brevi officium ſubiturus erat. Nec lucerna Chriſti diu ſub modio latere

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

re potuit, quin potius ſuper candelabrum poſita luceret ad ſalutem multorum. Contigit namque interea, ut ROTOMAGENSIS Vrbis Pontifex nomine (1) *RAMFRIDVS carnis ſolutus ergaſtulo, humanis rebus excederet, plebs Chriſti Paſtore viduata remaneret. Vnde cives ejusdem Metropolis pari voto & conſenſu legationem dirigunt PIPPINO Excellentiſſimo Regi, ut Beatus REMIGIVS eorum fieret Paſtor & Præſul, non tantum quia regali proſapia emineret, ſed potius quia ſanctitate cunctos præcelleret, non pro regiæ dignitatis pompa, ſed pro ejus humilitatis gloria. Vnde merito favore Regis ac Principum a populo rogatus aſſumitur, &, quod evitare decreverat, paſtorale onus ſubire compellitur. Pontificali igitur apice ſublimatur, & ad paſcendum gregem Domini Paſtor idoneus ordinatur; ſeptiformi gratia Spiritus Sancti illuſtratur, & typicis Aaron veſtibus decoratur. Poderis linea membra contegit Sacerdotis pro Chriſti gloria immundi caumate viriliter decertantis, & ab æternorum deſiderio nullo tentamentorum genere retardantis. Superhumerali quoque ac Rationali ad invicem connexis ambitur, quia jugum Chriſti & onus ejus leve ſuſcipiens, ſemper ſuper ſe, quaſi tumentes fluctus, Deum timere ſtuduit, & ſubjectorum quæque merita æquitatis lance examinans, de ſingulis recte judicavit. Laminam ex auro in fronte prætendebat aureæ diſcretionis ad normam juſtæ ac piæ converſationis. Zona etiam vel baltheo circa lumbos utebatur ſpirituali ad comprimendos motus veneriæ voluptatis, & ad munimentum angelicæ caſtitatis. Hujuſcemodi virtutum inſulis ornatus procedebat ad aram Pontifex ſanctus, pro ſe & pro populo ſacrificia oblaturus, Domini haud immemor paſſionum, in compunctione cordis & profuſione lachrymarum.*

Lectio Quarta.

Conſtitutus igitur & conſervatus in Sede Epiſcopali Beatus REMIGIVS, formam ſe præbuit eximiæ ſanctitatis, & quia divinæ ac humanæ pollebat Philoſophiæ copiis, cujus labia favi mellis, eructabat populis efficaciter verba ſalutis. Denique juxta capacitatem auditorum formabat ſententias verborum, tuba exiſtens ductilis in Domo Domini, & nunc quidem ſubtile ac myſticum ſonans ad exercitationem prudentium, nunc vero liquidum ac ſonorum intonans ad eruditionem ſimplicium. Lætabatur Eccleſia Chriſti tam fideli diſpenſatore & ſtremuo Rectore, qui duplicem ſuis alimoniam noverat erogare.

Lectio Quinta.

Ea tempeſtate KARLOMANNVS frater Beati REMIGII, relicta parte Regni, quam tenebat, fratri ſuo PIPPINO, pro amore Regni cæleſtis, Romam petiit, & in (2) *Sorepte monachus effectus, Eccleſiam ibi S. Sylveſtri nomine conſtruxit. Sed cum multi nobilium ex Francica orandi gratia Romam peterent, eumque, utpote ſuum quondam Dominum, præterire*

(1) *In* Claudii Roberti *Gallia Chriſtiana vocatur Ragenfridus.*
(2) Sorepte pro Soracte.

terire nollent, ſalutationis obtentu theoricæ converſationis propoſitum, quo maxime delectabatur, interrumpunt. Quapropter ad Beati Benedicti Monaſterium in Caſtro Caſſino ſeceſſit, & ibi ſub regulari ordine Domino uſque in finem militavit.

Lectio Sexta.

Tunc fratres ejuſdem Cœnobii, auctore KARLOMANNO confiſi, Romam veniunt, & apud ſanctiſſimum Papam Zachariam lachrymabilem querimoniam deponunt pro corpore ſanctiſſimi Patris a ſolo proprio ad Gallias translato. Qui continuo eundem KARLOMANNVM ad ſocios ejus in Franciam dirigit, ſcribens auctoritate Apoſtolica PIPPINO Regi Francorum, ut corpus egregii Patris avito reſtituat loco. Qui ubi ad Regem pervenerunt, prædicti Papæ epiſtolam ei dederunt. Tunc PIPPINVS mandavit REMIGIO fratri ſuo Rotomagenſi Archiepiſcopo, ut FLORIACVM pergeret, & corpus ſanctiſſimi Benedicti etiam nolentibus monachis Legatis Papæ redderet. Qui ad locum veniens, Patri ejuſdem Cœnobii, qui MEDO dicebatur, Regis edictum retulit, & cum eo & his, qui ſecum venerant, Eccleſiam intravit. Cumque Beati Viri tumulo appropinquarent, repentina cæcitate multantur, & nimio terrore concuſſi, pariter humi proſternuntur.

Lectio Septima.

Tunc Beatus REMIGIUS tam pro ſe, quam pro ſuis commilitionibus Domini clementiam exoravit, promittens fideliter, quod nunquam ſancti Viri corpus in amplius transferret. Quid plura? illico exauditi ſunt, & priſtinum lumen receperunt. Petiit autem idem Præſul a præfato Abbate ſancti Benedicti reliquias, ne locus, in quo Omnipotenti Deo ſervierat, tanto patrocinio caſſaretur. Quibus ita peractis, cum ſuis ad propria remeavit. Nemo ergo miretur, nemo de divinis operibus argumentetur, cur Beato REMIGIO egregiæ ſanctitatis Viro hoc contigerit, cur occultæ diſpoſitionis Dei voluntatem minus patenter intellexerit. Quis enim, teſte Apoſtolo, novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus? Ejus quippe judicia abyſſus multa, & humano ſenſui incomprehenſibilia, niſi quantum Spiritu Sancto indice cognoverit, aut ipſo inſpirante ſublimiter addidicerit.

Lectio Octava.

Beatus denique Præſul, quanquam Dei gratia plenus, putabat illos ſui ſancti Patris gleba fore digniores, qui ei ex loci ſucceſſione videbantur propinquiores; verum gratia noſtri Redemptoris beatiſſimum Benedictum multo ſpiritu & virtute irradiatum, non in una tantum regione, ſed in cunctis pæne partibus Orbis decrevit propalare ad laudem ſui nominis & gloriam ejuſdem eximii Confeſſoris.

Lectio Nona.

Igitur Beatus REMIGIUS poſt ſanctæ converſationis præconia poſtquam matrem Eccleſiam, cui præerat, prædiis ac poſſeſſionibus, ornamentis etiam Eccleſiaſticis admodum nobilitavit, præſentis vitæ curſu peracto, annis maturus & moribus, feliciter

liciter ad Dominum migravit. Sic itaque triticum Christi emissa falce succiditur, & angelorum manibus horreo cœlesti reconditur. Extrahitur a fluminibus Babylonis, ubi dudum suspenderat organa sua in salicibus amaritudinis, & introducitur Jerusalem ad visionem pacis, ubi laus est & copia dulcifluæ modulationis. Plangit populus Dei currum Israël & aurigam ejus; congratulatur ordo cœlestis collegæ sui consortio & gloria perenni. Transivit autem de Mundo XIV. Cal. Februarii anno Christi DCCLXXI, ordinationis vero suæ anno XVII, & A sepultus est in eadem Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ, ubi multo tempore requievit. Dein translatum est sanctum corpus ejus ad Vrbem Suessonicam in Ecclesiam Beati Medardi, & ibi honorifice conditum ad laudem Domini nostri JEsu Christi, qui vivit & regnat cum Deo Patre in Vnitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Celebratur Festum ejus die 13. Januarii in Octava Epiphaniæ. Instituit autem quadraginta præbendas in Ecclesia Rotomagensi.

XIV.

Vita S. Firmini, Episcopi & Confessoris.

MONITUM.

In eodem, quo S. Remigii *Vita, exstat etiam Codice Vita* S. Firmini, *cujus Festum celebratur Ucetiæ in Gallia Narbonensi die XI. Octobris. Divisa autem est in novem Lectiones, & quoniam non exstabat apud* Surium, *integra a* Lambecio *publicata fuit Libro Comment. Secundo a pag. 914. excepta duntaxat Lectione septima, quæ in exemplo Cæsareo desideratur : Vide* Lambec. *Lib. II. Catal. Biblioth. Ambras. Cod. CCLXX.*

De Sancto Firmino in Libris secundum usum Narbonensem.

Lectio Prima.

Regnante in perpetuum Domino nostro JEsu Christo, cum constantissime fides floreret Christianorum, FIRMINUS, parentibus adhuc gentilitatis errori vacantibus, audiens Christianos Dominum Christum fateri, seque de paganis superstitiosis insidiis desiderans liberare, Evangelica quiB dem secutus præcepta, quæ dicunt : Nisi quis reliquerit patrem aut matrem & cætera, non potest esse meus discipulus; patriam parentesque relinquens, rebus interdum propriis pauperibus traditis, Christum Dominum sequi jugiter concupivit.

Lectio Secunda.

Itaque ab Urbe NARBONA egressus, itinere cœpto ad Civitatem quandam Provinciæ (1) UCECIAM nomi-

(1) Vcecia *hæc sive* Vcetia *perperam a nonnullis confunditur cum* Vtica *Vrbe Africæ. Qua de re vide Card.* Baronii *Notas ad Martyrolog. Rom. d. XI. Octobris. Apud eundem Annal. Eccles. Tomo septimo, in Actis anni 552, pro* Vceciensis *perperam legitur* Veuciensis.

nomine pervenit, ibique LAURENTIUM Presbyterum reperit, Virum doctum & religiosum, cujus amicitiæ se jungens, & quasi familiaritatis obsequium præbens, aliquamdiu apud illum tranquilla commoratus est vita.

Lectio Tertia.

Quem FERREOLUS virgula præclara filius fratris ejus subsequens calle festino jungere se ei cupiebat. Quem Beatus FIRMINUS elevatis oculis videns, dixit: Fili quo pergis aut quo vadis? Ille protinus respondit: Ego derelicto patre & matre secutus sum te, Domino toto corde obedire paratus. Tunc dixit ei Beatus FIRMINUS: Fiat sicut dixisti.

Lectio Quarta.

Tunc venerunt ad domum quandam Civitatis RORICII Pontificis ac Patricii, inveneruntque ibi juvenem sedentem, qui RORICIO ministrabat quotidie epulas. Qui videns Beatum FIRMINUM, interrogavit eum, dicens: Ex qua Provincia es, vel ex qua natione progenitus? Ille respondit: In NARBONA Civitate sum ortus. Pater, inquit, meus FERREOLUS vocitatur, mater vero mea INDUSTRIA vocatur nomine.

Lectio Quinta.

Hæc videns juvenis ille, ingressus Palatium istius Pontificis, nunciavit ei omnia, quæ a Beato FIRMINO audierat. Tunc Pontifex jussit eum introire ad se, cui dixit: Unde venis, aut quo pergis, vel quo uteris nomine? Cui Beatus FIRMINUS dixit: In NARBONA Civitate ortus, relicto errore gentilitatis, Christo Domino huc serviturus adveni; de nomine autem quod perquisisti, ego FIRMINUS vocor.

Lectio Sexta.

Cognovit autem ipse Pontifex, quod esset ortus ex progenie sua, vinculoque beati amoris eum sibi conjunxit. Erat enim ipse FIRMINUS annorum circiter duodecim, literis bene eruditus; FERREOLUS quidem septem annorum. Die subsequente RORICIUS FIRMINUM clericum faciens, Diaconum ordinavit; FERREOLUM vero tradidit Grammaticæ eruditioni. Cum autem FIRMINUS fuisset annorum viginti, ad honorem Presbyterii pervenit.

Lectio septima deest.

Lectio Octava.

Erat autem Beatus FIRMINUS religiosissimus, Domino serviens in sanctitate, jejunans quotidie, & nisi cum pauperibus cibum nullo modo sumens; in vigiliis nocturnis pernoctans, secretas orationes appetens, succinctis lumbis Domino militavit. Cœpit itaque per Beatum FIRMINUM Dominus signa facere. Nam cœcos illuminabat illius oratione, leprosos mundabat, dæmones ejiciebat.

Lectio Nona.

Apud UCECIAM dum ad portam Civitatis illius, magnis populorum turbis secum euntibus, introiret, leprosum habuit obvium miserabili facie, horrenti cute, quem coram omnibus osculatus, atque benedicens, ab omni lepra continuo emundavit. Postero vero die ad Ecclesiam veniens nitente cute gratiam pro sanitate, quam receperat, agebat.

XV.

Calendarium Romanum ethnicæ vetuſtatis, ſub Imperatore CONSTANTIO, CONSTANTINI Magni Imp. filio, circa annum Chriſti CCCLIV. compoſitum, & VALENTINO cuidam dedicatum.

MONITUM.

Primus integrum vulgavit LAMBECIUS *in Appendice Libri Commentariorum quarti Addit. I. Extat in Codice Claſſis Hiſtor. Prof.* CCCCLII. *cum* Faſtis Conſularibus, *quos itidem typis ſe olim editurum minabatur noſter; putabat enim eum ipſum eſſe hunc codicem, quo olim in conficiendis in Chronicon Caſſiodori Commentariis* CUSPINIANUS *fuit uſus, quemque maximis Laudibus ornatum magno deſiderabat opere* Cl. ac R. ÆGIDIUS BUCHERIUS e S. J. *in Commentario* de Doctrina temporum *in* VICTORIUM AQUITANUM *alioſque Canonum Paſchalium Scriptores:* Cl. GENTILOTTUS *longiſſime a vero* LAMBECIUM *aberrare dicit, dum Codicem hunc, olim quinquageſimum ſextum, nunc, uti dixi Hiſt. Prof.* CCCCLII. *eundem illum* CUSPINIANI *codicem eſſe exiſtimat.* Codex enim ille, *inquit* GENTILOTTUS, erat membraneus; antiquiſſimus; & in eo Calendarium quatuor menſibus Martio, Aprili, Majo & Junio truncatum: hic eſt chartaceus non admodum vetuſtus, & in eo Calendarium integrum exſtat. Vide, *inquit*, SCHELSTRATI Antiqu. Eccleſ. Tom. I. Diſſert. III. Cap. II. *Ea quidem* SCHELSTRATI *editio ad manum nunc non eſt, facile tamen adducor, ut credam,* Cl. GENTILOTTUM *eo Duce errare,* BUCHERIO *non recte intellecto. Is enim de Schedis* ROSWEYDI, *quas a Bollando utendas acceperat, deque Codice* Ill. BRENNERI, *ex quo eæ diligenter erant deſumptæ, ubique loquitur:* CUSPINIANI *codicem mutilum, aut membraneum fuiſſe, nuſquam ipſe* CUSPINIANUS *commeminit: cur autem* BUCHERIUS *membraneum vocet, cauſam non video, niſi forte ea ſit, quod* BRENNERI *codicem in mente habuerit, quem tamen a* CUSPINIANI *exemplo diverſum fuiſſe, multa indicant, in adnotationibus a Lambecio diligenter adnotata. Quippe* CUSPINIANUS *de codice ſuo non aliud notaverat, niſi,* reperiri quemdam vetuſtiſſimum codicem; *quam ob rem, falſum quidem eſt, codicem noſtrum recentiori manu ſcriptum, eum ipſum, quo* CUSPINIANUS *utebatur, eſſe; certum autem compertumque, ejuſdem illius eſſe integrum & ὁλόκληρον apographum, a mendis librarii* CUSPINIANI *manu paſſim purgatum, & idcirco non parvi faciendum; deſumpto enim eo apographo, vendidiſſe non nemini, aut dono dediſſe prototypon videtur. Certe codex noſter* CUSPINIANI *ætatem præſefert; a cujus obitu ad* JOANNEM FABRUM *& cum hujus nonnullis codicibus ad Bibliothecam noſtram pervenit.* Faſtos Conſulares *ex eodem hoc Cæſareo codice integros evulgavit eruditiſſimus* NORISIUS *anno* CIↃIↃCLXXXIX. Florentiæ, *cum* Anno & Epochis Syromacedonum. *Fallitur tamen Vir longe diligentiſſimus, dum ex membranis* CUSPINIANI *exemplum ſuum a* JANNINGHIO *exſcriptum eſſe putat, eaſque gemino apud nos ſervari exemplo dicit; apographum enim ſolumodo, uti jam dixi, idque unico hoc, de quo*

nunc agimus, exemplo cuſtodimus. Porro quod Calendarium attinet, illud, ut monui, primo LAMBECIUS *integre vulgavit, eruditis adnotationibus illuſtratum.* Iterum Cl. GRÆVIUS in Theſauro Antiquitatum Romanarum Tom. VIII. Tertio HENRICUS LEONARDUS SCHURZFLEISCHIUS in anno Romano Juliano, *ex tribus codicibus, inter ſe collatis, deſumptum, cum Animadverſionibus, quæ explanandis Rer. Romanarum Scriptoribus maximo uſui eſſe queant;* Vitembergæ anno CIↃIↃCCIV. *Sed de* die Ægyptiaco, *qui hoc in Calendario paſſim occurrit, prævie nonnulla monere non abs re fuerit. Siquidem* LAMBECIUS *in adnotatione ſua ad diem ſecundum menſis Februarii, qui hoc in Calendario Ægyptiacus vocatur, ingenue fatetur,* de die, *inquit,* Ægyptiaco, cujus mentio in hoc Kalendario paſſim occurrit, nondum mihi ſatis liquet. Cl. Vir JO. GEORGIUS GRÆVIUS *in præfatione ad* Tom. VIII. Theſauri Antiquitatum Rom. *primus, quod ſciam, Lambecium hoc docuit verbis quæ adſcripſi:* Erant, *inquit,* dies Ægyptiaci, infauſti; in quibus nihil rei ſeriæ ſuſcipiebant ſuperſtitioſi homines, metu infelicis ſucceſſus: Latinis dicebantur Allienſes, Græcis ἀποφράδες. Id docet nos AUGUSTINUS in Commentario in epiſtolas ad Galatas, ubi conqueritur de illa ſuperſtitione: *Jam vero ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut ejuſmodi quorumlibet operum diebus, quos* Ægyptiacos *vocant, ſæpe etiam nos monere non dubitant.* Credibile eſt hoc nomen dies hos accepiſſe ab Ægyptiis, qui earum ſuperſtitionum, ut plurimarum aliarum fuerunt auctores. *Hæc* Cl. GRÆVIUS; *in eo tamen falſus, quod dies* Ægyptiacos *Latinis* Allienſes *eſſe dixerit: qui enim dies* Allienſes *aut* poſteri *Romanis, hos enim, puto, intelligit, qui* atri *aut* religioſi *fuerint, diligenter, more ſuo, docet* A. GELLIUS Noctium Atticarum Lib. V. cap. XVIII. *erant nempe primi dies poſt Kalendas, Nonas, Idus; item quarti ante Kalendas, vel Nonas vel Idus: qui hoc in Kalendario non ſemper Ægyptiaci vocantur. Clarius proinde & certius hoc diſcimus ex* UGUTIO & DURANDO *apud* Ill. DUCANGIUM, *ubi* UGUTIUS: In quolibet, *inquit,* menſe dicuntur duo dies mali, Ægyptiaci; quia ab Ægyptiis fuerunt inventi. Ægyptii enim comperientes, quod in aliqua hora dierum illorum non erat bonum ſanguinare, id eſt ſanguinem minuere, illos dies Ægyptiacos vocaverunt. DURANDUS *autem* in Rationar. Lib. VIII. cap. IV. n. 20. Illud autem, *inquit,* notandum, quod in quolibet menſe ſunt dies Ægyptiaci, id eſt, ab Ægyptiis deprehenſi: in Ægypto enim erant quidam Aſtrologi, qui quaſdam conſtellationes nocivas humanis actibus in illis diebus invenerunt, ideoque illas notas hominibus eſſe voluerunt: tamen illarum conſtellationum puncta ſcire propter errorem noſtri computi non valemus: vel forte invenerant dies bene conſtellatos & ideo eos in Kalendario notaverunt, ut in illis diebus potius, quam in aliis actibus inſiſtatur: quorum errorem ne Eccleſia ſequi videatur, a talibus cavetur. — quotus autem dies ſit Ægyptiacus a principio vel fine menſis his verſibus continetur:

Augurior Decior audito lumine clangor,
Liquit olens Abies, coluit Colus, excute Gallum.

In

In his verſibus ſunt XII. dictiones, XII. menſibus ſervientes: prima primo, ſecunda ſecundo & ſic per ordinem, ſumpto initio a Januario: ita quod quota die erit prima litera primæ ſyllabæ alicujus iſtarum dictionum in alphabeto, totus erit dies Ægyptiacus in illo menſe, cui ſervit illa dictio, computando a menſis principio verſus finem. Item quota erit prima litera ſecundæ ſyllabæ in alphabeto, totus erit dies Ægyptiacus in illo menſe, cui ſervit illa dictio. Verbi gratia: AUGURIOR eſt prima dictio, & ſervit primo menſi, ſcilicet Januario: AU eſt prima ſyllaba, & A eſt prima litera ipſius ſyllabæ, & G eſt ſeptima in alphabeto; ergo dies ſeptimus Januarii numerando a fine verſus principium eſt Ægyptiacus, & ſic in aliis, hoc obſervato, quod H, in hoc loco pro litera non ponatur. Quilibet autem præmiſſorum dierum propter unicam horam ſui denominatur Ægyptiacus. *Hæc* DURANDUS. *Sed enim quomodo regulis, ab eo oſtenſis, cum Kalendario noſtro conveniat, expendere in præſentiarum non vacat.* Cl. MURATORIUS Scriptorum Rer. Italicarum Tom. II. P. II. pag. 1023. *Præfatione in vetuſta duo Kalendaria* de diebus Ægyptiacis *ſcribit hunc in modum:* Sed præcipue, *inquit*, quiſquis ad hæc inſpicienda accedet, oculos intendat velim in dies Ægyptiacos, qui utroque Kalendario ſemel aut bis tam religioſe ſingulis menſibus ſignantur. Quid rei eſt hoc? aliquis a me petat: neque injuria petat; hinc enim ad cognoſcendum ducimur ridendam opinionem ſimulque ritum multis incommodis conjunctum, quæ olim apud Majores noſtros altas jecere radices & per plurima ſæcula inter ipſos Chriſtianos accurate ſunt obſervata. Ægyptiaci ergo dies antiquitus appellabantur certi quidam menſium dies, quos infauſtos & infortunia hominibus, infelicemque negotiis, tunc ſuſceptis, exitum portendentes, Aſtrologi Ægyptiaci olim ſomniarunt. Proinde ſuperſtitioſa hæc opinio ita invaluit, ut creduli non pauci iis diebus ſibi ſollicite caverent a nuptiis contrahendis, a prædio emendo, ac ſectione venæ, ab itinere ineundo, a prælio, atque ab aliis alicujus momenti rebus. Neque rudibus tantum ſeculis invecta ſuperſtitio. Adnotantur quoque Dies Ægyptiaci in vetuſtiſſimo Kalendario, CONSTANTIO I. imperante ſcripto, quod publici juris fecere BUCHERIUS & LAMBECIUS. Et quidem LAMBECIUS, vir cetera eruditus, Tom. IV. Bibliothecæ Vindobonenſis ingenue fatetur, ſibi non liquere, quidnam ibi ſignificent ejuſmodi dies. Audi nunc S. AMBROSIUM in Epiſtola XXIII. ad Epiſcopos Amiliæ: Sed aliud eſt, inquit, obſervare gentilitio more, ut, qua Luna quid adoriendum ſit, judices; ut, puta, quintam eſſe fugiendam, nihilque ea inchoandum: varios quoque curſus Lunæ obeundis negotiis commendare; vel cavere quoſdam dies, quemadmodum plerique poſteros dies vel Ægyptiacos declinare conſueverant. *Hactenus* MURATORIUS. *Divi* AMBROSII *ſententiæ aureum* S. AUGUSTINI *ſuper hac re locum adſcribere placet. Hic enim puræ Chriſti doctrinæ fons & Magiſter in Expoſitione epiſtolæ ad Galatas capitis primi verſum X. & XI:* Dies obſervatis & menſes & annos &c. *dupliciter intelligi poſſe docet, de ſuperſtitioſa videlicet, vel de ſolenni Judaicorum dierum, menſium &c. obſervatione:* Vulgatiſſimus eſt enim, *inquit S. Pater*, error Gentium iſte, ut vel in agendis rebus, vel in exſpectandis eventis vitæ

ac negotiorum ſuorum ab Aſtrologis & Chaldæis notatos dies menſes & annos & tempora obſervent. Fortaſſe tamen non opus eſt, ut de hoc Gentium errore intelligamus - - - - ſed de his potius, de quibus cavendis eum agere per totam epiſtolam adparet. - - - Ergo eligat lector utram volet ſententiam, dummodo intelligat, ad tantum periculum animæ pertinere ſuperſtitioſas temporum obſervationes, ut huic loco ſubjecerit Apoſtolus: *Timeo vos, ne forte ſine cauſſa laboraverim in vos.* Quod cum tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Eccleſiis legatur, plena ſunt conventicula noſtra hominibus, qui tempora rerum agendarum a Mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut hujuſmodi quorumlibet operum, diebus, quos Ægyptiacos vocant, ſæpe etiam nos monere non dubitant, neſcientes, ut dicitur, ubi ambulant. Quod ſi locus iſte de Judæorum ſuperſtitioſa obſervatione intelligendus eſt, quam ſpem habent, cum Chriſtianos ſe dici velint, ex ephemeridis vitam naufragam gubernantes, quando de divinis libris, quos Deus adhuc carnali populo dedit, ſi more Judæorum tempora obſervarent, diceret eis Apoſtolus: *Timeo vos, ne forte ſine cauſſa laboraverim in vos?* Et tamen ſi deprehendatur quiſquam vel catechumenus Judaico ritu Sabbatum obſervans, tumultuatur Eccleſia. Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt, Die poſt Kalendas non proficiſcar. Et vix lente iſta prohibemus arridentes, ne iraſcantur, & timentes, ne quaſi novum aliquid mirentur. VÆ PECCATIS hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus; uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamlibet magna ſint, & omnino claudi contra ſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur: atque utinam o Domine! non omnia, quæ non potuerimus, prohibere faciamus. *Hæc Divus* Augustinus, *ſimilia prorſus etiam queſtus, Epiſtola CIX. Idcirco & merito & ad mentem Sanctorum Patrum* in Decret. 26. q. Cauſ. 7. c. 16. Non obſervetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Januarii &c. *& in formula veteris Pœnitentialis, a* Cl. Viro Jac. Petito edita: Item non debere ſervari dies Ægyptiacos ad minuendum ſanguinem, vel aliquid faciendum. Honorius Aug. Lib. II. de Imag. mundi cap. 108. Dies Ægyptiaci ideo dicuntur; quia ab Ægyptiis ſunt inventi; & quia Ægyptus dicitur Tenebræ, ipſi Tenebroſi inde nominantur, eo quod incautos ad tenebras mortis perducere affirmantur. *Hæc ille. Quærat autem ex me non nemo, quorſum hæc omnia, de* diebus Ægyptiacis, *id eſt, per ſummam impoſturam ab Aſtrologis inventis, a me tam ſtudioſe collecta, & prolixius etiam ſint propoſita? nempe ut metum Dei, ſi poſſim, aut ſaltem craſſiſſimæ ignorantiæ pudorem incutiam illis, quorum ſtudio, vel permiſſu iſtius modi* dies Ægyptiaci *in Calendariis Chriſtianorum per Pannonias præcipue noſtras & vicinum ſeptentrionem hodiedum habentur, & oraculorum inſtar paſſim obſervantur: quum ex his luce meridiana clarius ſit, religionem illam & puritati doctrinæ Chriſti, & ſanæ menti nimis quam eſſe oppoſitam, idcirco in bene inſtitutis Rebuſp. Chriſtianis tam divinis quam humanis legibus exterminandam. Et de Divinis*

qui-

quidem, ad quas connivetur, jam conſtat; humanæ autem, ubi non ſunt, vel ideo etiam perferri deberent, quod id præſtigiarum atque offuciarum genus commenti ſint homines æruſcatores, & cibum quæſtumque ex mendaciis captantes. Piget hic attingere inaniſſima commenta, quibus rationum loco utuntur nonnulli, ut ethnicum eum morem excuſent: nam illa de Typographis & Soſiis, quorum ſine damno ſuperſtitionem illam everti poſſe negant, quam futilis atque Chriſtiano & cordato homine indigna ſit, vel me tacente facile quivis intelligit, utpote quæ arctiſſimo nexu cum lucro dæmonio ſit *conjuncta. Divi* Augustini *querelas, paulo ante a me adſcriptas, ponderent per otium Religioſi viri illi, quorum typis in Hungaria ſceleſta ejuſmodi oracula procuduntur, & turpiſſimi lucelli, tam Canonum ſanctitate, quam, quod vitæ profitentur inſtituti, religione ſevere vetiti cauſſa, credulæ plebi publice veneunt: nam ſi* Divus Augustinus *recte metuit, ne omnia, quæ non potuerit prohibere hoc genus peccata, faciat; quid non timendum illis, qui, uti admittantur, procurant? Sed jam* Lambecium *Kalendarium illud edentem videamus.*

Inter V. Cl. *Joannis Cuſpiniani* præſtantiſſimos rariſſimoſque *Codices manuſcriptos Hiſtoricos Latinos*, qui etiam nunc in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* ſalvi & incolumes aſſervantur, multas ob cauſas memorabilis in primis eſt ille, cujus R. P. *Ægidius Bucherius* Atrebas, e Societate JESU, in doctiſſimo de Doctrina Temporum Commentario in *Victorium Aquitanum* alioſque antiquos Canonum Paſchalium Scriptores, Antverpiæ ex Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti A. 1634. in folio edito, Capite XIVto & XVto meminit his verbis: *Octobri anni 1632, cum, Voluminis hujuſce typis Plantinianis edendi conſilio, Antverpiam Leodio veniſſem, P. Joannes Bollandus, Societatis noſtræ Sacerdos, Victorii noſtri illuſtrandi deſiderio, quaſdam mibi P. Heriberti Roſweydi p. m., Viri de antiquitate Eccleſiaſtica, ſanctorum Patrum Vitis, optime meriti, ſchedas obtulit. Erant eæ e vetuſtiſſima membrana fideliter exſcriptæ, quam D. Joannes Brennerus, Regius olim in Senatu Luxemburgenſi Secretarius & Actuarius, diu penes ſe habuerat, & tandem D. Aſſonuillio, Regi Catholico a privatis Bruxellæ conſiliis, dono tranſmiſerat. Iis pluſcula ignoti quidem, ſed antiquiſſimi, & qui ſub Conſtantio Conſtantini Magni filio vixiſſe videtur, Scriptoris continebantur Opuſcula, quæ CVSPINIANVS in manibus habuiſſe ſe, pluribus Faſtorum ſuorum locis ſignificat.*

Primum Opuſculum ſola Conſulum nomina cum annuis Kalendarum Januarium Feriis, nomine Planetarum expreſſis, Epactis, anniſque Biſſextilibus exhibebat, a Conſulibus Antonino II. & Geta, ſeu anno Chriſti vulgari 805. uſque ad Conſtantinum Auguſtum VII. & Conſtantium Cæſarem III, id eſt, annum Chriſti 334. Mox tamen rurſum poſteriora Conſulum collegia 34. repetuntur, & cum aliis Centenario Laterculo, qui Paſchales centum annorum feſtivitates exhibet, a ſecundo Conſtantini Liciniique Conſulatu, ſeu anno Chriſti communi 312. ad annum 411. deducuntur, ut infra typis fideliter repræſentamus.

Secundum Opuſculum erat de Præfectis Vrbis Romæ, cum ſolis rurſum Conſulum nominibus, a Gallieni Imperatoris temporibus & anno Chriſti 254 uſque ad 354, quo Conſules item notat Conſtantium Auguſtum VII. & Conſtantium Cæſarem III. Hoc Opuſculum CVSPINIANVS & Onuphrius LIBELLUM DE PRÆFECTIS VRBIS appellaverunt, & in Faſtos totum feliciſſime tranſtulerunt.

Tertium Opuſculum erat parvi inſtar Martyrologii, quo dies depoſitionis ſeu mortis, primo quorundam Pontificum Romanorum, quos, paucis forte demptis, Autor videre potuit, tum nonnullorum etiam Martyrum adnotabantur.

Quartum Opuſculum erat brevis Romanorum Pontificum Catalogus a Sancto Petro ad Liberium, Romæ ſub eodem Conſtantio Auguſto Epiſcopum, quo, quibus illi Conſulibus inierint, quibus exceſſerint, compendio referebatur.

Quintum & ultimum Opuſculum erat vetus Kalendarium, tametſi QVATVOR MENSIBVS MVTILVM, cum præcipuorum meliorumque Cæſarum Natalibus, non ultra eundem Conſtantium Auguſtum, in cujus Conſulatu ſeptimo priorum Conſulum ſeriem concluſerat; quem proinde, ceu ſuperſtitem, DOMINVM vocat, cum alios Imperatores jam mortuos DIVOS appellet.

Quinque hæc Opuſcula cum attentius excuterem, & vetuſtatem agnoſcerem, (unius enim ſunt temporis; neſcio an & Autoris) ſtatim ad CVSPINIANI Faſtos me contuli, ut, quid de iis cenſuiſſet, in mentem revocarem. Nam in iis ille PRIMI, SECVNDI & QVARTI frequentiſſime meminit. Ac PRIMVM quidem INTEGRVM omnino nactus eſt a primis Romæ Conſulibus Bruto & Collatino. Quippe ad annum Vrbis conditæ 248. ita ſcribit: Reperi quendam vetuſtiſſimum Codicem, cujus Autor ignoratur, qui ſola nomina Conſulum ponit ab ejectis Regibus ad Gothorum tempora, & a quibuſdam cenſetur eſſe PAVLI OROSII; quem ſæpius in hoc Opere citabo. In quo ſemper quatuor Conſules, quaſi ſub una Olympiade, ſcribuntur, & e regione nomina Planetarum cum quibusdam numeris, quos neque intelligere potui, neque hactenus, qui intellexiſſet, reperi; debinc alio colore rubro item alii, ſub hac ſcilicet forma:

	Bruto & Collatino.	*Lun.*	*XXIX.*
	Publicola II. & Tricipitino.	*Mar.*	*X.*
	Publicola III. & Pulvillo.	*Mer.*	*XXI.*
Rubr.	*RVFO & AQVILINO.*	*Jov.*	*II.*
	Valerio & Tuberto.	*Sat.*	*XIII.*
	Publicola IV. & Tricipitino	*Sol.*	*XXIV.*
	Tuberto II. & Lanato.	*Ven.*	*V.*

Debinc iterum cum Rubrica eodem ordine Conſules, & cæteri numeri in ſuis columnis, e quibus nonnunquam didici, qui falſo erant in hoc Opere Caſſiodori incuria librariorum tranſcripti. Hactenus CVSPINIANVS. Qui deinceps ſæpius ex eodem Codice Conſulum nomina recenſet, ut ad annum Vrbis

Vrbis conditæ 266, 453, 483, 495, 688, 743 & 831, sed sine Planetarum nominibus & Epactis. At anno Vrbis conditæ 789. Consulibus suis rursum ex eodem Autore dies illos, Epactas & Bisextos adjungit: Autor ignotus, inquit, ubi sola nomina A *Consulum cum diebus & Epactis scribuntur, alium ordinem continet, quem etiam non gravabor subdere. Incipiemus autem a Gallieno & Plautiano, qui ultimi erant in Tiberio apud Cassiodorum. Ibi sic scribuntur:*

B.	*Gallieno & Plautiniano.*	*Sol.*	*XI.*
	Proculo & Nigrino.	*Mar.*	*XXII.*
	Juliano & Asprenate.	*Mer.*	*III.*
	Cæsare II. & Cæsiano.	*Jov.*	*XIV.*
B.	*Cæsare III. & Solo.*	*Ven.*	*XXV.*
	Cæsare IV. & Saturnino.	*Sol.*	*VI.*
	T. Claudio II. & Longo.	*Lun.*	*XVII.*
	T. Claudio III. & Vitellio.	*Mar.*	*XXIX.*
B.	*Crispo II. & Tauro.*	*Mer.*	*IX.*
	Vinitio & Corvino.	*Ven.*	*XX.*

Ita ibi CVSPINIANVS, Consules enumerans ab anno Christi vulgari 36 ad 45, ut ex singulis Kalendarum Januariarum Feriis patet; fragmento, de quo jam agimus, ut & nostræ ad Victorii Tabulam Appendici, reique veritati plane conformis; ut appareat, Autorem hunc, (si unus est) licet ignotum, doctissime certissimeque Consules suos digessisse, & Victorii, Cassiodori Prosperique Fastos vel solum erigere posse, si INTEGER ad manus nostras devenisset. Nunc quoniam INTEGRVM nancisci NONDVM C *contigit, quod reperi, fideliter exhibeo, CVSPINIANI HÆREDES aut AMICOS prius obtestatus, ut si membranas illas adhuc habeant, PVBLICO NON INVIDEANT, ET TANTVM ANTIQVITATIS THESAVRVM INTERIRE NE PERMITTANT. Si quod etiam de horum Opusculorum ætate dubium supereſſet, id unico illo veteri Kalendario tolli posset. Præci-* B *puas enim Constantini Magni filiique Constantii de Tyrannis Barbarisque victorias, velut adhuc calentes exhibet, & suis diebus assignat. Quin & in Cæsarum Natalibus eundem Constantium non, ut reliquos Imperatores mortuos DIVUM, sed, ut adhuc superstitem, DOMINUM appellat. Opusculi pretium accendunt non pauca, tum ad sacram, tum ad civilem historiam hic prodita, aliis intacta, ut tute, Lector, statim agnosces. DOLENDVM, QVATVOR MENSIBVS, MARTIO, APRILI, MAJO, & JVNIO TRVNCATVM ad nos perveniſſe; plura enim historica forsitan hausissemus. MENSIVM SEPTEM FIGVRÆ IMAGINESVE SVPERSVNT; in quas AVSONIVM Idyllio XXmo lusisse, eoque altam earum ætatem asserere, mox videbo. VALENTINO cuidam inscribitur, mihi hactenus ignoto, nisi, quod paulo ante Basilicam, a Julio Pontifice via Flaminia milliario*

rio ſecundo conſtructâm, VALENTINI appellatam notem. An idem ſit cogitandum relinquo. Sane VALENTINVM illum, Baſilica illuſtrem, CHRISTIANVM fuiſſe neceſſum eſt. Contra hujus KALENDARII ſolennia omnia Gentilium ſunt, nulla Chriſtianorum. Votum tamen KALENDARII TITVLO conceptum, VALENTINE FLOREAS IN DEO, & literæ Dominicales Chriſtianum illum innuunt. Literæ proxime adhærentes Octonariæ, aut incluſo utroque extremo Novenariæ, veterum Romanorum Nundinales ſunt, ut per ſe patet. Atque hinc colligere eſt, quis Romæ per ea tempora priſcæ ſuperſtitionis, quis Fidei Chriſtianæ ſtatus exſtiterit. Hucuſque R. P. *Ægidius Bucherius.*

Hic igitur eximius Codex manuſcriptus, quem ille ibi tantopere laudat & deſiderat, ſed fere tanquam perditum deplorat, ſupereſt etiamnunc in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* æque integer, ut ipſe (1) *Cuſpinianus* olim eo uſus eſt, obtinetque inter *Codices manuſcriptos Hiſtoricos Latinos* locum *quinquageſimum ſextum;* nec ea ſolum, quæ a R. P. *Bucherio* ſupra enumerantur, verum etiam alia quædam egregia monumenta complectitur, quæ ad ipſius notitiam non pervenerunt, ſed diligenter & accurate a me recenſebuntur, ſi Deus vitam & vires mihi conceſſerit, ut in Continuatione hujus Catalogi uſque ad *Codices manuſcriptos Hiſtoricos Latinos* perveniam. Tunc quoque *Faſtos* illos *Conſulares*, a *Cuſpiniano* tam frequenter citatos, & a *Bucherio* tam vehementer laudatos, publicabo integros, &, quantum obiter fieri poterit, neceſſariis *Annotationibus* illuſtrabo. Interim autem nunc ſpeciminis loco hic exhibeo totum illud ſupra memoratum *Vetus Calendarium* una cum omnibus eo pertinentibus *Imaginibus*, ſumma diligentia ac fide delineatis & æri inciſis, quibus etiam majoris autoritatis gratia adjeci *Tetraſticha* illa, quibus *Auſonius Burdigalenſis*, qui A. C. 379. cum *Sexto Anicio Olybrio* fuit Conſul, eaſdem ornare ac illuſtrare dignatus eſt.

(1) *Ejuſdem Codicis MSti ante* Joannem Cuſpinianum *poſſeſſor fuit* Joannes Fuchsmagius, *J. V. D.* & Imp. Maximiliani I. *Conſiliarius, ut ipſe propria manu ibi teſtatur in principio. Poſt* Cuſpiniani *autem obitum, cum idem ille præſtantiſſimus Codex a reliqua ipſius Bibliotheca, qua neſcio ratione, avulſus eſſet, emit eundem* Joannes Faber, *Epiſcopus Vindobonenſis ſive Wiennenſis. Quo A. C. 1541. mortuo, pervenit idem Codex cum aliis multis præſtantiſſimis Codicibus MStis, quos jam memoratus Epiſcopus magno ſtudio & ſumptu collegerat, in* Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream.

MEN-

uage-
quæ
ntur,
regia
e ad
t, sed
enſe-
mihi
e hu-
namu-
niam.
lares,
atos,
auda-
quan-
ſſariis
m au-
hibeo
Vetus
per-
ligen-
ciſis,
s gra-
s Au-
379.
Con-
e di-

V. D.
oſt Cu-
a neſcio
nnenſis.
MStis,
liothe-

N-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



CALENDARIVM ROMANVM ETHNICÆ VETVSTATIS,
SVB IMP. CONSTANTIO, IMP. CONSTANTINI MAGNI
FILIO, CIRCA ANNVM CHRISTI CCCLIV COMPOSITVM,
ET VALENTINO CVIDAM DEDICATVM.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





AUSONII TETRASTICHON.

Hic Jani mensis sacer est: en aspice, ut aris
Thura micent; fumant ut pia thura Lares.
Annorum seclique caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qui numerat Proceres.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS JANUARIUS
habet dies XXXI.

A	*A*	*A*	Kal. Jan.	*Senatus legitimus.*
	b	*b*	IIII Non.	*Dies Ægyptiacus.*
	c	*c*	III.	*Ludi. Votorum nuncupatio.*
B	*d*	*d*	prid.	*Ludi.*
	e	*e*	Non.	*Ludi.*
	f	*f*	VIII. Idus.	*Dies Ægyptiacus.*
C	*g*	*g*	VII.	*Jano Patri.* CM. XXIIII.
	A	*b*	VI.	
	b	*A*	V.	*Senatus legitimus.*
D	*c*	*b*	IIII.	*Dies Carmentariorum.*
	d	*c*	III.	
	e	*d*	prid.	
E	*f*	*e*	Idib.	*Jovi Statori.* CM. XXIIII.
	g	*f*	XIX. Kal. Feb.	
	A	*g*	XVIII.	*Carmentalia.*
F	*b*	*b*	XVII.	*Dies Ægyptiacus.*
	c	*A*	XVI.	*Ludi Palatini.*
	d	*b*	XV.	*Ludi.*
G	*e*	*c*	XIIII.	*Ludi.*
	f	*d*	XIII.	N. *Gordiani* CM. XXIIII.
	g	*e*	XII.	*Ludi.*
H	*A*	*f*	XI.	*Ludi.*
	b	*g*	X.	*Senatus legitimus.* SOL AQUARIO.
	c	*b*	IX.	N. D. *Hadriani.* CM. XXIIII.
I	*d*	*A*	VIII.	N. *Chartis.*
	e	*b*	VII.	
	f	*c*	VI.	
K	*g*	*d*	V.	
	A	*e*	IIII.	
	b	*f*	III.	
A	*c*	*g*	prid.	

MENSIS FEBRUARIUS
habet dies XXVIII.

	d	*b*	Kal. Feb.	N. *Herculis* CM. XXIIII.
	e	*A*	IIII. Non.	
B	*f*	*b*	III.	*Senatus legitimus.*
	g	*c*	prid.	*Ludi Gothici.*
	A	*d*	Non.	*Ludi.*
C	*b*	*e*	VIII. Idus.	*Ludi.*
	c	*f*	VII.	*Ludi. Dies Ægyptiacus.*
	d	*g*	VI.	*Ludi.*
D	*e*	*b*	V.	*Gothici.* CM. XXIIII.
	f	*A*	IIII.	
	g	*b*	III.	*Genialici.* CM. XXIIII.
E	*A*	*c*	prid.	*Ludi Genialici.*
	b	*d*	Idib.	*Virgo Veſta parentat. Senat. legit.*
F	*c*	*e*	XVI. Kal. Mar.	
	d	*f*	XV.	*Lupercalia.*
	e	*g*	XIIII.	
G	*f*	*b*	XIII.	*Quirinalia.*
	g	*A*	XII.	
	A	*b*	XI.	
H	*b*	*c*	X.	SOL PISCIBUS.
	c	*d*	IX.	*Feralia.*
	d	*e*	VIII.	*Cariſtia.*
I	*e*	*f*	VII.	*Terminalia.*
	f	*g*	VI.	*Regifugium.*
	g	*b*	V.	*Lotio* CM. XII. *Dies Ægyptiacus.*
K	*A*	*A*	IIII.	
	b	*b*	III.	N. *D. Conſtantini.* CM. XXIIII.
	c	*c*	prid.	*Ludi votivi.*

MEN-



At quem cæruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem iactũ pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu Februa mensis habet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf







Cinctum pelle Lupæ promptum est cognoscere mensem:
Mars illi nomen, Mars dedit exuvias.
Tempus ver hœdus petulans, et garrula hirundo
Indicat, et sinus lactis, et herba virens.

MENSIS MARTIUS
habet dies XXXI.

A	*d*	*d*	Kal. Mar.	N. *Martis* CM. XXVIII.
	e	*e*	VI. Non.	
	f	*f*	V.	*Senatus legitimus. Dies Ægyptiacus.*
B	*g*	*g*	IIII.	
	A	*b*	III.	*Iſidis navigium.*
	b	*A*	prid.	
C	*c*	*b*	Non.	*Junonalia.*
	d	*c*	VIII. Idus.	
	e	*d*	VII.	*Arma ancilia movent.*
D	*f*	*e*	VI.	
	g	*f*	V.	
	A	*g*	IIII.	
E	*b*	*b*	III.	*Jovi cultori.* CM. XXIIII.
	c	*A*	prid.	*Mamuralia. Senatus legit.*
	d	*b*	Idib.	*Canna intrat.*
F	*e*	*c*	XVII. Kal. Apr.	
	f	*d*	XVI.	*Liberalici.* CM. XXIIII. SOL ARIETE.
	g	*e*	XV.	
G	*A*	*f*	XIIII.	*Quinquatria.*
	b	*g*	XIII.	*Peloſia.*
	c	*b*	XII.	N. *Minerves.*
H	*d*	*A*	XI.	*Arbor intrat.*
	e	*b*	X.	*Tubiluſtrium.*
	f	*c*	IX.	*Sanguen. Dies Ægyptiacus.*
I	*g*	*d*	VIII.	*Hilaria.*
	A	*e*	VII.	*Requetio.*
	b	*f*	VI.	*Lavatio.*
K	*c*	*g*	V.	*Initium Cajani.*
	d	*b*	IIII.	
	e	*A*	III.	
A	*f*	*b*	prid.	N. *D. Conſtantini.* CM. XXIIII.

MENSIS APRILIS.

habet dies XXX.

	g	*c*	Kal. Apr.	*Veneralia. Ludi. Sen. leg.*
	A	*d*	IIII. Non.	
B	*b*	*e*	III.	N. *D. Quirini.* CM. XXIIII. *Dies Ægyp.*
	c	*f*	prid.	*Ludi Megaleſiaci.*
	d	*g*	Non.	*Ludi.*
C	*e*	*b*	VIII. Idus.	*Ludi.*
	f	*A*	VII.	N. *Caſtor. & Pollucis.* CM. XXIIII.
	g	*b*	VI.	*Ludi.*
D	*A*	*c*	V.	*Magaleſiaci.* CM. XXIIII.
	b	*d*	IIII.	N. *Divi Severi.* CM. XXIIII.
	c	*e*	III.	*Ludi Cerealici.* CM. XXIIII.
E	*d*	*f*	prid.	
	e	*g*	Idib.	*Ludi. Senatus legitimus.*
F	*f*	*b*	XVIII. Kal. Mai.	*Ludi.*
	g	*A*	XVII.	*Ludi.*
	A	*b*	XVI.	*Ludi.*
G	*b*	*c*	XV.	*Ludi.*
	c	*d*	XIIII.	*Ludi.* SOL TAURO.
	d	*e*	XIII.	*Cerealici.* CM. XXIIII.
H	*e*	*f*	XII.	
	f	*g*	XI.	N. *Vrbis* CM. XXIIII. *Dies Ægyp.*
	g	*b*	X.	
I	*A*	*A*	IX.	
	b	*b*	VIII.	
	c	*c*	VII.	*Serapia.*
K	*d*	*d*	VI.	N. *M. Antonini.* CM. XXIIII.
	e	*e*	V.	
	f	*f*	IIII.	
A	*g*	*g*	III.	
	A	*b*	prid.	*Ludi florales.*

MEN-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS APRILIS. *Analect. Tom. I. pag. 967*



Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis;
Lumen thuris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus a dextra flammas diffundit odoras;
Balsama nec desunt, queïs redolet Paphie.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf







Cunctas veris opes et picta rosaria gemmis
Liniger in calathis, aspice, Majus habet.
Mensis Atlantigenæ dictus cognomine Maiæ;
Quem merito multum diligit Vranie.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS MAJUS
habet dies XXXI.

	b	*A*	Kal. Mai.	*Senatus legitimus.*
B	*c*	*b*	VI. Non.	*Ludi.*
	d	*c*	V.	*Floralici.* C̄M̄. XXIIII. *Dies Ægyp.*
	e	*d*	IIII.	*Ludi Maximati.*
C	*f*	*e*	III.	*Ludi.*
	g	*f*	prid.	*Ludi.*
	A	*g*	IX. Idus.	*Ludi.*
D	*b*	*b*	VIII.	*Ludi.*
	c	*A*	VII.	*Maximati.* C̄M̄. XXIIII.
	d	*b*	VI.	N̄. *Claud I.* C̄M̄. XXIIII.
E	*e*	*c*	V.	
	f	*d*	IIII.	*Martialici.* C̄M̄. XXIIII.
	g	*e*	III.	*Ludi Persici.*
F	*A*	*f*	prid.	*Ludi.*
	b	*g*	Idib.	N̄. *Mercur I. Senatus legit.*
	c	*b*	XVII. Kal. Jūn.	*Ludi.*
G	*d*	*A*	XVI.	*Persici.* C̄M̄. XXIIII.
	e	*b*	XV.	N̄. *Annonis.*
	f	*c*	XIIII.	*Zenziarius.*
H	*g*	*d*	XIII.	SOL GEMIN.
	A	*e*	XII.	*Dies Ægyptiacus.*
	b	*f*	XI.	
I	*c*	*g*	X.	*Macellus rosa sumat.*
	d	*b*	IX.	
	e	*A*	VIII.	
K	*f*	*b*	VII.	
	g	*c*	VI.	
	A	*d*	V.	
A	*b*	*e*	IIII.	*Ludi. Honor & Virtus Zinza.*
	c	*f*	III.	*Ludi.*
	d	*g*	prid.	*Ludi.*

MENSIS JUNIUS.
habet dies XXX.

B	*e*	*b*	Kal. Jun.	*Fabarici* CM. XII.
	f	*A*	IIII Non.	
	g	*b*	III.	*Senatus legitimus.*
C	*A*	*c*	prid.	*Ludi in minicia.*
	b	*d*	Non.	
	c	*e*	VIII. Idus.	*Coloſſus coronatur.*
D	*d*	*f*	VII.	*Veſta aperit. Dies Ægyptiacus.*
	e	*g*	VI.	
	f	*b*	V.	*Veſtalia.*
E	*g*	*A*	IIII.	
	A	*b*	III.	*Matralia.*
F	*b*	*c*	prid.	
	c	*d*	Idib.	N. *Muſarum. Senatus legitimus.*
	d	*e*	XVIII. Kal. Jul.	
G	*e*	*f*	XVII.	*Veſta cluditur.* SOL CANCRO.
	f	*g*	XVI.	
	g	*b*	XV.	
H	*A*	*A*	XIIII.	*Annæ Sacrum.*
	b	*b*	XIII.	
	c	*c*	XII.	*Dies Ægyptiacus.*
I	*d*	*d*	XI.	
	e	*e*	X.	
	f	*f*	IX.	
K	*g*	*g*	VIII.	*Fortis Fortunæ. Soliſticium.*
	A	*b*	VII.	
	b	*A*	VI.	
A	*c*	*b*	V.	
	d	*c*	IIII.	
	e	*d*	III.	
B	*f*	*e*	prid.	

MEN-

MENSIS IVNIVS.

Anal. Tom. I. pag. 971



Nudus membra, dehinc solares respicit horas
Junius, ac Phœbum flectere monstrat iter.
Idem maturas Cereris designat aristas;
Floralesque fugas lilia fusa docem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





MENSIS IVLIVS.

Anal. Tom. I. pag. 973.



Ecce coloratos ostentat Julius artus
Crines cui rutilos ſpicea ſerta ligant
Morus ſanguineos præbet gravidata racemos
Ouæ medio Cancri ſidere læta viret

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS JULIUS
habet dies XXXI.

	g	*f*	Kal. Jul.	*Senatus legitimus.*
	A	*g*	VI. Non.	
C	*b*	*b*	V.	*Fugato Licinio.* C̄M. XXIIII.
	c	*A*	IIII.	
	d	*b*	III.	*Ludi Apollinares.*
D	*e*	*c*	prid.	
	f	*d*	Non.	*Ludi. Dies Ægyptiacus.*
	g	*e*	VIII. Idus.	*Ludi.*
E	*A*	*f*	VII.	*Ludi.*
	b	*g*	VI.	*Ludi.*
	c	*b*	V.	*Ludi.*
F	*d*	*A*	IIII.	*Ludi.*
	e	*b*	III.	*Apollinares.* C̄M. XXIIII.
	f	*c*	prid.	
G	*g*	*d*	Idib.	*Equit.* ℞ *Prob. Ludi Francici.*
	A	*e*	XVII. Kal. Aug.	*Ludi.*
	b	*f*	XVI.	*Ludi. Senatus legit.* SOL LEONE.
H	*c*	*g*	XV.	*Advent. D.* C̄M. XXIIII. *Dies Ægypt.*
	d	*b*	XIIII.	*Ludi votivi.*
	e	*A*	XIII.	*Francici.* C̄M. XXIIII.
I	*f*	*b*	XII.	*Advent. Divi.* C̄M. XXIIII.
	g	*c*	XI.	*Ludi.*
	A	*d*	X.	*Neptunalici.*
K	*b*	*e*	IX.	
	c	*f*	VIII.	N̄. *D. Constantini.* C̄M. XXIIII.
	d	*g*	VII.	*Ludi votivi.*
A	*e*	*b*	VI.	*Vict. Sarmaticas.* C̄M. XXIIII.
	f	*A*	V.	
	g	*b*	IIII.	
B	*A*	*c*	III.	*Vict. Marcomannas.* C̄M. XXIIII.
	b	*d*	prid.	

MENSIS AVGVSTVS.
habet dies XXXI.

	c	*e*	Kal. Aug.	N. *D. Pertinacis* CM. XXIIII.
C	*d*	*f*	IIII. Non.	
	e	*g*	III.	*Senatus legitimus.*
	f	*b*	prid.	*Vict. Senati.* CM. XXIIII.
D	*g*	*A*	Non.	N. *Salutis* CM. XXIIII.
	A	*b*	VIII. Idus.	*Dies Ægyptiacus.*
	b	*c*	VII.	N. *Conſtantii* CM. XXIIII.
E	*c*	*d*	VI.	*Ludi votivi*
	d	*e*	V.	
F	*e*	*f*	IIII.	
	f	*g*	III.	
	g	*b*	prid.	*Lignapſia.*
G	*A*	*A*	Idib.	*N. Dianes.*
	b	*b*	XIX. Kal. Sept.	
	c	*c*	XVIII.	*Senatus legitimus.*
H	*d*	*d*	XVII.	
	e	*e*	XVI.	*Tiberinalia.* SOL VIRGINE.
	f	*f*	XV.	
I	*g*	*g*	XIIII.	N. *Probi* CM. XXIIII.
	A	*b*	XIII.	
	b	*A*	XII.	*Dies Ægyptiacus.*
K	*c*	*b*	XI.	
	d	*c*	X.	*Vulcanalici.* CM. XXIIII.
	e	*d*	IX.	
A	*f*	*e*	VIII.	
	g	*f*	VII.	
	A	*g*	VI.	
B	*b*	*b*	V.	*Solis & Lunæ.* CM. XXIIII.
	c	*A*	IIII.	
	d	*b*	III.	
C	*e*	*c*	prid.	

MEN-



Fontanos latices et lucida pocula vitro,
Cerne, ut demerso torridus orebibat
Æterno regni signatus nomine mensis:
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Anal. Tom I. pag. 977.



Surgentes acinos varios, et præsecat uvas
September, sub quo mitia poma iacent;
Captivam filo gaudens religasse lacertam,
Quæ suspensa manu nobile ludit opus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS SEPTEMBER
habet dies XXX.

	f	*d*	Kal. Sept.	*Senatus legitimus.*
	g	*e*	IIII. Non.	*Dies Ægyptiacus.*
D	*A*	*f*	III.	
	b	*g*	prid.	
	c	*b*	Non.	*Mammes. Vindemia.*
E	*d*	*A*	VIII Idus.	
	e	*b*	VII.	
	f	*c*	VI.	N. *Aureliani.* CM. XXIIII.
F	*g*	*d*	V.	
	A	*e*	IIII.	N. *Aſclepi.*
	b	*f*	III.	
G	*c*	*g*	prid.	*Ludi Romanorum.*
	d	*b*	Idib.	*Ludi. Senatus legitimus.*
	e	*A*	XVIII. Kal. Oct.	*Ludi.*
H	*f*	*b*	XVII.	*Romaniani.* CM. XXIIII.
	g	*c*	XVI.	
	A	*d*	XV.	
I	*b*	*e*	XIIII.	N. *Trajani. Triumphales.* CM. XLVIII.
	c	*f*	XIII.	*Pii Antonii.* CM. XXIIII. *Dies Ægyp.*
	d	*g*	XII.	*Ludi Triumphales.* SOL LIBRA.
K	*e*	*b*	XI.	*Ludi.*
	f	*A*	X.	*Ludi.*
	g	*b*	IX.	N. *Divi Auguſti.* CM. XXIIII.
A	*A*	*c*	VIII.	
	b	*d*	VII.	
	c	*e*	VI.	
B	*d*	*f*	V.	*Profectio Divi* CM. XIIII.
	e	*g*	IIII.	
	f	*b*	III.	*Ludi fatales.*
C	*g*	*A*	prid.	*Ludi fatales.*

MENSIS OCTOBER.
habet dies XXXI.

	A	*b*	Kal. Octob.	N. *Alexandri.* CM. XXIIII.
	b	*c*	VI Non.	
D	*c*	*d*	V.	*Senatus legitimus. Dies Ægyptiacus.*
	d	*e*	IIII.	
	e	*f*	III.	*Ludi Alamannici.*
E	*f*	*g*	prid.	*Ludi.*
	g	*b*	Non.	*Ludi.*
F	*A*	*A*	VIII. Idus.	*Ludi.*
	b	*b*	VII.	*Ludi.*
	c	*c*	VI.	*Alamannici.* CM. XXIIII.
G	*d*	*d*	V.	
	e	*e*	IIII.	*Auguſtales.* CM. XXIIII.
	f	*f*	III.	*Ludi Jovi Liberatori.*
H	*g*	*g*	prid.	*Ludi.*
	A	*b*	Idib.	*Ludi. Equus ad nixas fit. Senat. legit.*
	b	*A*	XVII. Kal. Nov.	*Ludi.*
I	*c*	*b*	XVI.	*Ludi.*
	d	*c*	XV.	*Jovi Liberatori.* CM. XXIIII.
	e	*d*	XIIII.	*Ludi Solis.* SOL SCORPIO.
K	*f*	*e*	XIII.	*Ludi. Dies Ægyptiacus.*
	g	*f*	XII.	*Ludi.*
	A	*g*	XI.	*Solis.* CM. XXXVI.
A	*b*	*b*	X.	
	c	*A*	IX.	
	d	*b*	VIII.	
B	*e*	*c*	VII.	
	f	*d*	VI.	
	g	*e*	V.	*Iſia. Evictio Tyranni.*
C	*A*	*f*	IIII.	*Advent. Divi.* CM. XXIIII. *Iſia.*
	b	*g*	III.	*Ludi votivi. Iſia.*
	c	*b*	prid.	*Ludi Iſia.*

MEN-



Dat prensum leporem, cumque ipso palmite fœtus
October; pingues dat tibi ruris aves.
Jam bromios spumare lacus, et musta sonare
Apparet; vino vas calet ecce novo.







Carbaseo surgens post hunc indutus amictu
Mensis, ab antiquis sacra Deamque colit:
A quo vix avidus sistro compescitur anser.
Devotusque satis ubera fert humeris.

MENSIS NOVEMBER.
habet dies XXX.

D	d	A	Kal. Novemb.	*Ex Senato.* CM. XXIIII. *S. L. Iſia.*
	e	b	IIII. Non.	*Ter novena. Dies Ægyptiacus.*
	f	c	III.	*Hilaria.*
E	g	d	prid.	
	A	e	Non.	
	b	f	VIII. Idus.	
F	c	g	VII.	
	d	b	VI.	N. *Nervæ & Conſtantii.* CM. XLVIII.
	e	A	V.	*Ludi votivi.*
G	f	b	IIII.	
	g	c	III.	
	A	d	prid.	*Ludi Plebeji. Senatus legitimus.*
H	b	e	Idib.	*Jovis Epulum.* CM. XXX.
	c	f	XVIII. Kal. De-	*Ludi.*
	d	g	XVII. (cemb.	*Ludi.*
I	e	b	XVI.	*Plebeji.* CM. XXIIII.
	f	A	XV.	N. *Veſpaſiani.* CM. XXIIII.
	g	b	XIIII.	
K	A	c	XIII.	SOL SAGITTARIO.
	b	d	XII.	
	c	e	XI.	
A	d	f	X.	
	e	g	IX.	
	f	b	VIII.	*Bruma. Dies Ægyptiacus.*
B	g	A	VII.	*Ludi Sarmatici.*
	A	b	VI.	*Ludi.*
	b	c	V.	*Ludi.*
C	c	d	IIII.	*Ludi.*
	d	e	III.	*Ludi.*
	e	f	prid.	*Ludi.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MENSIS DECEMBER.
habet dies XXXI.

D	*f*	*g*	Kal. Decemb.	*Sarmatici* $\overline{\text{CM}}$. XXIIII.
	g	*b*	IIII. Non.	*Initium muneris.*
	A	*A*	III.	*Senatus legitimus.*
E	*b*	*b*	prid.	*Mumus arca. Dies Ægyptiacus.*
	c	*c*	Non.	*Mumus arca.*
F	*d*	*d*	VIII. Idus.	*Mumus arca.*
	e	*e*	VII.	
	f	*f*	VI.	*Mumus Kandida.*
G	*g*	*g*	V.	
	A	*b*	IIII.	
	b	*A*	III.	*Septimontia.*
H	*c*	*b*	prid.	*Ludi Lancionici.*
	d	*c*	Idib.	*Ludi. Senatus legitimus.*
	e	*d*	XIX. Kal. Jan.	*Ludi. Dies Ægyptiacus.*
I	*f*	*e*	XVIII.	$\overline{\text{N}}$. *Divi Veri.* $\overline{\text{CM}}$. XXIIII.
	g	*f*	XVII.	*Ludi.*
	A	*g*	XVI.	*Ludi Saturnalia.*
K	*b*	*b*	XV.	*Lancionici.* $\overline{\text{CM}}$. XXIIII. SOL CAPRI-
	c	*A*	XIIII.	*Mumus arca.* (CORNO.
	d	*b*	XIII.	*Mumus Kandida.*
A	*e*	*c*	XII.	*Mumus arca.*
	f	*d*	XI.	
	g	*e*	X.	*Mumus arca.*
B	*A*	*f*	IX.	*Mumus consummat.*
	b	*g*	VIII.	$\overline{\text{N}}$. *Invicti.* $\overline{\text{CM}}$. XXX.
	c	*b*	VII.	
C	*d*	*A*	VI.	
	e	*b*	V.	
	f	*c*	IIII.	
D	*g*	*d*	III.	$\overline{\text{N}}$. *Divi Titi.* $\overline{\text{CM}}$. XXIIII.
	A	*e*	prid.	*Magistrati jurant.*

Huc-



Annua ſulcatæ conjecta et ſemina terræ
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.
Aurea nunc revocat Saturni feſta December;
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.



Hucusque *Vetus* illud *Kalendarium*, quemadmodum id in supra memorato Codice MSto *Cæsareo* cum omnibus *Imaginibus* suis etiam nunc exstat *integrum*. Etsi autem illi plene explicando in præsens haud possim immorari, subjungo tamen hic paucas nonnullas *extemporales* & obiter sub manu natas *Annotationes*, quas velim ut candidus Lector pro sua æquanimitate æqui bonique faciat. (a)

ANNOTATIONES AD TITULUM.

1. Per VALENTINUM, cui *Kalendarium* hoc dedicatum est, videtur intelligendus esse VALENTINUS, *ex Primicerio Protectorum Tribunus, & ex Tribuno Dux Illyrici*, cujus *Ammianus Marcellinus* meminit libro decimo octavo, ubi de rebus sub Imp. CONSTANTIO in Consulatu *Eusebii* atque *Hypatii* A. C. 359. gestis agit his verbis: *Hæc dum in Galliis cælestis corrigit cura, in comitatu Augusti* (nempe CONSTANTII) *turbo novarum exoritur rerum, a primordiis levibus ad luctus & lamenta progressus. In domo Barbationis, pedestris militiæ tunc Rectoris, examen apes fecere perspicuum; superque hoc ei prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est, conjectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes, opesque congestas, fumo pelluntur & turbulento sonitu cymbalorum. Huic uxor erat Assyria nomine, nec taciturna, nec prudens; quæ, eo ad expeditionem profecto & multiplici metu suspenso, ob ea, quæ meminerat sibi prædicta, perculsa vanitate muliebri, ancilla adscita notarum perita, quam e patrimonio Silvani possederat, ad maritum scripsit intempestive, velut flens obtestansque, ne post obitum CONSTANTII propinquantem, in Imperium ipse, ut sperabat, admissus, despecta se, anteponeret Eusebiæ matrimonium tunc Reginæ, decore corporis inter multas fœminas excellentis. Quibus literis occulte, quantum fieri potuit, missis, ancilla, quæ domina dictante perscripserat, reversis omnibus e procinctu, exemplum ferens ad Arbetionem noctis prima quiete confugit, avideque susceptа, chartulam prodidit: hocque indicio ille confisus, ut erat ad criminandum aptissimus, Principi detulit, atque ex usu, nec mora ulla negotio tributa nec quiete, Barbatio epistolam suscepisse confessus, & mulier scripsisse documento convicta non levi, cervicibus interiere præcisis. Hisque punitis, quæstiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt, & INNOCENTES. Inter quos etiam VALENTINUS, ex PRIMICERIO PROTECTORUM TRIBUNUS, ut conscius inter complures alios tortus aliquoties supervixit, penitus, quod erat gestum, ignorans; ideoque ad injuriæ periculique compensationem, DUCIS IN ILLYRICO meruit potestatem.* Hæc *Ammianus Marcellinus*.

2. Per

(a) *Adnotationes hæ* LAMBECII *dignæ visæ sunt* Cl. GRÆVIO, *quæ cum Calendario & iconismis, æri eleganter incisis, typis iterum vulgarentur* Thesauri Antiquitatum Romanarum Tom. VIII. *Cl. quoque* HEN. LEONARD. SCHURZFLEISCHIUS *typis tertio edidit, sed sine iconibus mensium*, in Anno Juliano, Vitembergæ CIↃIↃCCIV. KOL.

2. Per hanc notam  videtur significari *Imperium Romanum in ORIENTE.* (a)

3. TITULARE hoc significat *Librum aliquem insignire titulo,* vel *Libri titulum pictura exornare.* Eodem verbo

(a) *Præsens ænigma, ne* Cl. SCHURZFLEISHCIUS *quidem tentandum sibi esse putavit; idcirco* in Novis literariis Germaniæ Hamburgi collectis *ad annum* CIↃIↃCCIV. *mens. Septemb. p. 333.* disquisitio *vulgata fuit hoc exemplo. M. M. R. Brevis Disquisitio de Monogrammate, quod exstat in capite Kalendarii veteris, sub Constantio Imp. editi, atque a V. Cl. Henr. Leonardo Schurzfleischio, in anno Juliano libro commentario illustrato p. 266. 199. ex Petavio Bucherio & Lambecio repetiti.* Quamquam forte Clarissimus Anni Juliani Interpres notam hanc vel nullius momenti, vel explicatu facilem ratus, in doctis suis ad Calendarium Constantii animadversionibus, nulla eam commentatione dignam censuit; facit tamen Lambecii infelix de eadem conjectura, ut a Cl. Editore non sine omni sententiæ dictione prætermittendam fuisse censeam, nisi forte ipse videri voluerit in opinione Lambecii acquiescere. Quid censuerit Ægidius Bucherius, exploratum non habeo, qui tantum de Valentino illo, cui Kalendarium inscribitur, cogitanda quædam lectori reliquit. Neque Petavius definire quidquam potuit, cujus exemplum, ex museo J. G. Herwarti depromptum, ac Uranologio (pag. 67. edit. recent. Antv.) infertum, capite atque inscriptione isthac caruisse existimo. Lambecius vero, ut est in conjiciendo confidentior, in suis ad Fastos illos annotationibus, a Cl. Schurzfleischio transcriptis, p. 304. *per hanc notam,* inquit, *Kalendario præfixam, videtur significari Imperium Romanum in ORIENTE.* Quæ conjectura procul dubio ex perperam consideratis ac evolutis literarum ductibus orta est, in quibus O. & R. præ ceteris luculentæ sunt, nec reliquæ etiam ejus vocis, quam Lambecius vult, difficulter eliciuntur. At vero nullo idoneo antiquitatis argumento probari potest, hanc olim Romanis fuisse consuetudinem, ut Imperium Orientis ab Occidente singulari monogrammate distinguerent, nedum in capite fastorum Kalendarium notarent. Quamvis enim non nesciam, varias apud antiquos siglas, ad leges, edicta, aliaque instrumenta publica, etiam ad fastos signandos fuisse adhibitas, eæ tamen non sunt ejusmodi, ut nota hæc Kalendarii Constantii præfixa ad earum classem referri possit. De siglis in factis Romanorum consuli meretur elegantissimus siglarum interpres Joannes Nicolai, qui de iis peculiari capite disserit, & reliquum etiam siglarum usum per totam antiquitatem, in libro doctissimo nuper edito persequitur: quamvis nonnunquam Siglas cum Monogrammatibus commiscat, quæ tamen nonnihil discriminis habent. Siglæ enim, ut ait Festus, *erant literæ, sed singulæ vel binæ* eædem ut plurimum capitales, nominum præsertim propriorum, quæ compendii causa adhibebantur, & ταχυγεάφως primum inserviebant. Monogrammata vero sunt literæ nominis cujusdam, vel verborum plurium, plerumque omnes artificiose in unam figuram ita connexæ, ut altera alteram ductibus suis implexam juvet & exprimat. Hinc Plutarchus vocat σημεῖον ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχον. Atque uti *Siglæ* longe sunt antiquissimæ, ita Monogrammata ad inferiorem fere ætatem pertinent, &, præter usus alios, maxime signandis Imperatorum, Regum ac summorum Pontificum nominibus fuere adhibita cujus rei exempla plurima, ex medio ævo desumta exstant apud Cangium in Glossar. T. II. p. 666, Sed ad Monogramma nostrum redeo, de quo cum sententia mihi dicenda sit, miror, Lambecium non attendisse ad verba illa quæ expressa leguntur ab utroque monogrammatis latere: VALENTINE FLOREAS IN DEO quibus votum concipitur ab Auctore Kalendarii pro Valentino illo, cui Kalendarium istud inscribit. Quis autem ille Valentinus fuerit, & an recte de eo senserint Bucherius ac Lambecius, non disquiram. Hoc tantum ajo, Lectorem ultro a Lambeciana de signo Imperii Orientis conjectura recessurum esse, si votum illud cum ipso Monogrammate diligentius conferre voluerit, quo facto, facile mecum animadvertet, nihil in hac pictura reconditum esse, nisi literas ipsius voti, singulari ductu ac compendio connexas atque implicitas. Plura quidem bona verba ad Valentinum in utroque exemplo, Bucheriano & Lambeciano, inferiori loco posita leguntur, sed ea ad Monogramma hoc non spectant & lineis singularibus inclusa separantur. Si quis tamen existimare velit nomen quoque FURII DIONYSII FILOCALI, qui, ut legitur juxta votum inferius Kalendarium hoc titulavit, eodem monogrammate simul comprehendi, non refragabor, præsertim cum non sciri possit, an non idem ille Furius præter *Titulationem* sive inscriptionis consignandæ officium, ipsam etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verbo utitur *Tertulianus* in Libro de Anima cap. 13. hoc modo: *Enimvero quis non animæ dabit ſummam omnem, cujus nomine totius hominis mentio TITVLATA eſt?* Item in principio Poematis de Judicio Dei:

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Muſas?
Et verni roſeas TITVLABIT floribus auras?

Similiter quoque *S. Petrus Chryſologus*, qui A. C. 449. vel 450. obiit, in Sermone CLVto de Calendis Januariis, quæ variis ſuperſtitionibus ethnicis contaminabantur: *Quorum*, inquit, *formant adulteria in ſimulacris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum TITVLANT incœſta picturis.* Vide etiam *Stephani Joannis Stephanii* Notas in *Saxonis Grammatici* Præfationem Hiſtoriæ Danicæ in principio.

AD MENSEM IANUARIUM.

1. SENATUS LEGITIMUS, cujus in hoc Kalendario frequens fit mentio, is vocabatur, qui, vel lege, vel more, certis ſemper diebus habebatur; contra autem appellabatur *Senatus indictus*, qui reliquis cujuſque menſis diebus, dummodo iis non haberentur Comitia, Magiſtratuum vocatu extra ordinem cogebatur.

2. De DIE ÆGYPTIACO, cujus mentio in hoc *Kalendario* paſſim occurrit, nondum mihi ſatis liquet. (a)

3. No-

recenſionem atque ordinationem horum Faſtorum adornaverit. Neque enim hoc infrequens eorum temporum Scriptoribus fuiſſe opinor, ut nomina ſua nonnunquam monogrammate quodam involuta libris præfigerent. Neque repugnant literæ, niſi forte propter τὸ γ, particula monogrammatis ſuperior (ut non obſcure fit in exemplo Schurzfleiſchiano) hoc modo fuiſſet efformanda AVCeterum quanto certior ſum, doctiſs. Schurzfleiſchium ab hac mea de iſto monogrammate ſententia non plane alienum futurum, tanto eum libentius qualemcunque hanc commentatiunculam æqui bonique conſulturum eſſe confido. *Hucuſque Diſquiſitio illa τῦ δεῖνος M. M. R. qui æque nobis ignotus eſt, ac mens & ſententia dicti monogrammatis: conjectura enim hæc de voto, Lambeciana etiam infelicior eſſe videtur, meis quidem, oculis.* VALENTINI, *cui hoc Kalendarium inſcriptum eſt, omnibus adhuc ignoti, monogrammate illo* honores *contineri putem, eoſque mihi ignotos eſſe, ingenue fateor.* KOL.

(a) *De diebus Ægyptiacis prolixe jam egi in* Monito, *Kalendario iſti præmiſſo. Legi præterea meretur egregia atque illuſtris* FAVORINI *Philoſophi adverſus Chaldæos & Ægyptios oratio apud* A. GELLIUM Noct. Atticarum Lib. XIV. Cap. I. *ubi ſuccincte ac nervoſe futiliſſima Aſtrologiæ fundamenta evertuntur. Deteſtata eam eſt ſemper ſanior, gentilium etiam, antiquitas omnis, exigebanturque urbibus bene inſtitutis Chaldæi & Babylonii ſive Ægyptii, prodigioſis artibus futura omnia dicturos ſe ſe credulis pollicentes. Idcirco* FLACCUS *noſter Libro Carminum primo merito canit:*

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Di dederint, Leuconoë; nec BABYLONIOS
Tentaris NUMEROS. Ut melius quidquid erit, pati
(Seu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam;
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum) ſapias;

Atque hæc ultima: ut melius, quidquid erit, pati ſapias; *reſpexiſſe videtur,* FAVORINUS *dum memoratam Orationem ſic concludit:* Aut adverſa, *inquit,* eventura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra exſpectando, ſi adverſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Sin vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, jam inde ex animo miſer fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura ſunt, tum plane duo erunt incommoda: & exſpectatio te ſpe ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam præfloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. *Zin-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

3. Notam hanc $\overline{CM}$., quæ cum adjunctis *numeris* fæpiſſime in hoc *Kalendario* occurrit, exiſtimat R. P. *Bucherius* interpretandam eſſe CONGIARIUM. (a)

4. Per $\overline{N}$. GORDIANI & $\overline{N}$. D. HADRIANI ſignificantur *Natalis Gordiani* & *Natalis Divi Hadriani.*

5. Pro $\overline{N}$. CHARTIS videtur legendum eſſe NATALIS CHARITUM, ut infra *Natalis Herculis*, *Natalis Martis*, *Natalis Minervæ*, *Natalis Dei Quirini*, *Natalis Caſtoris & Pollucis*, *Natalis Mercurii*, *Natalis Muſarum*, *Natalis Dianæ*, *Natalis Aſclepii* ſive *Æſculapii.* De *Charitum* autem ſive *Gratiarum* ortu & cultu vide Natalis Comitis Mytholog. lib. 4. cap. 15.

6. In *Imagine* ad hunc menſem *Januarium* pertinente, quæ in R. P. *Ægidii Bucherii* Codice MSto defuit, præ cæteris maxime conſideratu dignus eſt *habitus Conſulis thus in tripode thuricremo incendentis.* Huc etiam pertinent ex *Actis S. Marcelli Papæ* hæc verba: *Deferatur tripoda, ut thurificent Majeſtatibus.* Notanda etiam ibi eſt *pyxis thuraria;* ut & *Gallus*, ſymbolum *Larium* ac *vigilantiæ.*

7. *Auſonii Tetraſtichon*, ad eandem *Imaginem* pertinens, eſt hoc:

Hic Jani menſis ſacer eſt: en aſpice, ut aris
Thura micent; ſumant ut pia thura Lares.
Annorum ſeclique caput, natalis bonorum,
Purpureos faſtis qui numerat Proceres.

Ubi notandum eſt, *Calendas Januarias* metaphorice appellari *Natalem honorem* tanquam initium *Conſulatus* aliorumque *annuorum Magiſtratuum.* Similiter & per *Proceres purpureos* ſignificantur *Conſules.*

AD MENSEM FEBRUARIUM.

1. In ipſo Codice MSto pro LUDI GOTTHICI legitur LUDI GOTTICHI; & pro LUDI VOTIVI legitur ibidem LUDI VOTIBI.

2. CARISTIA ſive CHARISTIA quid fuerint, docet *Valerius Maximus* lib. 2. cap. 1. his verbis: *Convivium etiam ſolenne majores inſtituerunt, idque CHARISTIA appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.*

3. Pro

gari, ut & hoc vel obiter adnotem, Gallis Bohemi *aut Ægyptii dicti, qui Pannonias noſtras percurſant & ſub tentoriis vitam, arte potiſſimum fabrili, miſerrimam tolerant, ab iſtiusmodi Ægyptiis erronibus & vagis Chaldæis originem quibuſdam ſuam ducere videntur; quod noſtra etiam memoria hoc genus divinationibus rudi imponunt plebeculæ. Idioma eorum, in quod, dum anno* CIↃIↃCCLIV. *Magno-Varadini agerem, ſedulo indagavi, nonnulla quidem Chaldaica & Coptica vocabula retinere mihi eſt viſum, ſed pleraque Italicæ potiſſimum ſunt originis. Luculentiora autem politioris apud nos humanitatis indicia eſſent, horum etiam, quum homines ſint, non oblivi ſci, & quam ipſi videre non poſſunt, humaniorem inter nos vivendi rationem commonſtrare.* KOL.

(a) *Ad hunc locum* Cl. SCHURZFLEISCHIUS *erudite adnotat:* Arbitratur, *inquit*, BUCHERIUS ſignificari *Congiarium.* Quem, quod miror, ſequitur LAMBECIUS, ſed conſtat deſignari *Circenſes miſſus.* A CALIGULÆ enim principatu Circenſes miſſus, quoties edebantur, fuere viginti quatuor, uti ex DIONE & CASSIODORO oſtendit PANVINUS Lib. I. de Ludis Circenſibus cap. 14. Quamvis etiam quadraginta miſſus cucurriſſe A. V. C. milleſimo teſtetur CASSIODORUS in Chronico. KOL.

3. Pro LOTIO in ipſo Codice MSto perperam legitur LORIO, & in *Bucherii* editione impreſſa multo adhuc corruptius CORIO. LOTIO enim idem eſt atque LAVATIO, cujus mentio fit in deſcriptione menſis Martii VI. Kal. Aprilis.

4. In *Imagine* ad hunc menſem *Februarium* pertinente notabile eſt, eum ſolum repræſentari *figura muliebri*, cum reliqui omnes menſes exhibeantur *figura virili.*

5. *Auſonii Tetraſtichon*, ad eandem *Imaginem* pertinens, eſt hoc:

At quem cæruleus nodo conſtringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem jactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu Februa menſis habet.

Ubi per *paludicolam avem* ſignificatur *Anas*, *Iris* autem cognominatur *dædala*, quaſi *variegata*, nempe ob *varietatem colorum*; δαιδάλλειν enim græce ſignificat *variare*. *Romuleo ritu* idem eſt atque *Romano ritu*. *Februa* denique appellantur, quæcunque luſtrandi ſive expiandi cauſa in quibuscunque ſacrificiis adhibentur.

AD MENSEM MARTIUM.

1. Tota hujus menſis *Martii* deſcriptio defuit in Codice MSto, quo R. P. *Ægidius Bucherius* uſus eſt.

2. N. MINERVUS pro NATALIS MINERVÆ. Similiter etiam in *anti-quo* illo *Numiſmate Ciceroniano*, de quo in Libro ſecundo horum Commentariorum prolixe egi, legitur MINERVE pro MINERVA. Sic quoque in eodem hoc Kalendario Idib. Auguſti ſcriptum eſt N. DIANES pro NATALIS DIANÆ; & in *Jani Gruteri* Syntagmate antiquarum Inſcriptionum pag. 699. legitur OPPIA CASSIANE pro OPPIA CASSIANA; item in *Auſonii Tetraſtichis duodecim menſium* PAPHIE pro PAPHIA, & VRANIE pro VRANIA.

3. In ipſo Codice MSto pro *Quinquatria* ſcriptum eſt *Cinquatria*, & paulo poſt *Sanguem* pro *Sanguen.*

4. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Cinctum pelle lupæ promptum eſt cognoſcere menſem;
Mars illi nomen, Mars dedit exuvias.
Tempus ver hædus petulans & garrula hirundo
Indicat, & ſinus lactis, & herba virens.

Ubi notandum eſt, *Lupum Marti* ſacrum eſſe, & per SINUM LACTIS ſignificari genus vaſis, cujuſmodi cernitur in ipſa Imagine.

AD MENSEM APRILEM. (a)

1. Totus hic menſis *Aprilis*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Bucherius* uſus eſt. (b)

2. *Au-*

(a) *Hoc menſe ad d. IV. Idus refertur N.* Divi SEVERI *idcirco recte* Cl. SCHURZFLEISCHIUS: In exemplari, *inquit*, Lambeciano dies Natalis Severi refertur ad IV. Idus Aprilis, errore manifeſto librariorum, cum Natalis SEVERI ad tertium diem Iduum Aprilis referri debeat, ut in principio hujus capitis cumulate probavi, &c. *quem vide.* KOL.

(b) In pictura hujus menſis vides crotalorum quæ fuerit forma, hactenus ignota, quam-

2. *Auſonii Tetraſtichon* ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, hoc eſt: A

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis;
Lumen thuris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus a dextra flammas diffundit odoras,
Balſama nec deſunt, queis redolet Paphie.

Ubi notandum eſt, *ſecundum* hujus Tetraſtichi *verſum* in variis manuſcriptis & impreſſis exemplaribus varie legi: nempe B

Lumen RVRIS habet, quo nitet alma Ceres,
Lumen VERIS habet, quo nitet alma Ceres,
Lumen JVRIS habet, quo nitet alma THETIS,
Lumen JVRIS habet, quo nitet alma THEMIS.

Ego autem cum (1) *Elia Vineto* veram & genuinam eſſe arbitror hanc noſtram lectionem: C

Lumen (2) *TVRIS habet, quo nitet alma CERES.*

Menſe enim *Aprili* celebrabant Romani *Cerealia*, feſtum *Cereris* Deæ frugum, eique ſacrificabant Ture, ut *Ovidius* libro quarto Faſtorum expreſſe teſtatur his verſibus:

Pace CERES læta eſt, & vos orate, coloni,
Perpetuam pacem pacificumque Ducem.
Farra Deæ, micæque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres TVREA grana focos;
Et ſi TVRA aberunt, unctas accendere tædas.
Parva bonæ CERERI, ſint modo caſta, placent.

AD MENSEM MAJUM.

1. Totus his menſis *Majus*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Buchelius* uſus eſt.

2. De Ludis Maximatis, ut & de ſignificatione vocum Zenziarius XIV. Kal. Junii & Zinza IV. Kal. Junii, nondum mihi liquet. (a)

3. De Natali Mercurii, *Idibus Majis* celebrato, elegans hoc exſtat *Martialis* Epigramma, quod eſt Libri duodecimi ſexageſimum ſeptimum, & inſcribitur *in Natalem Maronis:*

MAIÆ MERCVRIVM creaſtis IDVS,
Auguſtis redit Idibus Diana,
Octobres Maro conſecravit Idus.
Idus ſæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

4. Pro N. Annonis videtur legendum eſſe Natalis Ammonis, ita ut intelligatur *Jupiter Ammon. Jovem*

vis quem ediderint ſonum ex ciconia crotaliſtria, ut a Petronio dicitur, non erat obſcurum. Hinc in catalectis Ausonii.

Sacra Dioneæ referens ſolennia matri.
Laſcivus crotalis plaudit Aprilis ovans. Græv.

(1) *In Commentario ad* Auſonii *Idyllia.*

(2) *Utroque modo ab antiquis ſcriptum reperitur; nempe* Thus *cum aſpiratione, quaſi derivatum a græco* Θύειν, *quod ſignificat* ſacrificare, & Tus *ſine aſpiratione, quaſi a* tundendo. *Vide* Claudii Dauſquii *Orthographiam Antiqui Novique Latii litera* T.

(a) Ludi maximati *corruptum procul dubio ex* Ludi maximi; Zenziarius, & Zinza *quam originem habeant adhuc quæro.* Kol.

vem enim apud ſe natum & ſepultum eſſe *Cretenſes* olim gloriati ſunt, ut teſtatur *Lucianus* in Libello de Sacrificiis.

5. In *Joannis Raſſii Calendario Romano ethnicæ vetuſtatis*, ex variis antiquis Calendariis & Autoribus collecto, & Sangalli typis Leonhardi Straub A. 1584. in quarto edito, pro MACELLUS ROSA SUMAT perperam legitur MARCELLUS ROSA SUMAT. *Macellus* enim maſculino genere pro *Macellum* legitur etiam in Veteri Lexico græco-latino, ab *Henrico Stephano* & *Bonaventura Vulcanio edito*: Μάκελλ@-, *Macellus*. Verba ergo hæc *Macellus roſa ſumat* idem ſignificant atque *Macellum roſis ornetur*; quemadmodum in eodem Calendario VIII. Idus Junii legitur *Coloſſus coronatur*. Sic etiam eodem menſe Junio, cum celebrarentur *Veſtalia*, *mola* ornabantur ſertis & floribus.

6. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Cunctas veris opes & picta roſaria gemmis
Liniger in calathis, aſpice, Majus habet,
Menſis Atlantigenæ dictus cognomine Majæ,
Quem merito multum diligit Vranie.

Ubi notandum eſt, in Codice MSto Auſonii, quo olim *Elias Vinetus* uſus eſt, pro *Liniger* perperam & mendoſe fuiſſe ſcriptum *Laniger*. *Linea* enim, non autem *lanea* veſtis, convenit menſi *Majo*, quemadmodum perfecta totius corporis nuditas duobus menſibus *Julio* & *Auguſto* proprie competit.

AD MENSEM JUNIUM.

1. Totus hic menſis *Junius*, una cum *Imagine* ad eundem pertinente, defuit in Codice MSto, quo *Bucherius* uſus eſt.

2. In ſupra citato *Joannis Raſſii Calendario* pro IN MINICIA legitur IN NVMICIA. Mihi autem de vera hujus loci lectione nondum liquet, uti nec de FABARICIS. (a)

3. VE-

(a) *Liquere hoc poterat ex* MACROBII *Libro Saturnalium primo, ubi ad menſem Junium ſcribit:* Nonnulli putaverunt Junium menſem a JUNIO BRUTO, qui primus Romæ Conſul factus eſt, nominatum: quod hoc menſe, id eſt Calendis Juniis, pulſo TARQUINIO ſacrum CARNÆ deæ in Cælio monte voti reus fecerit. Hanc deam vitalibus humanis præeſſe credunt. Ab ea denique petitur, ut jecinora & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera, ſalva conſervet, & quia cordis beneficio, cujus diſſimulatione BRUTUS habebatur idoneus emendationi publici ſtatus exſtitit, hanc deam, quæ vitalibus præeſt, templo ſacravit. Cui pulte *fabacia* & larido ſacrificatur; quod his maxime rebus vires corporis roborentur. Nam & Calendæ Juniæ *fabariæ* vulgo vocantur: quia hoc menſe adultæ fabæ divinis rebus adhibentur. *Hæc* MACROB. OVIDIUS *quoque* Faſtor. Lib. V. *ſic canit:*

Sus erat in pretio cæſa, ſue feſta colebant,
Terra fabas tantum duraque farra dabat.

Quæ duo miſta ſimul ſextis quicunque Kalendis
Ederit, huic lædi viſcera poſſe negant.

De Ludis in Minicia *occupavit* GRÆVIUS: In menſe, *inquit*, Junio ad prid. Non. legitur *Ludi in Minicia*; notat LAMBECIUS in Joannis RASSII Kalendario legi in *Numicia*, fateturque ſibi nondum liquere de hujus loci lectione. Mihi dubium eſt nullum, legendum eſſe *in Minutia*. Sic dicebatur locus in IX. regione urbis, in quo frumentum dividebatur populo, ut conſtat ex SEXTO RUFO, VICTORE, LAMPRIDIO, & aliis. Non magis autem mirum eſt, ludos in MINUTIA editos, quam editos eſſe ab Auguſto in SEPTIS, in Comitio, & in ſingulis vicis, ut notum eſt ex SUETONIO. KOL.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

3. VESTA APERIT pro VESTA APERITUR. Quid autem his verbis A significetur, indicat *Sextus Pompejus Feſtus: PENUS*, inquit, *vocatur locus intimus in æde Veſtæ, ſegetibus ſeptus, qui certis diebus circa Veſtalia aperitur. Ii dies religioſi habentur.*

4. MATRALIA, *feſtum Matris Matutæ*, de qua vide Scriptores Antiquitatum Romanarum.

5. Per ANNÆ SACRUM videtur intelligendum eſſe ANNÆ PERENNÆ SACRUM. Illud tamen in aliis antiquis Calendariis Romanis refertur ad B menſem *Martium;* ut videre eſt apud Roſinum Antiquit. Roman. lib. 2. & 4, ubi de *Anna Perenna* prolixe agitur.

6. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Nudus membra, dehinc ſolares reſpicit horas
Junius, ac Phœbum flectere monſtrat iter.
Idem maturas Cereris deſignat ariſtas;
Floraleſque fugas lilia fuſa docent.

In ipſa autem Imagine notandum præ- C cipue eſt Horologium ſolarium, & conferendum cum altero illo, quod exſtat in Libri *tertii* horum Commentariorum Cod. I. *Tabula trigeſima tertia* antiquiſſimi Codicis manuſcripti Græci Geneſeos.

AD MENSEM JULIUM.

1. In ipſo Codice MSto pro FVGATO LICINIO legitur FUCATO LICINIO. Significatur autem hic *Fuga Imp. Licinii*, poſteaquam is A. C. 324. ab *Imp. Conſtantino Magno* apud *Hadrianopolim* victus eſt, & quidem V. Nonas Julii, ut apud *Idatium* in *Faſtis Conſularibus* videre eſt.

2. De Romanorum EQUITUM ORDINARIA PROBATIONE & de eorundem *ſolenni Tranſvectione ab Æde Honoris in Capitolium*, quotannis *Idibus Juliis* fieri ſolita, vide *Valer. Maxim.* lib. 2. cap. 2. In ipſo autem Codice MSto Cæſareo pro EQUIT. perperam ſcriptum eſt ÆQUIT., eademque mendoſa ſcriptura exſtat etiam in editione *Bucheriana* impreſſa.

3. LUDI FRANCICI, quorum hic fit mentio, videntur inſtituti fuiſſe in honorem *Imp. Conſtantini Magni*, quippe qui, ut *Eutropius* lib. 10. refert, *cæſis FRANCIS atque Alemannis, Reges eorum cepit, & beſtiis, cum magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, objecit.*

4. Per N. D. CONSTANTINI ſive NATALEM D. CONSTANTINI non intelligitur hic *tempus nativitatis* ipſius, ſed *initium Imperii*, ut teſtatur *Idatius* in *Faſtis Conſularibus* his verbis: *Conſtantio VI. & Maximiliano VI. His Conſulibus diem functus Conſtantius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus VIII. Auguſti.*

5. De *Imp. Conſtantini Magni* VICTORIA SARMATICA vide *Zoſimum* lib. 2.

6. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Ecce coloratos oſtentat Julius artus,
Crines cui rutilos ſpicea ſerta ligant.
Morus ſanguineos præbet gravidata racemos,
Quæ medio Cancri ſidere læta viret.

AD MENSEM AUGUSTUM.

1. VICT. SENATI pro VICTORIA SENATUS. Similiter etiam apud *Plau-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Plautum, *Ciceronem*, *Saluſtium* alioſque antiquos claſſicos Autores *Senati* legitur pro *Senatus.* Cujus rei exempla vide apud *Nonium Marcellum* Capite *de mutata declinatione*, apud *Janum Guilielmum Laurenbergium* in *Antiquario*, & apud *Ger. Joann. Voſſium* Lib. 4. *de Arte Grammatica* cap. 20.

2. Per N. CONSTANTII ſignificatur *Natalis Imp. Conſtantii*, filii *Imp. Conſtantini Magni*, ideoque in Codice MSto, quo R. P. *Bucherius* uſus eſt, ſcriptum fuit NATALIS D. N. CONSTANTII, hoc eſt, *Natalis Domini Noſtri Conſtantii*, nempe tanquam de Imperatore adhuc vivente.

3. Pro LIGNAPSIA legitur in Bucheriana editione LYGNAPSIA. Quare minime dubium mihi videtur, quin revera legendum ſit LYCHNAPSIA. Λυχναψία autem idem eſt atque Λυχνοκαΐα, ſive *Accenſio lucernarum;* quod fuit nomen *Feſti* alicujus apud *Ægyptios*, de quo vide Appendicem Libri *tertii* horum Commentariorum. (a) In *Calendario* autem hoc per *Lychnapſiam* opinor ſignificari ſolennitatem aliquam, *prid. Id. Auguſti* quotannis celebrari ſolitam, cum primum dies poſt Solſtitium jam adeo decreviſſet, ut ad cœnam opus eſſet *accenſis luminibus.*

4. DIANE pro DIANA, ut ſupra in menſe Martio *Minerve* pro *Minerva.* In *Calendario* autem *Joannis Raſſii* pro *Dianes* perperam legitur *Cianes.*

5. Poſt VULCANALICI ſubaudiendum eſt LUDI, ut alias ſæpe in eodem hoc Calendario.

6. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Fontanos latices & lucida pocula vitro,
Cerne, ut demerſo torridus ore bibat
Æterno Regni ſignatus nomine menſis;
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

Ubi notandum eſt, *per Æternum Regni Nomen* ſignificari Nomen *Imp. Auguſti;* per *Hecaten* autem intelligi *Dianam*, utpote cujus *Natalis* celebratur *Idibus Auguſti.*

AD MENSEM SEPTEMBREM.

1. Pro MAMMES videtur forte legendum eſſe N. MAMMÆÆ, ſive *Natalis Mammææ matris Imp. Alexandri Severi.* Eadem in aliis antiquis monumentis etiam appellatur MAMEA per unicum M & per ſimplex E; ut videre eſt in V. CL. *Caroli Patini* Numiſmatibus Imperatorum Romanorum, Argentinæ Anno 1671. in folio editis, pag. 343.

2. N. ASCLEPI pro NATALIS ÆSCULAPII. Quis autem *Æſculapius* ille fuerit, vide apud V.CL. *Joannem Henricum Meibomium* in Commentario doctiſſimo in *Jusjurandum Hippocratis*, capite quinto.

3. Pro LUDI ROMANORUM legitur in editione Bucheriana *Ludi Romaniani.*

4. Per TRIUMPHALES ſignificatur *Ludi Triumphales*, inſtituti in honorem *Imp. Conſtantini Magni* ob *Licinium ad Chalcedonem debellatum* A. C. 324. XIV. Kal. Octobris, ut apud *Ida-*

(a) *Sive adnotationes* LAMBECII *ad Teſtamentum* Corocottæ porcelli, *quod nunc his in Analectis eſt: ad verba:* ſub die XVI. Kalendas Lucerninas.

Idatium in *Faſtis Conſularibus*, & apud Autorem *Chronici Alexandrini* videre eſt.

5. Ante PII ANTONINI ſubaudiendum eſt NATALIS.

6. Per PROFECTIONEM DIVI videtur ſignificari *Profectio Imp. Conſtantini Magni contra Licinium.*

7. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Surgentes acinos, varias & præſecat uvas
September, ſub quo mitia poma jacent;
Captivam filo gaudens religaſſe lacertam,
Quæ ſuſpenſa manu mobile ludit opus.

Ubi notandum eſt, in *Eliæ Vineti* Operum Auſonianorum editione, Burdigaliæ apud Simonem Millangium A. 1580. in quarto impreſſa, *primum* hujus Tetraſtichi *verſum* legi hoc modo: *Surgentes acinos VARIOS, & præſecat uvas;* in ultimo autem verſu pro MOBILE *ludit opus* legi NOBILE *ludit opus.* Ego autem malui hic ſequi lectiones illas, quas V. CL. *Joſephus Scaliger* & R. P. *Ægidius Bucherius* repererunt in Codicibus manuſcriptis, quibus ipſi uſi ſunt. Eædem lectiones exſtant etiam in *Syntagmate Epigrammatum & Poematiorum veterum*, Pariſiis typis Dionyſii Duvalii A. 1590. edito in duodecimo, cujus rariſſimum pretioſiſſimumque exemplar, *propria ipſius Joſephi Scaligeri manu* multis *variantibus Lectionibus & Emendationibus conjecturalibus* in margine illuſtratum, adſervatur in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi*, & in Titulo ſive Frontiſpicio ſuo propria Ampliſſimi celeberrimique Viri, Dn. *Pauli Petavii*, Regii olim in Gallia Conſiliarii, manu inſignitum eſt hoc modo: *JOSEPHO SCALIGERO, Viro ſupra dignitatem, Libellum hunc PAVLVS PETAV, Cultor ejus devotiſſimus, & in Suprema Curia Conſiliarius, L. M. D. D. Auguſtæ Turonum Kalendis Juliis Anno cIↃ IↃ XCIII.*

AD MENSEM OCTOBREM.

1. Poſt $\overline{\text{N}}$ ALEXANDRI, hoc eſt, *Natalis Alexandri*, ſubaudiendum eſt SEVERI, nempe ut intelligatur *Imp. Alexander Severus*, ſupra memoratæ *Mammææ* filius.

2. Poſt AUGUSTALES ſubaudiendum eſt LUDI, Meminit horum Ludorum *Tacitus* Annalium lib. 1. cap. 15; item *Dio Caſſius* lib. 54.

3. EQUUS AD NIXAS FIT. Ita quidem in Codice MSto *Cæſareo* legitur, magis tamen mihi placet lectio Codicis MSti *Bucheriani*, EQUUS ADNIXUS FIT, hoc eſt, *Idibus Octobris EQUUS dexter, qui in Ludis equeſtribus præ cæteris maxime ADNIXUS, victoriam obtinuit, Marti Deo belli ſacer, immolatur.* FIERI enim idem hic eſt atque *ſacrificari*; quemadmodum apud *Ciceronem* lib. 1. ad Atticum epiſt. 10: *Credo enim te audiſſe, cum apud Cæſarem pro Populo FIERET, veniſſe eo muliebri veſtitu virum; idque Sacrificium cum virgines inſtauraſſent*, &c. Plura de hac conſuetudine immolandi equum victorem Marti Idibus Octobris, & de ejuſdem conſuetudinis cauſa, vide apud *Plutarchum* Quæſtionum Romanarum nonageſima ſeptima, & apud *Sextum Pompejum Feſtum* in explicatione verborum *October Equus.*

4.

4. XV. Kal. Novemb. Ludi Liberatori; nempe *ob necem Sejani & Agrippinæ ſub Imp. Tiberio.* Originis horum ludorum meminit *Tacitus* Annal. lib. 6. cap. 25, his verbis: *Eodem die defunctam Agrippinam, quo biennio ante Sejanus pœnas luiſſet, memoriæque id prodendum addidit Cæſar; jactavitque, quod non laqueo ſtrangulata, neque in Gemonias projecta foret. Actæ ob id grates, decretumque ut QVINTODECIMO KAL. NOVEMBRIS utriuſque necis die per omnes annos DONVM JOVI SACRARETVR.*

5. Per Evictionem Tyranni ſignificatur *Adactio Licinii*, *Nicomediæ ab Imp. Conſtantino Magno obſeſſi, ad deſperationem omnium rerum & deditionem voluntariam A. C. 324.* Qua de re vide *Zoſimum* lib. 2. *Licinius* igitur κατ' ἐξοχὴν ſive per excellentiam hic appellatur *TYRANNVS*, itidem ut in *Codice Theodoſiano* Lib. 5. Tit. 6. *De ingenuis, qui tempore TYRANNI ſervierunt*, & Lib. 15. Tit. 14. *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis aut Barbaris geſta ſunt*; ubi obiter notandum eſt, in Inſcriptione *Legis primæ* de removendis *Lycinii Tyranni* Conſtitutionibus & Legibus, *Imp. Conſtantinum* Magnum perperam vocari *Conſtantium*, & in fine ejuſdem Legis pro XVII. Kal. Jun. ſive *Junii* ſcribendum eſſe XVII. Kal. Jan. ſive *Januarii*; ut manifeſte liquet ex *Idatii Faſtis Conſularibus* & hoc *Calendario.*

6. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Dat prenſum leporem, cumque ipſo palmite fœtus
October; pingues dat tibi ruris aves.
Jam Bromios ſpumare lacus, & muſta ſonare
Apparet; vino vas calet ecce novo.

Ubi obiter notandum eſt, per *pingues ruris aves* præcipue ſignificari *Perdices* & *Attagenas*; per *Bromios* autem *lacus* intelligi vaſa vinaria, Auſtriace *Weinboding* dicta, quæ recipiunt muſtum prelo ex vinaceis expreſſum, ut illud inde porro tranſmittatur & condatur in dolia.

AD MENSEM NOVEMBREM.

1. Ex Senato pro *Ex Senatu*; uti ſupra in menſe Auguſto *Senati* pro *Senatus.*

2. Per Natalem Constantii, *filii Imp. Conſtantini Magni*, non intelligitur hic *tempus Nativitatis* ipſius, ſed *initium Dignitatis Cæſareæ*, ut videre eſt in *Idatii Faſtis Conſularibus*, ubi ea de re hæc leguntur: *Levatus eſt Conſtantius Cæſar VI. Idus Novembris.*

3. *Auſonii Tetraſtichon*, ad *Imaginem* hujus menſis pertinens, eſt hoc:

Carbaſeo ſurgens poſt hunc indutus amictu
Menſis, ab antiquis Sacra Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque ſatis ubera fert humeris.

Ita hoc Tetraſtichon *Elias Vinetus* inter Opera Auſonii edidit, ibidemque recte monuit, per *Carbaſeum amictum*, ſignificari amictum *lineum*, per *Sacrum* autem *Deamque* intelligi *Iſidem* & *Sacra Iſiaca*; nec ſolum *Sacerdotes* ejus ob uſum lineorum veſtimentorum appellatos fuiſſe *Linigeros*,

ſed & ipſam *Deam* vocatam fuiſſe *Linigeram.* Similiter quoque ibidem annotatum eſt, poſt *ab antiquis* ſubaudiendum eſſe *temporibus*, eademque loquendi formula etiam *Ovidium* in Faſtis uſum eſſe. De *Siſtro* etiam, quod ibidem additur, veriſſimum eſt, illud *Iſidis* adeo fuiſſe proprium, ut & ipſius *ſimulacrum* id ferret dextra manu, & *Sacerdotes* aliique ejuſdem Sacris initiati ob *ſiſtri* uſum a *Martiale* in Libri duodecimi Epigrammate vigeſimo nono *Siſtrata turba* nuncupentur hoc diſticho:

LINIGERI fugiunt CALVI SISTRATAQVE TVRBA,
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.

Quæ inſuper ibidem de *figura Siſtri* ex *Plutarcho* & *Apulejo* traduntur, ea nulla ratione magis illuſtrari poſſunt, quam ipſa *imagine* hujus menſis *Novembris;* in qua etiam *Sacerdotum Iſiacorum calvities* æque manifeſte expreſſa cernitur. Cæterum quod attinet ad *ultimum* ſupra exhibiti Tetraſtichi Auſoniani verſum, *Devotuſque ſatis ubera fert humeris*, exiſtimat *Elias Vinetus*, intelligendum ibi eſſe ipſum *menſem Novembrem*, quaſi dedicatum idoneumque ferendis frugibus, & ſemina in ſaccis ſuper humeros portantem inſtar *Iſidis multimammiæ.* Poteſt tamen idem verſus etiam intelligi de *Anſere*, qui frugibus, cum erumpunt, infeſtus eſt, & propter inſatiabilem aviditatem ſuam vix ſiſtri ſono aliiſque terriculamentis compeſcitur & fugatur, ideoque ob damnum ſatis illatum *Iſidi* ſacer, & in victimam deſtinatus eſt. *Ubera* autem is dicitur *ferre humeris* ob pinguem dorſi eminentiam. Idem *Auſoniamum Tetraſtichon* reperit R. P. *Ægidius Bucherius* in Codice ſuo manuſcripto magna ex parte diverſum hoc modo:

CARBASEOS poſt hunc artus indutus AMICTVS
MEMPHIDOS ANTIQVÆ
Sacra Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque ſatis INCOLA MEMPHI DEIS.

In ſupra citato autem *Epigrammatum & Poematiorum veterum Syntagmate* pag. 176. legitur idem Tetraſtichon ſic:

CARBASEO poſt hunc artus INDVCTVS AMICTV,
MEMPHIDOS ANTIQVÆ
Sacra Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque SACRIS INCOLA MEMPHIDIIS.

AD MENSEM DECEMBREM.

1. In editione *Bucheriana* pro MUNUS ARCA, ubivis legitur MUNUS ARCHA. In *Calendario* autem *antiquo*, ab *Hadriano Junio Medico* Baſileæ per Henricum Petri A. 1553. in octavo edito, legitur MUNUS ARCADICUM. (a)

2. Per

(a) Sexies, *inquit*, SCHURZFLEISCHIUS, in Codice Lambeciano legitur *Munus Arca*, ſemel vero & iterum: *Munus candida.* Recte hoc alterum a Lambecio *Munus Candidatorum* explicatur. De priori vero idem obſervat in BUCHERII Codice ſcriptum *Munus Archa*, eoque nomine arbitratur, ibidem *munus Arcadicum* deſignari. At ſi rem accuratius inſpiciamus, putaverim ex LAMPRIDIO ejus vocis explanationem eſſe

2. Per MUNUS KANDIDA, videtur significari MUNUS CANDIDATORUM, novos honores in futurum annum petentium.

3. Pro LUDILANCIONICI videtur legendum esse LUDIHALCYONICI vel HALCYONEI. Medio enim mense Decembri sunt *Dies Halcyonei*, quibus *Halcyon* sive *Alcedo* avis nidificat, & *mare tranquillum* est. Lepide huc alludit *Plautus* in Prologo Casinæ his versibus:

Ejicite ex animo curam atque alienum æs;
Ne quis formidet flagitatorem suum
LVDI sunt; ludus datus est argentariis.
Tranquillum est; ALCEDONIA sunt circum forum.
Ratione utuntur; LVDIS poscunt neminem.

4. Per NATALEM INVICTI significatur dies, quo *Imp. Constantius, Vetranione VIII. Kal. Januarii A. C. 351. deposito, INVICTVS appellatus est.* Qua de re vide *Idatii Fastos Consulares* anno Æræ Hispanicæ 389.

5. MAGISTRATI JURANT obsolete pro *Magistratus jurant;* ut supra *Senati* pro *Senatus* & *Senato* pro *Senatu.*

6. *Ausonii Tetrastichon*, ad *Imaginem* hujus mensis pertinens, est hoc:

Annua sulcatæ conjecta & semina terræ (a)
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.
Aurea nunc revocat Saturni festa December;
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.

Ubi obiter notandum est, *Jovem pluvium*, cujus *secundo versu* fit mentio, etiam nunc Romæ eleganter insculptum cerni *Columnæ cochlidi Imp. M. Antonini Philosophi*, eandemque *Jovis pluvii Imaginem*, accuratissime delineatam ærique incisam, exstare apud Em. Card. *Baronium* Annalium Ecclesiasticorum Tomo secundo in Actis anni Christi 176, num. 24.

7. In

sumendam, qui cap. XLIII. de vita ALEXANDRI SEVERI scribit: *Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturam præturas acciperent, & inde provincias regerent.* ARCARIOS *vero instituit, qui de* ARCA *fisci ederent munera, eademque parciora.* Hoc certe munus *Arcariorum in Calendario Constantiano notatur*, quod munus non privatorum sumptu, sed fisci publici impensa exhiberi solebat. KOL.

(a) Cl. GRÆVII *de hoc versu sententia est hæc:* Quid notat, *inquit*, ibi copula? & quid connectit? intrusum est metri causa. In catalectis veterum poëtarum Scaligeri, ut & Petri Pithœi scribitur:

Annua sulcatæ conjecti semina terræ
Pascit hyems.

In margine Pithœanæ editionis pro varia lectione apponitur, cum jecit: sed utrumque caret sententia commoda. Conjiciebam ego:

Annua sulcatæ concredita semina terræ
Pascit hyems,

Sensu quidem optimo; sed non ausim tamen in me recipere horum tetrastichorum auctorem usum esse hac voce, quicunque is sit. Vulgata nullius est rei. Incertum autem esse horum epigrammatum auctorem, Ausonius ne sit, an quis alius, merito viri docti censuerunt. In catalectis tam Scaligeri quam Pithœi leguntur sine auctoris nomine &c. *Hæc* Cl. GRÆVIUS. *Ego in hoc tetrasticho ὕστερόν quoddam πρότερον observare mihi videor, id est prius distichon postpositum alteri, totumque ita legi oportere existimo:*

Aurea nunc revocat Saturni festa December,
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.
Annua sulcatæ conjecta & semina terræ
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent. KOL.

7. In *Bucherii Imagine hujus menſis*, ruditer ligno inciſa, loco *ſuſpenſarum avium* cernitur *Larva* ſeu *Perſona ſcenica*, ut ex ſubjuncto apographo ſive exemplo, dedita opera æque ruditer ligno inciſo, videre eſt.



In eadem *Bucherianæ* editionis Imagine *Fritillum*, quo agitatæ & concuſſæ teſſeræ in alveolum aleatorium mittuntur, perperam formatum eſt inſtar *tertiæ* alicujus teſſeræ. De (1) *Fritilli* autem uſu in alea, & de *aleæ* uſu in *Saturnalibus* menſe Decembri, inſignis exſtat locus apud *Martialem* lib. 4. Epigram. 14.

Dum blanda vagus alea December
Incertis ſonat hinc & hinc FRITILLIS.

In eadem ſupra memorata *Bucherianæ* editionis Imagine omiſſa etiam ſunt omnia illa *Ornamenta rotunda*, quæ cernuntur in *veſtitu menſis Decembris*. Appellantur illa latine a græco κάλλω, quod *pulchritudinem* & *ornatum* ſignificat, *Calliculæ*, græce autem a rotunditate ſua Τροχάδες; fueruntque ex *purpura*, *gemmis*, *aureo*, *argento*, aliiſque diverſis materiis; ut videre eſt in *antiquis Actis Paſſionis Sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis*, ubi ipſa *S. Perpetua* de ſe hæc ſcribit: *Pridie quam pugnaremus video in horomate hoc: veniſſe Pomponium Diaconum ad oſtium carceris, & pulſare vehementer; & exivi ad eum, & aperui ei; qui erat veſtitus diſtinctam candidam, habens MULTIPLICES CALLICVLAS.* Item paulo poſt: *Et exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam excederet faſtigium Amphitheatri, diſcinctatus purpuram inter duos clavos per medium pectus, habens CALICVLAS MVLTIFORMES ex AVRO & ARGENTO factas*; &c. In antiquis autem *Gloſſariis latino-græco* & *græco-latino* a *Bonaventura Vulcanio* editis, colum. 321 & 640, pro *Callicula* perperam legitur *Gallicula: Galliculæ*, Τροχάδες Τροχὰς, *Gallicula*. Ejuſdem generis *Calliculæ* cernuntur etiam ſupra in veſtitu menſis *Aprilis*, & Libro *tertio* horum Commentariorum in *antiquiſſimi Codicis manuſcripti Græci Geneſeos* Tabula ſexta in veſtimento *Chanaani*; Tab. XVIta in veſtimento Patriarchæ *Iſaaci* & cujuſdam alterius, Tab. XXVta in veſtimento *muliebri*; Tab. XXVIIma & XXVIIIva in veſtimento Patriarchæ *Joſephi*, & duorum aliorum; Tab. XXIXna

(1) *De differentia inter* Fritillum & Pyrgum *ſcribit* Claudius Salmaſius *Exercitationum Plinianarum in* Solinum *pagina 70. hoc modo:* PYRGUS & FRITILLUM differebant. PYRGUS erat turris lignea in modum modii facta, quæ in parte alveoli hærebat, in ſummo aperta, & gradus intus exciſos habens, in imo vero foramen, quo teſſeræ effundebantur in tabulam; at FRITILLUM erat pyxis, quæ manu tenebatur, & movebatur cum teſſeris, quæ inde in Pyrgum mittebantur, ut per ſcamillos intus exciſos crebrè ſubſultantes, in tabulam demum exciderent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIXna & XXXma in veſtimentis *Joſephi* & *Beniamini*; Tab. XXXIma & XXXIIda in veſtimento *Joſephi*; Tab. XXXIVta in veſtimentis *Convivarum Regis Pharaonis*; Tabula XXXVta & XXXVIta in veſtimentis *Regis Pharaonis* & *Joſephi*; Tabula XLma in veſtimento *Beniamini*; Tab. XLIma & XLIIda in veſtimento *Beniamini*; & Tab. XLVta in veſtimentis *Joſephi*, *Ephraim* & *Manaſſe*; quibus omnibus locis *Calliculæ* illæ ſive *Trochades* repræſentantur per *rotundas maculas nigras*; uti etiam in æque vetuſtis *Romæ Subterraneæ* Imaginibus, & quidem præcipue *Tabula decima Sepulcrorum Cœmeterii S. Calliſti Papæ & aliorum Sanctorum Martyrum*, pag. 331. Tomi Primi editionis Colonienſis A. 1659. infolio.

XVI.

De CARNUNTO, deque priſcis ejus urbis reliquiis, a LAMBECIO detectis.

MONITUM.

De Carnunto, *nobili olim ſuperioris Pannoniæ urbe, diſſentientes* LAZII *&* CLUVERII *rationes ut expenderet noſter, plus vice ſimplici Hamburgum Auſtriæ, in ruderibus Romani Carnunti ſitum, adiit; cujus diligentiæ præſens hoc meletema ſpecimen eſt. Diſſertatio, in qua de eodem argumento ex profeſſo acturum ſeſe iſthic receperat, cetera inter promiſſa manſit. Legebantur hæc prius in Appendice Libri Comment. Secundi Additamento primo hoc exemplo:*

Vt ipſe meis oculis indagarem, utrum *Lazio* an *Cluverio* major hac in re habenda eſſet fides, inviſi (1) pluſquam ſemel, ſummaque diligentia perluſtravi totum illum *Pannoniæ Superioris* tractum, dextræ *Danubii* ripæ contiguum, qui Pagum *Regelsbrun* & *Danubii Marique confluentes* interjacet. Conſideratis igitur, quæcunque ibi ſuperſunt, Antiquitatum Romanarum veſtigiis, & cum *T. Livii* ac *Plinii ſenioris* de *Carnunto* mentione accurate collatis, deprehendi tandem, nec *Lazium* nec *Cluverium* erraſſe, ſed utriuſque opinionem diverſo reſpectu poſſe defendi & veram demonſtrari. Qua de re licet alias peculiari quadam Diſſertatione ſpeciatim & ex profeſſo acturus ſim, interim tamen nunc in anteceſſum hic exhibeo duo illa jam memorata *T. Livii* & *Plinii ſenioris* loca, ut ex adjuncta eorundem brevi & extemporali interpretatione generatim appareat, quid ipſe poſt *Lazium* & *Cluverium* de *Carnunti* ſitu ſentiam. Quod primo igitur ad *T. Livii* locum attinet, is extat Hiſtoriæ Romanæ libro 43. in actis (2) anni Vrbis conditæ Varroniani 583. (3) *P. Licinio Craſſo* &

(1) *Nempe A. 1662. d. 3, 4 & 5 Maji & d. 18. Auguſti.*

(2) *Vide R. P.* Dionyſii Petavii *magnum Opus de Doctrina temporum lib. 13.* & Vbbonis Emmii *Chronologiam Rerum Romanarum,*

Apud Philippum *autem* Cluverium *in Deſcriptione Vindeliciæ & Norici cap. 5. pro A. V. C. 583. perperam legitur A. 520.*

(3) *Apud* Cluverium *jam citato loco vocatur hic Conſul perperam* P. Livius Craſſus.

& *C. Caſſio Longino* Conſulibus, qui reſpondet anno ante initium vulgaris Æræ Chriſtianæ *centeſimo ſeptuageſimo primo.* Ipſa ejus verba ſunt hæc: *Eadem æſtate, qua in Theſſalia equeſtri pugna vicere Romani, Legatus in* (1) *Illyricum a* (2) *Conſule miſſus, opulenta duo Oppida vi atque armis coegit in deditionem, omniaque iis ſua conceſſit, ut opinione clementiæ eos, qui* (3) *CARNVNTEM, MVNITAM VRBEM, incolebant, alliceret. Poſtquam nec, ut dederent ſe, compellere, neque capere obſidendo poterat, ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles eſſet, quam prius intactam Vrbem reliquerat, diripuit.* Hæc *T. Livius.* Vbi inprimis notandum eſt, quod is expreſſe teſtatur, *Carnuntum* integris jam fere duobus ante Æram Chriſtianam ſeculis fuiſſe *Vrbem* adeo *munitam*, ut a Romanis nec ad deditionem compelli, nec capi obſidendo potuerit. Per hanc enim *munitionem* non intelligitur tantum firmiſſimus murorum ambitus, ſed præcipue ipſa *natura loci* expugnatu difficillima, quippe quam antiquitus omnes fere populi in condendis Vrbibus ſolicite delegerunt, ita ut plerumque vel in *montibus* ipſis eas exſtruerent, vel ad *montes*, tanquam ad *naturales* quaſdam *Acropoles* ſive *Arces*, ex quibus contra hoſtilem vim defendi poſſent ac protegi. Talis nempe eſt illa *Carnunti* ſedes, quam *Plinius* Hiſtoriæ Naturalis lib. 4. cap. 12. clariſſime indicat his verbis: *Superiora autem inter Danubium & Hercinium ſaltum uſque ad PANNONICA HYBERNA CARNVNTI, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Jazyges Sarmatæ, montes vero & ſaltus, pulſi ab his Daci ad Pathiſſum amnem a* (4) *Maro; ſive is Duria eſt, a Suevis* (5) *Regnoque Vanniano dirimens eos.* Hæc *Plinius.* Unde luculenter patet, *Carnuntum* fuiſſe ſitum in dextra *Danubii* ripa paulo ſupra *confluentes Danubii* & *Mari*, ubi nunc Vrbs & Arx *Haynburg* ſive *Heunburg* ſitæ ſunt, ideoque haud mirum eſſe, quod *Romani* ſecundo ante Chriſtum ſeculo locum illum natura munitiſſimum fruſtra oppugnarunt, cum idem noſtro hoc ſeculo etiam *Tranſylvaniæ Principi Bethleno* acciderit. Cæterum poſtquam *Carnuntum* per glorioſiſſimam illam victoriam, quam Imp. *Auguſtus* anno Vrbis conditæ Varroniano 762. *P. Sulpitio Camerino* & *C. Poppæo Sabino* Conſulibus, hoc eſt anno Æræ Chriſtianæ vulgaris (6) *nono*, per *Tiberium* de *Dalmatis* & *Pannoniis* conſecutus eſt, in *Romanorum* pervenit poteſtatem, nec ſolum *Colonia Civium Romanorum* eo deducta eſt, verum etiam ſedes ibi cœpit eſſe *Legionis Decimæquartæ Gemi-*

(1) *Sub* Illyrico *intelligitur hic* Pannonia, *utpote quæ pars olim fuit* Illyrici.

(2) *Nempe* P. Licinio Craſſo.

(3) *Ita ibi in ipſo ſupra memorato vetuſtiſſimo Codice Ambraſiano ſcriptum eſt, nempe ad imitationem Græcorum, qui pro* Carnuntum Carnunti *uſurpant* Καρνῦς Καρνῦντος, *h. e.* Carnus Carnuntis, *uti videre eſt apud* Ptolemæum *Geographiæ lib. 2. cap. 15. Apud nonnullos etiam antiquos Autores culpa librariorum pro* Carnuntum *mendoſe legitur* Carnutum & Carnotum, *ita ut* Carnuntum *perperam confundatur cum* Autrico Carnutum, *Vrbe Galliæ, vulgo dicta* Chartres.

(4) *Vulgo* die March.

(5) *Vide* Philipp. Cluverium *Germ. Antiq. lib. 3. cap. 31.*

(6) *Vide R. P.* Dionyſ. Petavii *magnum Opus de Doctrina temporum lib. 11. A* Setho *autem* Calviſio *refertur hoc perperam ad annum Æræ Chriſtianæ* decimum, P. Cornelio Dolabella & C. Junio Silano *Conſulibus, cum tamen* Dio Caſſius, *quem ipſe citat, manifeſte reclamet.*

Geminæ & ſtatio *Claſſis Iſtricæ*, ex eo tempore iſta Vrbs, tanquam totius *Pannoniæ Superioris* Metropolis, opulentia & viribus incredibiliter locupletata, haud difficulter in tantam excrevit magnitudinem, ut per integrum *milliare Germanicum* ab Oriente in Occidentem protenſa, totum illum occupaverit Danubianæ ripæ tractum, ubi nunc non ſolum Urbs & Arx *Haynburg* ſive *Heunburg*, verum etiam Pagus *Germano-Altenburgicus*, vulgo *Teutſch Altenburg* dictus, & Vicus *S. Petronellæ* ſiti ſunt. Floruit autem ea quam maxime ſub Imperatoribus Romanis *Auguſto*, (1) *Tiberio*, (2) *M. Antonino Philoſopho* & (3) *L. Septimio Severo*, fuitque tunc temporis, ut etiamnunc ex clariſſimis certiſſimiſque indiciis recte colligi poteſt, *tripartita* ſive in *tres primarias partes* diviſa. Harum *prima*, quæ fuit *Haynburgi*, ſive *Heunburgi* continuit *Carnuntum vetus*, ab ipſis *Pannoniis* aliquot ante Chriſtum ſeculis conditum, una cum ſua (4) *Acropoli* ſive *Arce*, ibique Romanorum (5) *Claſſis Iſtrica Carnuntina* ſtationem, ejuſdemque *Præfectus* ſedem ſuam habuit. *Secunda Carnunti* pars, quæ fuit *Germano-Altenburgi*, vulgo *Teutſch-Altenburg*, continuit (6) *Pannonica Hyberna* (7) *Legionis Decimæquartæ Geminæ*, una cum adjuncto *Palatio Imperatorio* & *Thermis*, quæ vulgo nunc appellantur (8) *das Wildbad zu Teutſch-Altenburg*. *Tertia* denique *Carnunti* pars, cujus extremitas occidentalis reſpondit Vico *S. Petronellæ*, continuit *Carnuntum novum*, ſub Imp. *Auguſto* a *Colonis Romanis* conditum variiſque ſplendidis ædificiis & monumentis publicis exornatum, quorum ingentes etiamnunc ibi viſuntur reliquiæ. Hæc igitur mea eſt de *Carnunti* ſitu ſententia, quam alias in peculiari quadam Diſſertatione non ſolum *Autorum veterum* teſtimoniis ſolide confirmaturus, verum etiam (9) *Topographicis* nonnullis *Tabulis* plene cumulateque illuſtraturus ſum. De reliquo quod apud paulo ante memoratam Imp. *Auguſti* de *Dalmatis* & *Pannoniis* victoriam attinet, extat quidem inſigne ejus, ſed nemini hactenus cognitum, monumentum in *Campo Carnuntino* apud Vicum *S. Petronillæ;* nempe *Arcus Triumphalis*, immanitate barbarorum *Humorum*, qui ſeculo poſt Chriſtum (10) quinto ſub Rege ſuo *Attila Carnuntum* funditus deſtruxerunt, miſere deformatus ac ſemidirutus; qui unus eſt ex *duobus* illis *Arcubus triumphalibus*, quorum *Dio Caſſius* Hiſtoriæ Romanæ libro 56. meminit his verbis: Ἀνήγγειλε δὲ ὁ τότε τὴν νίκην ὁ Γερμανι-

(1) *Vide* Vellejum Paterculum *lib. 2.*
(2) *Commoratus enim is eſt* Carnunti *integrum triennium propter expeditionem contra Marcomannos. Vide Eutropium lib. VIII.*
(3) *Is enim* Carnunti *electus eſt Imperator a Legionibus Germanicis, ut teſtatur* Ælius Spartianus *in ipſius Vita.*
(4) *Ea nunc germanice appellatur* das Haynburger *ſive* Heunburger-Slos.
(5) *Vide Comment. Lamb. lib. II. cap. II.*
(6) *Vide Plin. Hiſt. Nat. lib. 4. cap. 12.*
(7) *Vide Comment. Lamb. lib. II. cap. II.*
(8) *De harum* Thermarum *antiquitate, ſalubritate & recto uſu extat peculiaris Liber, Viennæ lingua Germanica impreſſus in quarto, cujus titulus* Polhaimiſch Badbuch des Wildbads zu Teutſchen-Altenburg.
(9) *Interim vide* Matthæi Meriani *ſecundum Appendicem ad Topographiam Provinciarum Auſtriacarum, ubi agitur de Vico* S. Petronellæ.
(10) *Vide Comment. Lamb. lib. II. cap. I.*

μανικὸς, καὶ ἐπ' αὐτῇ τῷ μιᾷ Αὐγούστῳ καὶ τῷ Τιβερίῳ, τότε δ' Αὐτοκράτορι ὄνομα προσθεῖναι, καὶ τὸ τὰ ἐπινίκια πέμψαι, ἄλλαι τε τινὲς τιμαὶ, καὶ ΑΨΙΔΕΣ ΕΝ ΤΗ ΠΑΝΝΟΝΙΑ ΤΡΟΠΑΙΟΦΟΡΟΙ ΔΥΟ ἐδόθησαν. ταῦτα γὰρ ἀπὸ πολλῶν τῶν ψηφισθέντων σφίσιν ὁ Αὐγοῦστος ἐδέξατο. Hoc eſt, *Guilielmo Xylandro* & *Joanne Leunclavio* interpretibus: *Victoriæ nuntium attulit Germanicus, ejuſque ergo Auguſto & Tiberio nomen Imperatorium auctum, ac Triumphus decretus, atque inter alios honores, ARCVS DVO TRIVMPHALES IN PANNONIA conceſſi ſunt. Hæc enim ex multis utrique decretis Auguſtus admiſit.* Hæc *Dio Caſſius.* Unde elucet, *Wolfgangum Lazium* Commentariorum de Rep. Romana lib. 12. ſect. 3. cap. 1. errare, dum *Arcum* illum *triumphalem* perperam appellat *Portam Vrbis Carnuntinæ*, quemadmodum etiam nunc ab imperito vulgo germanice nuncupatur *das alte Heidniſche Stadt-Thor.* Quod enim *Arcus* iſte *triumphalis* non fuerit mœnibus *Coloniæ Auguſtæ Carnuntinæ* loco *Portæ* inſertus, ſed circumundique ſteterit liber, manifeſtiſſime apparet cum ex ipſo ejus ſitu, tum præcipue ex reſiduis *lateralis ornatus* indiciis. Hoc igitur eximium Antiquitatis Romanæ Opus, quod (1) *Moguntiaco Druſi Monumento* materia & firmitate ſtructuræ eſt (2) ſimillimum, nec ab *Attila*, quamvis omni adhibita vi, totum ſubverti & aboleri potuit, curavi præſens ſumma diligentia delineari, ærique inciſum, e regione hujus paginæ exhibeo (*); & quidem ſine ulla *antiqua Inſcriptione*, quippe qua nunc illud omnino caret, excepta duntaxat unica ingenti litera M, quæ extat Occidentem verſus in dextræ baſis angulari lapide, & ſine dubio prænomen Architecti denotat, quaſi integre ſcriptum eſſet MARCI OPVS, vel MARCVS FECIT. Neque vero abſurdum & improbabile mihi videtur, ſi quis forte exiſtimaverit, literam M non eſſe hic accipiendam pro litera *ſingulari*, ſed pro litera *gemmina*, ex M & V conflata, eaque ſignificari celeberrimum doctiſſimumque Architectum *Marcum Vitruvium*, qui Imp. *Auguſto* dedicavit libros decem de Architectura, etiam nunc ſuperſtites. Qua conjectura in medio relicta, adjungo hic mantiſſæ loco *duas* alias *Tabulas*, quæ partim ad ipſum jam memoratum *Arcum triumphalem*, partim autem ad alias quaſdam *Antiquitates Carnuntinas* pertinent. Harum *prima* (**) continetur Auguſtiſſimi *Cimeliarchii* Cæſarei Vindobonenſis *Achates*, tam natura, quam arte, nec minus vetuſtate, quam argumento, rariſſima & ſummo jure admiranda, quæ hiſtoriam præclariſſimæ *Victoriæ Auguſtææ*, in cujus memoriam ſupra memoratus *Arcus triumphalis Carnuntinus* erectus eſt, ingenioſiſſima brevitate exhibet, & Anno 1666. cum ſuccincta quadam explicatione ſeparatim a me edita eſt. (a) *Altera* (***) autem earundem dua-

(1) *Vide* Petri Appiani *Syntagma veterum Inſcriptionum Romanarum p. 474.* & Nicolai Serarii *Rer. Moguntiacar. lib. 1. cap. 15, ubi agitur de Moguntinis antiquitatibus.*

(2) *Vidi enim utrumque ipſe meis oculis.*

(a) *Libro Commentariorum Tertio adjecerat his* LAMBECIUS, *quæ adſcripſi:* Additamentum XVI, pertinens ad Libri *ſecundi* pag. 1000, ubi fit mentio rariſſimæ pretioſiſſimæque Cimeliarchii Cæſarei *Achatæ*, cui inter

AR

CARNVNTI in Pannoniâ Superi



ERECTVS in sempiternam memoria
DALMATIS et PANNONIIS consecutus
Varroniano 762. P. Sulpicio Camerino
V.C. 982. Æræ autem Christianæ 229. cum

ARCVS TRIVMPHALIS

CARNVNTI in Pannoniâ Superiori, ubi nunc est Vicus S. PETRONELLÆ in Inferiori Austria.



ERECTVS in sempiternam memoriam glorioſiſsimæ Victoriæ, quam Imp. AVGVSTVS per TIBERIVM de DALMATIS et PANNONIIS conſecutus est anno Æræ Christianæ nono, qui reſpondet anno Vrbis conditæ Varroniano 762. P. Sulpicio Camerino et C. Poppæo Sabino Conſulibus. Meminit hujus Arcûs Dio Caſsius, qui anno V. C. 982, Æræ autem Christianæ 229, cum Imp. Alexandro Severo fuit Conſul. Historiæ Romanæ libro 56. ubi eum vocat. Ἀψιδατροπαιοφόρον.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





ACHATEN HANC,

Tam natura, quam arte, nec minus vetuſtate, quam argumento, rariſſimam & ſummo jure admirandam

Quæ in

AVGVSTISSIMO CIMELIARCHIO CAESAREO VINDOBONENSI

ADSERVATVR,

Et hiſtoriam præclariſſimæ Victoriæ, quam Imp. AVGVSTVS per TIBERIVM de DALMATIS ac PANNONIIS anno Aeræ Chriſtianæ NONO reportavit, ingenioſiſſima brevitate repræſentat,

DIGNISSIMAM,

SACRATISSIMVS GLORIOSISSIMVSQVE IMPERATOR

LEOPOLDVS

CENSVIT,

Vt a pictore ſuo NICOLAO VAN HOY quam acuratiſſime delineata, & a ſculptore ſuo FRANCISCO VAN DEN STEEN aeri inciſa, ita, uti hic videre eſt, erudito Orbi publice ſpectanda exhiberetur, A. M DC LXVI.

IMAGINVM HVIVS GEMMAE SVCCINCTA EXPLICATIO

Per PETRVM LAMBECIVM S. Caeſ. Majeſt. Conſiliarium, Hiſtoriographum ac Bibliothecarium.

PRæcipuum in hac Gemma obtinet locum Imp. AVGVSTVS, inſtar *Jovis* ſolio inſidens ſeminudus, & dextra quidem tenens auguralem lituum, ſiniſtra autem haſtam. Supra caput ſidus Ipſius cernitur natalitium, nempe *Capricornus*; ſub ſolio autem *Aquila*, Jovis ſimul & Imperii Romani inſigne. A tergo adſtat *Neptunus*, horrido cuidam & nudo ſeni aſſimilatus, una cum *Cybele*, turrito diademate ornata, quæ dextra manu *lauream* capiti Imp. AVGVSTI imponit; victorias Ipſius terra marique partas hoc actu ſignificans.

Adſidet AVGVSTO in ejusdem ſolii dextra parte conjux ipſius *Livia*, cum galea, haſta, clypeo & parazonio; quemadmodum *Vrbs* Roma inſtar *Deæ* in antiquis monumentis cernitur.

A dextro ejusdem ſolii *Auguſtæi* latere ſtat *Cæſar Germanicus*, *Octaviæ*, ſororis Imp. AVGVSTI, ex filia *Antonia minore* nepos, & Agrippinæ, Imp. AVGVSTI ex filia *Julia* neptis, maritus, cum paludamento & triumphalibus ornamentis ob ſtrenuam in bello contra *Dalmatas* & *Pannonios* navatam operam, & quia primum hujus Victoriæ nuntium Romam attulit.

A ſiniſtro latere ſolii *Auguſtæi* in aliquanto humiliori ſubſellio ſedet *Agrippina*, Imp. AVGVSTI ex filia *Julia* ejusque marito *M. Vipſanio Agrippa* neptis, & ſupra memorati *Cæſaris Germanici* uxor, ſolio *Auguſtæo* ita innitens, ut manum dextram mento ſuo ſufficiat; quo quidem actu *Securitas Populi Romani* innuitur. *Cornucopiæ* autem, quod ſiniſtra tenet manu, & *corona hederacea*, qua caput ejus cinctum eſt, *nudique pueruli*, qui utrinque aſſiſtunt, *Abundantiam rerum omnium* & *Hilaritatem publicam* exprimunt.

E regione Imp. AVGVSTI viſitur *Tiberius laureatus*, tanquam Victor ex *Dalmatico* & *Pannonico* bello, quod alias etiam *Illyricum* vocatur, revertens, & e *curru Triumphali*, cujus habenas *Victoria alata* moderatur, deſcendens. ſed, quod notabile imprimis eſt, *toga* tantum amictus: nempe quoniam *Triumphum* ei decretum differri placuit, donec in *Germaniam* profectus, *Varianam* Romanorum cladem, de qua recens nuntius allatus erat, vindicaſſet, & Rem Romanorum ibi reſtituiſſet in integrum.

In *inferiori* dimidia parte ejusdem Gemmæ ſpectantur *Milites Romani*, de *Dalmatis Pannoniiſque Trophæum* erigentes, cujus clypeus *Scorpione* inſignitus eſt, tanquam ſymbolo *bellicoſi ingenii* devictorum hoſtium.

Viſuntur etiam ibidem *duo* eorundem hoſtium præcipui *Duces captivi* cum *uxoribus* ſuis, barbati, & barbarico more braccis induti: quorum alter, nomine *Bato*, qui pacem petens, ſe Romanis dedidit, genu flexus, & inſtar ſupplicis manus protendens repræſentatur; alter autem nomine *Pinnes*, qui *Batonis* proditione a Romanis captus eſt, exhibetur ſub Trophæo ſedens, vinctis poſt tergum manibus, & torvo vultu retroſpiciens. Vid. *Velej. Paterc.* Hiſtor. Rom. lib. 2. *Dion. Caſſ.* lib. 55. & 56. *Sueton.* in *Tiberio.*

Notandum denique eſt, Iconiſmum hunc ipſi Gemmæ eſſe contrarium, &, quicquid in ea dextrum obtinet locum, hic tanquam ſiniſtrum exhiberi, ac viceverſa quicquid ibi revera ſiniſtrum eſt, hic repræſentari tanquam dextrum.

VINDOBONÆ, Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Sac. Cæſ. Reg. Apoſt. Majeſt. Typogr. & Bibliop. M. DCC. LXI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





1.



2.



3.



4.



5.



6.



7.



8.



9.



10.



11.



12.



Variarum Antiquitatum Carnuntinarum fragmenta apographa, inter rudera Veterum hyber-norum Pannonicorum prope Pagum Germano-Altenburgicum inventa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duarum Tabularum repræſentantur æri inciſa variarum *Antiquitatum Carnuntinarum* apographa hoc ordine:

1. Frag-

inter alia artificioſiſſime inſculpta eſt *Livia Imp. Auguſti Conjux, ſedens in ſolio* cum *galea haſta & clypeo*, quemadmodum *Vrbs Roma*, inſtar *Deæ* in antiquis monumentis cernitur. Inſigne hujuſmodi monumentum antiquum eſt pervetuſta illa *Imago* VRBIS ROMÆ, ſub *Imp. Conſtantino Magno* prægrandi forma in muro cujuſdam conclavis *Colorate* picta, & A. 1656. prope *Baptiſterium Eccleſiæ Lateranenſis*, cum aliquid ibi immutaretur, fortuito ab Architectis reperta; cujus apographum ſive exemplar, ita ut cura & ſtudio Glorioſiſſimi Imp. FERDINANDI III. in membrana accuratiſſime delineatum, & veris coloribus ſuis illuminatum, in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* adſervatur, pari diligentia æri inciſum hic exhibeo. Notandum autem hic *primo* eſt, per *albas Cygnorum pennas*, quibus *Galea Urbis Romæ* exornata eſt, ſine dubio ſignificari *glorioſa Spolia de devictis hoſtibus*. Quemadmodum enim *Aquila Imperii Romani inſigne* eſt, ita *Cygnus Aquilæ adverſarium* ſignificat ob naturalem antipathiam, quæ inter *Aquilas* & *Cygnos* eſt, ut teſtatur *Ariſtoteles* Hiſtoriæ Animalium lib. 9. cap. 1. his verbis: Μάχεται δὲ ἡ ἀετῷ ὁ κύκνος· κρατεῖ δὲ ὁ κύκνος πολλάκις· hoc eſt: *Pugnat etiam cum Aquila Cygnus, eamque ſæpenumero vincit.* Idem confirmat *Ælianus* Hiſtoriæ variæ lib. 1. cap. 14. ubi ex *Ariſtotele* refert, *μάχεσθαι τὸς κύκνους τοῖς ἀετοῖς, ἀμύνασθαι γε μὴν αὐτὸς, ἀλλ' ἐκ ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων* hoc eſt; *pugnare quidem Cygnos cum Aquilis, ſed ita ut eas tantum repellant, non autem aggrediantur.* Huc quoque alludit *Virgilius* Æneidos lib. 1., ubi *Venus* introducitur *Æneam* conſolans his verbis:

Aſpice bis ſenos lætantes agmine CYGNOS,
Ætheria quos lapſa plaga JOVIS ALES aperto
Turbabat cælo; nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Ut reduces illi ludunt ſtridentibus alis
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere,
Haud aliter puppeſque tuæ, pubeſque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.

Eandem inimicitiæ inter *Aquilas* & *Cygnos* mentionem repetit idem Poëta lib. 12. ad hunc modum:

Namque volans rubra fulvus JOVIS ALES ab æthra,
Littoreas agitabat aves, turbamque ſonantem
Agminis aligeri, ſubito cum lapſus ad undas
CYGNVM excellentem pedibus rapit improbus uncis.

Ubi minime dubium eſt, quin per *Aquilam Æneas*, per *Cygnum* autem *Turnus* ab illo ſuperandus & occidendus ſignificetur. Notandum *ſecundo* eſt, per *Cygnos* illos *duos* vel jam *mortuos*, vel certe *moribundos*, quorum alter in *dextra* jacet *Solii Urbis Romæ extremitate* cum adjuncta *Fœmina ſeminuda*, alter autem in *ſiniſtra* ejuſdem *Solii extremitate* cum adjuncto *Viro ſeminudo*, ſignificari *hoſtes Imperii Romani* tam *in Oriente*, quam *in Occidente*, vel jam omnino debellatos & oppreſſos, vel certe jam proximos internecioni ſuæ atque exitio. *Orientales* enim populi ab Antiquis Autoribus ob mollitiem *fœminis*, *Occidentales* autem ob fortitudinem *viris* comparantur; ut abunde patet vel ex unico illo *Auli Gellii* loco, Noctium Atticarum lib. 17. cap. 21., ubi refert, *Alexandrum* Regem Epirotarum, cognomine *Moloſſum*, Regis Macedoniæ *Alexandri Magni* avunculum, dixiſſe, ſe cum exercitu *IVISSE ad Romanos, quaſi in ἀδρωνῖτιν*, ſive, in Regionem occidentalem ubi, habitarent viri, ſororis autem ſuæ Olympiadis filium *Alexandrum IRE ad Perſas, quaſi in γυναικωνῖτιν*, ſive, in Regionem orientalem, ubi habitarent fœminæ. Sic enim ibi apud *Gellium* re vera legendum eſt, non autem, ut vulgo perperam ac præpoſtere legitur, *Alexandrum Moloſſum IRE*, *Alexandrum autem Macedonem ISSE* ſeu *IVISSE*. Certo quippe conſtat ex Hiſtoriæ *Livianæ* libro octavo, & ex *Plutarchi* libro de Fortuna Romanorum, expeditionem *Alexandri Moloſſi* in Italiam fuiſſe *priorem* expeditione *Alexandri Magni* in Aſiam, ideoque jam memoratum *Alexandrum Magnum* etiam cogitaſſe de ſuſcipienda expeditione in *Italiam*, non tam ut *avunculi* ſui a Brutiis & Lucanis occiſi mortem ulciſceretur, quam ut potentiam & gloriam *Romanorum* reprimeret. Notandum *tertio* eſt, Imaginem Vrbis Romæ *triplici* indutam eſſe *amictu*, nempe primum *Interula* ſive *Subucula linea alba*, deinde *Tunica flava* ſeu *crocea* cum *ornamentis purpureis*, poſtremum denique *Pallio purpureo; brachia* autem *nuda pedeſque nudos* eſſe, & ſimiliter quoque *collum* eſſe *nudum*, ſed *aureo monili bullato* decoratum. Operæ pretium enim eſt, ut totus ille veſtitus atque ornatus diligenter conferatur cum *Statua Vrbis Romæ* in Hortis Cæſiis, cujus exemplar æri inciſum *Philippus Rubenius* Libri ſecundi

1. Fragmentum antiquæ *Inscriptionis*, præ vetustate vix amplius legibilis, quod ipse reperi haud procul ab *Arcu triumphali Augustæo*, apud scaturiginem veteris cujusdam *Aquæductus subterranei*, qui ex ingentibus oblongis saxis mirifice constructus est: I. MIN. VG. DOM. SACR. VS. DEC. RVNT. Videtur autem Inscriptio hæc pertinuisse ad quandam *Statuam*, alicui Deo vel Deæ, tanquam *Custodi* & *Conservatori Augustæ Domus*, *a Decurionibus Coloniæ Augustæ Carnuntinæ consecratam* & *positam*. In præsens enim non vacat mihi accuratiorem illi interpretandæ impendere operam.

2. Fragmentum *Tubuli fictilis* ejusdem jam memorati antiqui *Aquæductus*, *cineraceum* habens colorem, quod ibidem ex aliis multis similium *tubulorum confractorum* reliquiis pro specimine adservandum selegi.

3. 4. *Tegulæ duæ quadratæ*, prope Pagum *Germano-Altenburgicum* inter rudera veterum *Hybernorum Pannonicorum* inventæ, cum hac Inscriptione LEGXGPF, hoc est, LEGIO DECIMA GEMINA PIA FIDELIS; quæ ut supra abunde demonstravi *Vindobonæ* sedem suam habuit. Eadem *Legio* græce appellatur Στρατόπεδον δέκατον, τὸ ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω, τὸ Δίδυμον, ϗ Πιστὸν, ϗ Ἐυσεβὲς, ut videre est apud *Dionem Cassium* Hist. Rom. lib. 55, ubi rationem reddit, cur *Legiones* quædam cognominatæ sint *Geminæ*, &

cundi Electorum captivi vigesimo, *de Tunica interiore* inscripto, inseruit; ut & cum aliis pervetustis *Imaginibus Fœminarum*, quæ Libro (α) *secundo* & (β) *tertio* horum Commentariorum insertæ sunt. Notandum *quarto* est, per *Victoriam alatam*, dextra manu *Globum*, sinistra autem *Labarum purpureum* tenentem, quæ in *dextera manu Vrbis Romæ* stat, ut & per *duos* (γ) *Hippopotamos*, sive animalia illa duo, ex *equo* & *pisce* conflata, quorum unicuique *gubernator* aliquis insidet, significari, *totum terrarum Orbem* tam *mari*, quam *terra* victoriosis *Romanorum* armis perdomitum atque subjugatum esse. De antiquitate autem & usu *Labari*, tanquam *præcipui Signi militaris*, non solum sub *Imperatoribus ethnicis*, verum etiam tempore *liberæ adhuc Reipublicæ*, ut & de ejusdem mutatione sub *Imp. Constantino Magno*, & accommodatione ad usum *Christianum*, vide *Godeschalci Stewechii* eruditissimum Commentarium ad *Flavii Vegetii* de Re militari lib. 2. cap. 18. & lib. 3. cap. 17; atque insuper etiam consule *Card. Baronii* Annalium Ecclesiasticorum Tomum tertium in actis annis 312. & 337. Notandum *quinto* est, *Hastam bicolorem*, nempe partim *purpuream*, partim *flavam* seu *croceam*, quam *Urbs Roma sinistra manu* tenet, *carere ferro*, ideoque ab antiquis Romanis fuisse appellatam *Hastam puram*, a Græcis autem δόρυ ἀσίδηρον, vel λόγχην ἄναιμον sive ἀναίμακτον, hoc est, *lanceam incruentam*. Hujusmodi autem *Hasta pura*, quæ a donatione etiam *donatica* vocabatur, fuit apud Romanos *præmium & insigne virtutis, si quis miles extra ordinem aut in pugna singulari hostem occidisset*. Qua de re vide plura apud antiquos & recentes *Virgilii* Explicatores ad libri sexti Æneidos versum 760,

Ille (vides?) PVRA Juvenis qui nititur HASTA;

item apud *Stewechium* in Commentario ad *Vegetii* de Re militari lib. 2. cap. 7, & apud *Justum Lipsium* de Militia Romana lib. 5. dialog. 17. Notandum *sexto* est, per *duos* illos *Angelos* sive *Genios cœlestes*, *viridantibus tunicis* amictos & *alis* præditos, qui *Arcum triumphalis Solii Vrbis Romæ* ambabus manibus superne firmant ac stabiliunt, significari *admirandam Providentiam & Protectionem divinam*, quam *Imp. Constantinus Magnus* toto Imperii sui tempore, sed præcipue in debellando *Maxentio* Tyranno expertus est.

(α) *Vide ibi Tab. IVtam, Vtam & VItam antiquissimi Codicis MSti* Dioscordiani, *item Numismata* Deæ Clazomeniorum & Junonis Lucinæ & Achaten Augustæam.

(β) *Vide ibi Tabulas antiquissimi Codicis manuscripti Græci* Geneseos.

(γ) *Vide* Fortunii Liceti *Commentarium Hieroglyphicum in* antiqua Schemata Gemmarum annularium, *cap. 60, ubi agitur de Schemate Gemmæ nonæ.*

& libro 60, ubi ſimiliter indicat, cur quædam meruerint honoris cauſa a Senatu cognominari *Piæ* & *Fideles*.

5. 6. *Tegulæ duæ quadratæ*, itidem in ruderibus *Hybernorum Pannonicorum Carnuntinorum* inventæ, cum his Inſcriptionibus LEGXIIIIGEM & - - - - - - - IIGEM, hoc eſt, LEGIO DECIMA QUARTA GEMINA; quæ, ut ſupra jam demonſtratum eſt, *Carnunti* ſedem ſuam habuit. Eadem *Legio* vocatur a *Dione Caſſio* lib. 55. græce Στρατόπεδον τέταρτον καὶ δέκατον, τὸ ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω, τὸ Δίδυμον, *Hybernaque* ejus, quorum *Plinius* Hiſt. Nat. lib. 4. cap. 12. expreſſe meminit, quamvis deſtructa & terra obruta ſint, ſatis clare tamen a reliquis *Carnuntinis* ruderibus adhuc poſſunt diſcerni, ideoque ea non ſolum accuratiſſime contemplatus ſum, ſed & ſummo ſtudio ichnographice curavi delineari, ut æri poſthac inciſa, in conſpectum omnium lucemque publicam proferantur.

7. Fragmentum alicujus *tegulæ* cum Inſcriptione abbreviata CAP. de cujus vera interpretatione nondum mihi liquet.

8. Fragmentum cujuſdam *tegulæ* cum Inſcriptione OCARNVRSICINIMG, qua, ut in aliis multis antiquis tegulis & imbricibus, videtur ſignificari *figlina*, ad quam ea pertinuerit, quaſi integre ſcriptum eſſet, OFFICINÆ CARNVNTINÆ (1) VRSICINI MAGISTRI, vel EX OFFICINA CARNVNTINA VRSICINI MAGISTRI. Plura de hujuſmodi *tegulis* antiquis, earumque *Inſcriptionibus* & *uſu*, videſis apud *Guilielmum Philandrum* in Notis ad *Vitruvii* lib. 2. cap. 3. ut & in *Hadriani Junii* Hiſtoriæ antiquæ Bataviæ cap. 10. & in *Petri Scriverii* Tabulario Antiquitatum Batavicarum, nec non apud *Sertorium Vrſatum* libri primi Monumentorum Patavinorum ſectione 4. & 5.

9. 10. *Vaſculum fictile rubrum*, cujus baſi extrinſecus inſcriptum eſt MASCELIONM, pro quo tamen quin (2) MASCELIONVM legendum ſit, minime mihi videtur dubium. Litera enim N non eſt hic habenda pro ſingulari, ſed pro gemina, quæ ex N & V conflata eſt.

11. 12. *Annulus ſignatorius* ex puro *auro* cum *gemma*, cui *Palladis armatæ* imago inſculpta eſt. Invenit hunc forte-fortuna haud procul a *Germanico Altenburgo* in ruderibus ſupramemoratorum veterum *Hybernorum* puella quædam ruſtica; de qua ego illum porro emi quinque aureis ſive decem Imperialibus.

Comparavi præterea etiam mihi, cum in Vico *S. Petronellæ*, tum præcipue in Pago *Germano-Altenburgico*, pluſquam *ducenta* antiqua *Numiſmata* Romana, partim *argentea*, pertim *ærea*, ab agricolis in ruderibus *Carnuntinis* caſu reperta, quorum beneficio quantum Hiſtoria non ſolum Vrbis *Carnunti*, ſed & totius *Pannoniæ* tam *Inferioris*, quam *Superioris* poſſit illuſtrari, indicabitur, volente Deo, in ſupra promiſſa Diſſertatione, quam CARNVNTVM REDIVIVVM inſcribere conſtitui.

XVII.

(1) *Meminit quidem* Ammianus Marcellinus *lib. 31. alicujus* Vrſicini Magiſtri armorum, *ſed an ille huc pertineat, viderint alii. Mihi enim non licet nunc diutius his immorari.*

(2) *Vide* Jani Gruteri *Syntagma antiquarum Inſcriptionum, ubi ſit mentio* Maſcellionis Felicis & Maſcellionis Macrini.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVII.

Charta Ravennenſis.

MONITUM.

In arce Ambraſiana apud Ænipontum in Teriolis a LAMBECIO *olim reperta, ſed nec intellecta neque lecta, ita intricata & lectu difficilis erat. Eruditiſſimus* MABILLONIUS *in pulcherrimo* de re diplomatica Opere pag. 460. *nodum hunc* LAMBECII *Gordium non ſecuit, ſed ſolvit. Nam non dictam modo Chartam, a* LAMBECIO *Chalcographi opera evulgatam, iterum edidit, ſed, quæ ſumma rei erat, legit etiam, & quam utilitatem ferret, doctis adnotationibus oſtendit;* Ravennenſis *denique nomen indidit. Scriptura eſt, docente τῷ πάνυ,* Italico-Gothica; *& inſignem venditionis formulam continet.* Ravennenſem *libuit adpellare a loco, ubi ſcripta eſt, nimirum anno* IOIV, *quo, inquit Vir ſummus* vix ullum antiquius autographum invenire hactenus licuit. *Cetera, ſcitu digniſſima, ſi otium eſt, vide ſis laudatum opus* Magni MABILLONII. *Nos ejus operis cauſſa heic rurſus edidimus ex Lib. Comment. VIII. Additam. VII. hoc exemplo.*

Inter inſignes nonnullos atque raros Codices manuſcriptos, quos A. 1665. in jam memoratæ *Technothecæ Ambraſianæ armario duodecimo* præter ſpem reperi, & poſtea *Oeniponte* in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* tranſtuli, præcipuum fere locum obtinet *Volumen aliquod pervetuſtum oblongum ex cortice arboris*, continens *Scripturam* quandam *antiquam*, & eam quidem *latinam*, ſed adeo obſcuram, intricatam & lectu difficilem, ut ipſe hactenus nec veram lectionem, nec verum ſenſum, ratiocinando, ſeu potius divinando, aſſequi potuerim. Ut igitur etiam quilibet alii in eadem Scriptura legenda & interpretanda perſpicaciam & dexteritatem ſuam poſſint experiri, exhibeo hic (*) totum illud *Volumen*, ſumma, quantum fieri potuit, diligentia & fidelitate depictum ac æri inciſum; ſimul etiam adjungo (**, ***) *ſpecimina duorum Privilegiorum latinorum*, quæ a *Dogoberto I.* & *Carolo Magno*, Francorum Regibus, A. C. 633. & 779. *Imperiali Monaſterio S. Maximini juxta muros Trevirenſes* conceſſa fuerant, & eodem fere genere ſcribendi exarata ſunt. Deſumpſi autem ea ex R. P. *Danielis Papebrochii* S. J. doctiſſima Diſſertatione *de Diplomatibus antiquis diſcernendis*, quæ in Magno Syntagmate Antwerpienſi de Actis Sanctorum Tomo ſecundo Menſis Aprilis præfixa eſt. Cætera longe plura, quæ hic addere conſtitueram, multas ob cauſas neceſſario in aliud commodius tempus differenda ſunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRIS. MAXIMINI TREVIR.

Analect. Tom. I. pag. 1027.

Innōm rex potentissimus cum consentienti

consilio e[illegible] direxi mandans ei ut diligenter

inquirere [illegible]ū maximini constructū vel cuius

imperio [illegible] ratribus sollicite percipiens

actū p[illegible] amen

signum [illegible]ē ricolsi

ar



PRIVILEGIVM DAGOBERTI I. R. FRAN. PRO MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIR.





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





INITIVM ET FINIS PRIVILEGII A CAROLO MAGNO DATI MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIREN.

in nomine patris et filii et spiritus sancti Notum sit omnibus in xpm fideliter credentibus regibus epis ducibus quomodo ego carolus

gratia dei rex francorum longobardorum ac patricius romanorum pro remedio animae meae atque stabilitate regni nostri sanctorum monasteria

signum

K R L S

caroli gloriosissimi regis radoreli egi

data mense augusto anno xi regni nostri ata patres brunnafisco nostro

sup ipsa

Nota

Item



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVIII.

Cll. Virorum Augerii Busbeckii; Joannis Sambuci; Henrici Savilii ad Hugonem Blotium, Aug. Bibliothecæ Præfectum Epistolæ quædam; quibus accessit una Cl. Viri J. A. Saraceni ad J. Sambucum de Dioscoride, Græce & Latine edendo, adhuc inedita.

MONITUM.

Has, ut ederet, causſa Lambecio *fuit ista:* Joannes Leunclavius, Hugoni Blotio *æquo infestior, in præfatione, quam Latinæ Annalium* Glycæ *editioni præfixit,* Joannem Sambucum, Tirnaviensem Pannonium, *Bibliothecæ nostræ Præfecti honore ornaverat; quo testimonio adducti quidam viri non incelebres,* Sambucum *per ea tempora non* Blotium *Aug. Bibliothecæ præfuisse* Lambecii *quoque ætate arbitrabantur: Ejus opinionis, quam Libro Commentariorum primo retulerat, refutandæ gratia præsentes Epistolas evulgavit Lib. III. Addit. V. & XXI. Quid de hac* Lambecii *cura sentiam ipse, dixi in adnotatione mea ad eum Libri primi in* Blotio *locum. Porro certis & ego adductus rationibus, unam* Jani Antonii Saraceni *ad* Sambucum *epistolam, adhuc ineditam adjeci; cujus usum alio oportunius loco ostendam. Audi nunc* Lambecium.

Aliud ejusdem rei insigne testimonium extat in *hactenus ineditis Augerii Busbeckii ad Hugonem Blotium Epistolis,*(a) quarum unam *Lutetiæ Parisiorum* A. 1575. postridie Cal. Augusti scriptam, qua ipsi de *Bibliothecariatu recens susceptο* gratulatur, integram hic exhibeo.

Amice honoratissime:

Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas eodem tempore binas accepi, unas datas 26. Junii, alteras 4. Julii, cum aliis de causis, tum quod te nonnulla ex parte voti compotem factum nunciabant. In quo meas aliquid tibi profuisse literas, magnæ mihi lætitiæ fuit, quanquam & sine illis non dubito, quin eum locum, quem virtus tua merebatur, semper fueris obtenturus. Quod animum tuum erga me memorem & gratum declaras, est id quidem mihi minime novum, sed dolendum potius non esse hujusmodi beneficium, quod tantam gratiam mereatur. Quæ de variis rebus mihi scripsisti, ea scito mihi accidisse gratissima; quo in officio, ut perseveres, te etiam atque etiam valde oro. Nihil enim mihi potes ex rebus omnibus facere, quod sit futurum gratius. Esse nonnullos, qui tibi obtrectent non miror, tuumque in illis ulciscendis propositum lau-

(a) *Legebantur prius, uti dixi, in Appendice Libri III. a pag. 289, inscriptæ his verbis:* Additamentum IV, pertinens ad Libri primi pag. 39. 40. & 46. ubi variis argumentis atque testimoniis probatur, Hugoni Blotio Præfecturam Augustissimæ Biblioth. Cæsareæ Vindob. fuisse commissam ab Imp. Maximiliano II. A. 1575. Kol.

laudo, nimirum ut eos officiis tibi concilies atque adjungas; quo inſtituto nihil eſt præclarius. Sed non ero longior; neque enim te longas a me literas expectare puto, homine cum ad ſcribendum pigro, tum plus ſatis occupato. Tuas tamen quam longiſſimas quaſque literas, mihi gratiſſimas eſſe ſcito; in quo ſi non tibi reſpondebo, ſatis habebis, ſi tibi amore & benevolentia reſpondebo, vel te etiam ſuperabo. Bene vale. Lutetiæ poſtridie Calend. Auguſti A. 1575.

Tui ſtudioſiſſimus Amicus.

Augerius a Busbecke.

Inſcriptio harum literarum externa:

Ornatiſſimo Viro, Domino Hugoni Blotio Sacræ Cæſ. Majeſtatis Bibliothecario.

Quod ſupereſt, ne & hoc ignoretur, qualis illa fuerit *Augerii Busbeckii* commendatio, quæ, ut ex ſuperiori Epiſtola videre eſt, *Hugoni Blotio* ad adipiſcendum *Bibliothecariatum Cæſareum* valde profuit, ſubjungo hic ejus rei cauſa aliam quandam hactenus ineditam *Busbeckianam* Epiſtolam.

Non ero, mi Bloti, longus in reſpondendo tuis literis. Feci, quod a me poſtulaſti; commendavi te Cæſ. Majeſtati quam potui diligentiſſime; feci idem cum ſupremo Magiſtro Curiæ Domino (1) *Trautzæmio. Ubi iſtuc rediero, ſi commendationem renovare erit opus, faciam libenter, ut & in reliquis omnibus, ubi uſui tibi eſſe potero, cupide gratificabor. Spero quidem commendationes iſtas tibi fructum aliquem laturas. Quid tamen tibi reſponſum ſit, gratum erit mihi ex tuis literis cognoſcere. Variæ occupationes, quibus diſtineor, me plura ſcribere non patiuntur. Velim tibi omnia ſuccedere, quemadmodum mereris, & ego cupio. Vale Lutetiæ 7. Januarii A. 1571.*

Amantiſſimus tui

Augerius de Busbecke.

(1) *Ita hoc nomen ibi ſcriptum eſt: nempe* Trautzæm *ſive* Trautzheim, *non autem ut vulgo pronunciatur ac ſcribitur* Trautſon. *Intelligitur autem hoc loco Excellentiſſimus atque Illuſtriſſimus Dominus* Joannes a Trautzheim *ſeu* Trautſon, *ad quem tanquam* Supremum Aulæ Cæſareæ Præfectum, *Epiſtola quædam* Hugonis Blotii, *A. 1576. d. 3. Januarii ſcripta, etiam nunc in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea *aſſervatur.*

JOH. SAMBUCI ad Blotium EPISTOLÆ DUÆ.

Epiſtolæ illæ *duæ*, quas certam ob cauſam nunc cenſeo publicandas hic eſſe integras, ſunt hæ: (a)

EPISTOLA PRIMA.

Hugoni Blotio Joannes Sambucus ſalutem:

Ad recenſionem librorum ſi teſtimonium oculorum Sambuci ſex menſibus adhibitum velis, parum te, vel quid, elucubrem, aut ocii ſuperſit, videre dixerim. Sæpe ego Cæſaris libros vidi; ſi, qui vel probi ſint, vel ſuperflui, vel ſubſtituendi meliores, vel aggregandi rariores, meum judicium accieritis, libenter faciam, idque commodo temporum, meæque ruſticationis. Sunt, mi Bloti, alii, qui Indicem deſcripſerint, & paucioribus menſibus. Hac igitur moleſtia, ſi me ſponte involveris, exiguam feres gratiam, præſer-

(a) *Exſtabant in eadem libri tertii Appendice a pag. 291. hac ſub epigraphe:* ADDITAMENTUM V, pertinens ad Lib. primi pag. 46., ubi citantur principia & inſcriptiones externæ duarum JOANNIS SAMBUCI Epiſtolarum ad HUGONEM BLOTIUM. KOL.

sertim ista tua suspicione & querela, multos libros subtractos desiderari. Si Cæsaris literæ tuo judicio venerint, idem sentiam, & uberius perscribam, nec citra causas. Onus alienum, nisi fiat privatim & familiariter, nunquam libenter sustinui; præcipue vulgare, cujus generis fuerit ista annotatio nuda sine epicrisi sive Judicio. Vale, & si me amas, tali onore expedi sponte; potero majoribus tibi adesse & satisfacere. Dabam 30. Augusti A. 1575 ex Villula Mannersdorffiensi raptim.

Inscriptio harum literarum externa: *Clarissimo Domino, Domino Hugoni Blotio JCto & Bibliothecæ Cæsareæ Præfecto, Amico meo singulari.*

Epistola Secunda.

Hugoni Blotio Joannes Sambucus salutem.

Judicium Cæsaris de conficiendo Indice nudo librorum, inque alium translato onere, per mihi honorificum duco, quippe cujus Majestas optime norit, mihi satis negotii cum meis superesse. Tuas autem cogitationes de ordine & loco Bibliothecæ Principi adeo placere lætor, idque institutum tuas virtutes illustrabit. Quod vero, mi Bloti μεμψιμοίρως de nonnullorum invidia, fictisque sensibus, & ad rem præsentem compositis, solicite commemoras, ad nostram necessitudinem nihil pertinere puto. Dii male faciant suspiciosis & malevolis, qui nec ingenium æstimant tuum recte, nec amicitiæ leges vere, sed tantum προσχήμασιν sequuntur. De tot tantisque Patronis, quos intra paucos menses doctrina & opinio industriæ non vulgaris tibi adjunxit, cur non congratuler? me gravius etiam accusem, qui mea me (1) ἁπλότητι mensus, intraque parietes & latibula conjiciens, decursu viginti duorum annorum nullum fere præter (2) Weberum ex Intimo Senatu vel compellarim, vel ad mensam eorum fuerim; istaque animi contentione inepte mihi (3) nocuerim: nunc ubi ruri ago, præcipue rei familiaris molestiis prorsus deteror. Equidem nullius virtutibus & progressibus honorem unquam invidi; ut vero similium tui & doctissimorum vestigiis insisterem, vel cum tenuitate dignitatum, mea me natura contentum esse jussit. Ubi ad Urbem accessero, si quid tot annis collecta industriola tenet, libenter tecum communicabo; nec modo speres, sed quoque credas omnino, initiis & auspiciis amoris nostri profectus responsuros, rerumque & commodorum Blotii me studiosum fore aperte. Ea enim sum animi inductione & amore erga te, ut nullam offensam illabi a me ad animum tuum sis passurus; sin aliter mentem Sambuci acceperis, ingrate feceris, inque disciplinam Christi bonos mores, exempla amicitiæ, doctores denique Philosophos tuos inique commiseris. Vale & me, qui te amo, carumque habeo, nec leviter contra amicos impellor, redama; mutuum reddam omnibus officiis. De libris manuscriptis vetustis meis coram, quid animi habeam. "Εῤῥωσο.

(1) Simplicitate.

(2) *Locus notabilis de Dn.* Joanne Baptista Webero, *J. U. D. S. Cæs. Majestatis Consiliario Intimo, S. Romani Imperii Vice-Cancellario, qui A. C. 1584. obiit, & Vindobonæ in Templo Augustinianorum sepultus est.*

(3) *Idem quoque alibi aliis non paucis doctissimis Viris accidit, quia partim propter continua studia, partim, ob naturalem quandam a Magnatum epulis abhorrentiam, nec voluerunt, nec potuerunt esse* Τερχέδειπνοι *sive* Curriprandii.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ϱωστο. *Dabam Mannersdorffii d. 10. Septembris A. 1575. raptim.*

Plethonis de Pelopponneſo Commentariolum edidi, & alia; neſcio, an videris. Quid præterea autem præ manibus habeam, poſteri, ſi non præſentes, docebuntur.

Inſcriptio harum literarum externa:

Doctiſſimo Viro, Domino D. Hugoni Blotio, Cæſareæ Bibliothecæ Præfecto, Amico ſingulari.

HENRICI SAVILII ad HUGONEM BLOTIUM Epiſtola, cujus ſcribendæ cauſa fuit hæc. (a)

Nonni Pannopolitæ Collectionem illam & Expoſitionem Hiſtoriarum profanarum & Fabularum, quarum *S. Gregorius Nazianzenus* meminit in *duabus Orationibus Invectivis adverſus Imp. Julianum Apoſtatam*, primus *græce* edidit *Richardus Montacutius*, ſive *Montagu*, *Etonæ* in Collegio Regali Anglicano prope Londinum typis *Joannis Nortoni* A. 1610. in quarto, & quidem ex Bibliotheca Nobiliſſimi Equitis Angli, Dn. *Henrici Savilii*, Viri doctiſſimi, & propter *Operum S. Joannis Chryſoſtomi* accuratiſſimam ſumptuoſiſſimamque editionem *Græcam*, A. 1613. *octo Tomis* in folio *Etonæ* apud eundem ſupra memoratum *Nortonum* impreſſam, per totum Orbem eruditum celeberrimi, & perpetua laude digniſſimi. Quod autem *Savilius Nonni* illud Opuſculum ex *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* acceperit, indicat ibidem ipſe *Montacutius* in *Præfatione ad Lectorem* his verbis: *Nonnum τὸν ἐξηγητὴν ἐκ τῶν ἱστοριῶν Συναγωγέα ſuppeditavit CÆSAREA VIENNENSIS BIBLIOTHECA, exſcriptore diligentiſſimo* (1) *Samuele Slado.* Superſunt etiam in jam memorata *Auguſtiſſima Bibliotheca ſex Epiſtolæ*, propria ipſius *Savilii* manu ad *Hugonem Blotium* & *Sebaſtianum Tengnagelium* Bibliothecarios Cæſareos ſcriptæ, ex quibus cum abunde poſſit perſpici, quanta illi cum utroque interceſſerit amicitia, quantumque is in edendo *Chryſoſtomo*, & in recenſendis *S. Gregorii Nazianzeni* & *S. Gregorii Nyſſenii* Operibus per *Cæſareos Codices MStos* adjutus ſit, digniſſimas eas judico, ut ad ſempiternam memoriam integras hic publicem.

EPISTOLA PRIMA AD (2) HUGONEM BLOTIUM.

Clariſſime Vir, Domine ac amice obſervandiſſime: Qui has tibi tradit literas, frater meus germanus eſt, eodem, quo ego olim, ſtudio impulſus longinquas regiones inviſendi, atque lentes virtute & eruditione Viros ſalutan-

(a) *Inerat prius Appendici Libri tertii hoc ſub indice:* ADDITAMENTUM XXI, pertinens ad Libri tertii pag. 183, 205, 206, & 207. ubi agitur de Nonni Panopolitæ Expoſitione Hiſtoriarum profanarum & Fabularum quarum S. GREGORIUS NAZIANZENUS meminit in duabus Orationibus Invectivis adverſus IMP. JULIANUM Apoſtatam. KOL.

(1) *De hoc* Samuele Slado, *ejuſque ex* Itinere Conſtantinopolitano *revertentis obitu in Inſula* Zacyntho, *vide paulo poſt* Henrici Savilii *Epiſtolam ad* Sebaſtianum Tengnagelium. *Reperi etiam in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Epiſtolam *quandam ipſius* Sladi *ad* Tengnagelium, *ſcriptam* Venetiis *in ædibus Legatorum Magnæ Britanniæ An. 1608. Cal. Auguſti lingua* Italica, *in qua pro variis beneficiis*, Vindobonæ *ſive* Wiennæ Auſtriæ *ab illo perceptis, maximas agit gratias.*

(2) *Hujus* Epiſtolæ *fit mentio Libro primo horum Commentariorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lutandi; quem ut tu etiam eadem, qua me, noſtroſque omnes, humanitate amplexus es, ſuſcipias, per tuam te humanitatem ac noſtram amicitiam vehementer rogo: quem ideo etiam ad te miſi, ut tuæ erga me benevolentiæ, meæque erga te obſervantiæ vicarius quaſi quidam & hæres exſiſteret. Quod ſi, ut ſpero, vel mea petitione, vel ſuis meritis aſſequetur, ac tu viciſſim aliquos ex tuis, quos vel ex lectiſſima (1) *fœmina uxore tua, vel aliunde etiam, quod clam illa dictum ſit, ſuſceperis, huc tanquam in exilium aliquando mittere volueris, eos omnes, veluti arctiſſimæ cujuſdam neceſſitudinis vinculis alligatos nobis amplexabimur & fovebimus. Remoto certe joco, ſi quos aliquando nobis commendare volueris, dabimus operam, ut intelligant, quanti te tuo merito faciamus.* (2) *Sidnæus & Nevillius te tuoſque omnes ſalutant & amant plurimum; quorum uterque jam pridem factus eſt parens multorum liberorum: ego adhuc in ſancto & intacto virginitatis ſtatu hæreo; recte an ſecus tu judicaveris. De reliquis rebus omnibus noſtris habes tecum, qui te pleniſſime docere poſſit. Bene & feliciter vale Vir optime, & humaniſſime, & quæcunque ab homine tui amantiſſimo, ſed toto propemodum Orbe a te diviſo, proficiſci poſſunt, ea omnia pro tuo jure imperare ne dubites. Londinii, XII. Mar. A. 1588.*

D. T. Clariſſimæ

ſervitor & amicus perpetuus.

Henricus Savilius.

(1) *Nempe* Vrſula Blotia nata Vngelterin, *de qua vide Lib. 1. horum Commentarior.*

(2) *Hic eſt* Robertus Sidney *ſive* Sidnæus Comes Anglus, *cujus* Epiſtola, *Pariſiis Anno 1581. d 13. Decembris ad* Hugonem Blotium *propria manu gallice ſcripta, etiam nunc in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea *adſervatur. Gratias autem ea agit pro perbenigna hoſpitalitate, quam* Vindobonæ *ſive* Wiennæ Auſtriæ *in ædibus ipſius commorans perceperat; ſimul etiam petit, ſecum communicari* Relationes Legatorum Venetorum, *ab eodem* Blotio *ſtudioſe collectas, & in* unum Volumen *redactas. Vide etiam Lib. 1. horum Commentarior. ubi ejuſdem* Epiſtolæ Sidnæi *ſit mentio.*

A Inſcriptio harum literarum externa:

Clariſſimo Viro, Domino Hugoni Blotio J. V. D. & S. C. M. Bibliothecario, Domino & Amico ſuo obſervandiſſimo.

Viennam.

Cl. Viri JANI ANTONII SARACENI de DIOSCORIDE Græce & Latine edendo ad JOANNEM SAMBUCUM Tirnavienſem Pannonium EPISTOLA.

B Inſcriptio.

Eximio Viro D. Joanni Sambuco, Hiſtoriographo Cæſareo.

Si commodam fuiſſem nactus occaſionem, Vir Clariſſime, jam dudum ad literas tuas reſpondiſſem. Nos hortabaris, imo etiam flagitabas, ut Dioſcoridem Græco-Latinum quamprimum prælo ſubjiceremus, omnemque movebas lapidem, nobis id uti perſuaderes. C *Cuperem equidem deſiderio tuo ſatisfacere, Vir Clariſſime, ac certe, quotieſcunque vacat, opellam meam Dioſcoridi tribuo. Sed tum conſultationibus Medicis domi foriſque, tum etiam quotidianis domeſticis occupationibus ita diſtineor, vix ut mihi tantillum otii ſuperſit, quod illi vertendo illuſtrandoque ſuppeditem. Interea vero editionis noſtræ ſpecimen mitto; errata, quæ obſervare licebit, plurima Typographi feſtinatio excuſabit. Mitto etiam*

etiam elenchum eorum, quæ illa editione contineri cupio. Ut placeant omnia velim nos certiores facias. Quod si moram longiorem ferre minime potes, agito, quæso, cum D. Stephano, ut Ruellii versionem cum tuis variis lectionibus notisque primo quoque tempore emittat in lucem: equidem nihil moror. Malo enim editio nostra nonum prematur in annum, quam permittere, ut inelaboratum opus e manibus nostris dimittatur. Vale Vir Clarissime & ignosce tarditati nostræ.

Tuæ Excell. addictissimus
Saracenus.

Pedanii Dioscoridis Anazarbii VI. librorum de materia Medica, itemque duorum de venenis contextus Græcus quam emendatissimus. Eorumdem nova Interpretatio Latina Græco contextui ex adverso respondens, autore J. A. Saraceno.

Clarissimi Viri J. Sambuci in contextum Dioscoridis Græcum variæ lectiones antiquissimæ ad marginem interiorem.

Aliorum complurium variæ tum lectiones tum emendationes, ad marginem exteriorem.

J. Ant. Saraceni in Dioscoridem scholia ad capitum calcem addita.

Dioscoridis notha; tum Græce tum Latine.

Dioscoridis appendices duæ Græce & Latine.

Fragmenta Crateuæ.

J. Sambuci in Dioscoridem observationes & nota.

Index Græcus omnium, quæ in Dioscoride continentur, simplicium.

Idem Latinus.

Simplicium medicamentorum, quæ in Dioscoride habentur temperamenta & temperamentorum ordines.

Simplicium medicamentorum vires, ex Dioscoride ad corporis partium varios affectus tum internos tum externos, a capitis affectibus ducto exordio.

Stirpium diversarum ex Dioscoride secundum locos communes, opus ad ipsarum plantarum cognitionem admodum conducibile, autore Bened. Textore Segusiano.

Εὐπορίστων Dioscoridis ad Andromachum libri duo, jam nunc secundo tum Græce tum Latine in lucem editi.

XIX.

Clariss. Virorum PETRI a VALLE; THUANI, SCHEILDERI; DUCÆI; SIRMONDI; SAVILII; DARIMPLII; & HOLSTENII ad SEBASTIANUM TENGNAGELIUM Aug. Bibliothecæ Præfectum, Epistolæ.

MONITUM.

Diversis prius Commentariorum legebantur in locis, quæ in adnotationibus meis invenies indicata. Eæ partim incredibilem in cultu & studio Orientalis Philologiæ TENGNAGELII *nostri ardorem, aliæ in procuranda* NICEPHORI CALLISTI *Græca & Latina editione prima singularem humanitatem & benivolentiam indicant. Porro in Appendice Libri Commentariorum primi Addit. V. exscripto linguarum Orientalium* Cl. TENGNAGELII *codicum Catalogo ad has edendas delapsus est noster hunc in modum.*

Hacte-

Hactenus nudum exhibui *Catalogum* quorundam librorum *Arabicorum*, *Turcicorum*, *Perſicorum* & *Hebraicorum*, quos V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ legavit. Accuratius autem & uberius peculiari deinceps libro in hiſce Commentariis de iiſdem agam: ubi ſimul etiam *reliquos longe plures*, qui in eadem Auguſtiſſima Bibliotheca adſervantur, *Orientalium linguarum præſtantiſſimos Codices MStos* ſpeciatim recenſebo; & quidem additis, quantum fieri poterit, *propriis* cujuſque linguæ *characteribus*, ut veritas lectionis ex ipſo fonte poſſit erui. Quod reliquum eſt, Corollarii loco propter argumenti ſimilitudinem hic ſubjungo Viri Perilluſtris & linguarum Orientalium peritiſſimi, Dn. *Petri a Valle Romani*, qui *Orientales Regiones* diligentiſſime perluſtravit, & in Aula Regis Perſiæ *Scah Abas* diu commoratus eſt, prudentiſſimam ſimul atque eruditiſſimam Epiſtolam ad ſæpe memoratum *Tengnagelium* miſſam prid. Kal. Julii Anno 1628.

Illuſtriſſ. & Ampliſſ. Domine Tengnageli, Domine & Amice obſervande.

Maximo me devinxit beneficio inſignis ille doctrina amicus noſter, præclaraque virtute omnibus perpetuo reverendus Sgambatus, qui mihi fuit in cauſa, ut tecum, V. CL., omni genere literarum ornatiſſimo, & præcipue de linguis Orientalibus, quibus & ipſe aliquantulum operæ navavi, optime merito, iſta intercederet neceſſitudo, quam, ut perhumane obtuliſti, nullis meis laceſſitus meritis, ſic, ut impoſterum eadem benignitate conſtanter foveas, me exoraturum eſſe non dubito. Eximiæ enim virtutis tuæ hoc eſſe exiſtimo, ut benefacere nunquam deſinas, quin imo in majora ſemper officioſiſſimæ voluntatis tuæ fervens exundanſque affectus excreſcat. Quod attinet ad laudes, quas nimis ſane immodicas in me confers, deceptus procul dubio, vel amici ſtudioſa rerum mearum inſinuatione, (ut eſt in me valde propenſus) vel proprii certe genii probitate, agnoſco bonitatem tuam, quæ, quod eſt in te potiſſimum, ut aliis facile tribuas, libenter efficit. Ego quidem nullius iſtiuſmodi exiſtimationis mihi ſum conſcius, ni forte anſer inter olores ſim connumerandus; in hoc uno tantum Philoſophi nomenclatura fortaſſe non indignus (juxta propriam vocis ſignificationem), quia ab eruditis Viris, Amplitudini tuæ ſimilibus, in dies aliquid addiſcendi, &, quicquid fuerit a me quoquo modo quæſitum, non mihi ſoli, ſed ut publicæ utilitati id ſit comparatum, enixe curandi, ardenti continuo cupiditate flagro. Volumina linguarum Orientalium, ut ex Indice tranſmiſſo, Illuſtr. Vir, optime noſti, perpauca quidem mihi ſunt; pluribus ſiquidem careo, & fortaſſe melioribus, innumerorum vero haud dubie notitia me præteriit. Earum nempe linguarum peritiæ limen vix attigeram, cum e regionibus illis emigrare neceſſum fuit, in patriam jam diu revocantibus domeſticis curis. Libri præterea in Oriente, ut nullus eſt typographiæ uſus, non multi reperiuntur; eorum tranſcriptio longo temporis indiget intervallo, & parum felix evenire ſolet amanuenſium inſcitia, incuria, &, ob lucri aviditatem celeritate in ſcribendo. Codices autem vetuſtiores a diſciplinarum cultoribus ſæpe evoluti, atque eo-

rum teſtimonio, ut fieri ſolet, pro correctis comprobati, raro vænales exeunt: nam illos quicunque habet, diligenter aſſervat, &, ſi fortuito, aut e vivis ſublato domino, aut alio caſu, in forum prodeunt, a pluribus avide expetiti, confeſtim evaneſcunt. Inſuper non qui exoptati, ſed qui ad manus perveniunt, ſunt emendi ac redimendi magno pretio, ſi cum noſtris conferantur. Ex paucis illis, quos adduxi, Medulla hiſtoriarum (quod ſcire cupis Vir Nobiliſſime) univerſam Perſarum aliorumque Aſiæ Principum hiſtoriam a primordiis Mundi ad noſtra fere tempora complectens, breve quidem, ſed elegans eſt opus, cujus verſionem in Italicum idioma jam diu meditor, ſi aliquando erit otium. Geographia - - - - - -, & ipſa brevis admodum, non exiguæ eſt utilitatis, cum multa habeat de regionibus Aſiæ, quæ in noſtris deſiderata, penitus ignorantur. Profeſſio fidei Muhammedanorum duplex apud me eſt, altera nimirum Sonnitarum, qui ſunt Turcæ, altera Sciaitarum, qui ſunt Perſæ; utraque compendioſa & curioſitatis non expers. Poſteriorem, quamvis inculte, latinitate donavi, ſed ea eſt, quæ typis tradi Romæ non facile permittatur ob impiæ ſectæ, quæ memorat, documenta: alibi forſitan minus rigide haberetur, præſertim cum illius notitiam Doctoribus noſtris neceſſariam fore mihi perſuadeam, ut ſciant, quid illorum perfidiæ ſit objiciendum. Doctrina Chriſtiana a Patribus Jeſuitis in regia Labor degentibus Perſice compilata, eleganti eſt ſcripta ſtylo, & non magni voluminis. Hujus vocabula omnia ad ſex circiter millia, addita interpretatione Italica, & citato loco ejuſdem libri, unde excerpta ſunt, jam pridem in Dictionarium congeſſi, adjutus opera Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum Sphahaui in Urbe Regia Perſarum commorantium, qui una mecum in hoc laborarunt. Unicum hujus libri in Europa apud me extat exemplar, alterum tantum apud præfatos Patres Sphahani. Hoc ut imprimatur, omni ſtudio nitar, cum typi, qui modo parantur Romæ multarum linguarum a Sacra Congregatione ad propagandam fidem inſtituta, in promptu erunt. Hoc idem curabo diligenter de Doctrina Chriſtiana, de Epiſtola mea, de rebus fidei ad nobilem illum Perſam, cui & latinam verſionem adjungam, & de aliis nonnullis opuſculis, quæ præ manibus habeo, ut ſunt, Divina nomina ſeu attributa uno plus mille, quæ Arabice & Perſice exarata latine interpretabor, Ephemeris Perſica unius anni, ubi multa non ſpretu digna viſuntur, cum latina pariter verſione & Grammatica linguæ Turcicæ, quam non inutilem, ni fallor, & alia a Megiſero in Germania olim edita fortaſſe magis abſolutam, Italico ſermone conſcripſi. Cæterum Mir Aliſciri Hiſtoriam de rebus geſtis Teimurlenk, & univerſalem illam Mirchondi ego quoque diu, ſed fruſtra deſideravi. Mirchondi opus integrum Sphahani quinquaginta aureis emi ſolet, qui pretio iis reſpondent, quos vulgus Zecchinos Venetos appellat. Alcoranum Perſice interpretatum Sphahani ſimiliter vidi; ſed quis illinc ad nos deferat tanto itinere? Hormuz & Keſem inſularum bella, rudi quidem ac extemporali carmine a Poetis, qui interfuerunt, inter arma decantata, paucis apud me ſunt contenta chartis, eventuum tamen veridica narratione non aſpernanda. Lexicon Perſicum priſcarum vocum - - -

pre-

pretiosum est Volumen, nostra ætate a docto Viro ingenti cura elaboratum, & apud Persas magnæ existimationis, cujus exemplar, quod habeo, unicum ut puto in Europa, autoris nepos propria manu exaravit, ejusque scriptioni & autor ipse adhuc vivens Sphahani, librumque novis observationibus continuo augens, plurimum diligentiæ adhibuit, ut illius Opus in Europam non nisi correctum perfectumque asportaretur. Eximiæ pariter utilitatis sunt - - - - Arabicum & - - - - Arabico-Persicum Vocabularia, quibus utrisque optime exaratis, magna cum voluptate fruor, licet in posteriori exemplari meo aliquot voces Arabicæ, minio exarandæ, desiderentur, quarum tamen interpretatio Persica non deest, & idcirco, quod deest, facile esset apponi. Non minori commodo & oblectamento utor - - - - (a) Arabico-Turcico amplissimo Dictionario, & miro ordine perfectissime digesto. Pentateuchus Arabicus, quem habeo, Rabbi Saadiæ esse existimo, quamvis nulla Inscriptione constet. Quapropter non multifacio, quia apud Orientales meliores ejusdem linguæ textus opinor reperiri, ut est Antiochena versio, nec non Alexandrina. Alius vero Pentateuchus, lingua & characteribus Samaritanorum exaratus, omnium librorum meorum facile est apex, præterquam, quod in Europa fortasse hujus generis Phœnix. Duo alii reperiuntur, quod sciam, alter in Bibliotheca Vaticana ter centum quinquaginta aureorum pretio non multo ante comparatus, alter in Gallia, quem ipsemet ex Syria ad Dominum de Sansy, Regis Galliarum tunc temporis Constantinopoli Oratorem, dono misi: ast hi Samaritano tantum Charactere, lingua vero hebraica sunt scripti; meus autem Charactere & lingua Samaritanorum, quod pluris æstimo, etiamsi non in membranis, ut illi, sed in simplici charta ante annos ducentos sit exaratus. Cardinalis de Berul, ut audio, dat operam, ut ille, qui in Gallia est, typis mandetur, quod si acciderit, idoneis efformatis characteribus, meum & ipsi libenter tradam publico commodo, eandem sortem nacturum. Hæc omnia, & quæcunque alia hujus generis possideo, Nobilitati tuæ libenter impertirem, si transcriptoris esset copia; ipse enim labori non sufficio. Sed hic nullus est, qui hujusmodi scriptioni aptus sit; propriis autem Codicibus orbari meum non patitur in hoc studio tyrocinium: iis enim destituto, linguarum adhuc rudis peritia penitus abiret. Ut ex Asia aliquot Illustriss. Dominationis tuæ commodo conquirerem, libens omnem adhiberem diligentiam, sed nescio, quo pacto id fieri possit. Hinc enim Sphahanum usque, ubi amicorum ope cooptari facile possent, non prius quam octo vel novem mensium itinere perveniunt literæ; ad quas responsum antequam accipiatur, biennium præterit. Præterea Religiosi illi viri Carmelitæ Discalceati & Augustiniani Ordinis ibi degentes, quorum opera uti possem, quidquid illorum instituti non est, parum anxie curant: plura sæpius ab iis efflagitavi incassum, meque de his quotidie ad ipsos scriptitantem, responsione raro solantur, ut plurimum defraudant. Ex diligentia quorundam aliorum, qui in Urbe Halepi commoran-

(a) *Qua eruditione lacunas istas* LAMBECIUS *expleverit, & quid ego, aliusve inde conjicere queat, paulo post a me adnotatum invenies.* KOL.

rantur, & majora expectarem, & equidem facilius, cum sit locus ille nobis magis propinquus; sed illic libri Persici sunt rari, licet Arabici & Turcici non desint. Constantinopoli, ubi etiam permulti vaeneunt, & satis justo pretio, par amicorum habeo, quorum alter mercator, alter Venetae Reipublicae est interpres, & quamvis ambo summam erga me benevolentiam profiteantur, cum ab iis paucula quaedam nostrae apud illos vanissimae, ut puto, delectationis efficaci expostulatione petierim, saepe iteratis literis ac precibus, nedum pretio oblato, usque adhuc extorquere potui. Absentium nempe negotia hunc in modum pertractari consueverunt, & praesertim a Musomachis ad rem literariam spectantia. Romam vero adventantes ex transmarinis regionibus, plerique idiotae sunt, nec ulla literarum voluptate capti; quam ob rem libros aut nullos deferunt, aut parum ad nos facientes. Sic denique de his cogor desperare; quae enim, cum in Oriente versabar, per imperitiam eo tempore praestare non potui, per absentiam modo, quamvis ad haec aliquantulo magis apto non licent. Hinc impetus aliquando subit denuo in peregrinationes irrumpendi: sapientes, ubivis terrarum degant, ultro conveniendi, quidquid habeo pecuniarum liberaliter in libros erogandi, & his similium; sed mors, aurem vellens, Vivite, ait, venio. Sat Musis Genioque datum, cui nimium indulgere, aetate qua fungor, ineptum vulgus profecto reprehenderet. Non ita tamen hisce territamentis refrigesco, ut, si aliqua sese offerret occasio, honesta negotiorum, vel honoris specie decorata, eam protinus exultanti animo non arriperem. Interim Commentariolum de Rege Persarum jam Venetiis excuditur. Ut primum ad me perferetur, Nobilitatis tuae non minus oculis, quam censurae subjiciendum transmittam.(a) *De regionibus subjectis recentiori Persarum Imperio aliud latino sermone brevi in lucem prodire sinam: denique peregrinationum mearum longe lateque vagantem historiam, licet de ejus ordine & forma adhuc sim anceps, nec forsitan abstinere potero ab aliquibus poeticis rei amatoriae lusibus, qui florente jam aetate, vernacula lingua e calamo exciderunt. His otia fallens, in id incumbo, ut curem, ne, si qua fieri poterit, ferales flammae, una cum funere, meum nomen absumant. Sed jam ad majora se efferat sermo, quandoquidem mutua inter nos benevolentia, ad quam singulari me comitate provocasti, ad hoc ansam praebet. Percepi Viennam brevi adventurum, vel forte adventasse jam Augustissimum Imperatorem, cui cum tu, V. CL., a Consiliis inservias, non abs re futurum duxi, imo Christianae Reipublicae*

ac

(a) *In appendice Libri Comment. quinti adjecta his volebat noster sequentia:* ADDITAMENTUM I, pertinens ad Libri primi pag. 189, & Libri tertii pag. 332, ubi fit mentio Commentarii Historici de Rege Perfarum ABBAS, a PETRO DE VALLE Italice conscripto & Venetiis edito in quarto. Ipse istius Commentarii Titulus Italicus est talis: *Delle conditioni di Abbas Re di Persia all' Illustrissimo & Reverendissimo Sig. Francesco Cardinal Barberino. Nipote di N. S. Papa Urbano VIII, Pietro della Valle il Pellegrino. In Venetia.* CIↃ. IↃCXXVIII. *Con licenza de Superiori & Privilegio.* Exemplar autem ejusdem Commentarii, quod in Augustissima Bibliotheca Caesarea adservatur, pertinuit olim ad V. Cl. Sebastianum Tengnagelium, ut ipse ibi testatur hac propriae manus inscriptione: *Ex libris Sebastiani Tengnagelii J. U. D. Caesarei Consiliarii & Bibliothecarii, ex dono Nobilissimi & Linguarum Orientalium peritissimi Domini Autoris.* KOL.

ac Dei Opt. Max. famulatui ſummopere conducturum, ſi ab Amplitudine tua impetravero, quod etiam atque etiam rogo, ut in aures illius Cæſareæ Majeſtatis, tunc cum magis molles aditus, & commoda nacta occaſione tempora norit, inſuſurrare interdum non dedignetur, Perſarum Regis amicitiam non eſſe ſpernendam: namque Princeps eſt ille vaſtæ molis Imperio potentiſſimus; armorum vi & rerum geſtarum gloria nemini ſecundus; Turcis, Chriſtiani nominis hoſtibus perpetuo infenſus, neque unquam placabilis, non modo publicarum rerum, ditionisque ſic ferente ratione, verum etiam ob genii ac religionis inter nationes diſcrepantiam. Rudolphus felicis recordationis optimus Imperator, hanc amicitiam avide complexus, omni ſtudio proſecutus eſt, &, niſi domeſtica cum fratre diſſidia illum ad pacem cum Turcis invitum compuliſſent, (quod Perſa nimis ægre tulit, de eo mecum, injuriam temporum quibus poteram rationibus nequicquam excuſante, ſæpe conqueſtus) collatis forte amborum ſignis, ad quod Abas paratiſſimus ſemper fuit, immanis hæc Othomanica bellua ad Scythiæ latebras ea tempeſtate fuiſſet adacta. O utinam Germania ſedatis civilibus tumultibus, Romanas aquilas in peſſimos illos milvos aliquando contorqueret! quam glorioſi, quam faciles hoc ævo triumphi; quippe (1) Imperatorem habemus ſanctiſſimum, cujus optatis DEVS omnipotens ex ſententia faveat; armorum virtute ac potentia, qualem ſuperiora ſæcula longa ætate non viderunt, ac demum in rebus gerendis ſumma felicitate præſtantem. Sed, ſi forte res ita ſe habent, ut cum Turcis pax ſit colenda, ſive habendæ induciæ, hoc ſaltem, Vir Ampliſſime, tibi exploratum velim, res Turcarum in eo eſſe ſtatu, ut multo meliori, quam antea conditione id ſit peragendum, ſi Cæſaris negotia per fidos æque, ac rerum peritos procuratores adminiſtrentur; cum pax iſta a Turcis hodie, non modo expetita, ſed, ut mihi exploratum eſt, neceſſario, niſi funditus ruere velint, ſit obeunda. Inſtat enim Perſa, acerrimus hoſtis, & ab armis nunquam, quoad vixerit, ceſſaturus: inſtant rebelles plures, quibus non exiguæ vires; Turcarum præterea militum inteſtinæ diſcordiæ, nec de facili pacandæ; eorundem inobedientia; Principis ætas parum firma; genius, fortaſſe ad magna minus aptus; imperium ſubditis jam contemptibile & prorſus ſpretum, quod antea ſumma religione colebatur; Miniſtri ad propria intenti; Imperii vires imminutæ; Provinciæ dira tyrannide devaſtatæ; pecuniæ deficientes, & alia multa, quæ nutantis Monarchiæ imminentem jam ruinam minitari videntur. Sed jam nimis neſcio, quo me rapuit ingenita ad hæc propenſi animi vis. Ad noſtra redeamus. Hiſtoria Saracenica, verſa ab Erpenio, Romam pervenit, ſed, cum typographorum, ut arbitror, negligentia, ejusdem textus Arabicus multis ſcateat mendis, ut ea potirer, non fuit mihi curæ; præſertim cum omnes illas hiſtorias, & longe ampliores, licet breviter, mea Medulla contineat. Archiepiſcopum Damaſcenum Romæ agentem, omni dexteritate tentabo, ſi aliquid boni

(1) *Intelligitur Glorioſiſſimus Romanorum Imperator* Ferdinandus II.

boni habuerit vænale ; itidem Maronitas alios, quorum unus Novi Teſtamenti Codices Syriace impreſſos cum aliis fortaſſe voluminibus commutabit; & ipſe, ut Illuſtr. Dominationi tuæ ex animi ſententia inſerviam, nihil intentatum relinquam. Hoc unum oro, ut mei ſit memor, &, cum vacat, literarum ſuarum honore, cujus avidiſſimus ſum, non fruſtretur ; inſuper ignoſcat hujus epiſtolæ prolixitatem, quæ ſane in legendo tædium afferet, brevitatis limina inpoſterum rite non egreſſuro. Neceſſitudinis jam contractæ vinculum ut non laxetur expoſcere, ſine offenſione benigniſſimæ urbanitatis tuæ non licet. Scio enim, ubi jacta amicitiæ fundamenta virtuti ſunt innixa, ea non niſi firmiſſima, & cum vita æternum duratura eſſe poſſe. Vale igitur Vir Ampliſſime, & impera tui gratia ad omnia parato. Romæ, pridie Kal. Julias CIↃ IↃC XXVIII.

Illuſtriſſ. Amplitud. Tuæ addictiſſimus
Petrus à Valle Peregrinus.

Hucuſque *Petri à Valle* de ſtudio linguarum Orientalium ad *Tengnagelium* Epiſtola. Plures autem ejus generis alias variorum doctorum Virorum ad eundem *Tengnagelium* Epiſtolas publici juris faciam in peculiari *Syntagmate Epiſtolarum Clarorum Virorum*, quod poſthac, volente DEO, ſeorſum edere conſtitui. (a) & (1)

EPI-

(a) *Cum Syntagmate rerum German. inter alia infinito numero promiſſa remanſit ; de quibus vide* LAMBECII promiſſa opera *in* Supplemento meo ad Librum I. & II. Kol.

(1) Additamentum IX, (α) pertinens ad Libri *primi* pag. 186 & 187, ubi ob *typorum defectum* omiſſi ſunt *Tituli* ſive *Inſcriptiones quinque Codicum MStorum Orientalium*, quorum in *Petri à Valle ad Sebaſtianum Tengnagelium Epiſtolâ* fit mentio.

Prima lacuna, quæ extat pag. 186 verſ. 25. ſupplenda eſt hoc modo : *Geographia* مسالك ممالك, *& ipſa brevis admodum*, &c. *Secunda lacuna*, quæ extat pagina 187 verſ. 23, ſupplenda eſt hoc modo: *Lexicon Perſicum priſcarum vocum* قرس سروري *pretioſum eſt Volumen*, &c. *Tertia lacuna & quarta*, quæ extant p. 187. v. 31, ſupplendæ ſunt hoc modo: *Eximiæ pariter utilitatis ſunt* قاموس *Arabicum* & كنز اللغات *Arabico-Perſicum Vocabularia*, &c. *Quinta* denique *lacuna*, quæ extat pag. 187 verſ. 36, ſupplenda eſt hoc modo : *Non minori commodo & oblectamento utor* مرقات *Arabico-Turcico ampliſſimo Dictionario*, &c. Ita videlicet *quinque* iſti *Tituli* propriâ ipſius *Petri à Valle* manu ibi ſcripti ſunt, quemadmodum eos accuratiſſimè delineatos & ſummâ diligentia ex ære ſcalptos hic exhibui. (β) *Mantiſſæ* etiam loco itidem hic ſubjungo *quatuor alias* ejusdem Nobiliſſimi doctiſſimique *Petri à Valle Epiſtolas ad* eundem *Tengnagelium*, quas multiplicem ob cauſam publica luce digniſſimas eſſe cenſeo.

(α) *Legebatur prius in Appendice Libri tertii à pag. 332.*

(β) *Superius in proloquio ad Epiſtolam* PETRI A VALLE *primam in Orientales quoque Codices commentaturum ſe receperat* LAMBECIUS *his verbis :* Hactenus nudum, *inquit* exhibui Catalogum quorundam librorum Arabicorum, Turcicorum, Perſicorum & Hebraicorum, quos V. Cl *Sebaſtianus Tengnagelius* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ legavit. Accuratius autem & uberius peculiari deinceps libro in hiſce Commentariis de iisdem agam : ubi ſimul etiam reliquos longe plures, qui in eadem Auguſtiſſima Bibliotheca aſſervantur Orientalium linguarum præſtantiſſimos Codices MStos ſpeciatim recenſebo ; & quidem additis quantum fieri poterit, propriis ejusque linguæ characteribus, ut veritas lectionis ex ipſo fonte poſſit erui. *Hæc ille. Ex quibus, arbitror, manifeſtum eſt,* LAMBECIUM *hoc ſuam Orientalium Linguarum cognitionem indicare voluiſſe ; ſed enim in laudata* PETRI A VALLE *Epiſtola prima quum occurriſſent breviculæ quædam quinque Orientalium codicum epigraphæ, Arabicis elementis ſcriptæ, eas ob defectum, uti heic ait, typorum omiſit, & lacunas punctis, ignoratæ lectionis indicibus, explevit. Datum hoc ei, ut videtur, fuit vitio ; ea propter additamentum hoc non prius, quam Libro tertio adſcripſit, teſtem utique fide dignum & graviſſimum Lambecianæ in adiuvandis etiam & effectu impoſſibilibus promittendis promptitudinis : nam in Arabicorum typorum defectu Latinis elementis ea inſcriptiones dari poterant hoc aut ſimili modo : I.* Meſſalickl memmalik ; *II.* Fürſi, *vel* Farſi ſerweri ; *III.* Kamus; *IV.* Kenzüllughœt, *vel* lughat ; *V.* Mirkat, *aut plenius,* Mirkatül-lughœt : *hoc nempe, quo Turcæ eos libros adpellare indicareque ſolent more, aut etiam Arabico, eruditis familiariore. Sed hoc, quod dico, vel inde ſatis liquet, quod Commentariorum ſuorum initium non ab Hebraicis aliisque Orientis linguarum codicibus ceperit, ſed à Græcis ; egeritque contra leges ſimilium Operum & ipſam etiam multum ſibi amatam cultamque* Hiſtoriam Literariam KOL.

EPISTOLA PRIMA.

Illustrissime & Amplissime Domine Tengnageli, Domine & Amice observande:

A *Commentatiunculæ de Rege Persarum, Italico sermone a me nuper* (1) *editæ, Amplitudini tuæ, ut sponderam, duo volumina una cum hac epistola Venetiis transmittenda mandavi: horum alterum perspicacissimi tui judicii censuræ, quam plurimi faciam, pleno jure permitto; alterum* B *rogo, ut Patri Scipioni Sgambato, amicorum optimo, cui & epistolam hic adjunxi, meo nomine impertiri digneris. Opus inspicies, Vir Clarissime, rudi ac extemporali stylo paucis diebus tumultuarie congestum; in quo tamen, ut eloquentiæ fucum non inconsulto neglexi, ita veritatis summa religione sectandæ studium enixe sum complexus. Cæterum si tui similibus arriserit, bene actum est cum labore: sin minus, animum ad Reip. literariæ commoda propensum gratum habeant, imbecillitatem vero meam humaniter ferant boni. Vale Vir Clariss. & me,* C *sicut soles, ama. Romæ quarto Kalendas Augusti A.* CIↃ IↃC XXVIII.

Illustr. Amplitudini Tuæ
addictissimus
Petrus à Valle Peregrinus.

Inscriptio harum literarum externa:

Nobiliss. & Illustr. Domino Sebastiano Tengnagelio J. V. D., Sac. Cæs. Maj. à Consiliis & Bibliothecæ Præfecto, Linguarum Orientalium peritia, & omnis generis literarum cultura celeberrimo Viro, Domino & Amico suo Observando. Viennam.

EPISTOLA SECUNDA.

Illustrissime & Amplissime Domine Tengnageli, Domine & Amice observande:

Patris Sgambati literis admonitus de ærumna, qua, Vir Clarissime, premebaris ob interitum præstantissimæ Conjugis, non ignarus tanti mali, quippe qui similia passus, acerrimo hoc ictu jam diu fui perculsus, haud facilè explicare possem, ad tui mœroris nuncium quantopere indoluerim. Attamen commiserationem hanc meam Amplitudini Tuæ significare, nec non offensum animum consolatoriis verbis, ut fieri solet, mulcere, tam cito operæ pretium non duxi, tum ne infixum vulnus nimis celeri pertractatione recrudesceret, tum etiam quia ad illud leniendum medicaminum optima, non aliunde felicius peti posse, quam ex copiosissima prudentiæ tuæ pharmacopœia, mihi persuadebam. Sed tandem ne studiosissimi clientis officio penitus deesse viderer, amplius immorandum non censui, quin paucis his Nobilitati Tuæ me tanti doloris participem extitisse testarer. Scribendi ansam libenter arripui, nacta præsertim occasione adventus in Cæsaris aulam Reverendissimi Nicephori Erovachisii, Georgianorum apud Pontificem Oratoris, qui, ut in patriam tutius revertatur, ad effugiendas Turcarum molestias, per Germaniam, Poloniamque, ac per Euxinum mare iter aggreditur. Optimus iste Vir ex primatibus suæ gentis ortus, & a puero religioni addictus, Regis sui nomine Pontificem adivit, illius benevolentiam atque erga sacratissimam hanc Se-

(1) *Et quidem* Venetiis. *Vide Lib. 1. horum Commentarior.*

Sedem obſervantiam, quod præſtitit, profeſſurus. Digmus erat certe, quem majoribus noſtri proſequerentur & honoribus & beneficiis, ut eo magis alliceretur illorum populorum voluntas; verum hic hodie res ita ſe habent, ut alio diſtractus Pontificis animus ad ſanctiſſimas has atque utiliſſimas curas ſe convertere nequeat. Defert ad Cæſarem commendatitias Pontificis literas; aſt ego, qui, ut optime novit Pater Sgambatus, in hanc gentem valde ſim propenſus, multisque devincior rationibus, ut illi pro viribus cupiam inſervire, exiſtimans me Domino Nicephoro non mediocriter profuturum, ſi illius negotiis humanitatem tuam opitulatricem adjunxero, ipſum idcirco benignitati tuæ etiam atque etiam commendo; quæ ut in omnes ſemper eſt profuſa, multo magis in hanc cauſam, quæ Chriſti cauſa eſt, profuſiſſimam fore, profecto non dubito. Vale, Vir Clariſſime, & a luctu tantiſper animum revoca, nec dilectæ Conjugis, quæ cælo, ut ſpero, fruitur, felicitati hoc demas, ut ægre te miſerum, & conſolationis expertem in terris adſpiciat. Romæ V Non. Decemb. A. CIↃ IↃC XXVIII.

Illuſtriſſ. Amplitudini Tuæ addictiſſimus

Petrus à Valle Peregrinus.

Epistola Tertia.

Illuſtriſſime ac Ampliſſime Domine (1) Tengnageli, Domine & Amice obſervande:

Calamitates bellorum ac peſtis, quibus tot abhinc menſibus noſtra Italia premitur, & difficultas, quam propterea experimur in aſportatione literarum, ut tuto in longinquas perveniant regiones, negligentiæ meæ in ſcribendo hucuſque cauſam dedere. Verumtamen cum his malis finem optemus potius, quam videamus adventare, deſiderio tui commotus, Vir Clariſſime, ſilentium tandem rumpere decrevi, & hanc epiſtolam meliori qua poſſum via, ut animi mei erga te propenſiſſimi ſtudium conſtantiſſime teſtetur, ad te mittere; faxit Deus, ut ad manus tuas, quod exopto, perveniat, quamvis iter ſit factura per tela, per hoſtes. Vellem aliquid, quod tibi jucundum eſſet, exarare; ſed quo me vertam, ambigo. De rebus Orientis, poſt mortem Abbas Regis & ſucceſſionem in Imperium Perſarum nepotis ejus ex filio Sofi, ab ipſomet jam olim interfecto, cujus nomen, priori relicto, novo Regi idem Abbas imponi juſſit, nihil aliud certi habemus. Rumor eſt modo de neſcio qua victoria Turcarum: ſed illi, eo pacto, quo narrant, non facile aſſentior. Turcas namque, cum Babyloniæ metropolim Baghdad civitatem jam diu obſeſſam minime capere potuiſſent, illa optime munita in finibus deſpecta, cum exercitu in intimas Perſarum regiones penetraſſe, ibique Perſas ingenti clade affeciſſe, haud credibile eſt; quidquid autem erit, tempus brevi aperiet. Quod ad literarias res attinet, Pentateuchum meum Samaritanum in Gallias amandavi, ubi illum R. P. Joannes Morinus Congregationis Oratorii Presbyter, Sacrarum Literarum non minus ſtudioſiſſimus, quam

(1) *Adſcripſit is ibidem propria manu hæc verba:* Dn. Petri à Valle, Illuſtr. Romani, Epiſtola, qui una cum Nobiliſſimo Domino Alberto à Schilling Silefio totum Orbem Orientalem peregrinando luſtravit.

quam linguarum Orientalium peritiſſimus, una cum verſione latina eſt editurus; quod opus eruditis omnibus apprime charum ac perutile futurum ſpero. Epiſcopus Eſronita, qui Maronita eſt ac Dominicanæ Familiæ, adverſus Alcoranum, quæ egregie ſcripſit, propediem proditurus eſt; eodem argumento, atque eadem lingua Arabica, P. Lomelinum Soc. Jeſu, neſcio quid præ manibus habere præſenſi. In quibusdam aliis de Arte grammatica Arabum elaborat R.P.F. Thomas à Novaria Ordinis Sancti Franciſci, nec non Grammaticam Ægyptiæ linguæ Arabice ſcriptam, & Vocabularium Ægyptio-Arabicum, quos libros ipſe in Italiam primus adduxi, latino ſermone vertere, ac publico concedere meditatur: attamen nihil horum adhuc impreſſum eſt. Cum primum prodierint, curabo diligenter, ut illis quam citiſſime perfruaris; idem præſtiturus de Lucubratiunculis meis, ſi forte aliqua earum aliquando lucem aſpiciet. Ex Oriente libros amplius aucupari poſſe penitus deſpero; homines enim ibi non habemus ad hæc idoneos: quinimo duo, quos ipſe quæſiveram & illinc ante annum ad me miſiſſe ſcripſerant, nunquam pervenerunt. Apud Patres Carmelitas Diſcalceatos Romæ non paucos nec ignobilis ſortis eſſe certo ſcio, ipſis dono datos ab eruditiſſimo illo Viro, arctaque mihi olim neceſſitudine conjuncto, Georgio Strachano Scoto, qui jam pridem obiit in itinere, cum ex India in Perſidem reverteretur: verum Religioſi iſti erga ſecularis conditionis homines tam parum faciles ſunt, ut, quamvis me ſibi amiciſſimum prædicent, libros tamen illos ad hanc uſque diem nec intueri potuerim. Pluribus te, Vir Nobiliſſime, faſtidire nolo; tantum rogo, ut me diligas, & me tui perpetuo obſervantiſſimum fore pro certo habeas. Vale. Romæ ſeptimo Kal. Novemb. Anno ſalutis CIↃ IↃC XXX.

Illuſtriſſ. Amplitudini Tuæ addictiſſimus

Petrus à Valle Peregrinus.

Epistola Quarta.

Illuſtriſſime & Ampliſſime Domine (1)
Tengnageli, Domine & Amice obſervandiſſime:

Diu eſt, Vir Clariſſime, poſtquam diuturni bellorum motus, nec non diræ peſtilentiæ calamitates vias hinc & illinc intercludere cæperunt, quod literas, uti ſolebam, ad te dare deſtiti; cum & ipſe viciſſim nullas ab humanitate tua hac eadem tempeſtate accipere potuerim. Sed longum jam nimis ſilentium propemodum rumpere cupienti, ecce opportuna ſatis ſeſe obtulit occaſio; adventus nempe in Germaniam Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Nuncii Pontificii, & una cum eo Generoſi Viri, mihique amiciſſimi Joannis Lucæ à Sancto Petro, per quem Tibi ſalutem non mittere nefas putavi. Rogavi hunc igitur, ut haſce meas ad Te deferre minime gravaretur, Teque ut illum excipias tanquam mihi chariſſimum, & quod pluris eſt, Virum virtute præditum optimisque moribus imbutum, etiam atque etiam efflagito. De rebus Italicis quæcunque cupiveris, ab

(1) *Adſcripſit is ibidem propria manu hæc verba:* Illuſtr. Dn. Petri de la Valle, Vrbani VIII PP. Camerarii, Epiſtola.

ab eodem facile poteris reſcire, itidemque de ſumma animi mei erga Te propenſione, ac ardenti, quo flagro, deſiderio Tibi inſerviendi, quacunque in re operam Tibi meam præſto eſſe poſſe exiſtimaveris. Quapropter ne Te nimium legendo fatigem, hæc omnia lubens prætermitto, atque ut illa ex viva amici voce percipere ne dedigneris, vehementer expoſco. Cæterum cum mihi delatum fuerit, doctiſſimum Virum Wilhelmum Schikardum, qui ſuperioribus annis Hebraicas literas Tubingæ, ni fallor, profitebatur, in Aulam Cæſaris ſe contuliſſe, ibique nunc verſari, ſi res ita ſe habet, ſummi beneficii loco ducam, ſi illum mihi amicum adjunxeris. Te enim ab ipſo, ut mereris, mirifice coli, ex lectione (1) *Perſici Tarich, ab eodem Latine redditi, jam pridem cognovi. Ego autem illum, ut Virum ſingularis ſane eruditionis, Orientalium Linguarum peritiſſimum, ac denum de bonis literis quaqua verſus optime meritum, quemadmodum pari ſtudiorum delectatione conjunctum, ita & neceſſitudinis ac benevolentiæ vinculo mihi obſtrictum apprime exopto, Literas ad illum exaravi, quas Egregio Viro Lucæ Holſtenio, apud Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Barberinum hic Romæ degenti, ut ad eum transmittat, commendavi; utinam ad ipſius manus, ſicuti opto, perveniant! Tu interim, Ampliſſime atque amantiſſime mi Tengnageli, me amare non deſinas, & ad votum vale. Romæ XVII Kal. Auguſti A.* CIↃ IↃC XXXIV.

Ill. Amplitudini Tuæ addictiſſimus
Petrus à Valle Peregrinus.

Hucuſque *quatuor* illæ *Petri à Valle Epiſtolæ* ad *Sebaſtianum Tengnagelium;* in (2) quibus præter alia complura obſervatu quoque digna eſt mentio R. P. *Scipionis Sgambati*, Neapolitani, Soc. Jesv Presbyteri, & SS. Theologiæ in Inclyta *Vindobonenſi* Profeſſoris doctiſſimi, qui cum mira excellentia ingenii, vaſtiſſima capacitate memoriæ, & omnigena divinarum atque humanarum rerum notitia inſigniter floruiſſet, tandem nimia ſtudiorum contentione defatigatus, incidit in amentiam, & A. 1652 d. 5 Februarii obiit. Huc etiam pertinent aliæ *duæ* ejusdem *Petri à Valle* ad ipſum Patrem *Sgambatum Epiſtolæ Italicæ*, quarum exemplaria ab homine Italicæ linguæ imperito vitioſe & vix legibiliter deſcripta, non multo abhinc tempore inter incompactas *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* ſchedas miſcellaneas reperi. Earum *prima*, quæ *Romæ* A. 1628 d. 26 Februarii data eſt, gratias agit jam memorato R.P. *Sgambato* de oblata ſibi occaſione contrahendæ amicitiæ cum *Sebaſtiano Tengnagelio;* ſimul etiam petit, ut *Codicum manuſcriptorum Orientalium Bibliothecæ ſuæ Indicem manuſcriptum*, ibidem incluſum, eidem *Tengnagelio* nomine ſuo offerat; & tandem conqueritur, quod editio *Hiſtoriæ* ſuæ *de Rege Perſarum Abbas Romæ* à Cenſoribus librariis ſibi prohibita fuerit, quaſi Regem *non-Chriſtianum* in ea nimium laudaſſet. *Secunda* autem earundem duarum *Epiſtolarum Italicarum*, quæ *Romæ* A. 1629 d. 27 Octobris data eſt, com-

(1) *Vide Librum* primum *horum Commentariorum de* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea.

(2) *Vide ſupra Epiſtolam* primam.

commendat idem *Petrus à Valle* R.P. *Sgambato* quam diligentiſſime Nobiliſſimum Dominum (1) *Albertum de Schilling & Heimrichau*, natione *Sileſium*, ex ſecundo itinere *Perſico* in Germaniam reducem, tanquam *Perſiæ*, *Indiæ* aliarumque Regionum orientalium exactiſſimum perluſtratorem, & *Aulæ* potiſſimum *Conſtantinopolitanæ* ac *linguæ Turcicæ* peritiſſimum; ſimul etiam indicat, quod idem Dominus *de Schilling* initio quidem fuerit *Lutheranus*, in *Perſia* autem *Catholicam Fidem*, beneficio Chriſtianorum *Catholicorum* ibidem degentium, adeo ſolide & conſtanter ſit amplexus, ut reverſus in Germaniam, licet à *Comite Palatino Rheni* ad *Legationem Conſtantinopolitanam* lautiſſimis conditionibus eſſet ſolicitatus, præ amore tamen Fidei Catholicæ noluerit ſervire Principi hæretico, ſed ſub hoc prætextu, quaſi *Regi Perſarum* reditum ſuum promiſiſſet, *ſecundum* in *Perſiam* profectus ſit. Quod denique ad ſupra memoratum *Indicem Codicum MStorum Orientalium* attinet, is, propria ipſius *Petri à Valle* manu exaratus, in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* etiam nunc adſervatur, & lubentiſſime hic a me publicaretur, niſi obſtaret defectus typorum orientalium.

De manuſcripto Cod. Cæſ. NICEPHORI CALLISTI ad TENGNAGELIUM Epiſtolæ.

Cum non tantum ipſius Epiſtolæ meæ præcedentis *Segmento quinquageſimo ſexto*, (a) verum etiam *Additamento* ejuſdem *ſecundo*, paucis indicaverim, *Galliam* quicquid gloriæ prima editione græco-latina *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti* ſibi acquiſivit, præcipue debere V. CL. *Sebaſtiano Tengnagelio*, quippe cujus ſingulari beneficio pretioſiſſimus ille Codex MStus, qui editioni illi ſerviit pro autographo, ex *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Lutetiam* miſſus ſit; haud ingratum poſteritati futurum arbitror, ſi Principis Hiſtoricorum noſtri ævi, Viri Illuſtriſſimi *Jacobi Auguſti Thuani*, & duorum doctiſſimorum Patrum Societatis Jeſu *Frontonis Ducæi* & *Jacobi Sirmondi*, nec non Reverendiſſimi eruditiſſimique Viri, Dn. *Roberti Scheilderi*, Canonici Atrebatenſis & Cameracenſis, ea de cauſa ad *Tengnagelium* miſſas literas mantiſſæ loco hic ſuperaddidero, una cum ſuccincta totius rei geſtæ hiſtoria; quæ quidem ita ſe habet. Gratificaturus V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* Illuſtriſſimo Præſidi *Jacobo Auguſto Thuano* de jam memorato Codice MSto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* impreſſionis cauſa *Lutetiam* mittendo, cum clementiſſimam ejus rei licentiam a Sacratiſſimo Romanorum Imperatore MATTHIA Anno 1614. impetraſſet. Opera potiſſimum in hoc negotio deinceps uſus eſt *Roberti Scheilderi*, Atrebatenſis primum, deinde autem Cameracenſis Canonici, Viri ut ipſe *Tengnagelius* eum appellat, *raræ eruditionis & eximiæ fidei*, qui tunc in *Auſtria* degens, apud Excellentiſſimum

(1) *Vide ſupra Annotat. marginalem Epiſt.* tertiæ.

(a) *In Appendice Libri Commentar. primi, forma epiſtolæ ad Sluſium a Lambecio ſcriptæ, legelantur prius iſta ſub epigraphe;* ADDITAMENTUM IV, De pretioſiſſimo codice membranaceo MSto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ NICEPHORI CALLISTI a V. Cl. SEBASTIANO TENGNAGELIO ad V. Illuſtriſſ. JACOBUM

mum Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Legatum D. *Balthaſarem de Zuriga* commoratus eſt. Ad hunc itaque *Scheilderum* miſit *Tengnagelius* jam dicto anno 1614. *Nicephorum* illum *MStum* Vindobona *Lentiam*, ſeu, ut vulgo loquuntur, *Linzium*, ut is porro eum curaret tuto perferri in Galliam. Literæ ipſius *Scheilderi* ad Tengnagelium, d. 6. Septembris A. 1614. datæ, quibus ſe iſtum Codicem accepiſſe nunciat, & peculiarem ipſi hoc nomine mittit *Syngrapham*, *ſunt hæ:*

Jam pridem reſciviſti ni fallor, Clariſſime & Amiciſſime Domine, ex relatu D. Riqueſenſii, librum illum tuto ad me perlatum. Diſtuli id ſcripto teſtari, donec fierem certior de conſilio & mente Thuani, cujus literæ tandem mihi fuerunt redditæ, quas una cum ſyngrapha mea hic includendas duxi, ut tibi idoneæ cautionis inſtar ſint. Non tamen acquieſcam, donec & aliam a Typographo, cui Codex concredetur, expreſſero. Indiculum librorum, quos petis ex Hiſpania, ad amicos, qui iſtic, miſi: adnitar & alia via deſiderio tuo facere ſatis; quæſivi enim ex familiaribus meis, num alibi extent in Bibliothecis ſelectis Belgii. Si quid literarum pares ad Ampliſſimum Thuanum & P. Frontonem, utere mea opera. Non facile reperies proxenetam magis idoneum ad utriusque amicitiam tibi conciliandam. Erit mihi curæ, ut utriuſque noſtrum beneficium in (1) *editione Nicephori publica ſignetur tabella. De morte Freheri aliunde inaudiveram: puto & te ſcire Caſaubonum animam exhalaſſe. Ajunt poſt editas exercitationes gravi dolore confectum, quod illas minus probari viderit; alii aſſerunt, ex abſceſſu in renibus exorto, contracta febre continua debilitatum, vitam cum morte commutaſſe. Dolebunt multi materiam triumphi ſibi ereptam, qui ſtylum in eum jam ſtrinxerant. Abſque dubio melius famæ ſuæ & literis conſuluiſſet, ſi tempus ſuum impendiſſet illuſtrando Polybio. Non licuit per occupationes deſcribere Frontonis literas. Autographum ſervabo diligenter in congreſſum noſtrum, quem inſtare ſpero & voveo. Vale Vir amiciſſime & me ama. Linzii raptim,* VI. *Septembris* CIↃ IↃC XIV.

Exemplum Syngraphæ.

Fateor accepiſſe me per manus Arnoldi Wilhelmi Codicem Nicephori in Pergameno MStum, quem Lutetiam ſecure prima opportunitate tranſmiſſurum me polliceor, atque, abſoluta editione, integre & eodem modo, quo mihi traditus eſt, reſtitui curaturum. In cujus rei teſtimonium hanc ſcedulam ſubſcripſi. Datum Lintzii Auſtriæ VI. *die Septembris* CIↃ IↃC XIV.

Robertus Scheilderus Canonicus Atrebatenſis.

Hucuſque Epiſtola *Scheilderi* cum incluſa *Syngrapha*. Literæ autem Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani*, Lutetiæ d. 22. Julii Anno 1614. datæ, quarum expectatione *Scheilderus* dilationem reſponſionis ſuæ *Tengnagelio* excuſat, ſunt hæ:

Monſieur.

I'ai receu la votre du XXI. *du paſsé de Lintz, par laquelle i'ai conneu la diligence,*

AUGUSTUM THUANUM impreſſionis cauſa LUTETIAM miſſo, pertinens ad præcedentis epiſtolæ Segmentum LVI. & Additamentum ejuſdem ſecundum.

(1) *Summo quidem jure; ſed fruſtra hoc ſperavit* Scheilderus. *Nam nec* ipſius, *nec* Tengnagelii *in iſta Nicephori Pariſina editione ulla fit mentio.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gence, dont avez usè pour l'exemplaire du Nicephore, auĉteur de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, duquel i'ai parlé incontinent à nos libraires, s'il eſt porté à la foire prochaine de Francfort. Cramoiſi, que je croi, que connoiſſés, d'aillieurs aſſés conneu pour bon marchand & bon Catholique, le recoivera, & s'obligera de le rendre, après qu'il aura eſté imprimé, a quoi l'on travaillera inceſſament, ſi toſt qu'il aura eſté conſigné, & des la fin de la préſente année & ſans diſcontinuation juſques à la conſumation de l'oeuure, que l'on eſpére, qui pourra eſtre dans quinze ou ſeize mois après, dont je vous donne ma parole par la préſente, avec aſſeurence, que dans les temps le livre s'imprimera, & après l'exemplaire ſera rendu ſain & entier, & tel qu'il aura eſté conſigne es mains du S. Cramoiſi. Cette lettre vous ſervira s'il vous plaiſt, d'obligation & d'aſſeurence, & la garderés, ou celui auquel vous la baillerés a ceſt effect. S'il eſt beſoing de plus grande, me le faizant ſçavoir, i'y ſatisferai, mais ſupplie, que ce la ne retarde un ſi bon œuure. I'ai ja oui parler de l'hiſtoire du Pais-bas eſcrite par le Conneſtagio, du quel i'avoi ja veu & eſtimé celle, qu'il a eſcrit de l'Union du Royaume de Portugal a la couronne de Caſtille. I'en ai veu l'auĉteur à Genes. Il a les qualitès par vous remarquées, & pour les quelles l'on exagite aujourd'hui ceus, qui entreprénnent tels œuures: mais (1) *quiconque travaille pour le public, il faut, s'il veut bien s'aquiter de ce qu'il a entrepris, qu'il oublie ſon particulier, & prefere le jugement de la poſterité à la haine & l'envie du préſent. Ie ſçai à quoi m'en tenir: mais Dieu & le temps m'en feront la raiſon. Cependant je ſuis reſolu a la patienze, ſans me beaucoup empéſcher ni ſoucier de tout ce, que l'on dict & eſcrit contre moi; mais recours a Dieu & a ma conſcienze. Ie n'ai pus, ni meſmes voulu voir le dernier liure injurieus, qui a eſté faict contre moi pour ce ſubject, ni voulu ſçavoir ce, qu'il contient, ne l'ajant jugé digne d'eſtre veu ni leu de moi, & n'en déſirant autre vengeance, que le meſpris: auſſi que je n'ai le loiſir de m'occuper en ſi mauvaiſes lecture, & que plus grandes affaires me divertiſſent aſſés, ſans perdre mes meulleures heures en ſi miſérables éſcrits. Ie croi que puiſque le livre du Conneſtagio eſt imprimé, il ſe pourra recouvrer pardeca, ſans qu'il ſoit beſoing que je vous imcommode du voſtre, ſi ce n'eſt, que ſa liberté lui euſt concité des énnemis, & euſt empeſché la publication; au quel cas je ne refuſe voſtre courtoiſie. Aimés moi, & me conſerves en vos bonnes graces. En c'eſt endroict je ſupplié trés-humblement N. S., Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace. De Paris ce XXII. Jullet 1614.*

Hucuſque Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* ad *Robertum Scheilderum* epiſtola. Cæterum cum, ut

(1) *Locus vere aureus, cujus ſenſus:* Quicunque utilitati publicæ recte ſtudet inſervire, eum oportet obliviſci privati commodi, & præferre incorruptum poſteritatis judicium odio & invidiæ præſentis ſeculi. *Ad eundem fère modum Seneca Epiſtola 79:* Nulla virtus latet; & latuiſſe non ipſius eſt damnum. Veniet, qui conditam & ſæculi ſui malignitate compreſſam dies publicet. Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum ſupervenient; ad illa reſpice. Etiamſi omnibus tecum viventibus ſilentium livor indixerit, venient, qui ſine offenſa, ſine gratia judicent.

ut ſupra memoravit, *Scheilderus* Codicem illum MStum *Nicephori* Anno 1614. *Lintzii* accepiſſet, ſummo deinceps ſtudio in eam curam incubuit, ut is in manus Præſidis *Thuani* quam primum ſecure perveniret. Inprimis autem R. P. *Fronto Ducæus* e Soc. Jeſu, quem ſtudium linguæ Græcæ præ cæteris celebrem tunc in Gallia reddiderat, cum a *Scheildero*, tum ab ipſo *Tengnagelio* ea de re factus fuit certior, ut ex ſubjunctis ipſius literis, A. 1615. d. 24. Februarii ad *Tengnagelium* datis, videre eſt.

Fronto Ducæus Sebaſtiano Tengnagelio J. U. D. & Cæſareo Bibliothecario V. CL. S. D.

Quod a (1) *Pocta dictum eſt neſcio quo, non defuturos Marones, ſi fuerint Mecænates, id mihi libet immutatum ad tuam laudem traducere, Clariſſ. Tengnageli, ut aſſeram, incaſſum Ptolemæos nobis ſuppetere Philadelphos, niſi Demetrios etiam habeant Phaleræos. Etſi enim pauci ſint Principes, qui locupletiſſimas inſtruant Bibliothecas, & ad extorquendos e barbarorum manibus Codices calamo exaratos pecunias impendant, tamen illi ipſi, niſi liberales & doctos illis cuſtodes apponant, multo magis libris rarioribus carebimus, quos etiam cum dolore, imo luctu, ſervari ſciemus, ſed ab iis, qui per ſummam invidiam eorum uſum doctis aut ſtudioſis hominibus non permittunt. Quo nos æquius eſt, probitatem atque humanitatem tuam ſuſpicere ac prædicare, qui, etſi a nobis* (2) *non rogatus, bene de nobis mereri ſponte voluiſti, ſtatimque atque amicorum opera tibi innotuit, nos Hiſtoriam Nicephori Græcam avide expetere, ut, quod unum ſupereſt in Orbe Chriſtiano illius exemplar, formis expreſſum æreis in lucem exeat, perlibenter ad nos mittendum illud tradidiſti. Ac nos quidem non mediocriter anxios ac ſolicitos habuit ejus expectatio, cum literæ quidem tuæ Septembri menſe datæ jam in itinere eſſe ſignificarent, cui commiſſum erat; ipſæ vero Francofurti ſine libro Pariſienſi Bibliopolæ Morello fuiſſent redditæ. Sed admoniti poſtea ſumus a doctiſſimo noſtrique amantiſſimo Scheildero, fidem datam fefelliſſe, qui ſe illud laturum receperat, itaque κατὰ δεύτερον πλοῦν, alterius geruli fidelioris opera eſſe perferendum. Cum igitur advenerit, quam diligentiſſime curabimus exſcribi, ſtatimque remittemus, & antequam prælo ſubjiciatur, cum Græco textu Langii verſio conferetur, ne qua forte loca, ut fit, interpres omiſerit, vel ſubleſta fide corruperit: cujus enim fuerit communionis, illo ſuo grandi in Juſtinum commentario ſatis indicavit. Baſilium ſe miſſurum Lutetiam, utraque lingua edendum, Anglus quidam promiſerat, ſuamque interpretationem Pariſienſium cenſuræ Theologorum ſe ſubjecturum profeſſus erat, ſed nondum ſtetit pollicitis. Propterea, abſoluto Gregorio Nyſſeno, Morelli prælum Juſtino Martyri nunc operam navat, quod editionis Commelinianæ jam amplius venalia non proſtent exemplaria. Quod ad Theophilum, Athenagoram & alios minores Patres atti-*

(1) Martial. *lib. 8. Epigram. 56. ad Flaccum:* Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

(2) *At ab Illuſtriſſimo Præſide* Thuano *vehementiſſime rogatus fuerat, ut ex ejusdem gratiarum actione paulo poſt apparebit.*

attinet, ſpem faciunt Bibliopolæ Pariſienſes, ut, poſtquam diſtracta fuerint exemplaria editionis ultimæ latinæ Bibliothecæ Patrum, nova ab illis ſuſcipiatur, quæ Græcos Patres utraque lingua repræſentet excuſos, quod illi me hortante ſi præſtiterint, non dubitabimus tuum auxilium implorare, ſi forte Regiis forulis Imperatorii ditiores fuerint & copioſiores. Concilia Græca prius, ut ſpero, prælo ſubjicientur, quando illud eis onus impoſitum eſt, qui privilegium à Regio Conſiſtorio non ita pridem ad annos triginta obtinuerunt Breviaria & libros officii Eccleſiaſtici excudendi ea lege atque omine, ut in poſterum Græcos Patres & ipſa Biblia Plantiniana recudant τετρύγλωσσα. Sed deſunt nobis manuſcripti, qui Synodum quintam ἐκκαιδεκάτην exhibeant, quæ ne in ipſa quidem Vaticana potuit reperiri. Habemus quidem in Regia Bibliotheca Conſtantinopolitanam ſub Menna habitam, ſed illa non fuit generalis. Sunt & in hac urbe duo Maronitæ, quorum opera ſe uſurum profitetur Dn. Breveſius, Regius ad Pontificem Exlegatus, ad Bibliorum Paraphraſin Arabicam & Chaldaicam excudendam. Catalogum librorum ſimulque pretii indicaturam his attexam, quorum nomina miſiſti. Sic autem habeto, nos operam daturos, ut Hieronymi Druardi vel Sebaſtiani Cramoiſii Nivelliani Actores libros illos habeant Francofurti, eoque pretio tibi addicant, quo Lutetiæ væneunt; tantum erit portorium addendum ſive pretium vecturæ. Sperare nos porro jubent amici omnia fauſta de Comitiis Regni, quibus heſterno die finis impoſitus eſt, peroravitque pro Clero Epiſcopus Lucionenſis, pro Nobilium Ordine Baro Senecotus, qui Cardinalis Rupifucaldii fratris filiam in uxorem duxit, pro Tertio ſive Plebejo Ordine Præſes - -, qui & ipſe Præfectus eſt Mercatorum ſive primarius Ædilis. Inter ea capita, quibus poſtulant a Rege, quæ ad conſtituendam ordinandamque Reipublicam pertinent, unum eſt, quod litem in Senatu pendentem inter Academiam & Collegium noſtrum Pariſienſe ad Regii Conſiſtorii tribunal traduci poſtulat, & nulla oppoſitionum quarumvis aut interceſſionum habita ratione, ſcholas nobis reſtitui, cum honorifico noſtræ Societatis elogio. Obtulerat Rector Academiæ quosdam articulos adverſus ordines religioſos nuper exortos & noſtram Societatem, ſed ab omnibus Ordinibus ſunt rejecti. Verum ex literis ad Dn. Scheilderum fuſius ejusmodi res noſtras cognoſces expoſitas, quarum ſi felicem, quem optamus, ſucceſſum obtinuerimus, longe uberior facultas ſuppetet, DEO favente, tuis commodis & obſequiis inſerviendi, aliaque officia præſtandi, quæ a nobis pro tuo jure potes exigere; tu modo, quam pollicitus es, auxiliandi operam ne deneges, ſimulque de Eccleſia Chriſtiana bene mereri pergas. Salutant te doctiſſ. Morellus Regius Profeſſor & P. Dionyſius Petavius, qui Fixæ Andegavorum Rhetoricam docet in Regio Henrici Magni Collegio. Salutat te & doctiſſimus Rigaltius, qui in Cura Bibliothecæ Regiæ Caſaubono ſucceſſit, auctо etiam ſtipendio ad ſexcentos uſque florenos Brabanticos ſive libras Turonicas totidem; quo etiam genere nummúm paſſim in Gallia mercatores pretia indicant: & Catalogum etiam ſequentem hoc pacto nos compoſuimus. Vale. Lutetiæ

Parisiorum VI *Kal. Martias* CIↃ IↃC XV.

Hucusque R.P. *Frontonis Ducæi* ad *Tengnagelium* Epistola, qua illi significavit, quanto desiderio Manuscriptus *Nicephori* Codex Cæsareus *Lutetiæ* expectaretur. Pervenit is autem eo tandem aliquando die XXIX Aprilis A. CIↃ IↃCXV, ut videre est ex jam memorati P. *Frontonis Ducæi* literis ad *Scheilderum*, die XV Maji A. 1615 datis, quarum exemplum hoc est.

Monsieur

Le Nicephore est arriué à Paris sain & sauue, Dieu mercy, le 29 d'Auril auec une lettre du Pere Gueret, Recteur de nostre Noviciat de Namcy, qui m'escriuoit du 18 d'Auril, qu'un Gentilhomme Espagnol nommè Navarra luy avoit deliuré pour me le faire tenir. Le dict Espagnol l'auoit receu d'un grand Seigneur Portugais, & l'à faict porter jusques à Nancy sortant de Vienne, ou il estoit à la suite de l'Empereur. Six heures apres que je l'eus receu, ayant payè le port à deux sôls pour livre, en pesoit 20, je l'ay portè à Monsr. le President de Thou, qui à estè fort aise de le receuoir, & en a faict si grand estime, qu'il pense, qu'il pourroit estre l'autographe, ou la copie presentée par l'auteur, l'Empereur luy en ayant laissè l'entiere disposition comme par courtoisie. Il disoit s'remettre a moy. Il m'a faict dire depuis par Mons. Rigault, que pour son contentement il seroit bon, qu'on le fist transcrire par Maistre Henry Estienne, fils de Charles Estienne, frere de Robert, qui est Catholique, & a son imprimerie en l'ancienne maison des Estiennes pres les escholes du Decret: mais a cause, qu'estant Thresorier des bastiments du Roy, il a estè incommodè en ses affaires, rediit ad majorum artificium. C'est celuy, a qui Monsr. Casaubon a dedié ses Notes sur Dion Chrysostome. Les frais de l'Impression seront faits par Drouart le Libraire, qui debite & a fait imprimer l'Histoire du dict Sr. President, & hoc inconsultis nobis: de quoy Claude Morel faisant ses plaintes, comme ayant eu esperance de l'auoir pour soy, il adjousta, que le dict Sr. ne vouloit point, qu'on recuist la traduction latine, & qu'il ny avoit rien a corriger. Je ne scay ce qu'en sera; mais je crains, que ce sera chose difficile de contenter le dict Sr. President & le Sr. Bibliothecaire del Empereur, qui veut, qu'on renvoye la traduction. J'ay besoing de m'entretenir en paix avec le Bibliothecaire du Roy, & mesme leur authorité, m'est necesse, estant a Paris. Je ne luy ay point delivrè vostre lettre a cause qu'elle fait mention de la dedicace. Je prie de m'en envoyer d'avis de peur d'estre engagè & de deplaire, si on se monstre moins enclin a leur honneur. (1) *A la verité puisque la traduction est dediée a un Empereur, il ne semble pas seant, que l'edition dont soit donnè a un moins Grand Seigneur, que celuy a qui est la simple. Je seroy bien aise d'en estre entierement delivrè. On n'a encores vuidè le different des libraires à raison du previlege des Breviaires, pour le quel on les veut charger d'imprimer les auteurs & Peres Grecs,*

(1) *Locus notabilis de dedicanda Imperatori editione Græco-latina Nicephori. Justissimum enim profecto hoc fuisset, sed, cujus nescio culpa, prælatus fuit S. Cæsareæ Majestati* Cardinalis Richelius.

Grecs, & le Preſident de Thou eſt un de deputés pour la Surintendance de ces labeurs Royaux avec le Sr. Cardinal du Perron, Mr. de Marillac & S. le Lieutenant Civil Henry de Meſmes. On croit, que dimanche prochain cela ſe terminera. On n'a encores reſpondu aux Cayers de trois eſtats. L'Aſſemblée générale des Hugenots ſe doibt faire a Jargeau, tient bout en ſuſplus. Noſtre College eſt entre autres points mis en ſuſſeance. Un de nos Peres du Paysbas nommé Petrus Lanſtelius eſt en cette ville, & fait imprimer Dionyſii Areopagitæ Opera græce & latine, ayant reveu la traduction de Penin, en laquelle il trouve autant a dire, que Grucius en celle d'Ariſtote, & continue l'edition de S. Thome, de S. Jean Chryſoſtome, apres que les œuvres de Lucian ont eſtés imprimes en meſme forme. C'eſt tout ce, que pour le préſent je vous puis eſcrire, me recommendant a vos bonnes graces, &c. De Paris ce 15. de Maji 1615.

Hucuſque R. P. *Frontonis Ducæi* de Codicis MSti Cæſarei Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* incolumi *Lutetiam* adventu Epiſtola ad *Scheilderum*. Ad *Tengnagelium* autem integris ante decem diebus, nempe die IV Maji ejuſdem A. CIↃIↃCXV, ipſe Illuſtriſſimus Præſes *Thuanus*, non tantum *gratiarum actionis*, ſed & *Syngraphæ* loco has miſit literas.

Jacobus Auguſtus Thuanus V. CL. Sebaſtiano Tengnagelio S. D.

Ad tuas Viennæ Pannonicæ ante octo menſes datas, V. C. reſpondeo. Expectatione Nicephori tui, quem diu in Italia & Lotharingia prius jactatum, tandem recepi, reſponſionem diſtuli. Sciebam tota Europa hoc unicum exemplar extare; quippe qui per Oratores noſtros Conſtantinopoli jam a multo tempore ſedulo egiſſem, ut ſi ejuſdem aliud nanciſci poſſent, illud quovis pretio redemptum ad nos mitterent: quod illi, veſtigatione diligenti facta, cum fruſtra fuiſſent, nimis verum eſſe confirmarunt. Quo mihi diligentius enitendum putavi, ut habendi veſtri & edendi occaſionem quærerem, ne, ſi caſu illud amitteretur, cum eo nunquam ſarciendæ jacturæ amiſſio fieret. Nunc cum tua benignitate, & commendatione Dn. Schilderi, id meæ fidei commiſſum ſit, ut tantæ expectationis liber publicetur, dabo operam, ne te benignitatis tuæ aut Schilderum officii pœniteat. Habebis interim & ſervabis has a me literas, fidei jam datæ teſtes alteras; ac ſpero, ut intra annum majore ex parte perfecto opere, eam ſi non omnino liberare, diligentiam ſaltem in eo edendo adhibitam miſſis foliis jam cuſis tibi approbare poſſim. R. P. Fronto Ducæus erit operis inſpector & curator, &, ſi me audiet, (1) Sereniſſimo Matthiæ Cæſari, ex cujus inſtructiſſima Bibliotheca illud ad publicam utilitatem nunc ſua lingua, ut olim Ferdinandi avi auſpiciis latina, prodit, denuo inſcribet, & beneficii auctorem laudabit. Inter occupationes aulicas hoc etiam curæ mihi erit. Mora illa octimeſtris, quæ a datis tuis literis ad exemplar receptum effluxit, in cauſa fuit, quo minus deſideriis tuis in reliquis pro tempore ſatis factum fuerit. Pu-

(1) *Juſtiſſimum hoc fuiſſet, ſed, cujus neſcio culpa, Cæſari prælatus fuit* Cardinalis Richelius.

Paratam habebam noſtrarum Hiſtoriarum editionem, multis partibus & rebus præcipue Britannicis & Hibernicis auctiorem, & ſpem fecerant librarii, ut ad eam ſe ſerio accingerent. Quod cum non fecerint, dabo operam, ut exemplar forma 12ma, quæ aliis, ut noviſſima, melior eſt & locupletior, ad te mittatur. Nam marginalibus illis Notis, quæ minus tibi gratæ, ego pariter offendor non mediocriter, & graviſſime tuli, me ſuperſtite, qui multa addere, detrahere, etiam quædam emendare & meliora facere in iis ſperem, & jure meo poſſum, præpoſtera nundinalium librariorum ſedulitate, ſeu potius attentiore ad quæſtum diligentia, mihi plenam de re mea ſtatuendi libertatem & arbitrium ademptum eſſe. De Marmolia in Hiſpaniam ad Oratorem Regium, proxima mecum cognatione conjunctum, jam pridem ſcripſi, necdum tamen commodum ab eo reſponſum tuli, raritatem libri cauſante, utpote diſtractis, quæ apud Typographos proſtabant, cunctis exemplaribus. Nam quod habebam, & quo uſus ſum, cum viro mihi amiciſſimo commodaſſem, mortuo eo hæredes reſtitutionem procraſtinantes, hactenus eluſerunt. D. Schilderus habet amicos in Hiſpania, quorum ope non dubito, quin jam nunc tibi rem confectam dederit. Si interim ex Hiſpania aliud nanciſci, aut meum recuperare potero, illud quam primum ad te curabo. Saracenica ſeu Muhamedica, quam moliris, Hiſtoria fac per tuam diligentiam, ut, quam cito fieri poterit, fruamur. Juvabit tam potentis Imperii prima incunabula vix ſatis Chriſtiano Orbi huc uſque perſpecta plenius cognoſcere, & imperſcrutabilia DEI judicia, qui Imperiorum auctor eſt, in eo admirari. Librarii noſtri novam Bibliorum editionem parant, cui poſt Hiſpanam & ultimam Antverpianam, meliorem paraphraſin Chaldaicam ſive Syriacam & Arabicam verſionem in Vetus & Novum Teſtamentum addent cum interpretatione Latina peculiari. Illuſtriſſimus Cardinalis Perronus opus urget, & vicaria opera noſtra ad eam rem utitur. In præſentiarum nihil aliud habeo, quod ad te ſuper tuis & de rebus noſtris ſcribam. Reliquum eſt, ut tibi pro declarata tam inſigni beneficio amicitia gratias qua poſſum mutui animi propenſione agam, & te precibus enixe obſecrem, ut me porro amare pergas. Vale & me ama. Ex Villabonio noſtro, IV Nonas Majas CIↃ IↃC XV.

Hucuſque Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* ad *Tengnagelium* epiſtola, qua ob acceptum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* Codicem MStum Græcum fidem ſuam obligavit loco *Syngraphæ*; Cæterum quantæ molis fuerit, *Nicephorum* illum peregrinantem ex *Gallia* revocare domum, ſatis patet ex ſubjuncta Epiſtola R. P. *Frontonis Ducæi*, quam poſt mortem *Thuani* d. 13 Januarii A. 1621 miſit ad *Tengnagelium*.

Clariſſimo Viro Dn. Sebaſtiano Tengnagelio J. V. D. & Cæſareo Bibliothecario Fronto Ducæus
S. P. D.

Ex literis communis amici noſtri D. Schilderi, Canonici Atrebatenſis, jam diu tibi, opinor, innotuit, per me non ſtetiſſe, quo minus citius Nicephorus tuus & Cæſareæ Bibliothe-

thecæ reſtitueretur, & in lucem utraque lingua editus prodiret, præſertim cum non ita pridem ipſe præſens Lutetiæ ſuis oculis & auribus, quo in loco negotium iſtud verſaretur, & quo in ſtatu eſſet, percipere potuiſſet. Quod ſi mihi ſcirem agendum cum homine, qui ignoraret, quam difficile fuerit hactenus ordini noſtro, jus ſuum apud Judices Pariſienſis iſtius Senatus obtinere, exponerem pluribus, & per longas ſermonum ambages totam hiſtoriam deducerem; ſed quoniam Societatis noſtræ veteri amico rem narro, non pudebit me viciſſim tecum expoſtulare, quod nunquam ad Præſidis Thuani filiorum tutores curatoresve ſcribere dignatus ſis, neque per Legatos ordinarios, vel extraordinarios Imperatoris egeris, ut tam rarus tantique pretii liber repoſceretur. Cum enim ad me ſolum eum non miſeris, ſed Regii Bibliothecarii committendum fidei volueris, eique per me traditus fuerit, qui potui ego privatus & religioſus profeſſus ei litem intendere, qui eum tot annos detinuit? Urgere tantum, & precibus querelisque ſollicitare tutores illos potui, quod & præſtiti, nec ipſi recuſarunt apud Prætorem Pariſienſem illum in jus vocatum perſequi, donec ad Supremam Curiam provocavit. Henricus Stephanus is erat, cui affinis ejus Iſaacus Caſaubonus ſuas in Dionem Chryſoſtomum Notas προσεφώνησε, qui cum amicorum potius vitio, quam ſuo pæne decoxiſſet, & quæſtura ſua ſe abdicare, atque ad priſtinam paternamque Typographi artem redire coactus eſſet, gratificari voluit ei Præſes, atque ejus fidei Nicephorum exſcribendum & imprimendum commiſit. Cum igitur diutius editionem illam differret, quo-

A

B

C

uſque ſuis creditoribus ſatisfacere potuiſſet, librum a ſe repoſcentibus reſpondebat, æquum non eſſe, ut ſui laboris fructu privaretur, cum tot menſium vigiliis apographum illud exaraſſet fideliter ex autographo expreſſum. Objiciebatur illi, præſto eſſe Bibliopolas, quorum ſumptibus liber edendus eſſet, qui non ſolum manupretium illi numerarent, ſed & auctario inſigni mercedem illam cumularent. Tandem tamen cum ad editionem ſe accingeret Regio inſtructus Privilegio, quod a Senatu confirmari cupiebat, ad Regium Procuratorem venit. Ille vero a me rogatus, aſſenſum ſe præbiturum negavit, niſi prius Codicem Cæſareum reſtitueret, quem etiam in ſuum Muſæum mihi tradendum perferri curavit: poſtea tamen ſenis afflicti lachrymis victus, illum ei reſtituit, & paciſci cum Bibliopola permiſit, a quo & pro manu pretio apographi & pro ipſius privilegii communicatione ſponſionem quingentorum aureorum extorſit, poſt ſex menſes numerandorum. Itaque niſi velit grandi fœnore gravari Sebaſtianus Cramoiſius, Sebaſtiani Nivellii ex filia nepos, neceſſe eſt, ut primo quoque tempore Nicephorum prælo ſubjiciat, jamque duodecim aureorum ſummam Viennam miſit ad Secretarium Domini Bethunii, ut ejus opera Privilegium Cæſareum poſſit obtinere. Cœpimus interim Joannis Langi Latinam interpretationem cum textu Græco diligentius conferre, comperique hominem alioqui doctum non paucis in locis erraſſe, neque dignatum cum Euſebio, Socrate & Sozomeno ſuam verſionem conferre, aut eos auctores adire, quorum ex libris Nicephorus ſuas hiſtorias excerpſiſſet. Exempli cauſa lib. 2. cap. 13, angelum ſcribit conſpectum ab

Herode funiculo cuidam insidentem, statimque cognovisse ex malis illis esse, qui aliquando boni fuissent. At hoc non dicit Nicephorus, vel certe Josephus, ex quo illud est, sed bubonem, ab Herode visum, qui, ut olim, Romæ cum esset, nuncius boni fuit, sic nunc propinquæ mortis nuncius futurus advenerat. Id enim prædictum Herodi fuerat a Germano vate, ut scribit Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 8. Sunt etiam loca nonnulla apud Eusebium ex conjectura correcta ab interprete Christophorsono, quorum lectio restitui Nicephori auxilio potest, & mutuam operam ipse ex aliorum collatione sibi utilem experiri. Nonnunquam enim in compendium redegit, quæ alii pluribus exposuere, nonnunquam etiam fusius narrat, & lucem aliis affundit. Hanc vero collationem non potest quis stans pede in uno & raptim præstare; itaq; temporis aliquid concedi necesse est, ut ad historiarum capita fontesque perveniamus. Atqui multo erit illud honorificentius Imperatoriæ Bibliothecæ, si accurate recognitus cum interpretatione prodeat ex illa Nicephorus, quam si accellerata diligentia cum tot nævis & maculis suspecta Catholicis cieatur editio ab homine Lutherano elaborata; licet Catholicum eum fuisse Philippus Mornæus aliquando contenderit, eo nomine ab Illustrissimo Cardinali Perronio castigatus. Neque metuere debes, quin elogium dedicationis ei liceat inscribere, cui debetur; quod ita poteris, Deo favente pertexere, ut simul Νικηφόρου (1) τῷ νικηφόρῳ & Triumphatori semper Augusto te dicas offerre. Ita nunc omnia prospere cedunt magnanimo Principi

& de religione Catholica optime merito. Scito interim a nobis prælo adornari Theodoreti opera, quæ accitis Italorum auxiliis exscribi cuncta curavimus, ut simul usui nobis essent ad eruendas varias lectiones Græcorum Bibliorum, quorum editionem Communem, quam vocat Hieronymus κοινὴν, & nobis suscipiendam duximus, additis obelis & asteriscis in iis locis, in quibus a textu LXX. dissentit. Cyrilli etiam Alexandrini lucubrationes, cujus fragmenta non pauca ex libris quatuor in Joannem, qui perierunt, ope Catenarum Nicetæ Heraclienſis recuperare conati sumus. Regia vero prælo editione Græco-Latina occupantur Epiphanii, cujus textum jam excusum Notis uberioribus illustrat R. P. Dionysius Petavius. Alteri prælo insidet Plutarchus, ei similis, quem Wecheliani vulgarunt, cui suum etiam addet auctarium idem Petavius. Maronitæ vero duo linguam Arabicam profitentur, & illis tanquam Regiis Professoribus quadringentorum aureorum stipendium assignatum est. Nuper etiam ab universo Franciæ Clero munere non exiguo sunt adjuti, ut inchoatam Veteris Testamenti Paraphrasin Arabicam in lucem edere possint, una cum sua interpretatione Latina, quam suis sumptibus iidem Episcopi in lucem exire curabunt. Thomas Erpenius Lutetiæ fuit, sed ex ea jam diu discessit in Belgium, ubi editionem illam Arabicam dicitur prælo adornare, Catholicis suspectam futuram. Scripserat adversus Jacobum Gotofredum conjectorem Suburbicarium R. P. Jacobus Sirmondus; quem Gotofredum Claudius Salmasius Divionensis Causidicus ausus est

(1) *Nempe Glorioſissimo Romanorum Imperatori* Ferdinando II. *qui hac periphrasi ſignificatur.*

eſt adverſus ipſum defendere libello edito hoc titulo: Amici ad Amicum Epiſtola. Adverſus utrumque calamum ſtrinxit iterum, & librum edidit, quem una cum his literis libenter miſiſſem, ſi vel a fronte, vel a tergo Ciconiam illum vidiſſem, cui literas tuas dederas perferendas. At ille cum Lutetiam veniſſet, quod Aula eſſet in Picardia cum Rege, illuc fortaſſe confeſtim perrexit; literas tuas tabellario tradidit, qui vecturæ pretium pro arbitrio exegit. Itaque in poſterum tutius eas dabis Domini Bethunii Secretario, qui eas faſciculo ſuarum includet, atque ad Præceptorem domeſticum filii ipſius Domini ſui mittet. Vive & Vale Clariſſime Domine, & iſto per literas commercio ſtudiorum nos ſæpius beare ne graveris. Lutetiæ Pariſiorum Idibus Januariis CIↃ IↃC XXI.

Hucuſque R. P. *Frontonis Ducæi* ad *Tengnagelium* epiſtola de difficultate remiſſionis *Nicephori* MSti in Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream. Poſt mortem autem jam memorati P. *Ducæi* devenit Codex ille MStus *Nicephori Calliſti* in manus R. P. *Jacobi Sirmondi*, e Societate Jesu, Viri ſanctiſſimæ vitæ, ſummæ eruditionis & accuratiſſimi judicii, quem ego, cum *octodecim annorum* adoleſcens A. 1646 & 1647 prima vice *Lutetiæ* degerem, præ cæteris omnibus Viris doctis, quibuscum ibi amicitia mihi interceſſit & familiaritas, tam vehementer adamavi, & tam avide colui, ut, quantum per ipſius licuit occupationes, vix ullus præterierit dies, quin venerabilem illum Senem in Illuſtri *Claromontano* Collegio inviſerim, & pio ſimul ac docto ipſius colloquio erudiri ſtuduerim. Literæ ipſius jam memorati R. P. *Sirmondi* ad *Tengnagelium*, quibus eum de Codice MSto *Nicephori Calliſti*, poſt mortem R. P. *Frontonis Ducæi* in manus ſuas devoluto; certiorem facit, ſunt hæ:

Clariſſime & Doctiſſime Domine, mihi plurimum obſervande.

Nicephori vetus exemplar Cæſareum, quod ego poſt P. Frontonis Ducæi obitum in fidem meam receperam, ſalvum ad te D. Werdemanni Reſidentis opera perveniſſe ſpero. Quid vero ejus editionem tamdiu antehac retardarit, non facile dixerim; ſed video nunc tandem a Cramoiſio noſtro typos Græcos comparari, ut eam proximo, ut ait, Decembri menſe aggrediatur. Quod ſi fiet, multorum expectationi ſatisfaciet; tibi autem in primis gratiam habebunt, qui tuo id ſe potiſſimum beneficio conſecutos intelligent. P. Petavius abſoluto ante biennium Epiphanio, alterum ingens Opus ſuum de Doctrina Temporum adverſus Joſephum Scaligerum prælo ſubjecit, eoque jam perduxit, ut poſterioris Tomi pauca ſuperſint paucis menſibus abſolvenda. Poſthæc ad Juliani Παραβάτου *reliqua ſe accinget. De Theophanis enim hiſtoria conſilium, opinor, abjecit, quod & ab aliis tum in Germania, tum in Gallia, pariter objectum videtur. Bibliothecam Patrum Græco-Latinam duobus item Voluminibus comprehenſam, Pariſiis editam vidimus, paulo ante quam P. Frontone careremus. In hoc enim Opere deſit ὁ μαχαίτης. Qui, ut alia, ut noſti, meditabatur, Nicephorum ſcilicet, Theodoretum Cyrillum Alexandrinum, & Biblia Græco-Latina. Ex*

quibus Nicephorum plane absolverat; itaque cum Græco textu latina versio, ut ab eo recognita fuerat, conjungetur. Theodoretum enim magna ex parte confectum habebat. Quod deerat, supplere ipse, licet impar, instituit, si DEVS mihi, post Concilia Gallicana, quibus adhuc distineor, vitam viresque concesserit. Ad Cyrillum pauciora collegerat, quæ usui tamen esse possint, si quis hic aliquando ad eam curam animum adjiciet. In Bibliis Sacris multum ac diligenter laborarat, unumque hoc Opus præ cæteris urgebat: sed vereor, ut inposterum sperare liceat, propter novam editionem Græco-Latinam, quæ hic jam inchoata est, curante, ut audio, Joanne Morino, e Congregatione Oratorii Viro docto, cujus nuper in lucem prodierunt Exercitationum Ecclesiasticarum libri duo. Quod ad Biblia Syriaca & Arabica spectat, quæ Maronitæ pollicebantur, nihil hactenus apparuit. Geographiam tuam anonymi Nubiensis jam pridem dederant. Cujus exemplar, si, quod futurum putat, in Germania reperietur, Cramoisium rogavi, ut Viennam Francofurto perferendum curet una cum Petavii Epiphanio. De Bibliotheca enim Græco-Latina præstare non poterit, quia nondum ad nundinas missam credit. Monui etiam, ut cum Adventoria, quam desideras, Propempticum simul nostrum, quod Adventoriam secutum est, tibi meo nomine offerat; non, quod illa tanti æstimem, ut a te legi debeant, sed ne defuisse videar voluntati tuæ, cui & in aliis omnibus, quæ possim, obsequor libenter. DEVM, quod restat, oro, ut Te rei literariæ nobisque meliori utentem valetudine diutissime conservet. Parisiis III Nonas Septembris CIↃ IↃC XXVI.

Clarissimæ D. T.

addictissimus

Jacobus Sirmondus.

Hucusque R. P. *Sirmondi* de *Nicephori Callisti* Codice MSto Cæsareo *Vindobonam* remittendo epistola ad *Tengnagelium*. Verum enimvero ne tunc quidem, ut *Sirmondus* sperarat, *Nicephori* illud exemplar MStum *Tengnagelio* fuit redditum, sed anni demum sequentis CIↃ IↃC XXVII. Kalendis Februarii; ubi Illustrissimus atque Excellentissimus *Comes de Fürstenberg*, qui ex Legatione Gallica in Aulam Imperialem redierat, eximium istud antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum, quod *integros* fere *duodecim annos*, nempe inde *à Mense Aprili anni 1615.* in Gallia hæserat, Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ feliciter restituit. Hoc enim ipse *Tengnagelius* supra insertæ Illustriss Præsidis *Thuani* ad *Scheilderum* Epistolæ Gallicæ externa pagina testatur his verbis: *Nicephori Historia mihi ab Excellentissimo Dn. Comite de Fürstenberg est reddita I. Februarii 1627.* Hæc de restituto sibi *Nicephoro* ipse *Tengnagelius*.

HENRICI SAVILII ad TENGNAGELIUM Epistolæ.

Catalogum (1) *Bibliothecæ Cæsareæ, quem a me jure optimo reposcis, qui possit bene scribere, adhuc re-*

(1) Antiquus *ille* Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Catalogus, *cujus hic & in sequentibus* Savilli *Epistolis fit mentio, adeo rudis, vitiosus & imperfectus est, ut vix nomine* Catalogi *digmus sit; ideoque valde miror, quod* Hugonem Blotium & Sebastianum Tengnagelium *non puduerit, Indicem Librorum adeo ineptum & mutilum passim & promiscue divulgare, &*

reperio neminem. Sladius enim hæret in Oriente, atque eum Constantinopoli esse mercatores nostri afferunt. Nam ab eo prope toto biennio nihil accepi literarum. Quam primum redierit, curabitur diligenter. (1) *Palladii Dialogum de Vita Chrysostomi in vulgato vestro Catalogo (nam in Sladiano negas quidem) seu in eo, qui vulgo circumfertur, disertis verbis reperio. Ecquid dicemus? Serione sublatum? Et quidem hoc me carere scripto cumprimis doleo. Si postliminio ad vos redierit, vel ubi reperiatur scias, rem facies mihi longe gratissimam, si me feceris certiorem. Hic enim propemodum solus votis meis deest auctor,* βιογράφων Χρυσοστόμου πάντων ἀντάξιος ἄλλων. *Historiam Turcicam Nortoniani nostri Joanni Rhodio tradent in mundinis ad te perferendam; vicissim a te expecto sex vel septem illas orationes, de quibus ad te proxime perscripseram. Tertium volumen Chrysostomi jam sub prelo est; de cæteris Deus viderit. Interea tibi mitto* (2) *Nazianzeni quædam hic edita græce, de quibus, quid sentias, rescribe & vale. Londinii Cal. Augusti A. 1610.*

Tuæ dignitati addictissimus

Henricus Savilius.

Inscriptio harum literarum externa:

Clarissimo Viro Domino Sebastiano Tengnagelio J. V. D. & Cæsareo Regioque Bibliothecario.

Viennam Austriæ.

II.

Ornatissime Domine:

In Bibliotheca vestra Viennensi, Codice numero 301, quinque sunt Orationes (3) *Gregorio Nysseno adscriptæ, quas mihi opera vestra describi cupio.*

Tituli: Εἰς τὴν β ἡμέραν τῆς κοσμοποιΐας *Initium:* Ψυχῆς πάθον ἐγείρει λόγος, ὡς ὥσπερ &c.

Εἰς τὴν γ ἡμέραν τῆς κοσμοποιΐας Ὁ μὲν ἓξ κόσμου τεχνίτης, ἡλίῳ &c.

Εἰς τὴν δ ἡμέραν τῆς κοσμοποιΐας Κάμνουσαν ἡμῖν τὴν Φωνὴν τῇ &c.

Εἰς

ad Viros doctos in longinquas Regiones describendum transmittere.

(1) *Vtrum hic* Palladii de Vita S. Joannis Chrysostomi Dialogus *in* Augustissima Bibliotheca Cæsarea, *etiamnum extet, nec ne, suo deinceps tempore & loco in hisce Commentariis diligenter a me indicabitur.*

(2) *Hoc videlicet est illud ipsum* Opusculorum quorundam S. Gregorii Nazianzeni Syntagma, *in quo etiam* Nonni *supra memorata Historiarum & Fabularum Expositio primum* græce *edita est.*

(3) *Deceptus fuit* Savilius *a vitioso & imperfecto* Catalogo antiquo Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ. *In ipso enim illo Codice MSto, cujus hic & in proxime sequenti* Epistola quarta *fit mentio.* Orationes *illæ* sex in Κοσμοποιΐαν *sive* Creationem Mundi *non attribuuntur* S. Gregorio Episcopo Nysseno, *sed* Severiano Gabalorum in Syria Episcopo, *ut suo deinceps tempore & loco prolixius a me indicabitur. Interim vide Operum* S. Joannis Chrysostomi *editionem græcam* Savilianam *Tom. VII, a pag. 587. usque ad pag. 640, ubi eædem illæ* sex Orationes *sub* Severiani *nomine primum græce editæ sunt, quemadmodum eas* Savilius *ex* Augustissima Bibliotheca Cæsarea *acceperat. Consule etiam* Notas *eodem pertinentes, quæ extant in fine Tomi VIII. ejusdem editionis* Savilianæ S. Joannis Chrysostomi, *columna 871. & 872.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ἐις τὴν ε΄ ἡμέραν τῆς κοσμοποιΐας· Πολλὰ μὲν καὶ μεγάλα τὰ παρὰ τοῦ &c.

Ἐις τὴν ϛ΄ ἡμέραν τῆς κοσμοποιΐας· Φέρε πάλιν τῆς ἀκολουθίας ἁψώμεθα &c.

Quibus si adjungere placet illam (1) Ἐις τὰς θυσίας τοῦ Καΐν, *cujus initium,* Μητὴρ εὐταξίας ἀκολουθία, &c., & *reperitur Codice 29, rem mihi facies longe gratissimam. Has ita descriptas si Nortonianis Bibliopolis Londinensibus proximis nundinis tradi curaveris, ad me tuto perferentur. Scribam ita, uti jusseris, remunerabor. De Annalibus meis Anglicanis nihil possum certi promittere; neque enim adhuc denuo excuduntur, & vetera jam dudum distracta. Vale Vir Clarissime, & mihi negotium tibi facessenti pro tua humanitate ignosce. Londinii 3. Non. Feb. A. 1610.*

Tui studiosissimus.

Henricus Savilius.

III.

Præter illas quinque orationes, quas ex Codice 301. describi mihi rogavi, illam etiam adde, quæ has quinque proxime præcedit, cujus initium (2) Πᾶσα εὐσεβείας ὑπόθεσις, &c. *Rem mihi facies longe gratissimam. Non. Febr. A. 1610.*

Henricus Savilius.

IV.

De integro Nazianzeno edendo cum Scholiis recte mones, sed ubinam gentium reperias (3) *Eliam Cretensem integrum, reliquos item, quibus usus est Leunclavius vester? Istic non extant, si Catalogis fides, nec uspiam alibi adhuc reperio. Orationum* (4) *Severiani* αὐτόγραφον *magnis cum gratiis integrum tibi remitto; sed cum illa, quæ apud vos est in Codice N. 29, Orationem* (5) Ἐις τας θυσίας τοῦ Καΐν, *cujus initium est,* Μητὴρ εὐταξίας ἀκολουθία, *de qua non semel ad te scripsi, non una misisti? neque enim magni fuisset, nisi fallor, laboris. De eo, si placet, curabis proximis nundinis. De* (6) *Catalogo vestro hic describendo pæne* ἀπέγνωσαι. *Sladius olim meus meo maximo cum dolore ante annum & paulo amplius in reditu ex Oriente mortuus est Zacynthi, & Jacobus Darimplius jam pridem, me deserto, in Scotiam rediit. Quid facias homini ab omni librariorum subsidio jam destituto? Chrysostomi exemplar octo constans magnis Voluminibus, infinitis laboribus, immensis sumptibus conquisitum, facilius erit vestris Principibus* (7) *emere, quam mihi donare, jam prope omnibus facultatibus hac editione exuto. De Arabicis, Hebraicis, Syriacis Manuscriptis spem nullam do, ne de quoquam apud nos harum linguarum apprime perito. Inter*

(1) *Hanc quoque* S. Joannis Chrysostomi Orationem *accepit* Savilius *ex* Augustissima Bibliotheca Cæsarea & *primus* græce *edidit Tom. VII. pag. 457. 458. & 459.*

(2) *Vide* primam *Annotationem marginalem proximæ præcedentis* Epistolæ tertiæ.

(3) Nicetas *ille* Metropolita Cretensis. *non scripsit* Commentarium *in omnes* S. Gregorii Nazianzeni *Orationes, sed tantum in illas, quas* Nicetas Serranus, *aliisque non pauci antiqui Explicatores græci vel omnino intactas, vel jejune explanatas reliquerant.*

(4) *Vide supra* primam *Annotationem marginalem Epistolæ* tertiæ.

(5) *Vide supra* secundam *Annotationem marginalem Epistolæ* tertiæ.

(6) *Vide supra* primam *Annotationem marginalem Epistolæ* secundæ.

(7) *Valde hoc miror. Adjumentum enim ad Operum* S. Joannis Chrysostomi *editiones antiquas supplendas & emendandas ex* Augustissima Bi-

ter Sladii ſarcinas Schedas quasdam reperio non magno nec tibi, nec aliis, quantum ego judico, uſui futuras; eas, ſi placet, mittam, cum potero. Vale Clariſſime Vir, & me tui amantiſſimum redama. Londini 18 Decembris A. 1611.

Tibi addictiſſimus

Henricus Savilius.

V.

Clariſſimo Viro, Dn. Sebaſtiano Tengnagelio Henricus Savilius S. D.

Homilias illas (1) εἰς τὴν Κοσμοποιΐαν *nondum ad vos rediiſſe doleo, mirorque. Reddideram Nortonianis ante mundinas unas aut alteras iſtac perferendas, qui ſe cuidam veſtrati in manus tradidiſſe ajunt. Vt ut eſt, curabitur res diligenter hiſce mundinis, hoc eſt, excutientur omnia tam noſtratium quam veſtratium ſcrinia; omnis certe inibitur ratio, ne tua tibi benignitas fraudi ſit. Ego ſumma fide, ſumma cura, quod virum bonum decuit, reſtitui, ad te eadem, qua pervenerunt via, tibi mittendas. De unico exemplari Chryſoſtomi, qui jam tandem prodiit in lucem, nihil habeo certi polliceri. Typographi noſtri omnia e meis manibus redemerunt, atque adeo ægre ſe exorari patientur; faciam tamen tua cauſa, quod potero. Sed Principes veſtri* (2) *emant, ſi uti velint. Beduellum noſtrum, mihi de nomine, non de facie notum, nondum potui convenire; dabo operam, ut tuis, quantum fieri poteſt, votis ſatisfiat. In chartis Sladii nihil eſt admodum, quod tibi uſui eſſe poſſit; & fortaſſe non ſunt omnes ad me perlatæ: dedi tamen operam ſedulo, ne quid intercideret, porroque daturus ſum. Vale Vir Clariſſime, & me ama. Londini 22 Januarii A. 1613.*

Tibi omni officio deditiſſimus

Henricus Savilius.

Quandoquidem etiam in earundem *Savilii* Epiſtolarum *quinta*, nominatim fit mentio *Jacobi Darimplii* natione *Scoti*, quo *Savilius* pro *amanuenſi* uſus eſt, ſubjungo hic coronidis loco illius quoque ad *Sebaſtianum Tengnagelium Epiſtolam*, quemadmodum ea propria ipſius ſcripta manu in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea* adſervatur.

Humaniſſime Domine:

Non dubito, quin acceperis Codices illos de peregrinationibus Anglorum per Orbem, quos jam pridem Ampliſſimus Dominus meus Dn. Henricus Savilius miſit per Bibliopolas Londinenſes Francofurtum, ut inde per veſtros ad te Viennam deferrentur; qui etiam ſatis eſt ſua ſponte paratus ad quidvis aliud mittendum, quod in his Regionibus tibi uſui eſſe putaverit; quare non erit, quod dubites ab illis humanitate te omnia facile impetraturum. Quum apud vos eſſem, ſupervenit inſperato occaſio, ut ſcis, quæ meam ante deceſſionem urgeret, quam deſtinaram, ut nonnulla illic nondum abſoluta reliquerim. Ad quæ abſolvenda mittit idem Ampliſſimus Dominus hunc, qui has ad vos defert

bliotheca Cæſarea *a* Tengnagelio *præſtitum, non* uno *tantum fuit dignum* novæ *editionis exemplari, ſed minimum* duobus, *nempe tam pro* Bibliotheca ipſa, *quam pro* Bibliothecario.

(1) *Nempe* Severiani Gabalorum in Syria Epiſcopi.

(2) *Vide ſupra* ſextam *Annotationem marginalem proximæ præcedentis Epiſtolæ* quintæ.

defert literas, Virum egregie doctum, ſumma probitate & honeſtate, ut de ejus fide dubitare omnino non ſit opus; qui reliquias CHRYSOSTOMICAS, a me partim incuria, partim ignorantia poſthabitas, facile in unum colliget, ne apex unus tanti Autoris pereat. Vides quanto in precio apud nos Autor ille habeatur, qui tanto cum labore, tantis ſumptibus maximisque itineribus comparatur. Quo minus facit ut de veſtra humanitate dubitemus, quin magnopere ſperemus, ut quæ mihi præſtita fuit, cum apud vos eſſem, eandem huic præſtare non dedigneminí. Vale. (1)

Omni erga Te obſervantia & humanitate devinctus

Jacobus Darimplius.

De Amicitia Sebaſtiani Tengnagelii cum Luca Holſtenio, pertinens ad præcedentis Epiſtolæ Segmentum quinquageſimum quartum. (a)

Inter claros hujus ſeculi Viros, quibuſcum *Tengnagelio* interceſſit familiaritas & amicitia, Avunculus etiam meus fuit *Lucas Holſtenius*, ut videre eſt ex ſequentibus *tribus* Epiſtolis ejus, quæ in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea autographæ adſervantur.

Epistola Prima.

Perilluſtris Domine:

Dum ob negotiorum multitudinem & temporis anguſtias ad te viſere non licet, ut ſtudia & obſequia verbis offeram, haud ægre pro ſingulari tua humanitate feres, me literas voluntatis meæ animique addictiſſimi interpretes ad te mittere. Cum Warſoviæ eſſem, monuit me Illuſtriſſ. Card. Barberinus, Muſagetes noſter, ut in reditu ad hanc Civitatem in Sereniſſimi Imperatoris Bibliotheca inſpicerem diligentius Codicem per antiquum, quo Pontificum Romanorum res geſtæ & inſignia gentilitia plurima continentur: quem Codicem olim penes Maximilianum Cæſarem fuiſſe, & nunc penes Auguſtiſſimos ejus Succeſſores aſſervari Ciacconius ille teſtatur, qui de Pontificum vitis prolixe ſcripſit. Quocirca vehementer te rogo, ut Codicis inſpiciendi copiam mihi facere non graveris, ut Illuſtriſſimo ſtudiorum meorum patrono diligentius perquirenti ſatisfacere poſſim. Si quid viciſſim Romæ curatum volueris, eam adhibebo curam fidemque, ut devinctiſſimum me tua humanitate agnoſcas. Salve a tui amantiſſimo atque obſervantiſſimo

Luca Holſtenio.

Viennæ ex ædibus Illuſtriſſimi Card. Pallotti d. VII Maji A. 1630.

Inſcriptio harum literarum externa:

Perilluſtri & Ampliſſimo Dn. D. Tengnagelio S. C. M. Bibliothecario.

Epistola Secunda.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo D. Tengnagelio I. C. Lucas Holſtenius χαίρειν καὶ εὐπράτλειν.

Tantum me inſigni tua humanitate devinxiſti, cum nuper Vienna

(1) *Epiſtolam hanc* anno & die *carentem accepit* Tengnagelius Londino *d. 2. Julii A. 1607, ut ipſe ibidem propria manu annotavit.*

(a) *Hæc quoque prius in Appendice Libri primi, forma epiſtolæ ſcripti, erant inſcripta:* Additamentum II.

na transfirem, ut & benevolentiæ memoria perpetuo animo obversetur, nec de gratia referenda cogitationem unquam deponam; nec minori facilitate spero hoc observantiæ meæ testimonium admittes, quam tum præsentem in amicitiam recepisti. Mitto Syllabum librorum Syriaca & Arabica lingua hic editorum, quem tu haud obscure tum requirere videbaris, ut si quid eorum pro tua vel Cæsarea Bibliotheca emptum cupias, mihi quamprimum significes. Dabo enim operam, ne fidem & diligentiam meam hac in re desiderare possis. Precio non usque adeo magno væneunt, ideoque præcipuis duntaxat adscripsi, & qui soli sunt ἀντάξιοι καὶ ἀντιπάλαντοι cæterorum omnium. Prodierunt etiam nescio quæ Æthiopica ex typographia Congregationis propagandæ fidei, quæ & haberi haud magna cum difficultate, & reliquis adjungi poterunt, si id tibi volenti fore intelligam. Nunc vicissim id summopere abs te contendo; Vir Amplissime, ne mei causa graveris inspicere duos Codices MStos Cæsareæ Bibliothecæ, quos ipse quidem in Indice notaram, sed ob discessum celeriorem perquirere & excutere non potui. Alter eorum inter Historicos est XXXIIItius, continens inter alia Perdiccæ Protonotarii Ephesini descriptionem Locorum Sanctorum in Jerusalem versibus. Alter vero LXVIIIvus est inter Philosophicos, cujus titulus promittit Arriani excerpta de Ponto Euxino. De priori id scire velim, sitne eadem illa Ἔκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεμάτων, *quam sine certi Autoris nomine Fed. Morellus Parisiis edidit ante paucos hosce annos. Constat totum opusculum CCLX versibus politicis,*

quos vocant, sive rhythmicis, quorum primus est:

Ἐπείπερ πολυέρασον, οἶδα, τυγχάνει
πᾶσι
Τὴν τῆς Σιὼν διήγησιν, &c.

postremus verò,

Δευτέραν τήν ἀναψυχὴν εὑρωμὲν τῶν
λεχθέντων.

Sin idem sit auctor, quod puto, titulum græcum, ut in MSto legitur, mihi enotari velim, ut opus ἀδέσποτον suo sibi parenti restituatur in secunda editione. Si diversi sit autoris, obnixe rogo, ut tua cum gratia fideliter mihi transcribatur. De Arriani excerptis itidem scire pervelim, quis titulus, quot foliorum, quod principium, quis finis. Inde enim facile erit dispectu, sintne eadem cum illis, quæ ex Regia Parisiensi & Vaticana Bibliotheca jam pridem habui. R. P. Corderius operam suam in perveste gando & describendo, ut spero, non negabit. Nollem enim meam importunitatem tibi quidquam molestiarum facessere. Rescribe quæso quantocius, &, quid de exoticis illis libris fieri velis, significa. Vale. Romæ CIↃ IↃC XXX *prid. Kal. Septemb.*

Parisiis Regia Biblia Plantini multo augustius ac splendidius recuduntur. Puteani fratres opus jam ad finem propemodum perductum scribunt. Vnius privati hominis sumptu editio procuratur, qui seorsim uno volumine integra Biblia Arabica addet, & Pentateuchum Samaritanum Samaritano charactere, hactenus ferme Europæis incognito. Illum jam elegantissimum cusum fusumque iidem nunciant. Nicephorus Callistus vester jam absolutus est duobus magnis volu-

minibus. Nunc Theodoreti opera Græco-latina excuduntur ſtudio & cura P. Sirmondi, viri & doctrina & judicio maximi. Hæc quod ad ſtudia Tua pertinere videbantur, volebam neſcius ne eſſes.

Ampl. D. T.
obſequentiſſimus
Lucas Holſtenius.

Nota librorum editorum Romæ lingua Arabica & Syriaca.

Syriaca Lingua.

Officium pro defunctis Chald.
Miſſale Chaldaicum.
Breviarium Chald. pro Maronitis, opus ingens fol. — 10 — 0
Grammatica Georgii Abmir Chald. Latin.
Compendium Grammaticæ Chald. 12mo.
Nomenclator Chaldaico-Arab.-Latin., ſed imperfectus. 4to.
Alphabetum Chald. cum aliquot Pſalmis & Orationibus.

Lingua Arabica.

Avicenna Arab. fol. — 6 — 0
Euclides Arab. fol. — 2 — 0
Quatuor Evangelia cum interpretatione lat. fol. — 1½ —
Pſalterium cum interpretatione lat. 4to — 1 —
Catechiſmus ſive Doctrina Chriſtiana Bellarmini cum interpret. lat.
Geographia Nubienſis Arab. 4to.
Liber dictus Agiromia Arab. 4to.
Doctrina Chriſtiana major Bellarm. Arab. tantum. 8vo.
Inſtitutiones linguæ Arabicæ Petri Metoſcitæ. 8vo.
Logica Arabica cum verſ. Thomæ Novarienſ. 4to.
A *Liber dictus Caphie Arab. 4to.*
Duo Alphabeta Arabic. latin.
Officium B. Virginis Arab., ſed charactere Chald.
Profeſſio fidei pro orientalibus lingua Arabica, charactere Chald.
Calendarium Romanum Arab. charactere Chald.
Dictionarium Armeno-latinum fol. Mediol. — 2 — 0

Inſcriptio harum literarum externa.

B *Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro Dn. D. Tengnagelio, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliario & Bibliothecario, Domino meo plurimum colendo.*

Viennæ.

Hucuſque ipſa Holſtenii Epiſtola una cum incluſo librorum lingua Arabica & Syriaca uſque ad an. 1630 Romæ editorum Indice. Manu autem Tengnagelii hæc in fine adſcripta leguntur:

Joan. Bapt. Raimundi libri Arabici quorſum pervenere?
It. *Leonardi Sidonis Epiſcopi Arabica Bibliotheca?*
C *De libris orientalibus Georgii Strachani Scoti in Monaſterio Carmelitano Roman.*
De Archiepiſcopo Damaſceno & Maronitarum libris.

De his nempe quatuor capitibus conſuluit *Tengnagelius Holſtenium* proximis ſuis literis, ut ex reſponſo Holſteniano paulo poſt videre eſt. Cæterum, quod ad Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ *tres* manuſcriptos Codices Græcos, quorum in ſuperiori Epiſtola *Holſtenii* fit mentio, attinet, haud abs re futurum arbitror, ſi illuſtrandæ ejus rei cauſa pauca hæc addidero.

Pri-

Primus eorum Codicum, qui inter Hiſtoricos Græcos manuſcriptos *trigeſimus tertius* eſt, & inter alia multa diverſorum veterum Autorum opuſcula, etiam *Perdicæ Protonotarii Epheſini Deſcriptionem metricam ſanctorum locorum Hieroſolymitanorum* continet, chartaceus eſt in 4to, & nonnullis locis præ vetuſtate vix amplius legibilis. Comparavit eum olim *Augerius Busbeckius* Conſtantinopoli, ut ſuo more tam in principio, quam in fine ejus propria manu annotavit. Deſcriptio Hieroſolymorum, verſibus politicis a *Perdica* Protonotario Epheſino compoſita, quatuor tantum conſtat foliis, nempe 306, 307, 308 & 309. Edidit eam ſine autoris nomine primus omnium *Federicus Morellus*, qui eam ex *Bibliotheca Vaticana* per R. P. *Jacobum Sirmondum* acceperat, una cum *Epiphanio Monacho Hagiopolita*, qui Syriam & Vrbem Sanctam proſa oratione græce deſcripſit. Secundum vero edidit eandem illam Hieroſolymorum Deſcriptionem V. CL. *Leo Allatius* in variorum veterum & recentiorum Opuſculorum Græcorum & Latinorum Syntagmate, quod Σύμμικτα ſive *Miſcellanea* inſcriptum Coloniæ Agrippinæ typis Jodocii Kalcovii A. 1653 in 8vo prodiit. Quamvis autem non tantum in *Vaticano* Codice MSto, verum etiam in altero Codice *Allatiano* nomen autoris defuerit, recte tamen *Allatius* in jam memorata ſecunda editione ſua beneficio Codicis Bibliothecæ Cæſareæ carmini antea ἀδεσπότῳ verum *Perdicæ* nomen, quod ex Holſtenio cognoverat, reſtituit. Meminit ejus rei ipſe *Allatius* in Præfatione τῆς Συμμίκτων his verbis: *Sed ne Phocas noſter* (nempe Joannes Phocas, qui locorum Palæſtinæ & Syriæ compendiariam deſcriptionem proſa oratione græce compoſuit) *palaret ſolus, ſocios ei dedimus binos, alias a Morello, qui eos e Bibliotheca Vaticana per Sirmondum habuerat, miſere & infeliciter editos, Epiphanium Monachum Hagiopolitam proſa oratione, & alium carmine politico, hæc eadem loca perſequentes. Omnia, inquam, ibi ſic ſcatent erroribus, ut multis in locis vix intelligi poſſint. Quare, ut cultiore habitu compareant, Epiphanium ad Manuſcriptum Vaticanum, unde tranſſumtus erat, reſtitui; ex quo ferme omnia, quæ ſcrupulum injicere poterant, corriguntur. Interpretationem etiam latinam ad verba Græca interpolavi; ut non tantum Græce, ſed etiam Latine, concinnior exiret. Carmina Græca ex Manuſcripto meo ſupplevi, quæ an Maximi Planudis ſint, in dubium verti poterit, quum in meo nullum autoris nomen præferant, quemadmodum & in Vaticano; quamvis in hoc, ante & poſt dicta carmina, nonnulla ſint, quæ Planudæ nomine notantur, non alieno ac iſta carmina charactere exarata. In Codice Manuſcripto Viennenſi, quem vidit doctiſſimus & eruditiſſimus Lucas Holſtenius, hæc Carmina tribuebantur Perdiccæ Protonotario Epheſino.* Περδίκκα, Πρωτονοταρίου τ' Ἐφέσου ἔκφρασις διὰ στίχων περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεαμάτων *Perdiccæ Protonotarii Epheſini Expoſitio, carmine ſpectaculorum Dominicorum & memorabilium, quæ Hieroſolymis videntur. Titulus non unus in omnibus eſt; alii enim legunt* περὶ θεαμάτων, *de ſpectaculis; alii* περὶ θεμάτων, *de Thematibus; alii*

περὶ θαυμάτων, *de Miraculis.* Θεαμάτων *tamen aliis præpoſuerim.* Hucuſque Allatius. Cæterum ſilentio haud prætereundum eſt, inter titulum editionis *Allatianæ* & titulum *Codicis Cæſarei* non exiguam eſſe differentiam. *Allatianæ* enim editionis titulus hic eſt: Περδίκα Πρωτονοταρίου τ' Ἐφέσου Ἔκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεμάτων, hoc eſt, *Perdicæ Protonotarii Epheſini Expoſitio Thematum Dominicorum & memorabilium, quæ Hieroſolymis ſunt:* in Codice autem *Bibliothecæ Cæſareæ* titulus ejusdem opuſculi ita ſe habet: Ἔκφρασις διὰ στίχων πρωτονοταρίου τ' Ἐφέσου τοῦ Περδίκα περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θαυμάτων καὶ θεαμάτων, hoc eſt, ut ego interpretor: *Perdicæ Protonotarii Epheſini Deſcriptio metrica admirandarum Antiquitatum Dominicarum, quæ viſuntur Hieroſolymis.* Hæc itaque eſt vera & genuina hujus tituli lectio, ut ipſe *Perdicas* ſatis clare innuit. Per θάυματα enim hic ſignificantur partim θαύματα ſive *miracula ſtricte dicta*, nempe τὰ παρὰ φύσιν, partim vero quæcunque θαυμασὰ ſive θαυμάσια, hoc eſt, *admiranda* ſive *admiratione digna*, quemadmodum ex ſubjunctis locis videre eſt:

1.

Καὶ πρὸ τῆς θύρας κυλισθεὶς ὁ παρ' ἀγγέλου λίθος.

Ἐξ ὧν πηγάζει θάυματα πᾶσι πιστοῖς ἀφθόνως.

2.

Καὶ ταῦτα μὴν τὰ θαυμασὰ τῆς πόλεως τὰ ἔνδον.

3.

Ἔγγισα τότε καὶ σορὸς ὁσίας Πελαγίας,
Πρὸς πάντα προσερχόμενον θαῦμα ποιοῦσα μέγα.

4.

Καὶ τούτῳ θαυματοποιεῖν δόξαν τῇ παντανάσσῃ.

5.

Ἡ θαυμασία καὶ λαμπρὰ λαύρα Θεοδοσίου

6.

Ὁ παλαιὸς καὶ θαυμαστὸς ναὸς Σιὼν ἁγίας,

7.

Ἐν τούτῳ δὲ τετέλεστο ναῷ τῷ θαυμασίῳ

8.

Ἕτερον θρόνον εἱδομεν τὴν φάτνην τὴν ἁγίαν.

Τὰ θάυματα πηγάζοντα πᾶσι πιστοῖς ἀφθόνως.

9.

Ἐξαίσια τὰ θάυματα ποταμηδὸν ἐκχέειν.

Similiter minime dubium eſt, quin in eodem titulo θεάματα, non vero θέματα legendum ſit. Hoc enim ipſe *Perdicas* ſtatim in principio indicat his verſibus:

Ἐπείπερ πολυέραστον, οἶδα, τυγχάνει πᾶσι,
Τὴν τῆς Σιὼν διήγησιν τοῖς μὴ θεαζαμένοις,
Ὡς αὐτοψὶ τεθέαμαι, ὅπως αὐτὸς ἐκφράσω.

Θεάματα nempe hic ſunt *res ſpectatu dignæ*, æque ut in illo *Georgii Codini mei* titulo περὶ ἀγαλμάτων, σηλῶν καὶ θεαμάτων τῆς Κωνσταντινουπόλεως; quem ita verti: *De ſignis, ſtatutis & aliis ſpectatu dignis Conſtantinopoli.* Sic etiam *Philo Byzantinus* ſcripſit περὶ τῶν ἑπτὰ θεαμάτων τοῦ κόσμου, h. e. interprete Vitruvio, *de ſeptem Orbis ſpectaculis.* Quod denique ad vocem θέμα attinet, de variis ejus ſignificationibus conſulendæ ſunt *Bonaventuræ Vulcanii* & *Federici Morelli*

relli Notæ ad *Imperatoris Conſtantini Porphyrogeniti* libros duos περὶ θεμάτων; nec non *Gloſſarium Græcobarbarum Joannis Meurſii*: ubi tamen notandum eſt, ipſum recte quidem ſcribere, quod primitus *legiones* tantum, quæ provinciis impoſitæ eſſent, poſtea vero ipſæ etiam integræ *provinciæ* θέματα appellatæ fuerint, ſed erroneum eſſe, quod paulo poſt ibidem ſubjungit, *ædificia quoque & menſas tripodes in templis ararum vicem obtinentes, & ſtatuas* θέματα vocatas fuiſſe. Tria enim illa loca, quæ ad hoc probandum ex *Georgii Codini* Excerptis de Originibus Conſtantinopolitanis citat, ſine ulla controverſia corrupta ſunt, & θέαμα pro θέμα, θεαμάτιον pro θεμάτιον, & θεαμάτια pro θεμάτια legendum eſt, ut jam pridem in *Animadverſionibus meis in Georgii Codini & alterius cujuſdam Anonymi Excerpta de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, non tantum veterum Codicum MStorum auctoritate, verum etiam evidentiſſimis rationibus abunde demonſtravi.

Secundus eorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codicum manuſcriptorum, quorum *Holſtenius* ſuperiori Epiſtola meminit, *ſexageſimus octavus* eſt inter Philoſophicos & Philologicos Græcos MStos, & inter alia multa diverſorum veterum Autorum opuſcula, etiam *Excerpta quædam ex Arriani Deſcriptione Ponti Euxini* continet. Eſt autem chartaceus in 4to, & tam in principio, quam in fine inſignitus ſolenni illa Busbeckianæ manus inſcriptione: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Initium *Excerptorum* deſcriptionis Ponti Euxini, quæ unico tantum conſtant folio ſexto, hoc eſt: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραϊανῷ Ἀδριανῷ σεβαστῷ Ἀδριανὸς. Κατὰ τὸ θρᾴκιον βόσπορον καὶ τὸ στόμα τοῦ Εὐξείνου πόντου ἐν τοῖς δεξιοῖς τῆς Ἀσίας μέρεσιν, ἅπερ ἐστὶ τῶν βιθυνῶν ἔθνος, κεῖται χωρίον λεγόμενον Ἱερὸν, ἐν ᾧ ναός ἐστι Διὸς Ὑψίστου ἵδρυται προσαγορευόμενος. τοῦτο δὲ τὸ χωρίον ἀφεληνίων ἐστὶ τοῖς εἰς τὸν πόντον πλέουσι, τοῖς πλέουσι δὲ εἰς τὸν πόντον δεξιᾷ εἰς τὴν Ἀσίαν, τὸ λεγόμενον μέρος τοῦ βιθυνῶν ἔθνους, τὸ πρὸς τὸν πόντον κείμενον, ὃ περιπλέουσι, ἕως ἔχει. τὸ Ἱερὸν τοῦ Διὸς Ὑψίστου ἀπέχει ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου σταδίους ρκ. Notandum autem eſt, totum hunc locum a verbis καὶ τὸ θρᾴκιον βόσπορον uſque ad illa: τὸ Ἱερὸν τοῦ Διὸς Ὑψίστου & in editione Baſileenſi A. 1533. typ. Froben. in 4to deeſſe. Legitur enim ibi hoc modo: Τὰ δὲ ἀπὸ βοσπόρου τοῦ θρᾳκίου, ἔς τε ἐπὶ τραπεζοῦντα πόλιν, ὧδε ἔχει. τὸ Ἱερὸν δὲ Διὸς τοῦ Ὑψίστου διέχει ἀπὸ Βυζαντίου σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Supplendus itaque eſt hic locus ex jam memoratis *Excerptis Codicis Cæſarei*, & inter verba ὧδε ἔχει uſque ad verba τὸ Ἱερὸν inſerenda ſunt hæc omnia καὶ τὸ θρᾴκιον βόσπορον &c. uſque ad verba ἕως ἔχει. Quicquid nempe inter ὧδε ἔχει & ἕως ἔχει fuit in medio, incuria librarii omiſſum eſt; cujuſmodi errores etiam a Typographis propter ſimilitudinem verborum ſæpe ſolent committi. Plura in præſens de *Excerptis* illis non addo, quia non tantum exemplar *Arriani* Græco-latinum, a Joan. Guilielmo Stuckio Genevæ apud Euſtathium Vignon Anno 1577. in fol. editum, verum etiam nonnulla alia, quæ ad tractationem hujus argumenti neceſſario requiruntur, necdum mihi ad manum ſunt.

Tertius eorum Codicum, quorum *Holſtenius* ſuperiori Epiſtola meminit, *primus* eſt inter Hiſtoricos Græcos MStos,

MStos, & complectitur *Nicephori Callisti octodecim priores libros Historiæ Ecclesiasticæ*, elegantissimo charactere in membrana exaratos ea forma, quam vulgo in folio nuncupant. Ex hoc Codice, qui unicus forte in orbe terrarum est, prodiit *Joannis Langi versio latina* Historiæ Ecclesiasticæ Nicephori, ut ipse Langus testatur in Præfatione ad Imp. Ferdinandum I. his verbis: *Ipse quidem singulari providentiæ Divinæ beneficio, hosce Nicephori libros, Græco sermone compositos, ad nos perveniisse arbitror. Declarat hoc satis rei eventus. Quum namque ante annos multos ex Budensi Regia Bibliotheca, quam Matthias Corvinus, Pannonum Rex, pulcherrimam, Græcis & Latinis libris refertam, instituit, surreptus, diu in privati hominis bonis fuisset: & postea per milites Turcicos in miserabili casu & direptione Pannoniæ, inter reliquam prædam Constantinopolim deportatus, in foro ibi scrutario venisset, perperam commode accidit, ut a Christiano, eodemque studioso homine emptus, postliminio in eandem Pannoniam sit reversus. Ubi tandem in dominium præclari & eruditi Viri, Georgii Logi Jurisconsulti, Vratislaviensium S. Crucis & Divi Joannis Ecclesiarum Præpositi & Canonici, Majestatis Tuæ* (videlicit Imp. Ferdinandi I.) *Consiliarii, concessit: unde nobis, Majestate Tua jubente, ejus Latine vertendi potestas est facta.* Hæc Langus. Ex eodem illo Codice MS. prodiit quoque R. P. *Frontonis Ducæi* & *Cramosiorum fratrum Sebastiani & Gabrielis* editio Parisina Græco-Latina An. 1630. duobus Voluminibus in fol., ut ex ipsa editionis istius præfatione ad Eminentiss. Cardinalem Richelium videre est, ubi ea de re hæc leguntur verba: *Nicephori Callisti aliquando tenemus historiam, Illustrissime Cardinalis, qui nunc post longam periculosamque jactationem, in sinu tuæ purpuræ, tanquam in portu placidissimo, si pateris, conquiescet. Heu quibus ille jactatus fatis. Apud Matthiam Corvinum quondam in pretio habitus in potestatem postea venit barbarorum: & Turcis Pannoniam invadentibus, vix unius militis fuit præda. Servatus est autem, non historiæ, nec rerum, quas continebat, merito, sed quadam elegantia characteris, cujus etiam beneficio Constantinopoli veniit inter delicatorum supellectilem, quasi cultius aliquod mancipium. Emptorem autem invenit eum, qui publicis invidens commodis, suum feciisse videbatur, ne esset aliorum. Sed tandem ab injusto Domino in Familiam Imperatoris transiit, ac postliminio restitutus eo est, unde fuerat ablatus. Autor siquidem ipse Nicephorus suum Imperatore dignum munus judicaverat, & Palæologis, uti suspicio est, historiam consecrarat. Joannes Langus, vir de republica literaria optime meritus, eum primus e Bibliothecæ vinculis exsolvit, ac Latio donavit; quo sibi nomine etsi obstrinxit universos, non tamen effecit, ut ipsam e vultu Nicephorum nosse non cuperent ii, quibus antiquitatis studium, & Græcæ facundiæ dignitas esset in pretio. Præter cæteros autem Jacobi Thuani in Senatu Parisiensi Præsidis, & inter egregie doctos facile Principis, in hanc curam animus exarsit, pugnavitque omni, qua valebat, gratia, & perfecit, ut e Bibliotheca Imperatoris exemplar ipsum Græcum nobis liceret exscribere, quod accurate præstitimus.* Hucusque

Hucusque Cramoisii fratres. Quandoquidem autem beneficio potissimum V. Cl. *Sebastiani Tengnagelii*, S. Cæs. Majestatis Consiliarii & Bibliothecarii, pretiosissimus ille *Nicephori Callisti* Codex Lutetiam tunc fuit missus, uberior ejus rei notitia percipi potest ex Viri Illustrissimi *Jacobi Augusti Thuani*, nec non RR. PP. *Frontonis Ducæi* & *Jacobi Sirmondi* ad ipsum ea de causa missis literis, quas paulo inferius *Additamento quarto* integras inseram. Nunc enim redeundum est ad *Holstenii* cum *Tengnagelio* amicitiam, cujus præter superiores *duas* literas *tertium* ecce sequitur indicium.

Epistola Tertia.

Nobilissimo & Amplissimo Dn. Sebastiano Tengnagelio J. V. D., S. Cæs. Maj. Consiliario & Bibliothecario, Lucas Holstenius χαίρειν καὶ εὐπραγεῖν.

Si tardius humanissimis tuis respondeam, facilem mihi veniam, ut spero, abs te impetrabunt literæ, quas ipsa mora uberiores fecit. Nam cum diffiderem me desiderio tuo satisfacere posse, quo de Orientalium hic in Vrbe literis librisque cognoscere aves, amicorum operam advocavi in iis, quæ de meo præstare non poteram: atque hic quidem Victorius Accorensis, vetus, ut ait, amicus tuus, lubens occasionem arripuit, ut & meæ voluntati morem gereret, & pristinæ amicitiæ memoriam apud te renovaret. Ille, ut promisit, & privatim de suis, & de publicis Maronitarum studiis copiose exponet: quamvis homo πολυπράγμων *& περιεργότερος ea studia, ex quibus A res literaria commodum maximum, ipse autem famam insignem consequi potuisset, cum tricis — —, hoc est, præsentissima bonorum ingeniorum peste, penitus commutare videatur. Quod indicandum tibi existimavi, non ut doctrinam vel officium ejus Viri apud te elevarem, sed ut ingenium ipsius te non lateat, si quid forte ἄμιγον literis admixtum videris. Damascenus Archiepiscopus jam annum integrum pedem domo non extulit, ita senio morboque confectus, lecto affixus B hæret, ut nihil in hoc studiorum genere amplius ab ipso expectari possit. Reinardi mathematici Bibliothecam Arabicam Vaticana absorpsit, ut ex Victorio Maronita intellexi; nec facile lucem hanc aspicient tot præclara volumina, tanto cum labore ac sumptu collecta. Sed ecce tibi alium thesaurum multo locupletissimum in Europam nostram allatum a Golio mathematico Leidensi. Catalogum tibi mitto diligenter transcriptum ex edito exemplari, cujus copiam mihi amicus ad paucas horas fecerat. Nihil enim suavius tibi dulciusve offerri posse exi- C stimavi, postquam semel novi palatum tuum. Est sane quod orbi Christiano gratulemur de tam pretioso ἑρμείῳ Turcarum manibus erepto; id vero potissimum, incidisse in illorum manus, qui nihil publico invident, & qui ex isto thesauro evulgando laudis materiam quærunt. Tu, nisi grave fuerit, iis legendum offeres, quos hujusmodi cupediis delectari non ignoras, Sgambato, Corderio & similibus, & similia a me expectes velim, ubi nanciscendi copia fuerit. Nunc summopere te oro, & per humanitatem tuam obtestor, ut ex Samaritano tuo Pentateucho duos tresve priores &*

posteriores versus iisdem literis ac characteribus, quantum fieri poterit, descriptos ad me mittas. Id enim unice a me petiit Vir doctrinæ ac dignitatis præcipuæ in Galliis, qui Catalogum isthinc ad nos misit librorum Leidensium, & cui studia ac fortunæ meæ plus quam ulli mortalium debent. Ego quibus potero officiis pro eo beneficio gratiam referre studebo, & doctrinæ atque humanitatis tuæ opinio ex meis literis concepta, plurimum confirmabitur apud Virum Musis adjuvandis natum, & qui tui causa velit ac præstet omnia. Is est Dominus de Peiresc, Senator Aqui Sextiensis & Regius Consiliarius, Vir & mea prædicatione, & humana fide major. De Perdicca gratias ago, & publice beneficium prædicabo, ubi id opusculum sub vero auctoris nomine in lucem prodibit. Vale, Vir Amplissime, & me ama tui observantissimum. Romæ CIↃ IↃC XXXI *d.* XI *Januarii.* Hucusque ipsa epistola. Corollarii autem loco adjuncti eidem sunt librorum ab *Holstenio* edendorum Catalogi duo, quorum exemplum optima fide hic exhibeo.

Homiliæ SS. Patrum, quas Lucas Holstenius edere constituit.

Hippolyti Episcopi in S. Theophania;
— — *contra hæresin Noëti;*
— — *de Incarnatione fragmenta quædam.*
Methodii in occursum Christi & Simeonis;
— — *in ramos Palmarum;*
— — *de libero arbitrio;*
— — *convivium decem Virginum.*
Titi Bostrensis in ramos Palmarum;
— — *de parabola Judicis iniqui.*
Antipatri Bostrensis in S. Theophania;
— — *in annunciationem B. Virginis;*
— — *in natalem S. Joannis Baptistæ.*
Eulogii Alexandrini in ramos Palmarum.
Amphilochii Iconiensis in natalem Christi;
— — *in Lazarum quatriduanum;*
— — *in mulierem ungentem Dominum;*
— — *in S. Sabbatum.*
Amphilochii Iconiensis cohortatio ad virtutes;
— — *de lachrymis & regno Dei;*
— — *in arbores infrugiferas.*
Asterii Amaseni in cæcum a nativitate;
— — *in SS. Martyres;*
— — *in Phocam Martyrem;*
— — *in Danielem & Susannam.*
Nectarii Patriarchæ Constantinop.
Severiani Gabalensis de creatione mundi homiliæ VI;
— — *in nativitatem Christi;*
— — *in Parasceven.*
Procli Patriarchæ Constantinop. in Nativitatem Christi homiliæ II;
— — *in S. Theophania;*
— — *in transfigurationem Christi;*
— — *in resuscitationem Lazari;*
— — *in ramos Palmarum;*
— — *in Pascha homiliæ* IV;
— — *in S. Andream Apostolum;*
— — *in S. Stephanum Protomartyrem.*
Diadochi Photicæ in Assumptionem Christi.
Georgii Antiocheni in illud, Hic est filius meus dilectus;
— — *de mulieribus unguentum ferentibus ad sepulchrum Christi;*
— — *in Spiritum Sanctum.*

He-

Hesychii Hierosolymitani de resurrectione Christi;
— — *in S. Andream.*
Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani in natalem Christi;
— — *in occursum Christi & Simeonis;*
— — *in SS. Angelos;*
— — *in S. Joannem Baptistam;*
— — *in SS. Apostolos Petrum & Paulum.*
Leontii Cyprii in mediam Pentecosten;
— — *contra Hebræos.*
Leontii Presbyteri Constantinop. in Ramos & Lazarum;
— — *in S. Pascha;*
— — *in resurrectionem Domini;*
— — *in mediam Pentecosten;*
— — *in Assumptionem Domini;*
— — *in S. Joannem Baptistam.*
Pantaleonis Diaconi in transfigurationem Domini;
— — *in S. Michaelem Archangelum.*
Leontii Constantinop. de eo, qui incidit in latrones;
— — *de muliere Samaritana.*
Eusebii Alexandrini in Passionem Christi;
— — *in secundum adventum Christi:*
— — *dominica post dimissam concionem;*
— — *de memoria Sanctorum.*
Joannis Thessalonicensis de consensu Evangelistarum circa resurrectionem Domini.
Eusebii Pamphili in illud, Mane unius Sabbatorum;
— — *de Angelis ad Sepulchrum.*
Theodori monachi in annunciationem B. Virginis;
— — *in obdormitionem B. M. Virginis homiliæ* III;
— — *in Circumcisionem Domini;*
— — *in transfigurationem Domini;*
— — *in Lazarum quatriduanum;*
— — *in festum Palmarum;*
— — *in vitam humanam;*
— — *in decollationem S. Joannis Baptistæ;*
— — *in Titum Apostolum;*
— — *in S. Nicolaum;*
— — *in S. Georgium Martyrem.*
Nicephori Blemmydæ in S. Joannem Theologum.
Arsenii Corcyræi in S. Andream.
Joannis Eubœensis in conceptionem B. Virginis.

Syntagma Geographorum Græcorum edendorum ab Holstenio.

Pselli de terræ situ, figura & magnitudine opusculum.
Anonymus de terra describenda in globo.
Isacus Argyrus de terra describenda in plano.
Agathemeri Orthonis Hypotyposis Geographiæ.
Incerti Autoris compendium Geographiæ.
Marciani Heracleotæ de ambitu Orbis terrarum libri II.
Artemidori Ephesii Epitomes fragmentum.
Hannonis circumnavigatio Africæ.
Scylacis Caryandeni descriptio maris interni.
Scymni Chii de situ Orbis poëma.
Dicæarchi descriptio Græciæ.
Dionysii Byzantii descriptio Bosphori Thracii.
Petri Gyllii Commentariorum de Bosphoro libri III, ad Dionys. Byzant.
Arriani descriptio Ponti Euxini.

Anonymi descriptio Ponti, collecta ex Scymno, Arriano, & Marciano.
Arriani, vel potius Incerti, circumnavigatio maris Erythræi.
Isidori Characeni mansiones Parthicæ.
Palladius de Indis & Brachmanis.
Strabonis Epitome.
Gemisti Plethonis emendatio aliquot errorum Strabonis;
— — descriptio Græciæ excerpta ex Strabone;
— — descriptio Peloponnesi.
Varia Excerpta Geographica collecta ex variis MStis.

Altera Pars Syntagmatis Geographici de Urbe atque Imperio Constantinopolitano.

Hesychii V. Ill. Origines Constantinopolitanæ.
Codini Origines & Antiquitates Constantinopolitanæ.
Anonymi Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis.
Pauli Silentiarii descriptio templi S. Sophiæ.
— — descriptio ambitus ejusdem templi.
Petri Gyllii descriptio Urbis Constantinopolitanæ.
De regionibus Urbis Constantinopolitanæ libellus.
Emanuelis Chrysoloræ comparatio Veteris & Novæ Romæ.
Constantini Porphyrogeniti Thematum Imperii Constantinop. libri II.
Hieroclis Grammatici Notitia Provinciarum Imperii Orientalis.
Notitia Episcopatuum Sedis Constantinopolitanæ & Provinciarum Imperii CPni per Orientem & Occidentem, facta sub Leone Imp. & Photio Patriarcha CPno.
Notitia Episcopatuum sedis Antiochenæ & Hierosolymitanæ.

Appendix.

Philonis Sophistæ de septem miraculis Mundi.
Sotionis excerpta de miraculis aquarum.
Pauli Silentiarii carmen de miraculis aquarum.
Anonymus de incremento Nili.

Seorsim edendi.

Stephanus de Urbibus.
Dionysius de situ Orbis.
Geographia Sacra Eusebii, Hieronymi, Eucherii & aliorum.

Hucusque duo illi Indices librorum, quos *Avunculus meus Lucas Holstenius* olim edere constituerat. Quod porro attinet, ad *Tengnageli Pentateuchum Samaritanum*, cujus in proxime superiori Epistola fit mentio, anxie quidem illum, & quam potui maxima diligentia in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea* quæsivi, sed frustra, ideoque valde vereor, ne pro *Samaritano* sit intelligendus *alius*, qui etiam nunc inter libros *Tengnagelianos* extat, rarissimæ notæ *Pentateuchus*; nempe *Hebraicus*, qui præter *Onkelosi Chaldaicam Paraphrasin* & *commentarium R. Salomonis Jarchi*, versionem quoque continet *Arabicam R. Saadiæ Gaon & Persicam R. Jacobi Tavath.* Excusus is est *Constantinopoli* in folio anno Mundi secundum vulgarem Judæorum supputationem 5306, cujus initium respondet autumno anni Æræ Christianæ 1545. In frontispicio hujus Pentateuchi manu Tengnagelii hæc leguntur scripta: *Codex rarus, pretiosus, & paucis Judæorum Occidentalium visus: emptus tredecim Ducatis sive quadraginta florenis cum dimidio.*

XX.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XX.

Priſca quæpiam monumenta, ex quibus dilucet Illuſtriſſimam gentem Fürſtenbergicam RUDOLPHO I. Imperatori Auguſtæ ejus Domui cognatione jungi.

MONITUM.

Celebrem NICEPHORI CALLISTI *membraneum codicem noſtrum pro adornanda Græca & Latina editione prima* Cl. TENGNAGELIO, *Bibliothecæ Præfecto, anno* CIↃIↃCXV. *Pariſios fuiſſe miſſum, epiſtolis paulo ante editis oſtendi: ad quas præter alia* LAMBECIUS *notat, eximium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentum integros prope XII. annos in Gallia adhæſiſſe, nec prius, quam anno* CIↃIↃCXXVII. *cura Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Comitis* de Fürſtenberg, *ex legatione Gallica Viennam reducis, Bibliothecæ noſtræ fuiſſe redditum. Ut proinde gratum Bibliothecæ nomine erga Illuſtr.* domum Fürſtenbergicam *teſtaretur animum noſter, Libro Commentariorum tertio, Additamento VIII. de memorato Illuſtr. Comite hæc memoriæ prodidit.*

De Ill. Viro WRATISLAO Comite de FÜRSTENBERG & Landgravio in BAAR. (a)

Fuit is *Eques Inclyti Ordinis Velleris Aurei, Sac. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius Intimus, & Conſilii Imperialis Aulici Præſes*, obiitque An. C. 1642. d. 27. Maji, & *Möskirchæ* ſepultus eſt. Cæterum ut *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pro felici recuperatione ſupra memorati præſtantiſſimi rariſſimique *Codicis manuſcripti Nicephoriani* erga *Illuſtriſſimam Domum Fürſtenbergicam* quodammodo ſe præbeat gratam, exhibeo hic Exemplar cujuſdam ex ea deprompti *Diplomatis*, quo Glo-

A rioſiſſimus *Imper. Rudolphus primus Heinricum Comitem de Fürſtenberg* conſtituit ac declarat *Præfectum & Rectorem* Provinciæ Italicæ, (1) *Romaniolæ & Maritimæ* dictæ, ſimul etiam eundem non modo *Conſanguineum*, ſed & majoris affectus teſtandi cauſa *Os de oſſibus ſuis & Carnem de carne ſua* nuncupat. Ipſa igitur iſtius Diplomatis verba ſunt hæc:

B *EGregiis & prudentibus Viris, Marchionibus, Comitibus, Nobilibus, Capitaneis, Civitatum Poteſtatibus, Ancianis, & Populis univerſis, per ROMANIOLAM & MARITIMAM conſtitutis, ſalutem & benignam voluntatem. Speciali quadam*

(a) *Erat hoc prius Additamentum Libri tertii octavum hoc titulo:* ADDITAMENTUM VIII. pertinens ad Libri primi pag. 165. ubi fit mentio Excellentiſſimi atque Illuſtriſſimi Domini, Dn. WRATISLAI Comitis de FÜRSTENBERG & Landgravio in BAAR, qui ex Legatione Gallica in Aulam Imperialem reverſus, pretioſiſſimum Codicem MStum membranaceum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ NICEPHORI CALLISTI Calendis Februarii A. 1627. Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi feliciter reſtituit. KOL.

(1) *Vulgo* Romagna.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dam inter tot & tantos negotiorum ingruentium fluctus, quibus assidue pectori nostro materia cogitationis infunditur, meditatione peragimus, & anxietate pervigili meditamur, qualiter illa Nobilis Romana & maxima Regio, utpote generosum Imperii Pomœrium, in quo Regiæ Majestati ex sui placidi cultus amœnitate non infima delectatione complacuit, rediviva quiete refloreat, & post diræ longæque fatigationis hostiles angustias, & eximios bellicæ turbines tempestatis, in portu votivæ tranquillitatis & pacis pulchritudine conquiescat. In hac siquidem Regione suos Imperium recognoscit alumnos. Hic est enim Hortus Imperii delicatus, in quo gratæ subjectionis vernantes & floridos flores colligit, & devotæ dulcedinis gratiosa poma decerpit. Nimirum ergo circa cultum & munimen ipsius Regiæ Celsitudinis curiosa versatur intentio, & propensioris vigilantiæ studium adhibetur, ut & illa per devotionem sinceram puritatis respiret odorem, & per fidelitatem integram expectatum constantiæ fructum reddat. Verum quia tunc utiliter Regio regitur, dum directi ducatu Rectoris dirigitur, & vigilis Præsidentis industria gubernatur; Nos cupientes, quod ipsa Provincia Duce gaudeat circumspecto, Illustrem HEINRICVM COMITEM DE FÜRSTENBERG, & CONSANGUINEUM NOSTRVM, quem ex parte circumspectionis & fidei merita nobis reddunt amabilem, & probata strenuitas efficit clariorem, Vobis & toti Provinciæ prænotatæ præficimus in Rectorem ejusdem Provinciæ Regnum vice Nostri Nominis exequendum sibi plenarie committentes, ut ejus studioso Ducatu & præservetur a noxiis, & salutari solio solidetur. Vos itaque quæsumus, puræ fidei & sinceræ devotionis Alumni, præsentibus nostræ Serenitatis armati, Nostram in sua præsentiam figurantes, cum COMES idem sit OS DE OSSIBVS NOSTRIS & CARO DE CARNE NOSTRA transsumptus, eundem, quasi familiaris dilectionis Pignus eximium, hilares & devoti suscipite, ac in omnibus, quæ ad creditum sibi spectant Officium, reverenter ei parere ac humiliter promptis affectibus obedire curetis, ut devotionis vestræ constantiam Liberalitatis Augustæ provisio, quæ servitia novit remunerare fidelium, digna proinde vicissitudine prosequatur; pro firmo scientes, quod obedientiæ signum, quod sibi vestra devotio monstraverit, æquo favore benevolentiæ complectemur, ac si monstrari contigerit specialiter Nobis Ipsis.

Hucusque Diploma illud *Imp. Rudolphi Primi* sine mentione *temporis* & *loci* promulgationis, quod inter incompactas *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* schedas miscellaneas fortuito reperi. Confirmandi autem & illustrandi istius *Diplomatis* causa, subjungo hic aliud ejusdem Glorioſissimi *Imp. Rudolphi Primi Diploma*, datum *in Castris apud Marchegge* A. C. 1278, & ex Urbis *Villingæ* Archivo, ubi authenticum adservatur, depromptum, in quo *Heinrici Comitis de Fürstenberg*, itidem, ut supra, fit mentio tanquam *Consanguinei.*

RVDOLPHVS Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus universis Sacri Romani Imperii fidelibus, præsentes literas inspecturis, gra-

gratiam ſuam & omne bonum. Dum ad cunctos Sacri Romani Imperii fideles rectæ conſiderationis Serenitas inclinat Regia, & diſtinguentem inter contraria mentem applicat ad diverſos, non indigne illorum facilius inclinatur precibus, & eorum votis favet favorabilibus, qui Romano Imperio indeſolubiliter adhærentes, continuatis ſervitiis ad ſerviendum ulterius atque in perpetuum totis viribus totisque conatibus laborant animo irremiſſo, viribus indefeſſis. Supplicanti itaque noſtræ Majeſtatis Culmini Nobili Viro HEINRICO DE FÜRSTENBERG, NOSTRO CONSANGVINEO, Imperii fideliſſimo, ut cum Villingen, Fürſtenberg, Doreſteten, & alia ſua Oppida quæcunque, PATRIS SVI, ac DVCIS DE ZERINGEN, aliorumque Progenitorum ſuorum temporibus, qui eadem legitime poſſederunt, ex Prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum & Regum Romanorum Illuſtrium indulto, tali gaviſa fuerint libertate ſeu Immunitate, quod nemo Civium Oppidorum prædictorum utriuſque ſexus extra Oppidum ſuum potuit, vel debuit coram aliquo Judice extraneo conveniri, Sibi ſuisque Civibus & Oppidis prædictis libertatem ſeu Immunitatem hujusmodi innovare & confirmare de Benignitate Regia dignaremur: Nos ipſius Comitis HEINRICI, qui Se Noſtris & Imperii ſervitiis præ cæteris hactenus fidelius & irremiſſius applicabat, & adhuc applicat inceſſanter, precibus inclinati, libertatem ſeu Immunitatem prædictam Sibi, ſuisque Civibus & Oppidis prænotatis innovamus & confirmamus præſentium teſti-

A *monio literarum; volentes & Authoritate Regia inhibentes, ne quis Civium & Oppidorum prædictorum coram alio quodam, quam Oppidi, in quo reſidet, Judice, ſive realis, ſive perſonalis, ſive alia quæcunque contra ipſum Actio adimpletur, ſtare Judicio compellatur; uno ſi quis contra ipſos Cives vel eorum aliquem aliquid habuerit actionis, illam coram Judice vel Sculteto Oppidi ejusdem Juris ordine proſequatur. Nulli ergo omnino hominum liceat contra hanc noſtræ innovationis & confirmationis venire Gratiam, vel ei aliqualiter contraire. Quod qui facere præſumpſerit, gravem Regiæ Majeſtatis offenſam ſe noverit incurſurum. Datum in Caſtris apud Marchegge XIIII Calend. Sept. Indictione VI Anno Domini milleſimo CC LXXVIII, Regni vero noſtri anno quinto.*

Tertium quoque ejusdem *Cognationis* inſigne teſtimonium extat in *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquo manuſcripto Catalogo Germanico omnium Privilegiorum aliorumque Diplomatum & monumentorum publicorum*, ad *Hiſtoriam Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ* pertinentium, quæ *Vindobonæ* in *Archivo Cæſareo-Auſtriaco* adſervantur archetypa. Reperi enim in jam memorato *Catalogo Diploma* quoddam *Imp. Rudolphi Primi*, *Reinfeldæ* Calendis Junii A. 1283 promulgatum, cujus argumentum: *Imperatorem Rudolphum filiis ſuis Alberto & Rudolpho Ducatum Auſtriæ in feudum conceſſiſſe, & quidem ambobus* (1) *conjunctim; Regimen tamen Auſtriæ Inferioris debere eſſe ac permanere penes ſolum Al-*

(1) *Vide* Alberti Argentinenſis *Chronicon pag. 101. editionis Vrſtſianæ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Albertum, tanquam natu (1) majorem, ejusque stirpem masculam; vicissim autem, nisi ipse Pater Rudolphus filio suo natu minori Rudolpho intra quatuor annos & dimidium peculiari aliquo Regno aut eximio Ducatu provideret, debere Ducem Albertum fratri suo Rudolpho persolvere certam pecuniæ summam secundum Patris arbitrium: si etiam Ducatus, qui filio Rudolpho a Patre concederetur, exigui esset emolumenti, debere Albertum fratri suo Rudolpho compensationis loco itidem persolvere certam pecuniæ summam secundum Patris arbitrium, atque nihilominus, si Ducis Alberti mascula stirps deficeret, supra memoratum Austriæ Regimen translatum iri ad Ducis Rudolphi stirpem masculam: si quoque Dux Albertus fratri suo Duci Rudolpho pecuniam arbitrio Patris constitutam non persolveret, debere hanc Ordinationem omnino esse irritam, & Ducem Rudolphum secundum Diploma Infeudationis admitti ad dimidium Austriæ Inferioris Regimen: si denique Imperator Rudolphus ante arbitrariam pecuniæ constituendæ definitionem moreretur, debere Fridericum Burggravium Norimbergensem, (2) Albertum Comitem de Hohenberg, HEINRICVM COMITEM de FÜRSTENBRG, & (3) Ludovicum Comitem de Ottingen, Imperatoris defuncti loco sententiam dicere, & superstites in locum demortuorum alios constituere ex Eorundem Ducum COGNATIONE Arbitros. Ipsa antiquæ istius *Germanicæ* Epitomes verba sunt hæc: *Ein Ordnung von Künig Rudolphen, Römischen Künig, zwischen seinen Sühnen Hertzog Albrechten und Hertzog Rudolphen von Osterreich, nachdem Er Ihnen die Osterreichischen Land geliehen, darinn Er Ihm dann ferner Ordnung seinem gefallen nach fürzunehmen vorbehalten hat, innhaltend: Hertzog Albrecht und seine Sühne sollen die Nieder-Osterreichische Land allein regieren; so verr aber der Künig seinem Suhn Hertzog Rudolphen innerhalb fünfthalb jahren nit mit einem Kunigreich oder andern treffentlichem Fürstenthum versicht, so soll Ihm sein Bruder Hertzog Albrecht ein Summa gelds geben, wie der Vater mittler zeit auzspricht: wäre aber das Fürstenthum kleinfueg, so soll Ihm Hertzog Albrecht aber ein Summa gelds nach erkantnus des Vaters zu einer zubusse heraus geben; doch in allweg wan Hertzog Albrechts Manstam ab-*

(1) *Corrigendum itaque est* Chronicon Alberti Argentinensis *pag. 673. editionis Cuspinianæ & pag. 105. editionis Vrstisianæ, quippe ubi* Rudolphus, *qui* Agnetem Wenceslai *Regis Bohemiæ sororem in matrimonio habuit, perperam vocatur* filiorum Imp. Rudolphi Primi primogenitus, *Contrarium enim legitur in eodem* Chronico *pag. 100. editionis Vrstisianæ, utpote ubi* Albertus *tanquam* natu major *recte* Rudolpho *præponitur.*

(2) *Hujus Comitis* Alberti *soror nomine* Anna *fuit uxor* Imp. Rudolphi I. *& mater Ducum Austriæ* Alberti & Rudolphi, *quorum in hoc Diplomate fit mentio.*

(3) *In eodem supra citato antiquo* Diplomatum Austriacorum *Catalogo MSto extat etiam abbreviatum aliquod* Diploma *ejusdem* Ludovici Comitis de Otting, *datum Norimbergæ IV. Non. Januarii A. 1299, quo ipse secundum hanc* Imp. Rudolphi I. *ordinationem publice declarat, se in locum trium demortuorum Coarbitrorum suorum alios tres EX COGNATIONE DVCVM AVSTRIÆ Arbitros cooptasse, nempe* Burchardum Comitem de Hohenberg, Eberhardum Comitem de Wirtenberg & Ottonem Comitem de Strasberg, *ut una secum definiant ac pronuncient summam pecuniæ, quam* Imp. Albertus I. *fratris sui* Ducis Rudolphi *defuncti filio JOANNI debeat persolvere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

abgieng, daz Hertzog Rudolphen Manſtam alz dann in die Regierung bemeldeter Oſterreichiſchen Lande angange: wo Hertzog Albrecht ſeinem Bruder das geſprochene geld nit bezahlete, ſo ſol dieſe Ordnung abſein, und Hertzog Rudolph zu halber Regierung der Nieder-Oſterreichiſchen Land kommen, inhalt der Kuniglichen Belehung: wo der Kunig abgieng, ehe Er den Spruch um das geld thäte, ſo ſollen Burggraf Friderich von Nürnberg, Graf Albrecht von Hohenberg, GRAF HEINRICH VON FÜRSTENBERG, und Graf von Ottingen, an ſeiner Majeſtät ſtat darumb ausſprechen, und die lebendigen an der abgeſtorbenen ſtat andere Spruchleute AVS DER HERTZOGEN FREVNDSCHAFT ſetzten. Datum Reinfelden unter dem Majeſtätiſchen Inſiegel und Handzeichen, prima Junii A. 1283. Ut igitur ex hoc *abbreviato Diplomate*, quod, cum primum in manus meas pervenerit, alio poſthac tempore publicabo *integrum*, clare & perſpicue apparet, *Heinricum Comitem de Fürſtenberg Imperatori Rudolpho I. ejuſque liberis propinqua cognatione* fuiſſe conjunctum, ſic præterea ex eodem *Diplomate* colligi etiam poſſunt aliæ nonnullæ ſingulares notitiæ, circa quas in *Hiſtoria Auſtriæ* temporum *Imp. Rudolphi I.* a *Joanne Cuſpiniano*, *Wolgango Lazio*, *Gerardo de Roo*, *Ponto Heutero*, & aliis recentioribus Scriptoribus non mediocriter erratum eſt; uti poſt integri iſtius *Diplomatis* adeptionem peculiari quadam Diſſertatione luculenter a me demonſtrabitur. Interim autem facere non poſſum, quin hac occaſione obiter indicem atque corri-

A gam graviſſimum quendam errorem *Joannis Villani*, antiqui & celebris Hiſtorici Florentini, qui A. C. 1348. obiit. Is enim in *Hiſtoria ſua Florentina*, *Italice* conſcripta & *Venetiis* apud Bartholomæum Zanetti Anno 1537. in folio edita, *Auguſtiſſimam Domum Habsburgo-Auſtriacam* cum *Illuſtriſſima Domo Fürſtenbergica* perperam confundit, dum Libri ſeptimi capite 63. *Imp. Rudolphum I.* corrupte appellat *Ridolfo Conte di FURINBORGO*, & ſequenti capite 64. multo adhuc corruptius *Ridolfo Conte di FINBORGO*, vel, ut B in ejuſdem Hiſtoriæ recentiori editione *Florentiæ* apud Philippum & Jacobum Giunti An. 1587. in quarto impreſſa, utroque jam citato loco legitur, *Ridolpho Conte di FURIMBORGO*. Veriſimillimum nempe videtur pro *Furinburgo*, *Finborgo*, & *Furimborgo* legendum ibi eſſe *Fürſtenbergo*, minimeque dubium eſt, quin nomen hoc gentilitium DE FÜRSTENBERG, quod *Imp. Rudolpho I.* per ſupinam ignorantiam ibi attribuitur, in verum nomen gentilitium DE C HABSBURG mutandum ſit. Cauſam autem ita errandi præbuit partim ſupra memorata *Cognatio* inter *Imper. Rudolphum I.* & *Heinricum Comitem de Fürſtenberg*, quippe quam ipſe *Imp. Rudolphus* ſupra exhibito *publico Diplomate Italis* notam fecit, partim vero jam memorati *Comitis de Fürſtenberg Præfectura Romaniola*, utpote ob quam *Joanni Villano* nomen *Fürſtenbergicum* magnis cognitum fuit, quam nomen *Habsburgicum*. Mira denique aut nova nemini videri debet mutatio nominis *Fürſtenberg* in *Furinborg*, utpote cum hujuſmodi erroribus, ob ignorantiam *Linguæ*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Germanicæ & *Familiarum Germanicarum* circa *Nomina Perſonarum* & *Locorum* commiſſis, omnes ſcateant *Hiſtoriæ de Rebus Germanicis Italice* & *Gallice ſcriptæ ;* ideoque rectiùs facerent *Itali* & *Galli*, ſi vel a *Rebus Germanicis Italice* & *Gallice* ſcribendis omnino abſtinerent, vel non prius tale argumentum aggrederentur, quam accuratam *Germanicæ Linguæ* ſibi acA quiſiviſſent notitiam, ejuſque *rectè ſcribendæ* ac *pronunciandæ* eſſent callentiſſimi. Dum enim *Nomina Perſonarum* & *Locorum* temere aut imperite immutant, & ad *Linguam* ſuam atque *pronunciationem Italicam* & *Gallicam* inepte accommodant, peſſime profecto de *Germania* merentur, quippe cujus *Hiſtoriam* eo modo miſere corrumpunt, obſcurant & contaminant.

XXI.

Cl. Viri Lucæ Holstenii, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, ad Petrum Lambecium, Nepotem ſuum, epiſtolæ duæ & viginti.

MONITUM.

Lucam Holstenium Lambecii *noſtri avunculum fuiſſe, mullus ignorat, qui* Lambecii *ſcripta legit. Hujus enim Clariſſimi Viri ſapientiſſimis ſimul monitis & ſumptu non modico ingenium domi noſter foriſque excoluit & ἀποδημήσας eruditum orbem vidit. Luculenta ejus rei hæ epiſtolæ ſervant teſtimonia, & ut porro conſervent, diligenti earum editione procurare ſtuduimus. Legebantur prius Libro Commentariorum ſexto Addit. I. ex cauſa, quam ex* Lambecio *jam audi.*

Quandoquidem Libri *primi* horum Commentariorum pag. 11. & 12. *Monumentis ſepulcralis* Avunculi mei *Lucæ Holſteinii*, ab Eminentiſſimo Principe *Franciſco* S. R. E. Cardinale *Barberino Romæ in Eccleſia Germanorum*, appellata *S. Mariæ de Anima*, in honorem ejus magnifice erecti, debitam quidem feci mentionem, ſed, prout tempus tunc ferebat, non niſi nudam illius Inſcriptionem ibi exhibere potui, ſupplendæ nunc iſtius obſervantiæ cauſa integrum illud hic repræſento æri inciſum cum vera ipſius *Effigie*, quam, præſtantiſſimi Pictoris accuratiſſima manu Romæ ad vivum depictam, in Muſeo meo adſervo & veneror. Cæterum ne repetita hæc iſtius monumenti mentio plane ſolitaria ſit, adjungo ecce *viginti duas Epiſtolas*, ab B eodem *Avunculo* ad me valde adhuc juvenem, A. 1640. 1641. 1644. 1645. 1646. 1647. & 1650. partim *Hamburgum*, partim *Amſterodamum*, partim *Lutetiam* partim *Toloſam* miſſas ; quas ob nativam ſtili elegantiam, prudentiſſima monita, & præcepta, ac variam rerum eruditarum notitiam, non conſervatione ſolum privata, ſed & publica luce digniſſimas exiſtimo.

Epistola I.

Hamburgum.

Petro Lambecio, Nepoti meo chariſſimo, Lucas Holſtenius S. P. D.

Epiſtolium meo rogatu abs te ſcriptum, Suaviſſime Petre, indolis atque ingenii tui ſpecimen mihi fuit longe gratiſſimum. Facile enim perſpexi, quam felici pede virtutis & doctrinæ iter ſis ingreſſus, & quam gna-

viter

viter jam ſpem atque exſpectationem meam præverteris. Ego quamvis de tua in cœptis ſtudiorum laboribus conſtantia non dubitem, cohortari tamen te volui, ut, quod tua ſponte te facturum confido, id meo rogatu atque etiam juſſu præſtes urgeaſque alacrius. Et cum univerſum Sapientiæ ſtudium duabus potiſſimum partibus conſtet, ut animum quam maxima & pulcherrima divinarum humanarumque rerum cognitione inſtruas, & ut ea, quæ animo complexus es, puro & copioſo ſermone proferre poſſis, in utroque multum tibi ſtudii ponendum exiſtimes ad egregiam laudem conſequendam, ne vel barbaram atque infantem tibi pares Sapientiam, vel caſſam & inanem rerum bonarum loquacitatem. Cumque omnis vera ac ſolida eruditio Græcis Latinisque literis ſit conſignata, ac proinde Linguarum cognitio clavis inſtar ſe habeat, ſine qua reconditas Sapientiæ opes fruſtra te aditurum ſperes, illa nunc præcipue tibi comparanda erit optimorum Autorum lectione atque uſu; uſum vero maxime acquires, ſi multa eaque optima ex aurei ſeculi Scriptoribus ita legendo ediſcas, ut ſcripturus aut locuturus ſemper habeas in numerato. Vale chariſſime Nepos, & tuæ induſtriæ ac ſedulitatis exemplo Lucam fratrem ad ſtudiorum amorem excita. Romæ (1) pridie Kalendas Majas A. cIↃ IↃc XL.

EPISTOLA II;
Hamburgum.

Optime & chariſſime Petre:

Bina, quæ Parens tuus ad me miſit, diligentiæ atque induſtriæ tuæ ſpecimina mihi grata fuere. Quid enim gratius aut jucundius mihi accidere poſſit, quam ut ea ætate, qua alii vix primos flores promittunt, jam aliquem ingenii tui fructum videam? Quocirca cohortatione mea ad te excitandum non eſt opus, cum adeo gnaviter in virtutis ſtudio decurras. Hoc tantum monendum duxi, ne ita ingenii præſtantiæ fidas, ut laborem ſtudiumque te compendi facere poſſe exiſtimes; quin ita potius rem putes, hæc Dei ad naturæ munera perinde nobis concedi ac ſtudiorum curriculum feliciter abſolvendum, ut ſecundus ventus ad navigandum adſpirat. Nam ni vela explices, ventoque obvertas, & clavum prudenter moderere, haud amplius proficias, quam qui vento deſtitutus, remis ſedulo incumbit; quem ſæpius in portum appellere videas, dum alterum incuria & negligentia in vada aut ſcopulos impellit. Græcæ linguæ ſtudium nunquam tibi ſatis commendaverim; ea utramque eruditionis paginam facit. Terentium & Ciceronem ſemper præ manibus & in oculis habeto, ut optimos Latini ſermonis Magiſtros; quibus quanto magis delectaberis, eo te amplius in literis profeciſſe cognoſces. Sed hæc ex (2) Præceptore tuo rectius & copioſius intelliges; quem cum ſuo loco Parentes tibi erudiendo præfecerint, in amoris & honoris ſocietatem admiſerunt. Vale, & me tui amantiſſimum redama. Romæ (3) A. cIↃ IↃc XL Kal. Septembr.

Tui amantiſſimus avunculus
Lucas Holſtenius.

EPI-

(1) *Agebam tunc annum ætatis* decimum tertium; *nempe reſpectu diei decimi tertii Aprilis ſtyli novi A. 1628.*

(2) *Nomen illi erat* Joannes Palladius.

(3) *Agebam tunc annum ætatis* decimum tertium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPISTOLA III.

Hamburgum.

Optimæ Indolis Adoleſcenti Petro Lambecio, Sororis filio Lucas Holſtenius S.

Quam gnaviter ſeduloque ſtudiis incumbas, chariſſime & jucundiſſime Petre, & Parentum commendatio & tuæ literæ teſtantur. Hæ ſane luculentum diligentiæ ſpecimen exhibent, unde facile perſpicio, quam læta incrementa indies ſtudia tua capiant. Neque eſt quod te ſatis tua ſponte concitatum exſtimulem, cum etiam vota mea viceris; id ſaltem moneo, ut cum naſcendi ſeries medium te inter (1) Joannem & (2) Lucam fratres collocarit, ſedulo desoperam, ut alterum preſſo veſtigio ſubſequaris, alteri ipſe exemplum præbeas, quo ad ſtudiorum curriculum alacrius excitetur. Itaque turpe tibi futurum exiſtimes, ſi vel alter longius te a tergo relinquat, alter antecedentem occupet; quod quidem facile cavebis, ſi ita tempus colloces in ſtudiis, ut nunquam ocio vel ineptiis indulgeas. Æque enim male pereunt bonæ horæ aliena, quam nihil agendo. Tu ſæpius ad me ſcribe, atque id cura, ut in ſcriptione veterum Autorum Terentii, Ciceronis, ac Plauti imitatio aliqua eluceat. Vale. Romæ (3) poſtrid. Id. Februarii cIↃ IↃC XLI.

(1) *Vide de eo Lib. 1. horum Commentar.*

(2) *Obiit is præmature A. 1661. d. 4. Maji, cum proxime præcedenti Anno 1660. d. 10. Januar.* Patavii Philoſophiæ & Medicinæ Doctor *creatus, ex Italia domum rediiſſet. Vide etiam Catalogum Librorum a me editorum num. VI, pag. 7.*

(3) *Agebam tunc annum ætatis* decimum tertium.

EPISTOLA IV;

Hamburgum.

Petro Lambecio, Nepoti meo chariſſimo, Lucas Holſtenius S. P. D.

Bene ſit Optimo (4) Principi, cujus humanitati etiam literas tuas exoptatiſſimas debeo. Fuit hæc coronis beneficiorum, quæ ab ejus benignitate in me profecta ſunt plurima, quod viſere ad vos dedignatus non fuerit. Ego vero indolem tuam exoſculor, & animum bonæ mentis amantem non ſolum laudo, ſed etiam exſtimulo, & quam poſſum maxime cohortor, ut ſpretis Germanicarum Academiarum (5) ganeis & popinis, quibus ingenium pariter & pudor deteritur, ad celebriores Belgii, Galliæ & Italiæ ſcholas quamprimum te conferas, & clariſſimis Europæ luminibus te adjungens, iis virtutis & ſapientiæ Magiſtris utare. Non dubito, quin, eodem Illuſtriſſimo Principe referente, cognoris, quonam hic in Vrbe ſim loco, & quæ mihi meisque ſtudiis pararim ſubſidia: quæ licet maxima non ſint, neque ad invidiam uſque opulenta, otio tamen literario cum aliquo decore ſuſtentando ſufficiunt. Eſt mihi adhæc Bibliotheca, Codicibus non ſolum editis, ſed etiam manuſcriptis, Græcis præſertim, probe inſtructa; quam ego cum Craſſorum veſtrorum opibus commutare nolim.

Hæc

(4) *Erat is* Franciſcus Carolus, *Saxoniæ Inferioris Dux Lauenburgenſis.*

(5) *Verba hæc, primo intuitu nimis dura & rigida, non ſunt generaliter & ſimpliciter accipienda, ac ſi* Germanicæ Academiæ *per ſe damnarentur; ſed reſtrictiſſime, & tantum reſpectu perniciosiſſimi* Pedantiſmi, *qui in earum nonnullis negligentia debitæ diſciplinæ invaluit, & illis ipſis, apud quos per pravam conſuetudinem adhuc viget, inviſus & intolerabilis eſt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hæc χρήσει καὶ κλήσει tua erit, ubi ad me veneris. Venies autem, si ſtudiis tuis conſultum velis; quæ nulli mortalium magis quam mihi curæ cordique erunt. Si Parentes Italicæ profectioni obluctentur, haud improbaverim, imo ſuaſerim etiam, ut Belgium primum adeas, atque inde te conferas in Galliam, unde facilior in Italiam excurſus. Vbi intellexero quid conſilii cæperis, ſubmittam literas commendatitias, quæ aditum ad doctorum Virorum alloquium & amicitiam tibi aperiant, ne plane hoſpes ad nos venias. Interim, dum patrio nido affixus hæres, temporis rationem ſedulo abs te exigas, ne in hoc ætatis & ingenii vigore vel momentum tibi otioſe effluat. In dicendi & ratiocinandi arte diligenter te exerce. Hoc enim præcipuum experiere (1) ἐφόδιον ad ſuperiorum Facultatum cognitionem poſtea parandam. Terentium, Plautum, Ciceronem & Cæſarem nunquam deponas de manibus: hi linguam ſtylumque tibi dirigant. Græce linguæ uſum quam potes promptiſſimum legendo ſcribendoque tibi redde; nunquam enim veterum Sapientum adyta ſine hoc adminiculo penetrabis. Vale, & ſi me amas, frequentius ad me ſcribe. Romæ (2) poſtrid. Nou. Nov. A. cIↃ IↃc XLIIII.

EPISTOLA V.

Hamburgum.

Optimæ Indolis & præclaræ Spei Adoleſcenti, Petro Lambecio, Lucas Holſtenius S. P. D.

A *Gaudeo hactenus obſcurum tibi non fuiſſe, quo ſemper in te animo fuerim, poſtquam te virtuti & liberalibus ſtudiis gnaviter incumbere intellexi. Quamvis enim neceſſitudo noſtra chariſſimum te mihi fecerit, magna tamen commendatione prolixiorem tibi affectum conciliavit bonæ mentis amor, quo flagras. Literas ad (3) Voſſium & Barlæum, Viros Clariſſimos, proximo curſore accipies, & ob incerta itineris alios apud mercatorem Belgam invenies. Et quoniam ad Sapientiæ mercatum proficiſceris, non ut exoticas merces in (4) principe Orbis* B *terrarum Emporio compares, nullam rei gerendæ occaſionem prætermitte; doctos viros aſſectare, frequenta, cole, eorumque affectum probitate, modeſtia, aſſiduitate & diligentia promereri ſtude. Sed nunc felici numinis auſpicio ſtadium ingredere, & animum ad virtutis curriculum alacriter excita; habebis me favitorem, dum cœptum premis. Tu modo, ſuaviſſime Petre, recta monentibus & de tuo profectu ſolicitis obtempera; &* C *cum optimo quoque, maxime autem cum temetipſo contende; ita palmam tibi certam promittere poteris. Ego Deum, ut cœptis tuis faveat, & ſtudia feliciter provenire faciat, ex animo rogo & veneror. Romæ (5) prid. Kal. Octob. cIↃ IↃc XLV.*

EPISTOLA VI.

Amſterodamum.

Petro Lambecio, Optimarum Artium Studioſo, L. Holſtenius S. P. D.

(1) Viaticum *ſeu* Adminiculum.

(2) *Agebam tunc annum ætatis* decimum ſeptimum.

(3) *Duo hi doctiſſimi ac celeberrimi Viri*, Gerardus Joannes Voſſius & Caſpar Barlæus *erant tunc temporis in Illuſtri Gymnaſio Amſterodamenſi Profeſſores publici: ille quidem Hiſtoriarum, hic autem Philoſophiæ Moralis.*

(4) *Intelligitur hic* Amſterodamum.

(5) *Agebam tunc annum ætatis* decimum octavum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Scripsi ante octiduum prolixe de tota itineris & studiorum tuorum ratione optime & charissime Petre, sed vereor, ut eas literas ad Parentem missas jam acceperis. Nunc iterum significo, lubenti animo me tuum rescivisse discessum ex patria, & salvum te Amsterodamum pervenisse plurimum gaudeo. Id miror te ne verbo quidem ad me scripsisse, cum optima literas mittendi occasio sit per mercatorem Belgam; idque ut porro facias, & quam poteris frequentissime, te moneo, cum minima maxima de te tuisque studiis scire desiderem. Interim hortor, ne de discessu ex Belgio cogites, quamvis primo accessu non satis ex voto tuoque desiderio res successisse videatur. Aderit Deus honestis conatibus, nec suo auxilio egregiam voluntatem destituet. Literas inclusas (1) *Bartholdo Neuhusio tradas velim, cui te tuaque studia quam diligentissime commendavi; is consilio operaque sua te juvabit. Tu omnia in ejus finem* (2) *ἀφειδῶς effunde. Ego id curabo, ut animum meum plane patrium perspectum habeas. Interim me mone de omnibus superioris Epistolæ capitibus. Exposui Neuhusio rationes, cur te Amsterodamo pedem movere nolim, & quibus potissimum studiis te incumbere velim: rogavi etiam, ut hospitium tibi commodum prospiciat, nisi ipse jam pararis, ubi ad aliquot menses vivas, donec linguæ morumque Belgicorum paulo peritior, vel Lugdunum vel alio migres. Quamprimum sermones & consilia cum eo contuleris, tuam mihi sententiam indices velim, & Amsterodamensis Scholæ statum exacte perscribas: illud quoque significes, ubi locorum Isaacus Vossius Gerardi filius vivat, & qui Professores sint Amsterodami præter Vossium & Barlæum; Hoc etiam prioribus monui, ut diligenter exquiras de Academia vel Gymnasio Deventriense, ubi Gronovius, Civis noster, Vir egregius, literas docet; de his quoque cum Neuhusio confer. Tu, mi Petre, animum bona spe erige, &, cum a paterno nido corpore avolaveris, animum quoque ab ejus recordatione & desiderio abstrahe. Temporis rationem habe; hujus enim usuram pretiosissimam nobis Deus esse voluit. Vale, & me tui amantissimum de omnibus certiorem facito. Vale. Romæ* (3) *17. Febr. A. cIↃ IↃc XLVI.*

EPISTOLA VII;

Amsterodamum.

Doctissimo Juveni Petro Lambecio L. Holstenius (4) *χαίρειν καὶ εὐπράτειν.*

Non dubito charissime Petre, quin priores meas a mercatore Belga jam acceperis, quibus de itineris & studiorum tuorum ratione uberius perscripsi. Ex iisdem perspicies, quam ego solicite tuas expectarim, quas Parentes Hamburgo tandem ad me miserunt. Puto conspectum ad consuetudinem tot Illustrium Virorum itineris mo-

(1) *Degebat is tunc temporis* Amsterodami: *religiosissimus æque ac doctissimus Sacerdos, & acerrimus Catholicæ Religionis Propugnator; ut apparet ex variis ipsius lectu dignissimis Scriptis, contra Hæreticos recentiores solidissime editis.*

(2) Libere.

(3) *Agebam tunc annum ætatis* decimum octavum.

(4) *Hoc est,* Gaudere & bene rem gerere. *Ita enim verba hæc vertit* Horatius *Lib. 1. Epist. 1.*

moleſtiſſimi tædium ex animo jam diſpuliſſe; & omnino futurum ſpero, ut, quo magis humanitatem eorum deguſtabis, eo minus te profectionis, quantumvis (1) intempeſtivæ, pœniteat. Superioribus meis varias tibi & Neubuſio rationes expoſui, cur Amſterodami te aliquamdiu commorari velim: ſed, cum feliciori ſtudiorum profectu ſpem & exſpectationem meam ſuperaveris, legem amplius nullam dico, quo minus tuo utaris arbitrio & ingenii ductum ſequaris. Hoc duntaxat moneo, dum eo es loco, ubi ſtudia Geographica maxime florent, gnaviter des operam, ut (2) πιναχογραφίαν, & eam, quam vocant (3) Ὑδρογραφίαν, ab optimis delineandi Magiſtris addiſcas, nec ſumptui ea in re parcens nec tempori. Cæteræ enim ſcientiæ ubivis locorum, hæ Amſterodami tantum percipi poſſunt. De ſtudiis græcis vere mihi (4) θαύμαλα καὶ ἀπροσδόκηλα nuncias. O me felicem, qui eo in ſtadio te currentem video, etiam cum doctorum plauſu, quo te jamdudum vota & co-

A

B

hortationes meæ trahebant. Multos hic favitores habebis, ſed me faventiorem neminem. Quomodo enim te hæc ſtudia amantem non amem unice? Sed quo caſu aut conſilio (5) Ariſtænetum tibi expoliendum ſumpſiſti, in quo Joſiæ Merceri induſtria ita omnia præſtitiſſe videtur, ut, quantum ab ingenio humano meliorum Codicum ope deſtituto proficiſci poſſit, nullum alienæ diligentiæ locum reliquerit? Nam & Verſio nativa elegantia cum græcis certat; Notæ autem ita omnibus numeris ſunt abſolutæ, ut nec demi quidquam nec addi poſſit. Verum non ego tam ſevera lege tecum agam, ut nihil permittam juventuti. Illud autem, ſi me amas & tuam famam, quam cautiſſime cave, ne Merceri politiſſimi & humaniſſimi Viri manes vel uno verbo lædas, etiamſi manifeſta ab eo diſſentiendi ſit cauſa; ita enim ejus virtus, doctrina & ſingularis modeſtia meretur: tum vero & hoc, ne amantium nequitias & (6) ἀπόῤῥητα, reducto ſipario, curioſius veſtigando, & tuo & alieno pudori injuriam facias:

ea

(1) *Nempe ob navigationem hyemalem menſe Decembri.*

(2) Compoſitionem Tabularum Geographicarum.

(3) Compoſitionem Tabularum Nauticarum.

(4) Miracula & inopinata.

(5) *Scripſit hic Ariſtænetus* Επιſτολὰς ἐρωτικὰς *ſive* Epiſtolas amatorias *elegantiſſimas, in* duos Libros *diviſas, quas primus omnium in lucem edidit ſed tantum* græce, Joannes Sambucus, *Hungarus Tirnavienſis, Antwerpiæ typis Chriſtophori Plantini A. 1566. in quarto, & quidem ex pervetuſto ſuo, & hactenus, quod ſciam, unico Codice manuſcripto membranaceo, qui etiam nunc adſervatur in* Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, *& inter Codices MStos Philoſophicos ac Philologicos Græcos ſecundum antiquum numerum eſt centeſimus trigeſimus quintus, atque, ut ipſe ibi in principio inſcriptione propriæ manus teſtatur, A. 1561. ab ipſo fuit comparatus in* Apulia. *Secundus deinde easdem Epiſtolas* latine *ſimul & græce cum eruditiſſimis Notis ſuis edidit* Joſias Mercerus *Pariſiis apud Marcum Orry A. 1594. in octavo, ſed absque ſuo nomine. Quod porro ad* meum *in easdem Epiſtolas* Commentarium, *in Holſteniana hac Epiſtola memoratum, attinet, eum componere orſus ſum Hamburgi d. 3. Junii A. 1645, abſolvi autem Amſtelodami Kalendis Februarii A. 1646. Exſtat is nunc autographum in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea, nec communicationem ejus denegabo, ſi quis* novæ Epiſtolarum Ariſtæneti editioni *illum velit ſubjungere.*

(6) Arcana, quæ divulgari haud honeſtum eſt. *Libanius in Ethopœïa ſecunda, quæ exſtat Operum ipſius Tom. 2. pag. 734. vocat* τὰ τῶν ἐρώντων μυςήρια, *hoc eſt,* amantium myſteria.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea enim ætate es, quæ multa istorum vel ignorare, vel verecunda dissimulatione præterire debet. Quocirca doctissimorum Virorum (1) *Vossii,* (2) *Heinsii, & inprimis* (3) *Salmasii consilio utere, nec quidquam nisi eorum judicio ac censura probatum profer. Salmasius enim, Merceri gener, candide suggeret, ne quid in Soceri nomen famamque peccetur. Auctoris ætatem, patriam & professionem ex Libanii Epistolis* (4) *ἀνεκδότοις observasse videor; nec dubito quin ipsissimus sit Venerum & Gratiarum parens, cujus elegantiam & leporem in scribendis Epistolis quavis occasione prædicat. Mittam alias ex Vaticano exemplari, si quæ* (5) *γνωρίσματα contineant, quæ Aristæneti vitam illustrent: qualis est ea, qua* (6) *Spectati Persicam Legationem, Constantii Imperatoris jussu peractam, narrat. Multa quoque de hoc ipso Aristæneto suggerit Libanii oratio de vita sua, quæ* (7) *principio Tomi posterioris legitur.* (8) *De Lycophrone non solum probo consilium tuum, sed etiam hortor ac moneo, ut ex* (9) *σκοτεινῶν auctoris tenebris lucem nomini famæque tuæ quæras. Offero etiam Codicem manuscriptum optimæ notæ* (10) *Commentariorum Tzetzæ; sed ita est* (11) *ὀγκώδης, ut ægre transmitti ad te possit. Eum igitur apud me tibi paratum scias, ubi veneris; interim ingenium experire. Habeo & Orphei Poëmatum exemplar non contemnendum, ex quo* (12) *Argonautica plurimis locis emendavi. Auctor ille, hucusque a Criticorum & Correctorum vulgo derelictus, tuam exposcere videtur operam. Hymni autem, reconditæ antiquitatis plenissimi, justum Commentarium merentur; quem vel unius Procli Scripta* (13) *ἀνέκδοτα tibi instruent, ut ex Notis meis ad Sallustium Philosophum facile perspicies: ne quid de cæteris, quos apud me habeo, Platonicis nunc dicam, in quibus* (14) *τῆς μυθικῆς θεολογίας thesaurus latet. Gaudeo te eam Octavii Tensini humanitatem experiri, quam ejus amici hic mihi pollicebantur. Literas meas imposterum ab ipso recipies, tuasque vicissim per eum ad me mittito. Itaque ejus opera libere &* (15) *ἀπροφασίστως utere, meque quam sæpissime de tuis rebus certiorem facito; id enim meo jure abs te postulare videor. Quamprimum abs te & Neuhusio responsum ad priores accepero, scribam de profectione cæte-*

(1) *Nempe* Gerardi Joannis.
(2) *Nempe* Danielis.
(3) *Nempe* Claudii.
(4) Ineditis. *Sunt autem Epistolæ* duodecim; *quas vide infra in Appendice proxime sequentis Epistolæ* octavæ.
(5) Indicia *seu* documenta.
(6) *Vide infra Annotationes meas marginales ad* primam Libanii Epistolam.
(7) *Vide Operum* Libanii *editionem græco-latinam Parisinam Federici Morelli A. 1626, & 1627. in fol. Tom. II. pag. 21.*
(8) *Vide Prodromum meum Historiæ Literariæ Lib. 2. cap. 4. §. 4. pag. 181.*
(9) Obscuri.
(10) Lycophronis *Poëma, inscriptum* Alexandra *sive* Cassandra, *exstat etiam aliquoties in Augustissima Bibliotheca Cæsarea manuscriptum, & quidem* cum Commentariis Isacii Tzetzæ *in Codicibus MStis Philologicis Græcis secundum antiquum numerum 2011mo & 2142do.*
(11) Grandis.
(12) *Eorundem* Argonauticorum *præstantissimum exemplar manuscriptum membranaceum exstat etiam in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codice MSto Philologico secundum antiquum numerum ducentesimo secundo.*
(13) Inedita. *Eadem autem* Procli Scripta inedita *exstant etiam in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus MStis Philosophicis.*
(14) Fabulosæ Theologiæ.
(15) Sine excusatione.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

terisque quæ ſtudiis tuis maxime profutura videbuntur. Nunc vale, & me ama. Romæ (1) *prid. Kal. April. cIↃ IↃc XLVI.*

EPISTOLA VIII;

Amſterodamum.

Doctiſſimo Juveni Petro Lambecio Lucas Holſtenius (2) *εὐπεράτειαν.*

Quod tardius meas accipis, eo factum, ne tuam de Ariſtæneto exſpectationem morarer: malui enim ſimul omnia mittere, quæ ex Libanio conquirere potui. Itaque bonis avibus, Muſisque faventibus aleam jacito; tantum pudoris & modeſtiæ limites ſerva, quos ſuperioribus fixi. Miror nondum tibi redditas fuiſſe a. d. Id. Martii literas meas, quas per mercatorem Belgam pridem miſi. Sed ille, uti video, tricator eſt; itaque Tenſini opera poſthac tutius uteris, qui tuas diligentiſſime ad me curavit. Nunc ne tua vota morer, Lugdunum ut proficiſcare, per me tibi licet. Sed de iis primum ſedulo inquirito, quæ in ſchedula notata habes, & de ſingulis itidem (3) *ἀφορισικῶς reſcribe. Non eſt quod de mearum rerum ſtatu anxium ſolicitumque te habeat; nam mihi Dei beneficio ſalva tutaque ſunt omnia. Nonne legiſti illud ſuaviſſimi*

(4) *Fabulatoris, non quidem* (5) *ἐπιμύθιον, ſed Oraculum?*

(6) *Quemcunque populum triſtis eventus premit,*
Periclitatur magnitudo Principum,
Minuta (7) *plebes facili præſidio latet.*

Quocirca omnem ex animo curam expellito, & quam divina bonitas (8) *ἐυημερίαν præſtat, ea fruere, Probo eam, quam* (9) *Junenali veterique Scholiaſtæ operam impendis: nam & me idem aliquando ſtudium inceſſit; ſed quotquot iſtorum ſcholiorum exemplaria inſpexi, inſpexi autem plurima & antiquiſſima, a Pithœanis illis toto quod ajunt Cœlo diſcrepant, ut fruſtra ex iis medelam locis hiulcis ſperes. Id gaudeo, quod Themidi te tuaque ſtudia addixeris. Non illa Muſas ita aſpernatur, ut vulgus leguleiorum putat; ſed omnem humanarum ac divinarum rerum ſcientiam ſibi vindicat. Tu magnorum Virorum, quos commemoras, exempla ſequere, ita te quoque magnum aliquando futurum non dubites. Itaq; ubi Lugduni ſedem fixeris, ſerio hoc agere incipias, & Anteceſſoribus, quos Academia illa habet celeberrimos, totum te dedas. Illud autem etiam me non monente fa-*

(1) *Agebam tunc annum ætatis* decimum octavum.
(1) Bene rem gerere.
(2) Diſtincte.
(3) *Nempe* Phædri, *Imp. Auguſti Liberti, Lib. 4. fab. 6.*
(4) Fabulæ additamentum *ſeu* clauſulam.
(5) *Significatur hic perſecutio* Barberinorum *per Summum Pontificem* Innocentium X; *qua coacti Cardinales* Franciſcus & Antonius *A. 1646. cum* Thaddæo *fratre fugerunt in Galliam.*
(6) Plebes *antique pro* plebs.
(7) Jucundam temporis proſperitatem.
(8) *Conferebam tunc temporis* Juvenalis *Satyras cum V. CL.* Gerardi Joannis Voſſii *pervetuſto & optimæ notæ Codice manuſcripto membranaceo, cui in margine anonymi cujuſdam antiqui* Scholaſticæ *Annotationes erant adjunctæ. Eædem* Juvenalis Satyræ cum antiquis Scholiis *exſtant etiam aliquoties manuſcriptæ in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

facturum te scio, ut Historiæ & Antiquitatis Romanæ cognitionem obnixo tibi studio compares. Tu, quod certe debes, crebro de omnibus ad me scribe: facies autem, si id tibi persuasum habueris, neminem esse, qui studiis tuis rectius consultum cupiat, quique tuo profectu delectetur impensius, quam ego, qui ob tuam te indolem amo ac diligo, diligamque porro, quamdiu tu bonam mentem, literas, virtutem & inprimis pietatem, (1) πασῶν τῶν ἀρετῶν ἡγεμόνα καὶ κρηπῖδα *amaveris. Sed heus tu, Catalogum Manuscriptorum Græcorum Vaticanæ Bibliothecæ satis accuratum in Amsterodamensi Bibliotheca olim vidi: eum tu, dum commoditas est, percurre, tibique, quæ ex usu futura putaveris, nota;* (2) *neque enim hic, quæ seculi nostri inscitia est, facile pervolvendi ejus fit copia. Tu de profectione, deque commoratione Leidensi, consilium cum clarissimo Neubusio capias. Id vide, ne Germanorum contubernio te adjungas, qui tempus studiis destinatum* (3) συμποσίοις *& comessationibus male perdunt. Et cum post jacta Jurisprudentiæ fundamenta in Gallias te proficisci cupiam, vide ut Belgarum & Gallorum usu ac conversatione aliquam ejus linguæ cognitionem tibi compares; etiam, si volueris otiumque suppetat, adhibito Magistro. Sed ubi tuas recepero, de hisce quid agendum sit rebus, rectius dispiciemus. Vale & Clarissimos Viros,* A *ejus Vrbis Lumina, officiose a me saluta. Romæ,* (4) *VII. Id. Aprilis cIↃ IↃc XLVI.*

LIBANII

Sophistæ sive Rhetoris Antiocheni, qui integro fere quarto post Christum seculo sub Imperatoribus *Constantio* & *Constante*, *Juliano*, *Joviano*, *Valentiniano I*, *Valente*, *Gratiano*, *Valentiniano II.* & *Theodosio Magno* floruit EPISTOLÆ DUODECIM, ex Codice manuscripto *Bibliothecæ* (5) *Vaticanæ* depromptæ; quarum priores *decem* ad ipsum ARISTÆNETUM, Rhetorem & Epistolographum Nicænum, duæ autem posteriores de eodem ARISTÆNETO ad *Entrechium* & *Acacium* scriptæ sunt.

I.

Λιβάνιος Ἀρισταινέτῳ.

C' Ἐπανήκων ἡμῖν ὁ (6) Σπεκτάτος ἀπὸ τῆς πρεσβείας, πολλοῖς ἔδοξεν εὐδαίμων εἶναι; τοῖς μὲν, ὅτι πολλὴν εἶδε γῆν; καὶ ὄρη, καὶ ποταμούς; τοῖς δ', ὅτι τὴν Περσῶν δίαιταν, καὶ ἔθνη, καὶ νόμους, ἐν οἷς ζῶσιν. ἡ δὲ τὴν αὐτοῦ τοῦ δυναστεύοντος θέαν, καὶ τῶν λίθων, οἷς ἐκεκόσμητο, μέγα ἦγον. τοῖς δὲ σεμνὸν ἐδόκει, τὸ δῶρα δόντα, λαβόντα ἀπελθεῖν. ἐμοὶ δὲ καὶ ταῦτα μὲν ἔχειν τινὰ χάριν ἐφαίνετο· κάλλιστον δὲ, τὸ δείξαντα ῥήτορος δύναμιν ἐν Σούσοις, ἐπανελθεῖν. Καί τοι γε ᾤμην αὐτὸν ἀποβεβληκέναι τουτὶ τὸ θένος, πολὺν ἤδη χρόνον ἀπὸ τῶν βιβλίων μετηνεγμένον

(1) Omnium Virtutum Principem & fundamentum.

(2) *Tunc temporis enim ipse* Præfecturam Bibliothecæ Vaticanæ *nondum erat adeptus.*

(3) Compotationibus.

(4) *Agebam tunc annum ætatis* decimum octavum.

(5) *Eædem & plures aliæ* Libanii *ad* Aristænetum *& de* Aristæneto *Epistolæ exstant etiam in* Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, *ut in Holstenianarum ad has duodecim Epistolas Observationum fine accuratius indicabitur.*

(6) *De hoc* Spectato *ejusque Legatione nomine* Imp. Constantii *ad* Saporem *Regem Persarum vide* Ammiani Marcellini *Lib. 17. p. 96. editionis Parisinæ V. CL.* Henrici Valesii *A. 1636. in quarto. Consule etiam ibidem ejusdem doctissimas Notas p. 139. 140. & 141.*

γμένον ἄλλοσε· τῷ δ' ἄρα ἐνέμενεν ἐπὶ τοῦ ἤθους ἡ δεινότης. ὡς γὰρ ἐχρημάτιζεν ὁ Πέρσης, καὶ ὁ λόγος ἦν περὶ τῶν διαφορῶν, καὶ πολὺς ἐνέκειτο τοῦ παππώους ἀπαιτῶν ὅρους, καὶ πολλάκις ἐρωτῶν, (1) εἰ μὴ δίκαιον εἰς τοὺς παῖδας τὰ τῶν προγόνων καταβαίνειν. τὰ μὲν παρὰ τῶν ἄλλων ἐνταῦτα παλαίσματα Σπεκτάτος ἀπαγγελεῖ, τοῦ γέλωτος ἢν οἷός τε γένηται κρατεῖν· οἷς δὲ οὗτος ἐχρήσατο πάνυ γενναῖα καὶ διασείοντά γε τοὺς εὐπροσώπους τοῦ Πέρσου λόγους. ἔφη γὰρ· εἰ μὲν, ὦ Βασιλεῦ, Κωνσάντιος σου τῆς ἀγάπης ἀποτέμνεται, τῶν ὅπλων ἔχου, μέχρις ἐκεῖνος τοῦ πλεονεκτεῖν· εἰ δ' οἷς μὲν ἐγκαλεῖς, πάλαι τεθνᾶσιν· ὁ δὲ μεθ' ὧν εἰσῆλθεν εἰς τὸν πόλεμον, ταῦτ' ἔχων καταθέσθαι τὸν πόλεμον ἐθέλει, σκόπει μὴ πλεονεξίαν ἐγκαλῶν, αὐτὸς τοῦτο ποιῶν ἐλεγχθῇς. ἐπὶ τούτοις ἐνέδυφασὶ τὴν λεοντῆν· ὥστ' ἐκεῖνον βλέποντα μὲν εἰς τὴν ἡλικίαν, ἐξετάζοντα δὲ τὸν λόγον, οὐκ ὀλιγάκις σεῖσαι τὴν κεφαλὴν, καὶ διὰ τὸν σὸν ἐρώμενον οὐ συκοφαντῶν ἡμῖν τὸν Βασιλέα σεσίγηκεν. ἄλλῳ μὲν οὖν συνεῖπε καλῶς. αὐτὸς δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ τί ποτ' ἂν καὶ λέγοι προθυμότερον ὥς σε παρ' ἡμῶν τρέχων, ἢ παρ' ἡμᾶς ἐκ τῆς Περσίδος.

II.

Τῷ αὐτῷ.

Νικέντιον μὲν τὰ σὰ γράμματα φίλον ἡμῖν ἐπόιει, Μόδεστον δὲ, ὄντα καὶ πρὸ τοῦ φίλον, μᾶλλον ἢ πρότερον ἐπόιει τὰ γράμματα. τὴν μὲν οὖν πόλιν ἡμῖν ἔυφρανε τῇ περὶ ἐμὲ σπουδῇ, ἐμὲ δὲ τῇ περί σου μνήμῃ. τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν καλῶς σε εἰδότων ᾀδόμενον, καὶ αὐτὸς ἐφθέγγετο οὔπω τοιοῦτον εἶδον. καὶ διεξῄει πολλὰ τῶν σῶν, προστιθεὶς ὡς οὐκ ἂν πάντ' εἰπεῖν ἔχοι. Εἶτ' ἐκαλεῖτο μὲν ὑπὸ τῆς ἑσπέρας ἐπὶ λουτρὰ, κατείχετο δὲ ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ἐν τῷ λόγῳ. καὶ ὁ μὲν ἐπῄνει τὰ σά. Φουρτουνατιανὸς δὲ ἐκεῖνον, ὅτι ἃ χρῆν ἐπῄνει. τίς οὖν ἐγώ; σιγῶν ἠρυθρίων ὡς ἂν αὐτὸς ἐπαινούμενος. Εἰσάγω δὴ τὸν ἄνδρα εἰς τὸ βουλευτήριον, οὗ λόγων ἀγῶνες ἡμῖν. καὶ ἴσως οὐκ ἠνίασα λέγων, λαβὼν δὲ παρά σου δύο ἄρχοντας φίλους, ἑνὶ γέμοντι σοφίας ἀμείβομαί σου τὸ δῶρον. (2) Ἁρποκρατίων γὰρ οὑτοσὶ καὶ ποιητὴς ἀγαθὸς, καὶ παιδευτὴς ἀμείνων· δεινὸς μὲν ἐνθεῖναι τὰ τῶν παλαιῶν νέοις, δεινὸς δὲ ἐκείνοις παρισωθῆναι. Βεβιωκὼς δὲ συνεχῶς ἐν βιβλίοις ἡδίστην μὲν ἔχει κομψείαν, ἁπλοῦς τις ὢν καὶ γενναῖος, καὶ οὐκ ἂν ἁλοίη φρονῶν μὲν ἕτερα, λέγων δὲ ἄλλα. Εὐδαίμων δὲ κοινωνήσας καὶ τροφῆς καὶ μουσείων, πάλαι μὲν ἐν τῷ φοιτᾷν, νῦν δὲ ἐν τῷ παιδεύειν, καὶ μικροῦ τῷ φίλῳ συμπεφυκὼς, ὑπὸ τῆς ὑμετέρας ἀπεράγη δυναστείας. καὶ νῦν διακριθέντες μετὰ δακρύων, πορεύεται μὲν αὐτὸς, κάθηται δὲ ἐκεῖνος. Εὐδαίμονα μὲν οὖν ἐγὼ (3) μυθήσομαι· σὺ δ' Ἁρποκρατίωνι γίγνου τοῦθ', ὅπερ ἡμεῖς Εὐδαίμονι.

III.

(1) *Ipsa* Saporis *verba apud* Ammianum *jam citato loco sunt hæc;* Adusque Strymona flumen & Macedonicos fines tenuisse Majores meos, antiquitates quoque vestræ testantur; hæc me convenit flagitare, *&c.*

(2) *Hic est ille* Harpocration, *Romano nomine clientelari dictus* Valerius, Rhetor Alexandrinus, *quem* Suidas *testatur autorem esse* Lexici *sive* Dictionarii in decem præcipuos Græciæ antiquæ Rhetores, *quod etiam nunc exstat, & primum quidem superiori seculo ab* Aldo Manutio *Venetiis, deinde autem longe accuratius hoc nostro seculo, nempe A. 1614. Parisiis apud Claudium Morellum a V. CL.* Philippo Jacobo Maussaco *editum est cum subjunctis eruditissimis* Notis *& amplissima* Dissertatione Critica de Harpocratione ejusque Scriptis; *in qua pag. 328. perperam conjectat,* Harpocrationem *hunc floruisse seculo post Christum* secundo, *& fuisse* Imp. L. Ælii Veri *in Græcis Præceptorem.*

(3) *In duobus Codicibus MStis Cæsareis rectius legitur* παραμυθήσομαι.

III.

Τῷ αὐτῷ.

Τον (1) Ἱμερίου μὲν υἱὸν, Σωπάτρου δὲ ἀδελφιδοῦν, Ἰαμβλίχῳ δὲ ὁμώνυμον, ἐμὸν δὲ συγγενῆ καὶ φίλον ἔχων, εὐθὺς ἡγοῦ καὶ σαυτοῦ φίλον, καὶ μὴ καταβραχὺ συγκεράννυ τῷ νεανίσκῳ σαυτὸν ἀλλ' ἐπὶ τοῖς γράμμασιν ἀναπέτασον αὐτῷ πάντα τὰ πράγματα, μὴ τῇ ἡλικίᾳ κρίνων τὸν τρόπον, ἀπὸ δὲ τοῦ τρόπου τὸν νέον τιθεὶς εἰς γέροντας. οὗτος ἐμὲ φιλεῖ ὥσπερ μητήρ· αἰσχύνεται δὲ ὥσπερ υἱός· φοβεῖται δὲ ὡς ἂν οἰκέτης. Τὸ δὲ ὂν αὐτῷ, νομίζων τὴν μεγίστην ἀνάγκην εἰς (2) ἀρετὴν ἄσκησιν εἶναι, θεοὺς τιμῶν δέξαιτ' ἂν Ἴρος γένεσθαι μᾶλλον, ἢ μὴ τιμῶν Κιννύρας. κληρονομήσας δὲ πατρῴας οὐσίας καὶ φίλων, τὸ μὲν τῶν φίλων ἤυξησε μέρος· τὸ δὲ ἐκείνης οὐκ ἠξίωσεν· ἀλλ' ἐπαινῶν Εὐριπίδην λέγοντα, νοῦν ἔχοντος εἶναι φίλον πρίασθαι χρημάτων πολλῶν σαφῆ. τοῦτο τὸ κτῆμα κτώμενος ἀναλίσκει τῶν ὄντων. ἀκούσας δὲ, τίς μὲν (3) ὁ καλῶν, ἐφ' ὃ δὲ καλούμενος τίνι γνώμῃ πορεύεται, θαυμάσῃ μὲν αὐτοῦ τὸ μὴ θαυμάσαι πλοῦτον, (4) ἐπαινήσῃ δὲ τὴν σοφίαν, ᾗ πειρᾶται διαφεύγειν, ἃ μὴ νομίζει καλά· μακάριον δὲ ἡγήσῃ τῆς περὶ τὰ θεῖα κρίσεως. ξενίσας οὖν τὴν γενναῖαν φύσιν, καὶ συνευξάμενος αὐτῷ (5) ληθῆναι, πέμπε ἐπ' Ἰταλίας, μᾶλλον δὲ ἐπὶ Συρίας.

IV.

Τῷ αὐτῷ.

Ἐγένετο καὶ Ἀριστάινετος ἡμῖν εἷς τῶν πολλῶν ὁ πρότερον τῶν σοφῶν, καὶ

A τὰς ἐπιστολὰς πήχεσι καὶ σπιθαμῇ μετρεῖ, κἂν μακρὰς μὴ λάβῃ, δεινὰ πέπονθε καὶ ἠδίκηται. Ἐγὼ δέ σε ᾔδειν εἰδότα, μέτρα τῶν λόγων εἶναι τὰ πράγματα. (6) πάντως δὲ ὁ τῶν (7) ἐπιστολῶν περιλαμβάνει μέρος. τότε οὖν (8) συνέστελλε τὴν ἐπιστολὴν ὁ φέρων τὴν ἐπιστολὴν, ἔχων ἀγγεῖλαί σοι τα ἡμέτερα ἀκριβῶς· εἰ δὲ ἐγὼ διηγούμην, ὑβρίζετο ἂν ὁ φέρων· ἀλλ' οὐδὲ ἀγνὼς ἦν ὁ γυμνάσιός σοι, καὶ διδάσκειν σε δέον ὅστις ἐκεῖνος ἔφυγον ὑπ' ἀργίας τῆς περὶ τὰ πράγματα, τίς (9) ἦν ὁ τοῦ βεβήλου καιρὸς, καὶ τοῦ τὰς θύρας ἀποκλείειν.

B ὁρᾷς ὅπως ἐπέστελλες Στρατηγίῳ μακρὰ καὶ καλὰ, μήκους γὰρ ἐδεῖτο περὶ ὧν ἐπέστελλες. μικρά σοι παρ' ἡμῶν ἧκε καὶ γὰρ μακρά ποτε ἧκεν. τότε μὲν πολλῶν, ὕστερον δὲ οὐ τοιούτων. οὐ γὰρ ἔδει, ὅπως δὲ ἡμῖν εἰς χεῖρας ἦλθεν, ἃ πρὸς ἐκεῖνον ἔγραψας, ἄκουσον. ἀνέστρεψε μὲν ἐκ Καρχηδόνος· ἐγὼ δὲ, τοῦτο δὴ τὸ εἰωθὸς, πρὸ τῆς πόλεως ἠσπαζόμην· ὁ δὲ ἅμα τὲ ἐφίλησε, καὶ γράμματα, ἃ ἧκεν αὐτῷ παρά σου, δώσειν μοι ταῦτ' ἔφη. ταῦτ' ἐλέγετο σὺν φαιδρότητί σοι τε καὶ ἐμοὶ τιμὴν ἔχοντα. Νεβρίδιος δὲ ἠκροᾶτο σὺν ἐκείνῳ

C φερόμενος. ὡς οὖν οἴκαδε ἦλθον, αὐτοῦ δόντος ἀνέγνων, οὐ πλείω μᾶλλον ἢ καλλίω. ἐγὼ μὲν ἐπῄνουν, ὁ δ' ἥδετο. Ὀλυμπίῳ δὲ πολλὴν εἰδὼς χάριν, ὅτι σοι τὰ ὄντα ἀπήγγελκε, καὶ τὴν μεθ' ἡμῶν μοῖραν, καὶ σοῦ ῥηγνυμένους δύο, καὶ σοῦ πηδῶντας, καὶ σοῦ (10) κλαίοντας· οὐδ' ἔστιν εἰπεῖν ὅσην ἡδονὴν ἔχω· κάι σου δ' ἂν ἔχοις εἰκότως, εἴ σοι κέρδος τὸ μὴ περὶ τῶν ἐμῶν ἐξηπατῆσθαι πραγμάτων. τῶν δὲ ἐμῶν λόγων ἐρᾷν μὲν ἐγνωκὼς, τιμὴν δὲ οὐ διδοὺς, ἀδικεῖς.

αἰτοῦ-

(1) *In Codice MSto Cæsareo membranaceo pro* Ἱμερίου *legitur* Ἡμερίου.

(2) *In Codice MSto Cæs. membranaceo legitur* ἀρετῆς.

(3) *In eodem Codice Cæsareo additur hic* αὐτόν.

(4) *In eod. Cod. Cæs, legitur* ἐπαινέσῃ.

(5) *In eod. Cod. Cæs. recte legitur* λυθῆναι.

(6) *In Cod. MS. Cæs. chartaceo pro* πάντως *legitur* πᾶς.

(7) *Locus hic mutilus ex duobus Codicibus MStis Cæsareis supplendus est hoc modo:* ὁ τῶν λόγων νόμος καὶ τὸ τῶν ἐπιστολῶν περιλαμβάνει μέρος.

(8) *In Cod. MS. membranaceo,* συνέστειλε.

(9) *In duobus Codicibus MStis Cæs. legitur recte.* τίς οὖν &c. & *post* ἀποκλείειν *pro puncto positum est signum interrogationis.*

(10) *In duobus Cod. MStis Cæs. legitur* κλάοντας.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

αἰτοῦμεν (1) οὐ χρυσίον, ἀλλὰ βιβλία τῶν παλαιῶν, ἃ πάλαι μὲν ὑπέσχου δωρεὰν, νῦν δὲ (2) οὐκ ἀντεδίδως.

V.

Τῷ αὐτῷ.

Ἔμελλές ποτε καὶ τῶν ἐν ἀρχαῖς γένεσθαι πόνων, καὶ ὡς οὐ πάσῃ μηχανῇ τὸ ἄρχειν φυγών· καὶ νῦν ζώνη καὶ στρατεία καὶ ὄχλος περὶ θύρας, καὶ ἀγρυπνίαι, καὶ φροντίδες. ἡ πολλὴ δὲ ἐκείνη ῥαστώνη καὶ τὸ ἀργεῖν ἐκκεχώρηκε. φοβοῦμαι δὲ οὐδὲν, μὴ τῶν μεγίστων πρῶτον ἁψάμενος, ἰλιγγιάσῃς ἡμῖν. ἡ γὰρ δὴ φύσις ἡ σὴ καὶ μελέτης χωρὶς ἐπίσταται κατορθοῦν. ὥστέ σε πιστεύω ταχέως μὲν θαυμαστὸν ἐν τοῖς παροῦσι φανεῖσθαι, ταχέως δὲ τῇ περὶ ταῦτα ἀρετῇ πρός τι λαμπρότερον ἥξειν. ἐφ' ᾧ δὲ αὐτός τε μάλιστα ἥσθην, σύ τ' ἂν εὐφραίνοιο· τοῦτό ἐστιν· ὅσοι τὸν λόγον ἐδέξαντο τοῦ πράγματος, τοσοῦτοι καὶ ἡδονὴν μετὰ τοῦ λόγου· καὶ τῶν πρὸ τοῦ σε φασκόντων φιλεῖν, οὐδεὶς ἠλέγχθη φάσκων μὲν, ἥκιστα δὲ φιλῶν· ἄλλα το παλαι τοῦτο· ἄξιος Ἀριστάνετος διὰ πάσης ἐχώρει τῆς πόλεως. καὶ δὴ καὶ ὁ Βασιλεὺς ἐθαυμάζετο μελίττης σοφώτερον συνθεὶς τὸ τῆς ἀρχῆς κηρίον. Ἐι μὲν οὖν ἐξῆν μοι καὶ αὐτῷ παρά σε τρέχειν, ἐπετόμην ἄν. νῦν δὲ, ᾧ βαδίζειν ὑπῆρχεν, ἥκει Διάνιος, ὁ σὸς μὲν συγγενῆς, ἐμὸς δὲ ἑταῖρος, πολλάκις μὲν ὑπό σου κεκλημένος πρότερον, νῦν δέ γε ὑπὸ τοῦ καιροῦ. τὸ γάρ σε Βιθυνίας κρατεῖν κατάγει τὸν ἄνδρα, πολὺν δὲ χρόνον φυγόντα τὴν οἰκίαν, διὰ το φοβεῖσθαι βουλὴν καὶ πενίαν. εἰ γὰρ ἐλάβοντο ἐπιδημοῦντος, τοῦδε οὐ δυναμένου λειτουργεῖν, λοιπὸν ἦν δεδέσθαι. ἐδόκει οὖν αὐτῷ μετριώτερον εἶναι γῇ ξένῃ μετ' ἐλευθερίας, ἢ πατρὶς μετὰ ἀτιμίας. καὶ τῷ μὲν ἀφιστάναι τῆς μητρὸς ἤλγει· τὴν μητέρα τὲ ἰδεῖν ἐπὶ τοιαύταις ἐλπίσιν ὤκνει. τῷ μέν τοι παρ' ἡμῖν βίῳ καὶ τὴν μητέρα, κάι σε, καὶ πάντας ἡμᾶς κεκόσμηκε, μετὰ σωφροσύνης τὲ καὶ πραότητος καὶ τοῦ παρέχειν αὐτὸν αἰδέσιμον διάγων, καὶ τὸ μέγιστον τῶν πρὸς ἡμᾶς δικαίων οὐδὲν διαφθείρας, οὐκ ἐπεσπάσατο μῖσος παρὰ τῆς ἑτέρας μερίδος, τοιγαροῦν θαῤῥῶν ἔλεγον, ὡς (3) κοινωνήσει τοῦ γένους, καὶ οὐκ ἐδόκει χεῖρον εἶναι τοῦ αἵματος. δέχου δὴ τὸν οἰκεῖον, πολοὺς τῇδε διὰ τὸν τρόπον κτησάμενον φίλους καὶ βούλευσαι περὶ τοῦ τίνα χρὴ τοῦτον ὁδὸν ἐλθεῖν, εἴτ' οἴκοι μένειν, εἴθ' ὡς ἡμᾶς ἀναστρέφειν, εἴτε ζῆν ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει ποιούμενον τὸν βίον ἀπὸ τῶν δικῶν.

VI.

Τῷ αὐτῷ.

Ἐξέστω παίσειν ὑπάρχῳ, πάντων ὑπάρχων διαπάντων κεκρατηκότι, καὶ τοῖς αὐτοῦ λόγοις τιθέντι μέν με πρὸ τῶν τῆς Δάφνης πηγῶν, τιθέντι δὲ πρὸ τῶν δένδρων τῶν καλῶν καὶ μεγάλων, τιθέντι δὲ πρὸ τοῦ κάλλους τῶν καταγωγίων. ἀλλ' ὁ μὲν ᾀδέτω τέ με καὶ ἐγκωμιαζέτω, καὶ χαριζέσθω στέφανον (4) τῶν ἀπὸ τῶν ῥημάτων ἐγὼ δὲ χαίρω μὲν τούτοις τιμώμενος. οὐ μὴν ἀγνοῶ γε ἐμαυτὸν, οὐδὲ φυσῶμαι καὶ μετεωρίζομαι. ἀλλ' ὁ φιλόλογος μὲν καὶ φιλόπονος οἶδα τίς ὢν, οὔπω γε μὴν τοσοῦτον ὅσον εἶναί φησιν ὁ τῆς δίκης ἑταῖρος Ῥουφῖνος, ὁ τραφεὶς ἐν τοῖς ἐκείνης καὶ τεμένεσι καὶ χερσίν· ὅθεν αὐτῷ καὶ τὸ δύνασθαι σώζειν οἶκόν τε ἕκαστον, καὶ πόλεις, καὶ ἔθνος, καὶ γῆν καὶ θάλατταν. Καί μοι δοκεῖ τούτοις με κοσμεῖν τοῖς ἐπαίνοις ἐκεῖνος

(1) *In iisdem Codicibus Cæsareis legitur*, αἰτοῦμεν δὲ, οὐ &c.

(2) *In Cod. Cæs. chart. legitur*, νῦν δὲ οὐδὲν ἀποδίδως.

(3) *In Cod. MSto Cæs. membran. recte legitur*, ὡς κοινωνεῖ σοι τοῦ γένους, καὶ οὐκ ἐδόκει χείρων εἶναι τοῦ αἵματος.

(4) *In eod, Cod. Cæs. recte legitur* τόν.

ἐκεῖνος οὐκ ἄνευ θεῶν, τῶν εἰδότων μὲν τὰς τρικυμίας, αἷς πολὺν ἤδη χρόνον ἐλαύνομαι· βουλομένων δὲ εἶναί τι καὶ τὸ πεῖσον τὰ τοιαῦτα φέρειν. Εἶδεν οὖν ὡς μόνον ἂν ἐνέγκαι τοῦτο παραμυθίαν, εἰ τοιαῦτα ψηφίζοιτο περὶ ἡμῶν ἀνὴρ, θεῶν μὲν ἥττων, ἀνθρώπων δὲ αμείνων· καὶ χαίρω μὲν αὐτὸν ακούων συνεῖναι τῷ βασιλεύειν εἰδότι, εὔχομαι δὲ αὖθίς τε ἰδεῖν, καὶ συνουσιῶν ἀπολαῦσαι τῶν ἴσων· καίτοι χαλεπόν γε κρατῆσαι τοσούτων νοσημάτων, ὧν καὶ πολλοστὸν μέρος ῥαδίως ἄν με ἀπήνεγκεν· ὃ δὴ καὶ τὴν πυκνότητα τῶν γραμμάτων ἔπαυσε· σοὶ μὲν (1) ἥδιστ' ἂν καὶ καθημέραν ἐπέστελλον, ἰητροὶ δὲ ἐβόων, ὡς εἰ μὴ σιωπῇ διάγοιμι, καὶ πλείω καὶ μείζω ποιήσω τὰ κακά.

VII.

Τῷ αὐτῷ.

Καλῶς σοι τεθρήνηται τἀμὰ κακὰ, ἥ τε τοῦ παιδὸς τελευτὴ τοῦ διὰ τὴν μητέρα δεινὰ παθόντος, ἥ τε Καλλιοπίου τοῦ τοῖς τῶν παλαιῶν λόγοις λυσιτελοῦντος, ἥτε τῶν οφθαλμῶν ἀσθένεια, καὶ τὸ ἀπολωλὸς αὐτοῖς τὸ πολὺ καὶ τὸ οὔπω, τὸ μικρόν· ὥστε πάλιν ἔῤῥει δάκρυα κατὰ τῶν γεγραμμένων· καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν τοιούτων ἠξιῶσθαι παρά σοι τὰς ἐμὰς συμφορὰς, συγγενείας τε βουλομένης, καὶ τοῦ τῆς φιλίας νόμου, καὶ τοῦ περὶ σοῦ λόγους. ὧν τὰς ἀρχὰς ὅθεν ἔλαβες, ἐπὶ τοσοῦτον προὔβης, ὡς οὕτως εἶναι καλὸς ἐν ἐπιστολαῖς. ὅθεν δέ μοι τὸ κλαῦσαι γέγονεν, ἐκεῖθεν καὶ ἡ παραμυθία· τὸ γὰρ Ἀριστάινετον τοιαῦτα περὶ τοιούτων εἰπεῖν δεδυνῆσθαι, καὶ εἶναι ῥήτορα πολλοῦ τινος ἄξιον, ἀνέστη μέ πως ἀπὸ τοῦ πτώματος, καὶ ἦν τῇ ψυχῇ φάρμακον. Σὺ μὲν οὖν τὸν Θεόφιλον ἡγῇ μακάριον ὁμιλοῦντα. Ἔστι δὲ τοῦτ' ἐμὸν, ὅτι βιβλίων τε καὶ παιδείας ἀνδρὶ γέμοντι, σύνειμι καθ' ἑκάστην ἡμέραν· τὰ μέν αὐτὸς ὡς αὐτὸν ἰὼν, τὰ δ' ἐκείνου βαδίζοντος ὡς ἐμέ. ἐν δὴ τοῖς λόγοις τοῖς ἐν ταῖς συνουσίαις ἐπαινοῦμέν τε σοῦ τοσοῦτόν σε πεποιηκότας θεοὺς, καὶ ἅμα παρ' αὐτῶν αἰτοῦμεν εἶναι σοῦ αὐσοῦ περί σε, τάτε ἀνδρῶν ἄριστον ὄντα, καὶ χάριν ἐν ταῖς τῶν συνήθων εὐπραξίαις εἰδότα· καὶ οὐ χαίρειν γε μόνον, ἀλλὰ καὶ συμπράττειν, ὅπως ἂν ἐν λαμπροτάτοις εἶεν. οὗ πεῖραν καὶ γενναῖος Θεοφιλος τὴν μὲν ἔλαβε, τὴν δὲ λήψεται.

VIII.

Τῷ αὐτῷ.

Καὶ ὅτε ἀσθενεῖν σοι τὴν γυναῖκα ἠκούομεν, συνηλγοῦμεν, ἐννοοῦντες ὡς εἰκός σε διακεῖσθαι καμνούσης· καὶ ἐπειδὴ τὴν τελευτὴν ἐπυθόμην, ἀνώμωξα, δεινόν τι ποιούμενος Ἀριστάινετον εἶναι ἐν πένθει· οὗ τῇ φύσει πανηγύρεις πρέπουσιν. ὁρμήσας δὲ παραμυθεῖσθαι λόγοις, ἀνέχον, δείσας μὴ πάνυ σε δοκῶν εἰδέναι, ἔπειτα ἁλοίην ἀγνοῶν· οἷς γὰρ ἔμελλόν σε κουφιεῖν τούτοις δὴ τοῖς Πινδάρου, καὶ Σιμωνίδου, καὶ ὅσα ἐκ τραγωδιῶν εἰώθαμεν φάρμακα λύπῃ προσάγειν, πάντα ἐδόκεις μοι πάλαι τὲ εἰδέναι, καὶ πρὸς (2) ἀλλήλους εἰπεῖν. ἐλογιζόμην οὖν, ὅτι εἰ μὲν οἷά τε κατακοιμίζειν ἀθυμίαν, αὐτὸς ἰάσῃ σαυτόν· εἰ δ' οὐχ οἷά τε, καὶ παρ' ἄλλου μάτην ἂν λέγοιτο. διὰ ταῦτα τοῦ μέν ἀφίσταμαι· τὴν διήγησιν δέ σοι τῶν πραγμάτων (3) ἀποδίδωμαι, ἃ τοῦ χειμῶνος συνέβη. ἠρξάμεθα τῆς συνουσίας, μετὰ προλόγου κάι τινος ἁμίλλης πρός τι τῶν

(1) *In Cod. MSto Cæs. membran. legitur,* σοὶ μὲν γὰρ ἥδιστ' ἂν &c.

(2) *In Cod. MSto Cæs. membran. rectius legitur* πρὸς ἄλλους.

(3) *In eod. Cod. Cæs. legitur* ἀποδίδωμι.

τῶν Δημοσθένους. ἦν δὲ ὁ μὲν εὐχὴν (1) αἰτῶν βεβαῖαν· τῇ δὲ (2) ἄλλῃ πολλαὶ μορφαί· καὶ προσῆλθον, ἐπειδὴ ἀνέστην, ἑπτακαίδεκα νέοι. Πλάτων δέ (3) μοι ἠσθένει Ζηνόβιος ὁ χρηστός. ἔπειτα ἐγὼ μὲν τοῦ διδάσκειν εἰχόμην, τὰ δὲ ἐπέῤῥεεν, ἔθνεα, πολῖται καὶ ξένοι· καὶ ταύτῃ ὅστις εἴη εἰδέναι θέλοντες· τὸ μὲν γὰρ εἶναι μὴ κακῶν λόγων δημιουργὸν (4) συγκεχώρητο. θάτερον δὲ ἐδοκιμάζετο· καὶ ἔδοξα τοῖς μὲν οὐκ εἶναι χείρων ταύτῃ, τοῖς δὲ καὶ βελτίων· ὥστε ἐν οὐ πολλαῖς ἡμέραις πεντήκοντα νέων ἦν ὁ χορός· ἀριστᾷν δὲ οὐκ ἦν. ἀλλ' ἔδει πονεῖν εἰς ἑσπέραν. ἐθαυμάζετο δὲ μετὰ τῶν ἄλλων, (5) τὸ τῆς γαστρὸς κρατεῖν. ἧκεν ὁ Στρατηγὸς, καὶ ἐδεξάμην τὸν ἄνδρα λόγῳ· μικρῷ μὲν οὗτος γὰρ οἶμαι προσφωνοῦντι νόμος. ῥηθέντι δὲ κατὰ νοῦν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ ἀντίτεχνος (καλῶ μὲν γὰρ αὐτὸν, ὃ καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν) ἠπείλησεν ἐρεῖν. καὶ τοῦτ' ἦν ἐπίδειξις ἡ ὑπόσχεσις. ἰδὼν δὲ οὗτος παιδαγωγοὺς ἰσχύοντας ἀπὸ τοῦ πωλεῖν οὗτος νέους, καὶ τὸν ἐν μουσείοις κόσμον ἀπολωλότα, συμβουλεύω τοῖς ἐμαυτοῦ πολίταις, μὴ ταῦτα περιορᾷν, ἀλλ' ἀγανακτῆσαι καὶ κωλῦσαι. καὶ ἐγένετό τις ὀργὴ κατὰ τῶν ἀδικούντων οὐ μικρά. ὁ δὲ ἀντίτεχνος (6) ἠπείλησεν ἐρεῖν αὐτοῖς· καὶ τοῦτ' ἦν ἐπίδειξις ἡ ὑπόσχεσις. τελευτᾷ Ζηνόβιος, καὶ ἐμονῴδουν ἀπελθὼν τοῦ τάφου. καὶ μικρὸν ὕστερον ἐγκωμιάζω τὸν διδάσκαλον μακροτέρῳ λόγῳ· καὶ ἔδοξεν οὐ φαύλους κεκόμισθαι μισθούς. ὁ δὲ ἀντίτεχνος ὑπέσχετο λέξειν, ἢν ὁ πατὴρ (7) αὐτοῦ ἀποθάνῃ. ὁ δ' ἔτι ζῇ. τούτων γιγνομένων, καὶ σφόδρα ἐγνωκότες

A ἀναισχυντεῖν· ἦσαν δὲ τρεῖς· ἀντὶ τραπέζης λαμπρᾶς καὶ τοῦτο ποιοῦντες ἐνέδοσαν. ἐγὼ μὲν οὖν ἀναπαύλης ἐδεόμην· τῷ θείῳ δὲ οὐδὲν ἄρα ἤρκει. καὶ Κυρῖνος δὲ ἦν τῶν οὐκ ἀφιέντων· παρ' ἡμῖν τε ἔχων τὸν υἱὸν, καὶ (8) μιμούμενόν σε μὲν εἰς τὰ ἐμὰ, ἐμὲ δὲ εἰς τὰ σά. ἀγωνίζομαι δή τινα ἀγῶνα τῶν ἐν τοῖς πλάσμασι τούτοις· καὶ δὲ ὠρχοῦντο, ἅτε ἐν αὐτοῖς τεθραμμένοι· καὶ ἐδέοντό μου κατὰ μέσον γενομένου τὸν λόγον, μετὰ τῆς ἴσης τέχνης καὶ τὴν ἀντιλογίαν γράφειν. καὶ γράψας ἀπῆλθον ὅτι τάχιστα· καὶ ἦν ἀδελφὸς ὁ λόγος τοῦ προτέρου, καὶ διεσέ-
B σειστο τῶν πολεμίων τὰ πράγματα. δείσας δὲ μὴ γυμνωθείη, εἰσῆλθεν ὡς καθέξων τὰς (9) ὑποστάσεις· ἐκίνησε δὲ καὶ τὰς οὐκ ἂν εἴπερ ἐσίγα συμβάσας. ἐν γὰρ τοῖς προοιμίοις ἐδεῖτο ἐμὲ φθῆναί καὶ τὸ τέλος εἰπεῖν. Κυρίνου δὲ οὐ διδόντος ὑπερπηδᾷν, αὐτὸς αὐτῷ τοῦτο ἔδωκε. καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας κάθηται μόνος. ὅρκοι δὲ καὶ ἀνάγκαι πᾶσαι καὶ δεσμοὶ, καὶ ὅσα ἐπιστεύετο τηρήσειν οὗτος νέους, ἐπατεῖτο. καὶ μετέῤῥεον. ἐπὶ τούτοις γράμματα Βασιλέως ἀφικνεῖται κελεύοντά με ἀναστρέφειν· πρὸς ἃ ἀπεκρίνατο τότε τῆς κεφαλῆς καὶ τὸ τῶν νεφρῶν νόσημα, ὡς οὐκ ἂν δυναίμην. τοῦτο δὲ οὕτω θέμενος, δείκνυμι λόγον περὶ εὐ-
C φυΐας· τύπος δὲ τῆς διαλέξεως, τὰ σὰ παιδικά. καὶ δευτέρας ἐδέησεν ἡμέρας, ἧς ἐκοινώνει Κλημάτιος. τὴν μὲν οὖν ἐπ' αὐτῷ κίνησιν οὐκ ἐμὸν εἰπεῖν. ἐκεῖνο δὲ ἦν ἐμὸν εἰπεῖν, καὶ ἐβοᾶτο, ὅτι τούτων μέν τοι διδάσκαλος Ἀρισταίνετος· καὶ δὴ καὶ τῶν ἄλλων ὅσα ἂν ἔπαινον δέχηται.

IX.

(1) *In eod. Cod. Cæs. recte legitur* εὐχὴν μόνην αἰτῶν &c.
(2) *In eod. Cod. Cæs. recte legitur*, τῇ δὲ ἁμίλλῃ πολλαὶ &c.
(3) *In eod. Cod. Cæs. legitur* Πλάτων δὲ οἶμαι ἠσθένει &c.
(4) *In eod. Cod. Cæs. legitur* συνεκεχώρητο.
(5) *In eod. Cod. Cæs. legitur* καὶ τὸ τῆς γαστρὸς &c.
(6) *In eod. Cod. Cæs. legitur* ἠπείλει συνερεῖν αὐτοῖς.
(7) *In eod. Cod. Cæs. legitur* αὐτῷ.
(8) *In eod. Cod. Cæs. legitur* μιμούμενος.
(9) *In margine adscriptum hic erat Holsteniana manu* ὑποχέσεις. *In Codice autem MSto Cæs. legitur* ἀποστάσεις.

IX.

Τῷ αὐτῷ.

Μὴ λαβεῖν μέν σε τα γεάμματα, ἃ Κλημάτιος ἐκόμιζεν, οὐκ ἂν πειθοίμην· ἐπεὶ δὲ μηδὲν ἡμῖν ὀπισεῖλαι θέλῃ αἰτίαν ζητῶν, οὐκ ὀρῶ, πλὴν εἰ (1) τῷ μνήματι προσκεῖσθαι πάντων σε τῶν ἄλλων ἀφίστησι· κάιτοι καὶ κατ' αὐτόγε τοῦτο χρῆν σε ὀπισεῖλαι διδάσκοντά με τὴν τῆς γυναικὸς ἀρετὴν, νομίζοντα μέγα εἶναι τὸ εἰς ἐκείνην τιμῆσαι τὸν λόγον. τὸ δὲ εἰ μείζων ὁ κόσμος ἐστὶν ὧν νῦν ποιεῖς. πρὸς μὲν οὖν τοῦτο πράξεις ὅτι σοι βέλτιον ἂν φαίνηται· ἡμεῖς δὲ οἱ πλασάμενοι νοσεῖν ἀνέσημεν ἐκεῖθεν, τῆδε νοσοῦμεν. ὥστε πρότερον μὲν ἐδυσχεραίνομεν τόπον τινὰ, νῦν δὲ αὐτὸ τὸ ζῆν. πρὸς γὰρ τῷ πρὸς τὴν κεφαλὴν κακῷ, νεφρίτις ἡμᾶς πολιορκεῖ, νῦν μὲν σφοδρότερον ἐμβάλλουσα, νῦν δὲ ἡσυχαίτερον, πάντως δέ τι λυποῦσα· καὶ πάντα μὲν πανταχόθεν εἰς τὴν ἴασιν ἀγείρει· κρατεῖ δὲ τὸ κακὸν, καὶ ὁ νεφρὸς ἡμῖν, ὥσπερ φασὶν ὑπὲρ κεφαλῆς· ἀλλ' ὅμως πειρώμεθα μὴ σιγᾷν. μινυτὴς δέ σοι καὶ τούτων κἀκείνων ἔσται Μητέριος. ὃς τῇ πατρίδι μὲν ἔχων ἀνιθεῖναι τὴν ἡμετέραν, τοῖς πολίταις δὲ οὗ ἐνταῦθα φίλος, ὑπό σου πάλιν εἰς Βιθυνίαν ἕλκεται, θαυμαστὸν αὐτὸ φίλτρον ἐγκαταλιπὼν Σύροις· ἃ μήτ' ἀγνοεῖν ἐᾷ τὸ πρεσβύτιον, μήτ' εἰδότα ὀργίλον εἶναι.

X.

Τῷ αὐτῷ.

Οὐδὲ πρότερον ἐν τοῖς πολίταις ἠπιστάμην περί σου λέγων, ἃ περί σου λέγειν ἄξιον ἦν. νῦν δὲ συγχυόμενοι τῇ ἐμῇ πολιτῇ μάρτυρές μοι γινόμενοι, πρὸς ἅπασαν τὴν πόλιν πλείω τὴν πίστιν ἐνέθηκαν, Ἀντίοχος ἐκεῖνος ὁ χρηστὸς, Ἀπελλίων ὁ βέλτιστος, πάντες ὅσοι δι' ὑμᾶς ἴοντες ἔλαθον πρὸς τὸ τύχης τὸ γνῶναι τὴν σὴν ψυχήν· ὥστε ἐν τοῖς ἐπ' ἀγορᾶς συλλόγοις τὸ πολὺ τῆς λόγων σὺ ποιεῖς. καί τινες ἤδη τῆς εἰωθότων κινεῖσθαι, πεύσεσθαι ἰδεῖν τὸν ὑμέτερον τόπον· οὐχ ὅπως ἐκεῖνον ἴδοιεν, ἀλλ' ὅπως ἐκεῖνόν σε τὸ γόητα· τοῦτο γὰρ (2) ἐκόσμησεν Ἀντίοχος τοὔνομα, μάλα δὴ καλαχθεὶς ὑπό σου. σὺ δ' ὅτι μὲν ἀπηλλάγης πολλοῦ τάφου τὴν γυναῖκα, ἐπαινῶ· φασὶ δέ σε μηδὲν γεγονέναι φαιδρότερον, ἢ ὅτε παρεκάθητο τάφῳ· ἀλλὰ τὸν μὲν τόπον ἀφεῖναι, τὴν δὲ ἀθυμίας ἔχεσθαι, καὶ τὸ πρόσωπον πάνυ δεικνύναι γέροντος. (3) σὺ μὲν οὖν ὀκ λύπης, ἐμοὶ δὲ τοῦτο πρὸς τὸ νοσεῖν. νοσῶ δὲ ἐξ ὅπερ ἦκον· καὶ οὐδὲ παύσεταί γε τὸ κακὸν, πρὶν ἂν παύζωμαι τὴν πατρίδος ἐρῶν. θαυμάζω δὲ ὅπως ἠχθέσθης τὰ γράμματα ἀπαιτήσαντος, εἰδὼς τὸ ἡμέτερον τρόπον, ὡς οὐκ οἶδεν ἀντὶ τῆς Πενελόπης τὴν Ἑλένην ἐπαινεῖν. νῦν δὲ ἐπειδὴ διδάσκεις, μικρὰ καὶ νῦν (4) γράφες ἐνὸν πλείω· ἐξ οὗ μηδενὸς, τοῦτο πλέον πειρασόμεθα οὐ μὴ ψεύσῃ κακοὶ, ἐξ θέρους ἡμᾶς ἀπὸ τῆς μειρακίων ἐλευτερώσαντος· ἐν ᾧ τι καὶ βέλτιον ἄν τις φθέγξαιτο.

XI.

Λιβάνιος Ἀκακίῳ.

Καὶ αὐτός εἰμι τῆς (5) βεβαπτομένων ὑπὸ τῆς μεγάλης κύματος ἐκείνου. κεῖται γὰρ Ἀγησαίνεος, ὦ Ζεῦ, ἥτε δευτέρα πληγὴ (6) διέφθειρεν ἡμᾶς· οὐδὲ τῆ

(1) *In eod. Cod. Cæſ. legitur* πλὴν εἰ τὸ τῷ μνήματι, *&c.*
(2) *In Cod. MSto Cæſ. membran. legitur* ἐκόμισεν.
(3) *In eod. Cod. Cæſ. recte legitur :* σοὶ μὲν οὖν, ὀκ λύπης, ἐμοὶ δὲ τοῦτο, παρὰ τὸ νοσεῖν.
(4) *In eod. Cod. Cæſ. legitur* γέγραφας.
(5) *In eod. Cod. Cæſ. legitur* βεβαπτισμένων *Intelligitur autem hoc loco horrendus ille terræ motus* Nicomedienſis, *in quo* Ariſtænetus *cum* Hierocle *periit.*
(6) *In eod. Cod. Cæſ. melius legitur* διεφθείρεν.

τῆς Ἱεροκλέους κεφαλῆς φεισαμένου τοῦ δαίμονος. διὰ ταῦτα σεσιγήκαμέν τε καὶ (1) σιγῶμεν ὅσα γε ἐν ὁμίλῳ κοινῷ· ὡς ὅιγε φοιτῶντες, χρῶνται ἡμῖν (2) χείροσιν ἢ πρόσθεν· ἥσθην δὲ τῷτε υἱεῖ καὶ τῷ κηδεστῇ προθύμως εὖ μάλα (3) λέγων ἡμμένοις καὶ κινοῦσι τὸν παιδευτὴν οὐ παρακαλουμένοις. ὥς τέ σοι καὶ (4) γράφειν τι πρὸς αὐτῷ, τὴν ἐκείνου τοῦ ἔπους ἀρχὴν ἀρκεῖν, ἥ φησιν, οὕτω νῦν φίλα τέκνα. πιστεύω δὲ καὶ Φιλόξενον ἄξια τῆς συγγενείας δράσειν.

XII.

Λιβάνιος Ἐντρεχίῳ.

Ἐγὼ δέ σε ἐβουλόμην ἀμφότερα ὁμοῦ δύνασθαι οἴκοι τε εἶναι καὶ παρ' ἡμῖν καὶ μὴ ἡμῶν μὲν ἐπιμελεῖσθαι λόγων, Νίκαιαν δὲ κοσμεῖν, καὶ συνέχειν Ἀρισταινέτῳ τὴν οἰκίαν. Νικαίας δὲ μοι καὶ μεμνῆσθαι καὶ μέλειν καὶ τιμᾷν τῶν δικαίων ἂν εἴη· ἡδὲ γάρ ἐστιν ἡ τῷ κόλπῳ με δεξαμένη, καθάπερ τὸν Διόνυσον ἡ Θέτις τῶν Βακχῶν αὐτῷ τυπτομένων· φιλῶν δὲ Νίκαιαν, καὶ τὸν Ἀρισταινέτου τάφον, πῶς οὐκ ἂν καὶ τὸν ἀντ' ἐκείνου τοῖς ἐκείνου γενόμενον φιλοίην; ἔνι δὲ καὶ φιλοῦντα μὴ ἐπιστέλλειν, ὥπερ οὖν καὶ μὴ φιλεῖν ἐπιστέλλοντα· ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ἡμᾶς καὶ ὃν οὐκ ἐπέστελλες ἐφίλεις χρόνον. ἔπειθε δέ σε φιλεῖν, τὸ ζητοῦντα μὲν λόγους ἥκειν Ἀθήναζε, φανῆναι δὲ οὓς ἐζήτεις ἔχοντα. τὰ δ' ἐφεξῆς ἅπαντα τῶν λόγων τούτων, ἀρχαί τε ἐπ' ἀρχαῖς αἱ δευτέραι περιοῦσαι τῷ μέτρῳ τὰς προτέρας. ἔρως τὲ Βασιλέως Πέρσας ἐληλακότος, καὶ μετ' ἐκεῖνον ὑπάρχου (5) φιλανθρώπου, Βασιλεῖ τιμίου, ὃς μετά σου τὸ πλέον τῆς οἰκουμένης ἐπελθὼν, ἅπαντά σοι πιστεύων, παραδοὺς τὴν Παλαιστίνην ἄγειν, λαμπροτάτας ἀφορμὰς παρέδωκεν. ἀλλ' εἰς ταῦτα μὲν ἐπιθυμίᾳ τῶν σῶν ἐπαίνων ἤχθην. λαβὼν δέ σου τὴν ἐπιστολὴν, καὶ τὸ μῆκος ἰδὼν, ᾤμην αὐτὴν ἐρεῖν τί μοι καὶ περὶ τῶν υἱέων, ἐν ὅτῳ τέ εἰσι, καὶ τίνες αἱ ἐλπίδες. εἰκὸς δὲ εἶναι χρηστὰς, σοῦ τοῦ σαυτοῦ παιδεύοντος. εὑρὼν δὲ αὐτοὺς οὐδαμοῦ, μάλα ἠχθέσθην· οὐχ ὡς οὐκ ὄντων ἐν τοῖς πρέπουσι πόνοις· πῶς γὰρ ὅιγε ἐκ σοῦ; ἀλλ' ὅτι μοι ἔδειξας ὅιεσθαί με μηδένα αὐτῶν ἔχειν λόγον· καὶ ταῦτα τοῦ κινοῦντος ὄντος οὕτω μεγάλου.

OBSERVATIONES HOLSTENIANÆ, ex jam exhibitis *duodecim LIBANII Epistolis* excerptæ; cum ADDITIONIBUS LAMBECIANIS, partim in margine, partim in fine adjunctis.

Ex his igitur duodecim Libanii Epistolis hæc ad Aristæneti vitam pertinentia observo. Primo, fuisse eum natione Bithynum, patria Nicænum, indicant Epistolæ 9na & 12ma. Secundo, vixisse eum sub Imp. Constantio, Imp. Constantini Magni filio, apparet ex Epistola prima. Tertio, quamvis sub Imperatoribus jam Christianis vixerit, fuisse tamen paganum, & gentilium sacra coluisse, Imperatorum legibus nondum sublata, testatur commendatio Jamblichi, (6) Himerii filii, in Epistola 3; Quarto, Rhetorem

(1) *In eod. Cod. Cæs. legitur* σιγήσομεν.
(2) *In eod Cod. Cæs. legitur* οὐ χείροσιν.
(3) *In eod. Cod. Cæs. recte legitur* λόγων.
(4) *In eod. Cod, Cæs. recte legitur* γράφοντι.
(5) *In eod. Cod. Cæs. legitur*, ὑπάρχου, φιλανθρώπῳ Βασιλεῖ τιμίου, ὃς &c.
(6) *Hujus* Himerii *Sophistæ Bithyni, cujus Vita exstat apud* Eunapium, Orationes tres *hactenus, quod ego sciam*, ineditæ *exstant manuscriptæ in Augustissima Bibliotheca Cæsarea, ut suo deinceps tempore & loco accuratius indicabo, cum in Continuatione horum Commentariorum ad Codices manuscriptos* Philologicos *Græcos pervenero.*

torem sive Attici sermonis Magistrum fuisse, ostendit Epistola 8va sub finem, ubi Libanius eum Magistrum suum appellare non veretur, & διάλεξιν καὶ εὐφυΐας se habuisse ait eo dicendi genere, quod Aristæneto in deliciis erat; ideoque de suis & aliorum Orationibus accurate ad eum scribit, ut Epistola 1 de Spectato, & Epistola 8 de suo certamine cum æmulo Sophista sive ἀντιτέχνῳ: sed eum & docendi munus exercuisse, diserte testatur Epistola 10 sub finem. Quinto, excelluisse potissimum Epistolis pulcherrimis scribendis, apparet ex Epistola 4 & 7, ita ut publice in doctorum circulis legerentur; non probabat autem Laconicas. Sexto, fuisse Virum insigniter humanum, & amicorum amantissimum, ita ut in transitu ad se visentes benevolentiæ præstigiis quodammodo irretiret, ostendit Epistola 10, & (1) γόητος appellatio, quam Antiochus ei tribuit. Septimo, animum ejus ad mulierum amores procliviorem arguit affectus erga uxorem defunctam propemodum nimius, cujus meminit Epistola 8, 9, 10. Octavo, Rempublicam attigisse, & (2) nescio, quo munere publico apud Bithynos functum, docet nos Epistola 5. Nono, morte obita, (3) Nicææ sepultum ostendit Epistola 12. ad Entrechium, qui familiæ relictæ curam gessit. Hæc γνωρίσματα sive indicia Aristæneto Epistolarum amatoriarum Autori ad unguem conveniunt omnia, qui post Constantinopolim in Byzantii ruinis excitatam vixit, vegeta adhuc eloquentia, quæ cum suppressis gentilium sacris studiis concidit post Theodosii Junioris tempora. Aristænetum Libanio (4) σύγχρονον fuisse & (5) ὁμότεχνον, facile perspiciet, si quis Epistolam ejus primam Libri primi conferat cum Ecphrasi pulchritudinis Libanii Tom. 2. pag. 709, & Epistolam 10. Lib. 2. cum Ethopoeia secunda in calce ejusdem Tomi 2. pag. 734. quæ ex Aristæneto facile emendari potest. Nam pictor ille non (6) εὐτυχὴς, sed ἀτυχής. Plura etiam ejus generis Libanium cum Aristæneto conferenti occurrent.

Hucusque Avunculus. Cujus Observationibus, præter supra adjunctas *Annotationes meas marginales*, hoc insuper necessario addendum est, eas-

(1) *Hoc est*, Præstigiatoris *seu* Incantatoris.

(2) *Indicat hoc* Ammianus Marcellinus *Libro decimo septimo, quippe ubi expresse refert*, Aristænetum *A. C. 358, Datiano & Cereali Consulibus, affectatam recens* Diœcesim Bithynam, *vicaria potestate curantem, ideoque* Nicomediæ, *quæ, ut ipse ait*, Bithyniæ Vrbium Mater *erat, degentem, in horrenda istius Vrbis per terræ motum subversione periisse. Ipsa ejus verba sunt hæc:* Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore & inedia consumendos. Inter quos ARISTÆNETUS, affectatam recens Diœcesim curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris Eusebiæ Pietatis cognomine dedicarat, animam, hoc casu cruciatam diutius, exhalavit. *Ad quem locum vide Annotationes* Friderici Lindenbrogii & Henrici Valesii.

(3) *Quamvis* Aristænetus Nicææ *sepultus sit*, Nicomediæ *tamen in terræ motu A. 358. periit, una cum* Hierocle *Philosopho, ut ipse testatur* Libanius *Epistola duodecima.*

(4) *Hoc est*, æqualem *seu, ut vulgo loquuntur*, contemporaneum.

(5) *Hoc est*, ejusdem artificii.

(6) *Ipsa illa* Libanii *verba sunt hæc:* Τεχνίτης καλεῖσθαι βουλόμενος ἀγαθὸς, ἐρασὴς ΕΤΤΤΧΗΣ ὀνομάζομαι. *Hoc est, interprete Morello:* Cum artifex peritus nuncupari vellem, FORTUNATUS prædicor amator. *Sed pro εὐτυχὴς sine ulla controversia ibi legendum est ἀτυχὴς, & totus locus vertendus est hoc modo:* Artifex appellari cupiens bonus, amator infortunatus nuncupor; *nempe propter irriti & inepti amoris impossibilem effectum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf









Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

easdem *Libanii duodecim Epistolas* etiam exstare aliquoties manuscriptas in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea*, & quidem præcipue in duobus antiquis & bonæ notæ Codicibus manuscriptis, ad *Joannem Sambucum* olim pertinentibus, quorum primus *membranaceus*, & nullo numero notatus, *Epistolas Libanii quadringentas octodecim*, alter autem *chartaceus*, & inter Codices MStos Philosophicos atque Philologicos Græcos secundum antiquum numerum *undecimus*, *Epistolas* ejusdem *ducentas octoginta novem* continet. Exstant etiam in iisdem duobus Codicibus præter eas *duodecim*, quæ ex Codice *Vaticano* supra jam exhibitæ sunt, aliæ *duodecim* ejusdem *Libanii ad Aristænetum Epistolæ*, quarum principia sunt hæc:

In Codice manuscripto *membranaceo*:

I. Ἀρισαινέτῳ. Τὰ παίδων πρὸς ἡμᾶς ἐπλήρωσεν ὁ Βοδιδιανὸς, ὁ δὲ ἐκείνου πατὴρ πρὸς ἡμᾶς τῶν πατέρων, ὡς τε &c. Epistola 278, fol. 104 pag. 2. Eadem exstat etiam in Codice chartaceo fol. 73 pag. 1, & est ibi ducentesima sexagesima, incipitque notabili hac varia lectione: Τὰ παίδων πρὸς ἡμᾶς ἐπλήρωκεν ὁ καλὸς Βοδιανὸς, ὁ δὲ ἐκείνου πατὴρ &c.

II. Ἀρισαινέτῳ. Ἡ πόλις ἡμῖν πλέον ἐρῶσι τῆς σῆς ψυχῆς, ἢ σὺ τῆς ἐμῆς &c. Epistola 285, fol. 106 pag. 1.

III. Ἀρισαινέτῳ. Καλήγε ἡ σωωρὶς, σὺ καὶ Δομέτιος ὁ χρηστὸς ζεύγνυσι δὲ ἡμᾶς &c. Epistola 299, fol. 109 pag. 2.

IV. Ἀρισαινέτῳ. Ἠχύνθην οἷς ἐγράψας περὶ τῶν θηρίων· ἐγὼ δὲ ἐώκεις &c. Epistola 301, fol. 110 pag. 1.

V. Ἀρισαινέτῳ. Ἥδειν μὲν πρότερον καὶ τὸν ἐμαυτοῦ πολίτην Μαριάδην &c. Epistola 305, fol. 110 pag. 2.

In Codice manuscripto *chartaceo*:

VI. Ἀρισαινέτῳ. Θαλασσίῳ τούτῳ, τὸ μὲν ὄνομα πατρῶον, ὁ τρόπος δὲ τοὐκείνου καλλίων. τίς μὲν γὰρ &c. Epistola 40, fol. 10 pag. 2.

VII. Ἀρισαινέτῳ. Οὕτω με Σπεκλάτος ὁ γλυκὺς ἀνηρτήσατο &c. Epistola 94, fol. 26 pag. 2.

VIII. Ἀρισαινέτῳ. Πρότερον μὲν ἐθαύμαζον τὸν κράτιστον Ἑρμογένην ἀπὸ τῆς φιλοσοφίας, &c. Epistola 134, fol. 40 pag. 1.

IX. Ἀρισαινέτῳ. Καλῶς μοι δοκοῦσιν οἱ ποιηταὶ περὶ τοῦ ἔρωτος ἐσκέφθαι, καλοῦντες αὐτὸν ἀνίκητον, ὁπότε &c. Epistola 135, fol. 40 pag. 2.

X. Ἀρισαινέτῳ. Ἆρα καὶ τοῦτο τοῖς ἄρχουσι νόμος μὴ τοῖς φίλοις ἐπιστέλλειν, &c. Epistola 232, fol. 64. pag. 2.

XI. Ἀρισαινέτῳ. Χάρις γέ σοι, προθέντι τὸ ὅτι ὑγιάινεις, τῷ ὅτι ἠρώτησας, &c. Epistola 253, fol. 70 pag. 2.

XII. Ἀρισαινέτῳ. Πρέποντά γε εἰς τὸν καλὸν Σπεκτάτον ᾄδεις. &c. Epistola 270, fol. 76 pag. 2.

De his igitur *duobus* aliisque pluribus *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ* antiquis Codicibus manuscriptis Græcis, quibus *Libanii* Sophistæ *Epistolæ* aliaque varia *Opera* continentur, suo deinceps tempore & loco accuratius & prolixius agam, cum, volente Deo, in Continuatione horum Commentariorum ad *Codices manuscriptos Philologicos Græcos* pervenero. Corollarii etiam loco exhibeo hic ex eadem *Augustissima Bibliotheca Tabulas duas Topographicas*, quarum altera

tera *Nicæam*, *Ariſtæneti* patriam, altera autem *Nicomediam*, horrenda per terræ motum ſubverſione & miſero *Ariſtæneti* atque Hieroclis interitu famoſiſſimam, quemadmodum ambæ Vrbes ſecundum verum ſitum ab anonymo quodam pictore Chriſtiano coram in ipſa *Bithynia* depictæ ſunt.

EPISTOLA IX.

Amſterodamum.

Optimo & eruditiſſimo Juveni Petro Lambecio L. Holſtenius S. D.

BInas tuas accepi, Chariſſime Petre, ut deſideratas diu, ita gratiſſimas. Nihil enim magis ſcire cupiebam, quam tuam de Amſterodamenſi commoratione voluntatem ac ſententiam, quam prioribus ſignificaſti. Sed quæ tuorum ſtudiorum ratio eſt, mallem te illuſtriori loco vivere, & ubi major Doctorum ac Profeſſorum numerus diſcendi cupiditatem expleat, præſertim cum Juris Studio te addixeris; quod ſine rerum uſu & forenſi ſtrepitu vix percipi poteſt, niſi Scholæ potius quam Foro diſcere velis. Quocirca, ſi cum Parentum venia fieri poſſit, Lutetiam Pariſiorum te ut conferas ſuadeo ac hortor, Vrbem Viris doctis refertiſſimam, & Studiis tuis percommodam. Neque enim uſpiam terrarum aut eruditiores aut humaniores invenias, aut etiam mihi amicitia conjunctiores, quorum beneficio Regia Bibliotheca tibi patebit: ne privatas commemorem Thuani, Memmii, (1) Puteanorum Fratrum, & inprimis eam, quam Card. Mazarinus nunc inſtrui curat a Gabriele Naudæo, mei amantiſſimo. Sed nihil magis eo te invitare debet, quam incredibilis benignitas Cardinalis (2) Barberini, Mecænatis mei, qui te omni humanitatis genere excipiet & complectetur. Eo autem parario facile doctis Viris innoteſces, qui omni obſequio illum colunt, ut communem Literarum ac Literatorum Patronum. Cæterum ita velimiter inſtituas tuum, ut celebriores aliquot Belgii Civitates inſpicias, Harlemum, Leidam, Vltrajectum, Hagam, Delphos, Roterodamum, tum etiam Dordracum, Middelburgum & Vliſſingam; unde facilis Caletum aut Diepam patet trajectus. At nolim (3) Leidam (4) ὁδῷ πάρεργον, ut cæteras, tranſeas; nefas enim Muſas & (5) μεσοπόλας ex transcurſu venerari: ſed ut tot illuſtria Nomina perſalutes, & Academiæ rationem perſpicias, menſem, ut minimum, te ibidem ſubſiſtere velim; ita ſub finem Septembris Lutetiæ te futurum ſpero. Habebis a me proximo curſore literas itineri tuo neceſſarias; interim libros, quos poteris, conquire, præſertim Geographicos, eosque diligenter in faſcem compactos apud Tenſinum mercatorem depone, prima occaſione Gemuam aut Liburnum mittendos. Sed

ea

(1) *Nempe* Petri & Jacobi, *Virorum omni laudum genere majorum, qui tunc Regi Galliæ à Conſiliis & Bibliotheca erant. Qua de re vide plura in* Petri, *fratris ſenioris, Vita, a* Nicolao Rigaltio *conſcripta, & Lutetiæ ex officina Cramoſiana A. 1652. in quarto edita cum ſubjunctis variorum clariſſimorum Virorum Encomiis. Quibus ego hoc tantum nunc addo, vere de eximio illo fratrum pari dici poſſe, quod* Diogenes Laërtius Archelaum *de* Cratete & Polemone *dixiſſe refert, eos fuiſſe* λείψανα ἔ χρυζοῦ γένες, *hoc eſt,* reliquias aurei ſeculi.

(2) *Nempe* Franciſci.

(3) *Alias* Lugdunum Batavorum *vel* Lugdunum ad Rhenum.

(4) Obiter.

(5) Muſis deditos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea in re Blavii consilio utere, qui sæpius libros Romam curat. Doleo periisse literas & meas & Leonis Allatii ad Neubusium: ejus enim opera in coëmendis libris te potissimum uti cuperem; ideoque Indicem ad me mitte librorum, annotato singulorum pretio, quod ab eodem mercatore tibi refundetur. De Aristæneto angustia temporis prolixius me scribere vetat; illud tantum suggero, σπεῦδε βραδέως. *Libanii epistolas Lutetiæ videbis apud Clarissimum Valesium, qui non denegabit cæteras, quæ ad rem tuam faciunt. Interim, si me amas, de libris, de tuis studiis, de itinere quamprimum rescribe. Vale. Romæ* (1) *VIII. Kal. Jun. cIↃ IↃc XLVI.*

EPISTOLA X.

Amsterodamum.

Optimo charissimoque suo Petro Lambecio Lucas Holstenius S.P.D.

Iis, quas ante octiduum abs te accepi, Charissime Petre, tunc ex tempore respondi, de Aristæneto scilicet tuo, cujus editionem non sine magno fructu in menses aliquot premes: tum potissimum de itinere Gallico quo Lutetiam sub autumni principium pervenias; ubi omnia studiis tuis commodiora experire, & Jurisprudentiæ scientiam a doctissimis Viris toto pectore hauries. Nunc priusquam Amsterodamo pedem moveas, velim compares mihi quatuor volumina illa novi Atlantis a Blavio edita, coloribus, sed dilutioribus, illuminata, ita ut sculpturæ & scripturæ subtilioris diligentiam non offuscent colores. Id vero imprimis vide, ut impressionis sint vividioris priorum duorum Voluminum Tabulæ, quæ jam longo usu attritæ, in plerisque exemplaribus pallidiores comparent. Itaque non solum pretio, sed & precibus hoc a Blavio impetres meo nomine, ut exemplar quam perfectissimum habeam. Plurima apud me sunt, quibus Italiæ Geographia egregie juvari posset; tres autem absolutissimas habeo Tabulas, Hetruriæ Suburbicariæ sive Provinciæ Patrimonii, Latii cum Regione Sabinorum, Marsorum & Æquicolarum, tum Melitæ Insulæ & (2) *Gauli. Veterum quoque Italiam, Cluveriana multo* (3) *correctiorem, & ab errorum Centuriis aliquot expurgatam, submittere possum. De his quamprimum responde. Maris mediterranei descriptionem habeo a parente Domini Blavii folio oblongo editam, sed Tabulæ hydrographicæ rudiores sunt, neque Oceani* περιηγήσει *respondent. Si quid in eo genere accuratius a sexennio prodiit, mihi parari velim. Chartas Indicæ navigationis jam habeo. Ad Theatrum Civitatum Italiæ multa ex Bibliotheca Barberina suggerere possum, præsertim Picenii Civitates & munimenta omnia; sed quis designandis exemplaribus sumptus faciet? De Ignatio* (4) *Vossii nihil re*

(1) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum.

(2) *De* Gaulo *insula, a* Melita *ad quinque millia passuum versus occasum æstivum sita, vide* Philippi Cluverii *Siciliam Antiquam lib. 2. cap. 16. pag. 443. 444. & 445.*

(3) *Vide* Annotationes *ipsius* in Italiam Antiquam Cluverii *ab Eminentissimo Card.* Franciſco Barberino *Romæ typis Jacobi Dragondelli Anno 1666. editas in octavo.*

(4) *Nempe* Isaaci. *Significantur enim hic* Epistolæ S. Ignatii, Episcopi Antiocheni & Martyris, *quas V. CL.* Isaacus Vossius, *Gerardi Joannis filius, ex Bibliotheca Medicea cum veteri Translatione latina & Notis suis edidit Amstelodami apud Joannem Blaeu A. 1646. in 4to.*

reſciveram, neque Leo Allatius communis noſter Amicus. Mirum quam editionem iſtam videre deſidero; nam veterem verſionem adjunctam puto, quam penes (1) *Armacanum Epiſcopum eſſe ipſe Voſſius affirmabat. Ad Hiſtoricos Græcos multa notavi, quæ idem Iſaacius apud me vidit, eaque lubens ſubmittam, ſi* (2) *Vir doctiſſimus operæ pretium futurum exiſtimaverit. Pretium Operum Eraſmi iniquiſſimum eſt. Epiſtolas Londini excuſas Cardinalis Barberinus Pariſiis ſibi parabit. De cæteris libris, quorum Indicem miſeram, rem tui judicii facio, ut pares, quos meliores judicaveris. His vero coëmendis centum quinquaginta florenos Dominus Tenſinus tibi ſuppeditabit. Sed doleo literas meas & Leonis Allatii intercidiſſe, quibus Neuhuſii amicitiam tibi parare ſtudui, eum præcipue in uſum, ut tibi conſilio atque opera iſta in re adeſſet. Vale Chariſſime Petre, & Voſſium utrumque peramanter a me ſaluta. Romæ* (3) *poſtrid. Kal. Jun. cIↃ IↃC XLVI.*

EPISTOLA XI.

Amſterodamum.

Eruditiſſimo Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo chariſſimo, Lucas Holſtenius S. P. Dico.

A Gaudeo rem ita ſucceſſiſſe, ut optaveram. *Tu igitur, quod facis, cæptum iter proſequere, &, dum ætas ingeniumque floret, ne momentum quidem temporis fruſtra tibi patiaris elabi, cujus rationem exigenti reddere non poſſis; nullum vero magis ſcrupuloſum temporis tui exactorem habeas, quam teipſum. De Ariſtæneto quod* (4) *ἐπέχειν conſtitueris, laudo proboque plurimum. Nihil enim in eo recenſendo opis atque adjumenti, a ſcriptis Codicibus, vel in Galliis vel in Italia* B *expectabis, cum hactenus nullum ejus Libelli exemplar repertum fuerit præter* (5) *Pannonicum Sambuci; itaque omnia hic præſidia a tuo aut amicorum ingenio tibi petenda erunt. Philoſtrati epiſtolarum verſionem probo, & ut in publicum proferas, ſed moroſo examine caſtigatam etiam hortor. Alciphronis* (6) *ἀνέκδοτα a Leone Allatio habuit Cl.* (7) *Voſſius, ex Vaticano* C *deprompta. Tu cum in Gallias atque inde ad nos veneris, plura iſtius generis ex Manuſcriptis colliges, quæ ſimul edi mereantur. Hoc tantum moneo, ne quid crudum aut præcox temere eruditorum hominum oculis obtrudas, cujus poſtea aut te pœniteat, aut pudeat amicos. Differ itaque, differ; habent parvæ commoda magna moræ.*

(1) *Nempe* Jacobum Vſſerium; *de quo vide* Voſſii *Senioris inſigne teſtimonium capite decimo Operis de Vitiis Sermonis & Gloſſematis Latino-barbaris, pag. 44.*

(2) *Nempe* Gerardus Joannes Voſſius.

(3) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum.

(4) *Nempe τὴν ἔκδοσιν, hoc eſt,* editionem differre.

(5) *Vide de eo ſupra col. 1133.*

(6) *Nempe* Epiſtolas octo Alciphronis ineditas, *quarum* quinque *poſteriores inſcribuntur:* Ἀλκιφρονος Ῥητορος ἐπιστολαὶ παρασίτων, *hoc eſt,* Alciphronis Rhetoris Epiſtolæ Paraſitorum *ſive* Paraſiticæ. *Harum* primam *edidi integram in Lucubrationibus meis Gellianis pag. 78. & 79. Ejusdem* Alciphronis Epiſtolæ ἁλιευτικαὶ ἢ ἑταιρικαὶ, *hoc eſt,* piſcatoriæ & amatoriæ *exſtant græce & latine in Syntagmate Epiſtolarum Græcanicarum mutuarum a pag. 359. uſque ad pag. 380. Ejusdem Epiſtolæ ἀγροικικαὶ ſive* ruſticæ triginta octo *hactenus ineditæ exſtant in* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ *præſtantiſſimo antiquo Codice, inter Codices MStos Philoſophicos & Philologicos Græcos ſecundum antiquum numerum centeſimo ſexageſimo quarto, qui multas alias variorum veterum Autorum hactenus ineditas Epiſtolas Græcas continet, & paſſim literis aureis magnifice exornatus eſt. Inſcriptio aurea* Epiſtolarum Alciphronis *eſt ibi hæc:* Ἐπιστολαὶ Ἀλκιφρονος Ῥητορος ἀγροικικαί.

(7) *Nempe* Iſaacus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

moræ. In Constantinopolitana Historia recensenda, quicquid studii operæque posueris, recte collocatum existimo, ideoque prolusionem in (1) *Codini Chronico non dissuadeo, sed etiam, ut cæptum urgeas, hortor atque moneo, & scriptum Codicem, quem Illustrissimi* (2) *Peirescii munere possideo, ubi commode fieri poterit, submittam. Usui enim is tibi erit, cum Lutetiam perveneris; utpote ubi apud Puteanos fratres magnum Opus Chronologicum reperies, in quo tuam exerceas industriam:* (3) *Theophanem scilicet Agri Abbatem, cum Joannis Buchardi, hominis accurate docti, versione edendum, quem nuper ex Barberina Bibliotheca ad ipsos misi. Adjunxi etiam Anastasium Bibliothecarium, antiquum ejus interpretem, ex Casinensi Codice Longobardico depromptum. Præfigendum erit Theophani Chronicon Georgii Syncelli a Julio Cæsare usque ad Maximianum, cujus itidem exemplaria duo ad Vaticanos & Palatinos Codices accurate collata ibidem offendes; alia etiam Regia Bibliotheca suppeditabit. In hoc opere partim vertendo, partim concinnando, ingenium & industriam tuam felicioribus auspiciis tunc exercebis; & ut plenum ac continuatum Historiæ Constantinopolitanæ Corpus habeamus, Codini Chronicon Theophani subjungi poterit. Sed de his prolixius scribam, ubi Lutetiam bono cum Deo perveneris, & Operi manum admovere cæperis. Interim quod superest temporis, in Geographicis & Chronologicis fundamentis recte addiscendis pone, quod principio* (4) *ἀποδημίας tuæ te monui. Causam fructumque consilii mei postea experieris. Indicem librorum Elzevirii manuscriptum accepi, & gratias ago; videbis in syllabo adjuncto notatos, quos parari mihi velim. Judaicis illis non egeo; gaudeo tamen me vidisse Indicem. Atlantem Blavii, quatuor in Tomos divisum, etiam pares, sed nullis oblitum coloribus, aut sane dilutissimis. Tu, priusquam Amsterodacius, ejusdem Lucæ Holstenii ex sorore nepos, adolescens supra ætatem eruditus. Ejusdem laboris mei facit etiam Vir Clarissimus* Gerardus Joannes Vossius *quinquies honorificam mentionem in secunda editione doctissimi Operis de Historicis Græcis pag. 492, 503, 523, 540 & 546. Vide etiam Librum* tertium *horum Commentariorum Cod. LXV. n. 10. & Librum* quartum *Cod. CXVI. n. 19.*

(1) *Vide* Syntagma *meum* Originum & Antiquitatum Constantinopolitanarum *græce & latine in folio, A. 1647, 1648 & 1649 partim Lutetiæ Parisiorum, partim Romæ, collectum & elaboratum; anno autem 1650, ante reditum ex Gallia in Patriam, Parisiis apud Sebastianum Cramoisii relictum, & integro fere quinquennio post, nempe A. 1655, ibidem ex Typographia Regia Luparæa, Regiis sumptibus in lucem editum. In hoc enim Syntagmate* Georgius Codinus *primum & præciputum locum obtinet. Meminit hujus laboris mei juvenilis R. P.* Philippus Labbeus *S. J. in Protreptico Corporis Historiæ Byzantinæ, Parisiis e Typographia Regia A. 1648 in folio edito, pag. 13 his verbis:* Georgii Codini Tractatum de Originibus Constantinopolitanis, ex Manuscriptis R. P. Jacobi Sirmondi Soc. Jesu, Viri in omni doctrinarum genere præstantissimi, Lucæ Holstenii, aliorumque Codicibus maxima accessione auctum, Notisque illustratum, repræsentabit Petrus Lambe-

(2) *Is est* Nicolaus Claudius Fabricius de Peiresc, *Amplissimæ Aquarum Sextiarum Curiæ in Gallia Senator, toto terrarum Orbe celeberrimus, cujus Vita a doctissimo Viro* Petro Gassendo *eruditissime pariter atque elegantissime conscripta est. Vide etiam R. P.* Philippi Labbei *S. J. Thesaurum Epitaphiorum veterum & recentium, Parisiis A. 1666. in octavo editum, pag. 542 & 543.*

(3) *Vide* Corpus Historiæ Byzantinæ, *Lutetiæ Parisiorum typis Regiis editum.*

(4) Peregrinationis.

damo discedas, amicitiam cum eo & literarum commercium constitue; habeo enim plurima, quæ ipsius instituto prodesse poterunt. Vale, & te discessu tuo & profectionis tempore me mone, & Cl. Vossium officiosè a me saluta. Romæ (1) pridie Id. Julias cIↃ IↃC XLVI.

Epistola XII.

Amsterodamum.

Eruditissimo Juveni Petro Lambecio L. Holstenius S.

Postremis tuis, Charissime Petre, quibus de Librorum pretio ea, quæ scire avebam, perscripsisti, superiori cursore respondere non licuit ob temporis angustias. Nunc syngraphàm mitto CCXX florenorum pretio persolvendo. Tu vide ne quid temere coëmas præter eos libros, quorum Indices antehac misi. Mihi enim satis bene instructa est Bibliotheca a classicis Auctoribus, ita ut nullos fere desiderem præter paucos illos a me notatos, quos diligenter conquiras velim. Recentiores, præsertim (2). ἐριστικὰς, qui meras continent (3) λοιδορίας, nunquam curavi, quocunque tandem se venditent nomine. Cl. Vossii senioris de Idololatria, item de tribus Symbolis, & Glossematum libros, hactenus Romæ non visos, vehementer desidero. Eos itaque cæteris adjunge. (4) Ignatii autem Epistolas, nisi Notæ majorem in molem librum auxerint, Parisios tecum deferto; ibi mittendi occasio non deerit. Blavius literas nullas misit, quas me exspectare jussisti: tu meas illi meaque officia exhibeto, quibus utetur cum volet. Nunc superest ut te itineri accingas, cujus rationem jam pridem perscripsi. Etenim cum ob bellorum tumultus eam Belgii partem, quæ Regi Catholico paret, adire jam non liceat, recte feceris, si Vlissinga, aut ubicunque fortuna (5) διάπλουν obtulerit, recta proficiscaris Diepam, unde rectissimum porro Lutetiam iter est. Sed cum & locorum & linguæ non usque adeo gnarus sis, vide ut comitem tibi unum aut alterum pares. Literas nonnullas raptim exaravi; plures Lutetiæ apud (6) R. P. Sirmondum aut Puteanos fratres reperies. Sed tu præcipuum tibi in Deo & modestia tua præsidium statuas. Vbi Lutetiam perveneris, de adventu tuo per P. Sirmondum me certiorem facias. Hospitium tibi pares in ea parte Vrbis, quæ studiis attributa, Vniversitatis seu Academiæ nomen habet; ubi victum & Museum habeas in Gallorum contubernio, ut usu quotidiano linguam Gallicam addiscas, quæ faciliorem tibi Italicam postmodum reddet. Id memineris, vesperi noctuque omnia Parisiis intuta esse, quocirca diutius cave emaneas. Vale, & rem feliciter gere. Romæ (7) d. XI Aug. cIↃ IↃC XLVI.

Vossium utrumque & Neubusium officiosè a me saluta, & Cl. (8) Heinsio mea deferas studia & obsequia. Filium ejus, nunc Florentiæ degentem, sub principium autumni hic exspectamus, qui nihil in me officiorum desiderabit. Vale.

Epi-

(1) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum.
(2) Contentiosos.
(3) Maledictiones *seu* Convitia.
(4) *Vide supra Annotationes marginales ad Epistolam* decimam.
(5) Trajectum.
(6) *Vide infra Annotationes meas marginales ad Epistolam* decimam quartam.
(7) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum.
(8) *Nempe* Danieli.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPISTOLA XIII.

Lutetiam Parisiorum.

Charissime Petre.

Verissimum experior Platonicum illud non ænigma, sed oraculum, dolorem & voluptatem ita inter se conjunctos atque connexos esse, (1) *ὡς, ἐάν τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμιμένω δύο ὄντε. Hactenus impense desideraveram, ut te Lutetiam perveniisse rescirem; jamque eam animo præceperam voluptatem, quasi Romæ præsens præsentem essem complexurus. Sed dum primo adventu morbo te oppressum audio, ea animo oboritur molestia, quæ prioris nuncii dulcedinem succo quodam amaro diluit. Interim spe bona animum foveo, speroque, Deum, qui naufragii periculum avertit, valetudinem quoque prosperam largiturum, ut res tuas tuto in portu positas videamus. Quapropter rogo, ne dejicias animum, aut a Virtutis & Sapientiæ studio te deterreri patiaris; sed illud potius cogites, summa illa & (2) ἀτίμητα, bona sine periculis & sudore parari non posse. Non alia lege ad hæc adyta mortales admittit Deus, neque ad sacra sua* (3) *ἐποπτην accedere sinit, nisi post* (4) *κακοπαθείας καὶ κολάσεις, ut olim* (5) *Ægyptii Sapientes. Ego vero quid opportunius occinam, quam Virgilianum illud: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Aderit, qui Virtutis ad Arcem eluctantibus dexteram porrigit, & ut Cebes in Tabulæ illius Pythagoricæ explicatione ait,* (6) *ἰσχὺν καὶ θάρσος inspirat. Interim, quod solum possum, votis precibusque salutem & studia tua Deo commendare non desisto, quod & ipse ut facias, sedulo moneo. Tu valetudinis rationem habe; illa enim Dearum præstantissima rite se colentes propitia respicit. Illustres Dominos Puteanos & R. P. Sirmondum officiose a me Saluta, & librorum, quos Amsterodami ante discessum parasti, Indicem ad me mitte, & de tuis rebus studiisque frequenter scribe; nihil enim est quod scire malim, quam tuum in pietate & bonis artibus profectum. Vale, Romæ* (7) *prid. Non. Octob. cIↃIↃC XLVI.*

Tuus omni animo atque affectu

L. Holstenius.

EPI-

(1) *Hoc est*, ut, si quis prosequitur, cupitque alterum, semper ferme alterum quoque accipere cogatur, quasi ex uno eodem vertice sint ambo connexa. *Verba hæc sunt* Socratis *apud* Platonem *in principio* Phœdonis, *sive Dialogi de Animarum immortalitate.*

(2) Inæstimabilia.

(3) Spectatorem.

(4) Molestias & aflictiones.

(5) *De his tentationibus patientiæ & constantiæ novitiorum discipulorum, apud* Ægyptios Sapientes *olim usitata, vide ejusdem Avunculi mei insignem locum in observationibus ipsius ad Vitam* Pythagoræ *a* Porphirio *scriptam pag. 70. 71. 72.*

(6) Robur & fiduciam.

(7) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Epistola XIV.

Lutetiam Parisiorum.

Præstantissimo Juveni Petro Lambecio
L. Holstenius εὐπράτλειν.

Vides Charissime Petre, quam te affectus & solicitudo mea assectetur. Nam cum peregrinantem non nisi votis comitari potuerim, adventum saltem in Gallias prævenire studui tuum, ut (1) *πρόξενον haberes, qui te Viris doctis ibidem commendaret. Spero autem literas, quas amicis tui causa scripsi, ante discessum recte ad te perlatas, aut per mercatorem submissas fuisse; hic alias habes a Bulionensium Duce ad V. C.* (2) *Christophorum Justellum scriptas, quas mihi expetere visus es. Tu Illustres fratres Puteanos, P.* (3) *Sirmondum,* (4) *Petavium, Naudæum, omni obsequio cole, & me, quamprimum hasce acceperis, de itinere cæterisque rebus tuis certiorem facito. Literas aut Puteanis aut Sirmondo tradas, qui recte eas ad me curabunt. De* (6) *Eunapio, quod cogitas, laudo. Vtilem in eo operam collocabis; itaque quicquid potes subsidii collige a libris & ab ingenio, sed editionem differas, donec Mediceum Codicem conferas, qui Florentiæ ad S. Laurentium exstat, quo nihil antiquius aut præstantius me vidisse memini. Vnus ille Codex abunde tuo desiderio satisfaciet. Vale, & me de adventu tuo quamprimum certiorem fac. Romæ* (7) *d. VIII. Octobris A. cIↃ IↃc XLVI.*

Epi-

(1) Pararium.

(2) *Virum Juris universi consultissimum, sed præcipue Canonici.*

(3) *De R. P.* Jacobi Sirmondi *S. I., natione Arverni, Vita & scriptis, vide* Elogium, *Parisiis apud Cramoisios in quarto editum A. 1651. quo ipse nonis Octobris obiit, cum vixisset annos nonaginta tres. Fuit is Regi Galliæ* Ludovico XIII. *a sacris confessionibus, & a Summo Pontifice* Vrbano VIII. *fuisset adlectus in Collegium Cardinalium, nisi ipse Purpuram sacram multis precibus, & sancta etiam fraude amolitus esset. Vide etiam Librum* primum *Commentariorum.*

(4) *De R. P.* Dionysii Petavii *Aurelianensis S. I. Vita & Scriptis, vide peculiarem Catalogum Parisiis apud Cramoisios A. 1654 in quarto editum; item* Leonis Allatii *Melissolyram sive Poëma græcum de ejusdem Laudibus Romæ A. 1653. editum. Obiit autem R. P.* Petavius *A. 1652. ineunte anno ætatis septuagesimo.*

(5) *De Viri Clarissimi* Gabrielis Naudæi *Vita & Scriptis vide peculiare Syntagma, a R. P.* Ludovico Jacobo *Cabilonensi, Ord. Carm. ac Regi Galliæ a Consiliis & Eleemosinis, collectum, & Parisiis typis Claudii Cramoisy A. 1659 editum in quarto. Obiit autem* Naudæus *in reditu ex Suecia in Galliam Abbatis-Villæ ad Somonam A. 1653, ætatis quinquagesimo tertio. Cæterum quanta mihi cum illo intercesserit amicitia & familiaritas, apparet ex* duobus *ipsius* Epigrammatibus, *quæ* Lucubrationibus *meis* Parisiis in Auli Gellii Noctes Atticas & Libro secundo Originum ac Rerum Hamburgensium *præfixa sunt.*

(6) *Occasionem enim adornandæ novæ editionis* Libri Eunapii Sardiani de Vitis Philosophorum & Sophistarum *præbuerat mihi exemplar impressum, Viri celeberrimi* Josephi Scaligeri *propria manu plurimis locis emendatum, supplетum & illustratum, quod V. CL.* Gerardus Joannes Vossius *ex instructissima Bibliotheca sua perbenigne mecum communicaverat. Hæ igitur* Scaligerianæ Annotationes *marginales, diligenter tunc a me descriptæ, adservantur nunc cum reliquis meis ad idem argumentum pertinentibus Scriptis in* Augustissima Bibliotheca Cæsarea.

(7) *Agebam tunc annum ætatis* decimum nonum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPISTOLA XV.

Lutetiam Parisiorum.

Petro Lambecio, Nepoti meo optimo & eruditissimo, Lucas Holstenius S. P. dico.

Video eveniſſe quod metuebam, & periiſſe literas meas, quas nuper recta per tabellarium ad te miſi; itaque minus miror te ſilentium meum ægre ferre. Nolim tamen exiſtimes, res tuas minus mihi cordi curæque eſſe, quin potius affectum meum augeri indies, parique paſſu cum tuo in ſtudiis & virtute profectu creſcere ſcias; idque ſatis jam perſpexiſſe te credo ex literis illis, quibus Domino (1) Priolo te ac tua ſtudia nuper prolixe & quam potui diligentiſſime commendavi, quamvis nihil fere ullius commendatione accedere poſſit ad eum, quo te complectitur, affectum. Tu vero meæ exſpectationi egregie hactenus reſpondes, quod omnem liberalem ſcientiam & veterum reconditam eruditionem tanta animi contentione proſequeris: nam tuæ diligentiæ ſpecimen (2) Gellianæ Lucubrationes mihi præbuerunt, & gaudeo te in iſto potiſſimum ſcriptore ingenii periculum facere, unde & fructus & gloria tibi provenire poſſit. Sed de tuis Obſervationibus quid ſentium alias prolixe exponam, & Codicem meum ad vetuſta exemplaria collatum, ut dudum promiſi, ſubmittam. Interim de ſtudiorum vitæque inſtituendæ ratione paucis te monebo, eaque ſuggeram, quæ maxime tuam in rem futura exiſtimo. Monuerat me jam ante Cardinalis Barberinus, quod & ipſe poſtremis tuis ſignificas, te Romam iter parare, & jam in procinctu eſſe. Equidem haud dubito, quin affectus & mei videndi deſiderium hoc tibi conſilium ſuggerat, quod tamen multas ob cauſas probare non poſſum, quas ſingulas enumerare nunc neceſſum non eſt. Ea præcipua eſt, quod ſtudia tua non in umbra & ignavo otio, ſed in luce uſuque eruditorum hominum formari velim, quorum nuspiam terrarum major quam in Galliis eſt copia. Humanitatem vero, quæ ſtudiorum anima & vitæ condimentum eſt, ita propriam ei Nationi natura eſſe voluit, ut omnium mortalium teſtimonio & conſenſu conſtet, eam nonniſi a Gallis parari poſſe. Adhæc cum tua te indoles & inſtinctus ad Antiquitatis & veteris Sapientiæ ſtudium applicarit, quod veterum Librorum uſu, velut bonæ mentis inſtrumento, potiſſimum indiget, neutiquam tibi ab ea ſtatione decedendum puto, ubi & copia eorum maxima in publicis privatisque Bibliothecis habetur, & acceſſum facilem Gentis humanitas præbet. Neque vero eſt, quod Romam Lutetiæ hoc tempore compares, ubi imperitorum hominum moroſitas aditum ferme omnem ad iſtiusmodi theſauros præcludit. Itaque, ſi me amas, & ſtudiis tuis recte conſultum cupis, Italicæ profectionis cogitationem depone, hoc præſertim tempore, quo turbarum

&

(1) *Nempe* Benjamino; *cujus prudentiſſimi & elegantiſſimi Libri duodecim Latini Hiſtoriarum de Rebus Gallicis ab exceſſu Regis Ludovici XIII, Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ dedicati, prodierunt in lucem Pariſiis apud Fredericum Leonardum A. 1665 in quarto.*

(2) *Prodierunt illæ in lucem Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Regentis Architypographum & Gabrielem Cramoiſy Kal. Febr. A. 1647, cum Privilegio Regis, in octavo, currente adhuc anno ætatis* decimo nono.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& bellorum nimbi undique nobis imminent. Libris multis non eſt cur te oneres, vel marſupium exhaurias; ubi enim ad nos perveneris, habebis Bibliothecam ſatis bene inſtructam. Itaque eos tantum tibi para, quibus carere non poſſis; cæteris ab amicis utere. Hæc ideo ſcripſi, ut ad (1) ἀυτάρκειαν illam Stoicam vitam componas, qui vel præcipuus (2) τ ξενιτείας fructus eſt. Anaſtaſii Bibliothecarii (3) collationes avide exſpecto; nam eum te cum Regiis Codicibus contendere Illuſtres Domini Puteani ſcribunt. Quam vellem lacunas in extrema operis parte expleri poſſe? De Arriani diſſertationibus conferendis ſcripſi muneris meis, ſed vereor ut recte ad te pervenerint. Tu apud tabellariorum & curſorum Præfectum inquire. Hoſpitium quodque ubi commoraris, indica, ne aliæ poſthac aberrent: &, ſi me amas, conſilio Domini Prioli utere, qui opportune & fideliter te de omnibus monebit. A Parentibus tuis diu eſt, quod nihil literarum accepi; ſpero tamen omnia ſatis ſalva. Illuſtres fratres Puteanos omni obſequio cultuque tibi devincias, & Regiæ Bibliothecæ viſendæ occaſionem, quam eorum humanitas tibi præſtat, ne negligas. Vale, & me, quod facis, ama. Romæ, (4) A. cIↃ IↃc XLVII Kal. Aprilis.

EPISTOLA XVI.

Lutetiam Pariſiorum.

Doctiſſimo præſtantiſſimoque Juveni Petro Lambecio L. Holſtenius S. P. D.

A *Haſce raptim ad te ſcribo, Chariſſime Petre, ne ſilentium meum moleſtiam tibi faceſſat. Gaudeo meas, quibus iter Italicum diſſuaſi, in tempore ad te perlatas; neque enim ſine præſentiſſimo vitæ periculo hac anni tempeſtate ſuſcipi poterat. Diligentiæ & modeſtiæ tuæ teſtimonium omnes amicorum literæ præſtant. Tu id porro ſtude, ut doctis probisque te probes. In acceſſu ad Eminentiſſimum Cardinalem (5) Barberinum omnique deinde congreſſu eam ſervato modeſtiam, quæ & tuam decet ætatem, & ampliſſimæ ejus Dignitati convenit. Illuſtres Dominos Puteanos tui amantiſſimos omni cultu & obſervantia venerare; nihil enim æque ſtudiis tuis prodeſſe nunc poteſt atque ipſorum benevolentia. A Parentibus tuis literas recentes accepi; ibi omnia ſatis recte ſe habent. Tu vale, & me ama. Romæ (6) die XX Maji cIↃ IↃc XLVII.*

EPISTOLA XVII.

Lutetiam Pariſiorum.

Optimo doctiſſimoque Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo, L. Holſtenius S. P. D.

Quas ante octiduum ad te dedi, Chariſſime Petre, a Viro Illuſtri Jacobo Puteano quin jam acceperis non dubito. Te & valere & ſtudiis gnaviter incumbere gaudeo: hoc enim ut perſuaſiſſimum mihi habeam, ſermo facit, quem Illuſtrium Dominorum Puteanorum Nepos, Regio Oratori ab Epiſtolis ſecretis, de te tuoque in li-

(1) Frugalitatem.

(2) Peregrinationis.

(3) *Nempe* Hiſtoriæ de Vitis Pontificum.

(4) *Agebam tunc adhuc annum ætatis* decimum nonum.

(5) *Nempe* Franciſcum.

(6) *Agebam tunc annum ætatis* vigeſimum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

literis profectu mecum habuit. Idem Avunculi utriusque erga te animum & benevolentiam prolixe mihi confirmavit, quamvis ita jam perspectam, ut nullius egeat confirmatione. Juris Vtriusque Scientiam serio ut amplectaris iterum te moneo, & meo etiam nomine cohortabitur Eminentissimus Barberinus, & sua quoque autoritate optimis Doctoribus isthic commendabit. Cave tamen ita hoc abs te exigere me putes, ut Antiquitatis & Sapientiæ studium propterea vel abjicias vel intermittas, sed ut tempus operamque partiaris, vel potius, ut Themidem ac Sophiam, (1) *ὡς συννάους καὶ συνθρόνους θεὰς, uno eodem opere simul colas.* (2) *Lucubrationes Gellianas, quas te absolvisse scribis, avide exspecto, quamvis gustum earum capita subinde ad me missa præbuerint. In* (3) *Macrobio emendando multum operæ studiique ponit Nicolaus Heinsius Danielis filius, cui antiquissimi exemplaris Neapolitani indicium feci; in quo conferendo nunc versatur. Tu ne frustra tempus operamque absumas, in Græcis ingenium experiaris potius, unde & uberiorem Sapientiæ fructum & laboris gloriam sperare poteris. In his præcipue* (4) *Arrianum tibi commendo, meo quidem judicio Sapientiæ corculum. Indicavi nuper Codices veteres, ex quibus præsidia ad nobilissimum scriptorem restituendum petas. In Stobæi exemplaria Regia inquire, præsertim Eclogarum, quas Canterus ex pessimo Codice publicavit. Literas hisce inclusas Domino Sebastiano Cramosio tradas, qui Codices Græcos duos ab Illustribus Dominis Puteanis accipiet. Vale, & de privatis rebus, hoc est,* (5) *περὶ τῶν οἰκονομικῶν certiorem me facito; scire enim cupio, quo loco sumptuque, & quibus cum sociis vivas. Vale. Romæ* (6) *d. XXVII. Maii cIↃ IↃc XLVII.*

EPISTOLA XVIII.

Lutetiam Parisiorum.

Optimo doctissimoque Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo charissimo, L. Holstenius S. P. D.

Accepi (1) *Lucubrationes Gellianas per Puteanos fratres ad me missas. Eas ita excepi probavique, ut quamvis jam ob nostram necessitudinem omnia tibi debeam, si quid tamen debere possim amplius, novo nexu me devinctum sentiam, non quod nomen meum Libello præscripseris, (hoc enim tralatitium est) sed quod monita & cohortationes meæ, quibus hactenus adolescentiam tuam ad rectam studiorum rationem & bonam mentem informare studui, eum, quem cupiebam, locum apud te habuerint; eoque lubentiori animo & meæ solicitudinis & tuæ diligentiæ fructum, quam-*

(1) Tanquam ejusdem Templi & Throni Deas.

(2) *Vide supra Annotat. ad Epistolam XVtam.*

(3) *Conferebam enim etiam ego tunc temporis* Macrobium *cum pervetusto & optimæ notæ Codice MSto* Bibliothecæ Thuanææ, *cujus beneficio plurima ejus loca possunt emendari & suppleri. Excerpta illa mea adservantur nunc in Augustissima Bibliotheca Cæsarea.*

(4) *Intelliguntur hic* Arriani *Commentariorum de* Epicteti *Disputationibus Libri quatuor*, græcè *cum translatione latina* Hieronymi Wolfii *editi Coloniæ typis Birkmannicis A. 1595. in octavo.*

(5) De rebus domesticis.

(6) *Agebam tunc annum ætatis* vigesimum.

(7) *Vide etiam supra Epist. 15. & 17.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quamvis præmaturæ præcocem admitto, & si porro gnaviter exerceas ingenium animumque colas, uberem mihi & bonæ frugis messem polliceri audeo. Nihil autem magis te excitare debet, quam doctorum hominum favor, qui hasce industriæ tuæ primitias excepit. Magna enim & præclara omnia post ejusmodi promulsidem nos expectare jubes. Interim tibi mihique gratulor, & me bono Eventui voti reum gaudeo. Causas Italicæ profectionis facile mihi probas; eas enim affectus erga me tuus, (1) δεινὸς συνήγορος, commendat. Quoniam ergo studiis rebusque tuis ita conducere existimas, expectabimus te ad proximas Kalendas Novembris; neque enim sine periculo huc acceditur ante adultum autumnum, nisi maturiores pluviæ ventique frigidiores aërem temperaverint. Sed de discessu & itinere tuo Eminentissimus Cardinalis Barberinus constituet, quod ex re tua futurum judicaverit; ejus jussis consiliisque in omnibus obtemperabis. Interim hoc te moneo, imo etiam rogo, ne valetudinem vigiliis nocturnis afflictum perditumque eas. Habebis autem curam, si intempestivæ (2) φιλομαθίας pœnas tota vita tibi persolvendas cogitaveris. Ex Cramosio pretium aliquot librorum scire velim, quorum syllabum literis adjunctis inclusi. Eum tu quamprimum ad me remittas, ut, quid facto opus sit, mature dispiciam ante tuum discessum. Si qui eorum in officina Cramosiana non exstent, apud alios perquirito. Vale, & Cl. Naudæum & Illustres Dn. Puteanos officiosè a me saluta. Romæ (3) d. XVII. Junii cIↃ IↃc XLVII.

EPISTOLA XIX;

Lutetiam Parisiorum.

Doctissimo Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo charissimo, L. Holstenius S. P. D.

Recte te valere & studiis gnaviter incumbere gaudeo. Incusserant enim solicitudinem aliquam animo meo Puteanorum fratrum literæ, quæ valetudinem tuam vacillare significabant. Ego, quod sæpius jam te monui, nunc iterum inculco, ut ab intempestivis lucubrationibus post cœnam tibi caveas, atque ita cum Musis verseris, ne (4) Hygeam iratam habeas. Vbi enim semel offenderis, haud facile placabilem experiere. (5) Gellianas Emendationes, statim ut accepi, amici mihi extorserunt e manibus, ut vix fugiente oculo inspicere licuerit. Receptas expendam pressius, &, si quid displicuerit, indicabo. (6) Eunapium Mediceum, cum Florentiæ degerem, non contuli: neque enim ullus mihi ad manum erat excusus Codex; sed præstantiorem Codicem nusquam reperiri existimo; est enim miræ vetustatis. Vbi ad nos accesseris, licebit eum (7) ἐν παρόδῳ excutere, neque te operæ aut moræ tantillæ pœnitebit. Proximo cursore submittam collationem exactam Codicis Barberinæ

(1) Validus Advocatus.
(2) Cupidinis discendi.
(3) *Agebam tunc annum ætatis* vigesimum.
(4) Deam sanitatis præsidem; *de qua vide amplissimam & eruditissimam Dissertationem V. CL.* Joannis Henrici Meibomii *capite sexto doctissimi Commentarii in* Jusjurandum Hippocratis.
(5) *Vide supra Epist. 17 & 18.*
(6) *Vide supra Epist. 14.*
(7) In transitu.

næ Bibliothecæ, recentioris quidem, sed accurate scripti. Interim (1) *Codinum mitto, &* (2) συλλογὴν *Antiquitatum Constantinopolitanarum, atque supplementa ex Vaticanis aliisque Codicibus collecta. Ego* (3) *Syntagmati meo Geographico hæc destinaram, sed rectius Byzantinæ Historiæ Corpori inserentur. Multa istorum apud Suidam, plura apud Cedrenum habentur. Tu vide, ut spartam, quam tibi sumpsisti, recte ornes, ita tamen ne aliorum* (4) ἀσοχίαν *sive* ἀκριβείαν *insecteris; quod* (5) *Gretserum feciſſe nollem. Julii Oratoris sive* (6) *Æthici Cosmographiam, ex Manuscripto Palatino depromptam, mitto, ut cum vetustissimo exemplari Dn. Thuani conferas, & folium, quod hic deest, suppleas. Codicis illius usum Illustris Dn. Puteanus tibi impetrabit. Si lectiones plurimum discrepare deprehenderis, minus laboris tædiique experire, si integrum ex Thuani Codice describas. Expecto tuas de primo congressu cum Eminentissimo Card. Barberino, ille pro summa Benignitate, qua me & studia mea hactenus fovit, ea tibi suggeret consilia, quæ & ætati & studiis tuis erunt opportuna. Id sedulo da operam, ut qui hactenus mei causa se tibi commendatissimum habuit, is ob tuam modestiam, probitatem, tum maxime ob pietatis studium, te habeat commendatiorem, Vale, &, quod facis, temporis tui rationem exactam habe. Romæ,* (7) *d. VIII. Julii M. DC. XLVII.*

Epistola XX.

Lutetiam Parisiorum.

Doctissimo Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo charissimo, L. Holstenius εὐπραξίαν.

Mitto nunc Collationes Eunapii, quas nuperis meis tibi promiseram, cum ejus recensendi edendique consilium te cœpisse scriberes. Hoc quoque beneficium, qualecunque quidem id fuerit, Eminentissimo Cardinali (8) *debes, ex cujus Bibliotheca proficiscitur. Videbis etiam minutissima quædam notari, quod tibi industriæ &* (9) ἀκριβείας *indicium erit. Codex recens est & elegantissime scriptus, sed lacunis æque ac editus scatet; videbis tamen loca nonnulla bene suppleta & emendata. Tu si monentem me audieris, editionem premes, donec Mediceum Codicem inspexeris, quod* (10) ἐν παροδῷ *fiet, ubi ad nos acces-*

(1) *Vide supra Epist. 11.*
(2) Collectionem.
(3) *Vide Lib. 1. horum Commentar. & paulo post Epistolæ 21. Annotationem marginalem.*
(4) Hallucinationem *sive* errorem judicii.
(5) *Intelliguntur hic R. P.* Jacobi Gretseri S. J. *Commentarii in* Georgii Codini *Librum de Officiis Magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ, utpote in quibus in V. CL.* Franciscum Junium, *qui ante ipsum sub ficto* Nadabi Agmonii *nomine eumdem* Codini *Librum primus græce & latine cum Notis suis in lucem ediderat, innumeris fere locis nimis vehementer ac graviter invehitur. Qua de re vide etiam V. CL.* Gerardi Joannis Vossii, *qui jam memorati* Junii *fuit gener, modestissimam querelam Lib. 2. de Vitiis Sermonis & Glossematis latino-barbaris cap. 2. pag. 173. & 174.*
(6) *De Cosmographiæ* Æthici *vetustissimo Codice manuscripto* Longobardico, *qui exstat in* Augustissima Bibliotheca Cæsarea, *vide Librum* secundum *horum Commentariorum*
(7) *Agebam tunc annum ætatis* vigesimum.
(8) Francisco Barberino.
(9) Accurationis.
(10) In transitu.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

acceſſeris. De Codini (1) ætate nihil certi reſpondere poſſum, niſi quod eum paulo ante (2) ἄλωσιν Conſtantinopoleos vixiſſe perſpicue apparet. Nec certius mihi de Chronico Conſtantinopolitano Meurſiano ejusque Autore conſtat. Nam & illud recentiſſimum puto ob (3) μιξοβαρβάρων copiam. Quid, ſi vice verſa ille ſua ex Codino, Cedreno, Suida, aliisque hauſerit? Nam Græculi illi ſine fronte & Judicio aliena exſcribunt & ſibi ſupponunt, nomen tantum mutantes, ut fures ſigna ſolent. Sane cum Eminentiſſimi Cardinalis juſſu Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptores hactenus inediti, ad uſum Bibliothecæ Barberinæ conquirerentur, omnibus minimis maximis in Vaticana & Palatina Bibliotheca diligenter excuſſis, nullum ejusmodi Chronicon occurrit, quod tranſcribi mereretur. De Libris, quorum ſyllabum pretiumque Dn. Cramoſius miſit, proxime ſcribam, quid fieri cupiam. Vale, & feſtinanti veniam habe. Romæ (4) IV. Kal. Auguſti cIↃ IↃc XLVII.

EPISTOLA XXI.

Lutetiam Pariſiorum.

Doctiſſimo Juveni Petro Lambecio, Nepoti meo chariſſimo, L. Holſtenius.

Nulla ratione tibi tuisque ſtudiis rectius conſulere potes, quam ut probatiſſimis te probare contendas, eoque mihi jucundius accidit teſtimonium, quo Eminentiſſimus Cardinalis Barberinus diligentiam modeſtiamque tuam proſequitur; eoque tibi contendendum eſt obnixius, ut tanti Principis humanitati & egregiæ de te expectationi reſpondeas. Cum cæteris, qui in ejus comitatu vivunt, ita te geras, ut obſequio, quod ille ait, ſine invidia laudem invenias & amicos pares. De Eunapio nihil præfeſtine facias; nam Mediceus codex unus omnium inſtar tibi erit, & de his rectius coram conſtituemus. In Anaſtaſio conferendo, niſi vetus & probum exemplar operam exactiorem mereatur, minutias omnes te exequi nolim; ſed græcanica illa & mixobarbara potiſſimum inſpice, ſi quæ lux iſtis tenebris parari poſſit; tum vero ea, quæ in Italicis Codicibus deſiderantur, quam potes diligentiſſime excerpe, & lacunas, quæ opus illud deturpant, exple. RR. PP. Sirmondum & Petavium officioſiſſime a me ſalutes, qui ſibi obſtrictiorem me habent neminem. Clariſſimo Naudeo & meo & tuo nomine plurimum debeo; &, cum ejus beneficio liceat, ſcriptos Codices Bibliothecæ Mazzarinæ excute, & ſi quid iſthic ad Pontificum vitas pertinens obſervaveris, me mone. Interim cum (5) itineri te accinctum audiam, iter tibi facillimum fauſtiſſimumque opto, ut mihi gratiſſimo optatiſſimoque tuo amplexu & con-

tu-

(1) *Vide Diſſertationem meam de* Georgii Codini *Vita & Scriptis, quæ Animadverſionibus meis in Libros ipſius de Originibus & Antiquitatibus Conſtantinopolitanis præfixa eſt.*

(2) Expugnationem.

(3) Vocabulorum græco-barbarorum.

(4) *Agebam tunc annum ætatis* vigeſimum.

(5) *Nempe* Romano. *Huc etiam pertinet elegantiſſima & lectu digniſſima Epiſtola Perilluſtris & Ampliſſimi Viri, Dn.* Claudii Sarravii, *Senatoris Supremæ Curiæ Pariſinæ doctiſſimi & celeberrimi,* Lutetia Romam *ad me miſſa Kal. Maii A. 1648, quæ inter Epiſtolas ipſius, a filio* Iſaaco Sarravio *A. 1654.* Araufioni *in Gallia in octavo editas, & Sereniſſimæ Suecorum Reginæ* Chriſtinæ

tubernio quamprimum frui liceat. Vale. Romæ prid. Kal. Octobres cIↃ IↃc XLVII.

Epistola XXII.

Tolosam.

Charissime Petre.

Gaudeo post (1) *longas difficillimasque itineris moras te eum subiisse portum, in quo optata* (2) *studiorum tranquillitate frueris. Illustrissimus Archiepiscopus,* (3) *cujus te favori & patrocinio commendaveram, nimia me benevolentia oneravit, ut, quibus verbis illi gratias agam, plane non inveniam. Tuum erit, vitam ac studia ita instituere, ut modestiam, humanitatem & industriam tuam sic illi probes, ne aut me commendationis, aut Ipsum beneficii in te collocati unquam pœniteat; quod te facturum confido, si eam, quam hactenus temuisti, vivendi rationem constanter serves, & virtutis atque doctrinæ acquisitionem omnium rerum præcipuam ducas. Pietatis & Christianæ Religionis rite excolendæ præcepta alia non est cur tibi suggeram, quam ut ea imiteris, quæ intueris quotidie in Religiosissimo illo Antistite, quem ut perfectissimum virtutum exemplar omnis Gallia miratur. Ex ejus præscripto studia instituas, quem ad tantum dignitatis apicem illustris Doctrinæ gloria provexit. Monueram te hinc abeuntem ut S. Ferreoli Vcetiensis Episcopi Vitam ex Foxiensi Manuscripto mihi impetrares; cujus Regulam monasticam jam excudi curavi cum aliis SS. Patrum regulis. Promisit*

stinæ *dedicatas, exstat pag. 229 & 230. Pars istius Epistolæ præcipua est hæc:* Tuam enim ad omnia magna natam indolem & factam, uti & ingenium liberale & solers, laborem improbum, eruditionem haud vulgarem & supra ætatis captum longissime provectam, suspicio, amo, colo, Mi Lambeci. Nec vereor, ut Italis jam fere congenita & fatalis ignavia laudabiles impetus conatusque tuos obtundat & moretur. Quin potius ab iniquis istis possessoribus erue & eripe defossos pridem bonarum literarum thesauros, nobiscum aliquando communicandos. Hic enim tuæ peregrinationis fructus ad te redeat oportet, neglecta opera, quæ in lustrandis oculo curiosiore vetustis ruderibus frustra plerumque & male collocatur. Cæterum gaudeo impensius, & JVRISPRVDENTIÆ nostræ ex animo gratulor, quod Themidis castissimæ Divæ sacris volueris initiari. Nec indigna est te Sacerdote severa hæc Dea, quæ sui studiosos & religiosos vix finit inhonoratos. Te sane Musarum delicium & charissimum alumnum complectetur & in sinu fovebit. Ita voveo precorque, &, ut me tuorum in numero habeas bonum & fortem. Virum Magnum Holstenium, Avunculum tuum, olim mihi apud Antissiodorensem Episcopum cognitum, quæso, ni grave est, nomine meo saluta. Vtinam autem, quæ habet infinita veteri Geographiæ illustrandæ, tuæ fidei committat, dum ille Pontificum Vitis, ex antiquis monumentis adornandis, melius incumbet. Illa enim tuæ, hæc ejus ætati apprime convenient. Vale & me ama.

(1) *Vide* Prolegomena *mea, quæ in Libro primo Originum & Rerum Hamburgensium* Vitæ S. Anscharii *primi Archiepiscopi Hamburgensis præfixa sunt.*

(2) *Et quidem inprimis* Jurisprudentiæ, *quæ in Inclyta Academia* Tolosana *semper præcipue floruit & etiamnunc floret. Vide Amplissimi* Claudii Sarravii *Epistolam de me meisque studiis, missam Lutetia Amstelodamum ad V. CL.* Davidem Blondellum *d. 22. Septembris A. 1650. Exstat autem ea inter Epistolas Sarravianas pag. 306 & 307; ubi ipsa verba, ad rem præsentem præ cæteris pertinentia, sunt hæc:* Tolosæ totum annum moratus est, & Juris studiis diligenter incubuit.

(3) *Nempe* Tolosanus, Carolus de Montchal; *de quo vide plura in* Epistola dedicatoria *ad Eminentiss. Card.* Franciscum Barberinum, *quæ Syntagmati meo Parisino Originum & Antiquitatum Constantinopolitanarum præfixa est.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

miſit etiam operam ſuam R. P. Petrus Poſſinus, (1) *qui obtinendi viam modumque ſuggeret: Nam & iſtic dracones theſauris incubare audio. Salutant te veteres amici, & in his Comes Vbaldinus. Tu Illuſtriſſimum Præſulem omni obſequio & obſervantia cole, & mea illi ſtudia & officia venerabundus defer. Vale. Romæ* (2) *prid. Kal. April. MDCL.*

Tui amantiſſimus

Lucas Holſtenius.

Hucuſque *Holſtenianæ* illæ *Epiſtolæ viginti duæ*. Quibus Corollarii loco inſuper addo, exſtare inter Codices illos manuſcriptos, qui cum reliqua Bibliotheca mea A. 1667 *Hamburgo* advecti, & in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream* translati ſunt, ejusdem Avunculi mei *Album Amicorum*, inchoatum *Hamburgi* A. 1616, quo inde diſceſſit *Lugdunum Batavorum*, & continuatum ac perductum uſque ad annum 1623, quo, poſt totius *Italiæ* & *Siciliæ* cum celeberrimo doctiſſimoque Geographo *Philippo Cluverio* accuratam peragrationem, *Lugdunum Batavorum* rediit, & inde porro in *Angliam* trajiciens, *Londini* potiſſimum & *Oxoniæ* commoratus eſt. Inſigniverunt hoc *Album* Inſcriptionibus ſuarum manuum & Symbolis cum alii complures doctiſſimi & celeberrimi Viri, tum præcipue *Geverhartus Elmenhorſtius* & *Petrus Laurenbergius* Hamburgi Anno 1616; *Janus Rutgerſius* & *Fridericus Lindenbrogius* Lugduni Batavorum A. 1616; *Erycius Puteanus* Lovanii A. 1616; R. P. *Andreas Schottus* S. J. Antverpiæ A. 1617; *Janus Lernutius* Brugis A. 1617; *Daniel Heinſius*, *Caſperius Gevartius*, *Gerardus Joannes Voſſius* & *Joannes Meurſius*, Lugduni Batavorum A. 1617; *Fortunatus Sprecherus* Clavennæ Rhætorum & *Gaſpar Scioppius* Mediolani A. 1618; *Everhardus Bronchorſtius*, *Petrus Cunæus*, *Everhardus Vorſtius*, *Thomas Erpenius*, *Willebrordus Snellius*, *Gilbertus Jacchæus*, & *Otto Heurnius* Lugduni Batavorum A. 1619; *Rudolphus Goclenius*, *Ludovicus Grocius* & *Matthias Martinius* Dordraci A. 1619; *Thomas James*, *Henricus Briggius*, *Joannes Prideaux*, (3) *Joannes Rous* & *Metrophanes Hieromonachus* cognomine *Critopulus*, *Oxoniæ* A. 1622; *Mericus Caſaubonus* Iſaaci F. & *Jacobus Hunterus* Suecus Londini A. 1623. Inter hæc igitur autographa benevolentiæ & amicitiæ teſtimonia exſtat etiam elegantiſſimum *Petri Scriverii* Carmen, quod integrum hic ſubjungo, quia ex ſubſcriptione ejus liquet, quo tempore *Holſtenius* cum *Cluverio Italicum* & *Sicilienſe Iter*, ob eximiam publicæ utilitatis (4) ſequelam nunc & omnibus futuris ſeculis nunquam ſatis laudandum, aggreſſus ſit.

PE-

(1) *E Societate Jeſu, tunc* Toloſæ *degens.*

(2) *Agebam tunc annum ætatis* vigeſimum ſecundum.

(3) *Inclytæ Bibliothecæ Bodleyanæ Oxonienſis Cuſtos; cujus Symbolum*: Mentiri neſcio; librum, ſi malus eſt, nequeo laudare.

(4) *Doctiſſimum videlicet* Cluverii *Opus Italiæ & Siciliæ Antiquæ, cum Sardinia & Corſica aliisque minoribus Inſulis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PETRVS SCRIVERIVS LVCÆ HOLSTENIO SVO,

in Italiam profecturo.

Ausoniam petiture vale, Suavissime Luca;
Charus eram, memini; nunc tibi Roma prior.
Et septemgeminos ardes cognoscere Colles;
I licet, & fumus tu mihi triste vide.
Ipse loci Genius tutelaque desiit esse;
Invenies votis cuncta minora tuis.
Non tibi Naso tener, doctique Propertius oris,
Non Calaber vates, non Maro grandis erit.
Tullius (hei!) nusquam, tot cedro digna locutus;
Nusquam Trajani qui placuere Foro.
Nusquam deliciæ Populi, Fora, Balnea, Circi;
Obruta sunt saxis Amphitheatra suis.
Invenies nusquam geminata mole Colossos,
Addita nec Latio Flavia Templa polo.
Quid cum Porticibus Janos, Delubraque mille
In cineres belli turbine missa querar?
Plorabis laceras Ædes & Numine cassas;
Plorabis lippos dimidiosque Deos.
Non Capitolina veneratur Jupiter Arce;
Fulmina Tarpejo sunt modo lapsa Patri.
Miratus dices: Vbi nunc es maxima Roma?
Hei mihi, vix tanti nominis umbra jaces!
Et solum supereſt, in Roma quærere Romam;
Omnis & in sterili vita labore perit.
Hoc tamen hic disces, hominum genus esse caducum,
Cum videas ipsos sic cecidisse Deos.

Scribebam IV Id. Decembr.
Lugduni Batavorum A. cIↃ IↃc XVII.

Cæterum, quod, ut supra memoravi, *Holstenius Cluverii* in *Itinere Italico* & *Sicilienſi* comes fuerit, testatur ipse *Cluverius* in eodem Albo hac propriæ manus Inscriptione:

Ἐ ΤΡΟΊΗΝ ΠΕΙΡΩΜΕΝΟΙ
ΗΛΘΟΝ ΑΧΑΙΟΊ.

SALVSTIVS.

Is demum mihi vivere & anima frui videtur, qui, aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.

Eruditissimo Juveni LVCÆ HOLSTENIO, comiti mihi nuper per omnem Italiam Siciliamque jucundissimo, interioris affectus (1) μνημόσυνον hoc abeunti lubens meritoque adposui

PHILIPPVS CLVVERIVS

Lugduni apud Rhenum IV Id. Jun. A. cIↃ IↃc XXII.

Lu-

(1) Monumentum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lucæ Holstenii Testamentum (a).

Jo infraſcritto ſano di mente, ſenſo, loquela, & intelletto, ſe bene infermo di corpo. Volendo diſporre delle coſe mie, faccio il preſente Teſtamento, che ſi dice ſenza ſcritti, e cominciando dall' Anima, come più degna, la racommando à ſua Divina Maeſtà, che l'ha creata alla ſua Imagine, & la ſupplico, che non rigvardando li demeriti, e colpe de' miei peccati, ma il merito, e valore infinito del pretioſiſſimo ſangue di Gieſù Criſto mio vnico Redentore, e Salvatore, ſia ammeſſa alla gloria del Paradiſo nella Patria Celeſte richiedendo divotamente, a queſt' effetto l'interceſſione della glorioſiſſima Vergine Madre di Dio, e del glorioſo Apoſtolo S. Pietro, e S. Anſcario Benedetto Padroni antichi della mia Patria. Doppo chiamata che ſarà l'Anima mia a miglior vita deſidero, che il corpo mio ſii ſepellito nella Chieſa dell' Anima nel modo, e forma, che ſta notato in vn foglio conſegnato al mio infraſcritto Erede. Seguita la mia morte ordino, che mi ſi faccino dire quanto prima ſi potrà, meſſe numero cinquecento nelli Altari privilegiati.

De i denari contanti, ori, & argenti, che ſi troveranno, voglio che ſi comprino ſei luoghi di monti ad arbitrio del mio Erede, e che queſti ſi diano al capitolo di S. Pietro a queſto effetto, acciochè quelle entrate ogni anno ſi conſegnino al P. Penitenziero della nazione Tedeſca in S. Pietro, che pro tempore ſarà, acciò, che lui li diſtribuiſchi alli Poveri di quella Nazione principalmente intorno alla feſta di Paſqua, e voglio che queſta elemoſina ſervi principalmente a quelli poveri, li quali hanno profeſſato, e ſono per profeſſare la Fede Cattolica uſando qualche largbezza particolare con quelli, che ſono miſeri, ed eſuli per cauſa di Criſto, e della fede Cattolica.

L' amminiſtrazione de detti Monti e riſcoſſione de frutti prego il Sig. Canonico, che ſarà pro tempore Prefetto del Seminario di S. Pietro, far la carità di averne il penſiero, dandoli facoltà ancora di riſcuotere, e reinveſtire di nuovo il prezzo di detti monti in altri monti ſimili in caſo di eſtrazione, o reduzzione, e ogni altra facoltà ſopra a ciò neceſſaria, ma che non abbia da ingerirſi in coſa alcuna circa la diſtribuzione di detti frutti, o elezione della perſona, ma tutto ſpetti al detto P. Penitenziero.

Alli poveri Caſarecci della Nazione laſcio ſcudi cinquanta di moneta per vna ſol volta da diſtribuirſi ſopra li me-

(a) *Supremam hanc Lucæ Holſtenii voluntatem, Italico ſermone ab eodem ſcriptam, amiciſſimi hominis ſingulari de me bene merendi ſtudio in acceptis refero; qui eam Romæ in Bibliotheca Barberina ex codice Latino 3037. pag. 386. olim exſcriptam typis heic ut evulgarem conceſſit. Quippe Lambecius noſter, Lucæ Holſtenii ex ſorore nepos, libro Commentariorum ſuorum primo pag. 13. Sluſio ſuo non obſcure queſtus fuit, ſe in itinere ſuo Italico ultimo* de Bibliotheca *avunculi deque* ultima ejus voluntate *nihil prorſus reſcire potuiſſe. En ipſius verba:* De cætero, *inquit*, quod ad *Bibliothecam* Avunculi & *ultimam voluntatem* attinet, *μὐδεγὸ ne gry quidem* à me expectes, præter homericum illum verſum, quem Cicero ſubinde uſurpat in prudentiſſimis ſuis ad Atticum epiſtolis:

Ἀλλὰ τὰ μὲν πρατετύχθαι, ἐάσομεν ἀχνύμενόι περ.

Verum hæc acta quidem, mœſti licet, ire finamus.

Hæc Lambecius; verum ſi is ſe ipſum probe; ſi Holſtenii animum, non ſine cauſſa ſuboffenſum, noverat; cauſſam profecto querelarum ne minimam quidem habere potuit Kol.

memoriali, che ſogliono darſi nelle congregazioni dell' Anima, e di campo Santo, nella quale diſtribuzione di elemoſina voglio, che ſi faccia ſecondo l' arbitrio di Monſig. Fuſtenberg, inſieme con dui altri Signori della congregazione dell' Anima, e doi altri di quella di campo Santo di piu prattici, e informati delli ſudetti poveri.

Alle Zitelle di S. Filippo Nerio laſcio per vna volta ſola ſcudi quindeci di moneta.

Alle Mendicanti del ſantiſſimo Sacramento laſcio ſcudi venti moneta parimente per vna ſola volta.

Ad una povera Orfana da elegerſi dall' infraſcritto mio Erede laſcio ſcudi quindeci moneta per vna volta ſola per elemoſina.

Supplico con ogni maggior ſommeſſione di animo la Santità di N. Sig. Papa Aleſſandro ſettimo a non ſdegnar di ricevere dal mio Erede quei Manoſcritti, che li ſaranno conſegnati, non avendo coſa a me più cara, con la quale io poſſi manifeſtare l' infinita mia divozione verſo la grandezza di ſua Beatitudine, e l' infraſcritte obligazioni, che li profeſſo per la ſingolariſſima benignità, con la quale mi ha per tanto tempo rimirato, e onorato, non avendo parole da poterle eſprimere, maſſime per il ſtato, nel quale mi trovo, mi riporto a quello che le dirà l' infraſcritto mio Erede, al quale ſono noti li miei ſentimenti reverentiſſimi verſo la Santità ſua. Voglio, e ordino in oltre, che il Regalo, il quale mi fece S. B. in Malta ſtimato, e conſervato da me al pari di qual ſi voglia Teſoro, le ſia reſtituito non potendoſi meglio riponere, quanto nelle mani, dalle quali è vſcito, come anco per la riverenza, che devo a ſua

A *Beatitudine, e all' obligo di corriſpondere all' infinita benignità ſua verſo di me, alla quale reſtino obligate l' oſſa, e ceneri mie. Voglio, e ordino, che tutte le lettere ſcrittemi da ſua Beatitudine di ſuo pugno da principio di mia ſervitu anco avanti il Pontificato ſino al giorno d' oggi, che ſi troveranno nelle mie mie robbe in vn involto ſigillate, le ſiano reſtituite dal mio Erede.*

Alla Maeſtà di Criſtina Aleſſandra Regina di Svezia Padrona mia
B *ſingolariſſima non ho coſa, che laſciare degna della ſua Real Maeſtà; In teſtimonio non dimeno della mia reverentiſſima divozione verſo la ſua Real Perſona la ſupplico vmilmente a non isdegnare di riceuere alcuni Manuſcritti, che dal mio Erede li ſaranno preſentati, ſupplicandola inſieme a degnarſi di autorizare con la Real ſua protezzione l' edizione di alcune mie fatiche nel modo, che dal mio Erede le ſarà rappreſentato.*

C *All' Eminentiſſimo Sig. Cardinal Chigi Padrone Nipote di S. Santita, e Bibliotecario le laſcio li libri in lingua Italiana, che parimente le ſaranno conſegnati dal mio Erede, ſupplicando riverentemente S. Eminenza a ricevere in picciol ſegno dell' umiliſſima mia ſervitù verſo S. Eminenza, e verſo tutta l' antichiſſima ſua e nobiliſſima Caſa.*

Ed eſſendo ſtato mio particolar ſentimento ſempre di ſervire alla verità, e al pubblico beneficio voglio, che li miei libri ſtampati, che ſaranno conſegnati dal mio Erede, ſiano collocati nel Convento di S. Agoſtino di Roma in luogo ſeparato dalla libraria Vecchia da moſtrare, e ſervire a beneficio pubblico, come ſi fa di quelli della detta libraria vecchia, e nel

e forma da prescriversi dal mio Erede a Padri di detto Convento.

Al Sig. Christiano Orefice mio paesano, del quale sono creditore, come in una poliza fatta da lui, le lascio per legato il detto credito, ne voglio che sopra ciò sia molestato.

Al Sig. Tommaso di Giulio mio Cameriere, dal quale sono stato servito fedelmente per il spazio di sette anni tanto rispetto alla mia persona e beni, quanto alla carica, e cura della libraria Vaticana, e riscossione di tutte le mie entrate, e custodia delle cose domestiche, voglia, e ordino, che non gli sia riveduto conto in modo alcuno, e che si abbi per intieramente assoluto da me, come l' assolvo; anzi apparendo in qualsi voglio tempo debitore di cosa alcuna tutto quello, che egli dovesse, glielo lascio per legato, e in ogni altro miglior modo, e supplico l' infrascritto mio Erede a compartirle la sua Protezzione in ogni occasione.

Se altro mi sovvenirà, io lascierò in fogli particolari sottoscritti di mia mano, a quali voglio, che si dia piena fede, come al presente Testamento, nel quale, se si scuoprirà dubbio alcuno, io ne rimetto la dichiarazione al mio Erede, alla quale voglio che si stii, come se fosse fatta da me medesimo.

In tutti li altri, e singoli miei beni, mobili, stabili e moventi, crediti, ragioni, azzioni, nomi di qualsivoglia sorte presenti, e futuri, in qualsivoglia luogo posti, ed esistenti, e a me in qualisivoglia modo, e maniera spettanti, e che per l' avvenire sotto quasivoglia titolo mi potessero spettare fò, instituisco, voglio che sia, e con la mia propria bocca nomino mio Erede Vniversale l' Eminentissimo e Reverendissimo Sig. Cardinal Francesco Barberini mio Padrone singularissimo, dal quale riconosco ogni mio bene essere, e lo supplico ad eccettare il peso di questa mia Eredità, & a fare avere alle cose da me, come sopra, disposte la perfetta esecuzione. Ricevendo per grazia singolarissima il potere onorare il nome Ereditario di S. Eminenza questa mia vltima volontà.

E questo dico, e dichiaro essere il mio ultimo nuncupativo Testamento detto per ragione civile senza scritti, e la mia ultima volontà, la quale voglio, che vaglia per ragione di Testamento, e se per detta ragione non valesse, voglio che vaglia per ragione di codicillo, o di donazione causa mori tis, e di qualsivoglia altra ultima volontà. Cassando, e annullando qualsivoglia altro testamento, e ultima volontà da me sino al presente giorno forsi fatto, e per mano di Notaro, o altra privata persona, con qualsivoglia clausole, e parole derogatorie, volendo, che il presente Testamento benchè di altra mano scritto, e di mia propria mano sottoscritto, abbia forza, e vigore, come se fosse tutto scritto di mia mano, e sia preferito a tutti li altri, e così voglio, dichiaro, ordino, testo, lascio, dispongo, e instituisco non solo in questo, ma in ogni altro miglior modo &c. &c. E in fede ho sottoscritto il presente di mia propria mano questo dì 4. Luglio 1659. In Roma. Ego Lucas Holstenius testor, heredem nomino, instituo, & dispono, ut supra mpr.

XXII.



















ICONES GRÆCORVM DOCTRINA ILLVSTRIVM, QVI GRÆCAS LITERAS SECVLO ÆRÆ CHRISTIANÆ DECIMO QVINTO, QVO CONSTANTINOPOLIS A TVRCIS CAPTA EST, IN ITALIAM TRANSQVE ALPES PRIMI INVEXERVNT.



BESSARION CARD. NICÆNVS, PATR. CONSTANT. I.
Græcia me genuit fovet Italis ora; galero
Roma colit: vitâ sum Numa, et arte Plato.



EMANVEL CHRYSOLORAS, GRAMM. GRAECVS. II.
Patria Roma Nova est Vetus altera patria Roma
In Latium per me Græcia docta venit.



DEMETRIVS CHALCONDYLES, GRAMATICVS. III.
Attica mella mihi si non dat Musa Latina
Scit Ligurum florens ludus et Arne tuus.



THEODORVS GAZA, RHET. ET GRAMMAT. IV.
Altrix Roma parens cui Græcia Græcia Magna
Fit tumulus: linguæ Gaza utriusq; vocor.



IOANNES ARGYROPYLVS, PHILOSOPHVS. V.
Magnus Aristotelas loquitur quòd in orbe Latino
Post Gazam, meritum debet id omne mihi.



GEORGIVS TRAPEZVNTIVS, PHET. ET PHILOS. VI.
Rhetor eram, clarusq; Sophus non vile Platonis
Me, sed Aristotelis nobile dogma capit.



MARCVS MVSVRVS, PHILOLOGVS. VII.
Roma tuus doctor, tuus et Patavina, sed inde
Præsul purpureo dignus honore cado.



MICHAEL MARVLLVS, POETA. VIII.
Me studijs simul erudijt Dea Pallas et Armis
Carminibusq; favet Musa Charisq; meis.



IOANNES LASCARIS, PHILOLOGVS. IX.
Tot Latio reparo dum Græca volumina Turcis
Rapta colit civem me bene Roma suum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXII.

Doctiſſimorum Virorum icones & vitæ, compendio exhibitæ, qui ſæculo Chriſti decimo quinto poſt captam a Turcis Conſtantinopolim literas Græcas *Italiæ intulerunt.*

MONITUM.

Merentur procul dubio viri longe eruditiſſimi, quorum memoria ad poſteros propagetur; hos enim florentium per Europam literarum, fructusque inde in omni vita provenientis uberrimi ζώπυρον σπέρμα jure optimo dixeris. Viſebantur prius Libro Commentariorum ſexto Additamento II. ob rationes, quas ex Lambecio mox intelliges (a)

Digniſſimi profecto ſempiterna gloria ſunt doctiſſimi illi Græci recentiores, qui Seculo Æræ Chriſtianæ *decimo quinto*, quo *Conſtantinopolis* a *Turcis* capta eſt, *literas Græcas* primi invexerunt in *Italiam*, earumque trans Alpes ad ultimos uſque Occidentis & Septentrionis fines propagandarum occaſionem præbuerunt. Cum igitur in his quoque Commentariorum meorum Libris iidem celeberrimi Viri jam aliquoties ſint memorati, & deinceps in recenſione *Codicum manuſcriptorum Philoſophicorum & Philologicorum Græcorum* multo etiam magis ſint memorandi, exhibeo hic veras illorum *Imagines*, ex *Pauli Jovii Novocomenſis*, Epiſcopi Nucerini, Muſeo deſumptas, ærique inciſas, quemadmodum eas excellentiſſimus Sculptor *Theodorus Gallæus*, cum adjunctis ſingulis *Diſtichis*, compendioſe in unam redegit Tabulam. Secundum ordinem itaque, a *Gallæo* in Tabula e regione hic appoſita ſervatum, *primus* eſt BESSARION, patria A *Trapezuntinus, ex Monacho Ordinis S. Baſilii Archiepiſcopus Nicænus*, qui A.C. 1439 d. 18 Decembris a Papa *Eugenio IV* Florentiæ in Concilio Generali *S.R.E. Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum*, & poſtea ab eodem *Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus* creatus; a *Pio* autem *Secundo*, poſt captam a Turcis Conſtantinopolim, inſuper etiam *Patriarchæ Conſtantinopolitani* titulo ornatus eſt. Fuit hic *Beſſarion* Latinæ ſimul ac Græcæ Linguæ peritiſſimus, B & multiplici ſolidæ eruditionis varietate inſtructiſſimus: inprimis autem *Philoſophus Platonicus* inſignis; liberaliſſimus Virorum doctorum, undique ad ipſum confluentium, Patronus; & acerrimus ac religioſiſſimus Fidei Catholicæ & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contra Græcos aliosque hæreticos defenſor; variisque Legationibus pro S. Sede Apoſtolica cum ſumma gravitate & prudentia fideliſſime ac glorioſiſſime perfunctus eſt, ideoque A. 1471 poſt *Pauli II* mortem ad Summum Pontificatum per-

(a) *Eorum inibi epigraphe erat:* ADDITAMENTUM II, pertinens ad Libri primi pag. 31, ubi fit mentio THEODORI GAZÆ, qui Seculo Æræ chriſtianæ decimo quinto, quo Conſtantinopolis a MUHAMEDO II. A.C. 1453, d. 29 Maji expugnata eſt, una cum aliis quibusdam eruditiſſimis Græcis in Italiam ſe contulit. Kol.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perveniſſet, niſi id *Nicolai Perotti*, Janitoris Conclavii, intempeſtiva ſedulitate fuiſſet impeditum. Cum enim, ut refert (1) *Paulus Jovius*, tres ſummæ autoritatis Cardinales cum eo Decreto, ut Pontificem ſalutarent, abditum in cella Conclavis adiiſſent, nec admitterentur a *Nicolao Perotto* Janitore, quod tum Vir ineptus lucubranti parcendum diceret, uſque adeo ſtomachati ſunt, ut ſeſe indignanter avertentes reſponderent: *Ergo nec prenſanti, nec roganti quidem, ſumma Dignitas erit inculcanda, ut cum e Cælo ſuffragia exſpectet, ſuperbis demum ac ſtolidis Janitoribus pareamus?* ſtatimque ſuffragia *Sixto IV* detulerunt. Quo repente renunciato adoratoque, *Beſſarion* dixiſſe fertur: *Hæc tua, Nicolae, intempeſtiva ſedulitas, & Tiaram mihi, & tibi Galerum eripuit.* Legationum ipſius ultima fuit *Gallica* ad Regem *Ludovicum XI;* ex qua (2) A. 1472 in Italiam revertens, (3) *Ravennæ* d. 15 Novembris ſecundum *Georgium Phranzam*, vel d. 18 Novembris ſecundum *Onuphrium Panvinium*, obiit anno ætatis *ſeptuageſimo ſeptimo*, Romamque translatus, ſepultus eſt in Monumento marmoreo Sacelli *Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum*, quod ipſe ſibi vivus exſtruxerat cum duabus Inſcriptionibus, *Latina* altera, altera *Græca;* quas cum (4) *Inſignibus* ipſius, ex *Onuphrii Panvinii* & *Alphonſii Ciaconii* Operibus de Vitis Pontificum Romanorum deſumptis, hic exhibeo:

BESSARIO EPISCOPVS TVSCVLANVS S. R. E. CARD. NICÆNVS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, NOBILI GRÆCIA ORTVS ORIVNDVSQVE, SIBI VIVENS POSVIT ANNO SALVTIS M CCCC LXVI.

ΤΟΥΤ

(1) *In Elogiis Doctorum Virorum, ingenii monumentis illuſtrium, publicatis.*

(2) *Vide* Georgii Phranzæ Protoveſtiarii *Chronicon lib. 3 cap. 30 pag. 221, ubi refert* Beſſarionem *ex Gallia diſceſſiſſe circa autumnum anni Chriſti 1472, ineunte anno Mundi ſecundum ſupputationem Conſtantinopolitanam 6981, eodemque anno Mundi ſimul & anno Chriſti 1472 adhuc conjunctim currentibus, in itinere ipſum obiiſſe die* decimo quinto Novembris. *Vide etiam* Onuphr. Panvin. *de Vitis Pontificum Romanorum pag. 340; R. P.* Dion. Petavii *Rationarium Temporum Part. 1 lib. 9 cap. 9 pag. 656; & R. P.* Phil. Labbei *Diſſertat. de Script. Eccleſ. & ejusdem Chronologiam Hiſtoricam Part. III pag. 406. Apud* Joannem *autem* Jacobum Boiſſardum *in Elogiis Virorum doctrina illuſtrium Part. I pag. 139, ut & apud R. P.* Jacobum Pontanum *S. J. in verſione latina Chronici* Georgii Phranzæ *pag. 221, & in ejusdem ad idem Chronicon Notis pag. 314, perperam legitur,* Beſſarionem *obiiſſe A. 1473. Quamobrem etiam in hiſce Commentariis meis Lib. IV Cod. CXXXV. ſimiliter pro A. C. 1473 legendum eſt A. C. 1472. Corrigendum etiam eſt* Auberti Miræi Auctarium de Scriptoribus Eccleſiaſticis *cap. 459, ubi perperam legitur,* Beſſarionem *obiiſſe A. C. 1466. Confunditur enim ibi annus 1466, quo* Beſſarion *Monumentum ſepulcrale vivus ſibi poſuit, cum anno 1472, quo idem revera obiit.*

(3) *In nova editione Monumentorum Virorum Illuſtrium, Trajecti ad Rhenum a Gisberto Zyllio Typographo A. 1671 adornata, pag. 56, pro* Ravennæ *perperam legitur* Viennæ.

(4) *Vide* Onuphr. *pag. 301 &* Ciacon. *pag. 893.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ΤΟΥΤ' ΈΤΙ ΒΗΣΣΑΡΙΏΝ ΖΩΝ ΉΝΤΣΑ ΣΩΜΑΤΙ ΣΗΜΑ.
ΠΝΕΥΜΑ ΔΕ ΦΕΥΞΕΙΤΑΙ ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ.

Hoc eſt, *Majorano Salentino* interprete:

BESSARION FECI HVNC TVMVLVM, QVI CONDERET OSSA;
VENERAT VNDE OLIM, SPIRITVS ASTRA PETET.



Secundus (1) illorum *novem* doctiſſimorum eſt (2) EMANVEL CHRYSOLORAS, patria *Byzantinus* ſive *Conſtantinopolitanus*, qui, cum ab Imp. (3) *Joanne Palæologo*, Imp. *Andronici Junioris* filio, ad totius Europæ Principes Chriſtianos auxilii contra Turcas implorandi cauſa miſſus eſſet, abſoluta hac laborioſa peregrinatione, in *Italia*, & potiſſimum quidem *Romæ* principio Pontificatus (4) *Bonifacii IX* A. 1389 d. 2 Novembris electi, ſubſtitit. Vnde etiam nunc elegantiſſima ipſius & lectu digniſſima exſtat (5) *Epiſtola* A *ad* jam memoratum *Imp. Joannem de Comparatione Veteris & Novæ Romæ*, quam Syntagmati meo Originum & Antiquitatum Conſtantinopolitanarum a pag. 107 uſque ad pag. 130 *græce* & *latine* inſerui, una cum aliis *duabus* ejusdem argumenti ad *Joannem* & (6) *Demetrium Chryſoloras Epiſtolis*. Hic igitur (7) primus in Italia *Græcarum literarum* ſtudium excitavit, nec *Romæ* ſolum docuit, verum etiam *Venetiis*, *Florentiæ* & *Ticini*, tanta felicitate, ut ex ejus Schola ſummæ nec unquam interituræ laudis ingenia prodierint; in qui-

(1) *Nempe ſecundum ordinem collocationis Imaginum a* Theodoro Gallæo *ſervatum. Præpoſuit enim is* Beſſarionem Manueli Chryſoloræ *reſpectu Dignitatis Cardinalitiæ, non autem reſpectu ætatis; quia reſpectu ætatis* Chryſoloras *præponendus fuiſſet* Beſſarioni, *utpote cum ille A.C. 1415, hic autem A. 1472 obierit.*

(2) *Alias* Manuel.

(3) *Succeſſit is patri* Andronico *in Imperio A.C. 1341, & A. 1391 obiit.*

(4) *Vide* Raphael. Volaterran. *Commentarior. Vrban. lib. 21 pag. 489.*

(5) *Vide ibi inprimis pag. 113, ubi ipſe refert, ſe biennio ante, quam veniret Romam,* Londini *fuiſſe in Britannia.*

(6) *Vide ibi pag. 129, ubi ipſe tempore adventus ſui in Vrbem Romam ſe appellat* ὠμογέροντα ἤδη γενόμενον, *hoc eſt,* immaturum ſenem.

(7) *Vide* Pauli Jovii *Elogia doctorum Virorum, publicatis ingenii monumentis illuſtrium.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus fuere Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Franciſcus Philelphus, Baptiſta Guarinus, & Poggius. Tandem ad Concilium Generale Conſtantienſe profectus, Conſtantiæ (1) A. 1415. obiit, & ibidem in Monaſterio *Dominicanorum* ante Aram ſepultus eſt, addito hoc (2) *Epitaphio*:

MANVEL CHRYSOLORAS,
MILES CONSTANTINOPOLITANUS,
EX VETVSTO GENERE ROMANORVM,
QVI CVM CONSTANTINO IMP. MIGRARUNT;
VIR DOCTISSIMVS, PRVDENTISSIMVS, OPTIMVS,
QUI TEMPORE GENERALIS CONCILII CONSTANTIENSIS
DIEM OBIIT,
EA EXISTIMATIONE,
VT AB OMNIBVS SACERDOTIO DIGNUS HABERETVR.
DIE XV APRIL. CONDITVS EST ANNO M CCCC XV.

Ille ego, qui Latium priſcas imitarier artes
Exploſis docui ſermone ambagibus, & qui
Eloquium magni Demoſthenis & Ciceronis
In lucem retuli, CHRYSOLORAS nomine notus,
Hic ſitus, emoriens peregrina ſede quieſco.
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Eccleſiam vexaret ſchiſma per orbem.
Roma meos genuit majores; me bona tellus
Byzantina tulit; cineres Conſtantia ſervat.
Quo moriare loco nil refert: undique Cœlum
Pœnarumque locus menſura diſtat eadem.

Tertius illorum *novem* doctiſſimorum Græcorum recentiorum eſt DEMETRIVS CHALCONDYLES ſeu potius CHALCOCONDYLES

(1) *Perperam igitur Vir doctiſſimus* Ger. Joan. Voſſius *L. 4. de Hiſtoricis Græcis cap. 19. pag. 492. illum ait floruiſſe A. C. 1440. & deinceps; confundens videlicet Imp.* Joannem *Palæologum Imp.* Andronici Junioris *filium cum Imp.* Joanne *Palæologo Imp.* Manuelis *filio, qui patri defuncto ſucceſſit in Imperio A. 1425. & A. 1449. obiit. Minime etiam audiendus eſt R. P.* Jacobus Pontanus *S. J. dum in Notis ſuis ad* Georgii Phranzæ *Chronicon, pag. 242. & 243.* Manuelem *hunc* Chryſoloram *perperam confundit cum* Joanne Chryſolora, *quem jam memoratus* Phranzes *lib. 1. cap. 12. pag. 56. refert claruiſſe ſub* Imp. Andronico Palæologo Juniore *circa annum Chriſti 1328. quo is abdicato avo ſuo* Imp. Andronico Seniore, *ſolus Imperio potitus eſt.*

(2) *Vide Syntagma meum Originum & Antiquitatum Conſtantinopolitanarum pag. 106. & R. P.* Phil. Labbei *S. J. Theſaurum Epitaphiorum veterum ac recentium pag. 537. & 538. Notandum autem eſt, in Epitaphio hoc per MILITEM ſignificari* Equitem auratum, *ſive* Virum Equeſtris Ordinis Dignitate præditum; *de quo hujus vocabuli uſu vide plura Lib. II. horum Commentar. Notandum porro etiam eſt, per* Conſtantinum Imperatorem *ibidem ſignificari* Imp. Conſtantinum Magnum, *Notandum denique eſt,* Concilium Generale Conſtantienſe *cœpiſſe A. C. 1414. deſtiſſe autem 1418.*

LES, cujus *Inſtitutiones Grammaticæ Græcæ*, variis locis aliquoties impreſſæ, etiam nunc exſtant. Docuit is primum quidem *Florentiæ*, deinde autem *Mediolani*, ubi octogenario major obiit circa annum Chriſti 1510, quo Papa *Julius II.* cum *Venetis Gallos* Italia pellendi ſocietatem iniit. Plura de eodem *Demetrio* vide apud *Paulum Jovium* in Elogiis doctorum Virorum, publicatis ingenii monumentis illuſtrium, & apud *Ger. Joan. Voſſium* Lib. 1. de Arte Grammatica cap. 4. pag. 15.

Quartus illorum *novem* doctiſſimorum Græcorum recentiorum eſt THEODORVS GAZA, patria *Theſſalonicenſis*, Grammaticus, Rhetor, Hiſtoricus & Philoſophus excellentiſſimus, & relictis variis eximii ingenii atque multifariæ doctrinæ præſtantiſſimis monumentis celeberrimus, qui A. C. 1478. apud *Brutios* in *Magna Græcia* Sacerdos obiit; ut prolixius refert *Jovius* in ſupra citatis Elogiis. Vide etiam *Voſſium* ſupra citato loco doctiſſimi Operis de Arte Grammatica; & *Matthæi Palmerii* Chronicon (1) in Actis anni 1478. ubi tamen perperam legitur, eum obiiſſe *Romæ*, cum revera obierit in *Magna Græcia.*

Quintus eorum eſt JOANNES ARGYROPVLVS *Byzantinus*, Philoſophus inſignis & *Theodori Gazæ* vetus ſodalis, qui primum quidem *Florentiæ* Græcos Autores publice explanavit, & *Ariſtotelis Phyſica* atque *Ethica* latine tranſtulit; tandem autem, peſte in *Hetruria* graſſante, *Romam* ſe contulit, & *Ariſtotelicam Philoſophiam* opimis ſtipendiis profeſſus, ibidem ſeptuageſimo ætatis anno (2) obiit. Plura de eodem vide in ſupra citatis *Jovii* Elogiis. Conſule etiam *Voſſium* de Hiſtoricis Græcis lib. 4. cap. 19. pag. 493.

Sextus eorum eſt GEORGIVS TRAPEZVNTIVS, patria *Cretenſis*, Philoſophus Peripateticus ſive Ariſtotelicus, ideoque *Platoni* infenſiſſimus; quem tamen contra ipſum ſtrenue defendit *Card. Beſſarion*, tanquam Magiſtrum ſanctioris vitæ, & Chriſtianæ diſciplinæ proximum. Obiit is *Romæ* valde ſenex A. C. 1485. & ob ſingulare odium, quo *Platonem* proſecutus eſt, hoc incerti Autoris Epitaphium promeruit:

Hac urna TRAPEZVNTII
quieſcunt
GEORGII oſſa, parum Diis amici,
Quod acri & nimium procace lingua
PLATONEM, Superis parem,
petivit.

Plura de eodem *Georgio* vide in ſupra citatis *Pauli Jovii* Elogiis, & in *Leonis Allatii* Diatriba de *Georgiis* & eorum Scriptis a pag. 374. uſque ad pag. 382.

Septimus eorum eſt MARCVS MVSVRVS *Cretenſis*, Philologus & Poëta ingenioſiſſimus, qui, ut *Paulus Jovius* aliquanto fuſius refert, primum quidem in Inclyto Gymnaſio *Patavino* docuit, deinde autem ſe contulit *Romam*, & *Poemate* ſuo *Græco de laudibus Platonis* a Summo Pontifice *Leone X. Archiepiſcopatum Epidaurenſem* promeruit. Adeptus quoque eſſet *Cardinalitiam dignitatem;*

(1) *Fol. 146. pag. 2.*
(2) *Videtur is obiiſſe inter* Theodorum Gazam & Georgium Trapezuntium; *hoc eſt, inter A. C. 1478. & 1485.*

tem; niſi intempeſtiva ac prorſus immodica (1) ambitione morbum intercutem, & per eum præmature mortem ſibi conſciviſſet; ideoque *Antoninus Amiterninus* ſepulchrum ipſius hoc inſignivit diſticho:

MVSVRE, manſure parum,
properata tuliſti
Præmia; namque cito tradita,
rapta cito.

Octavus eorum eſt MICHAEL MARVLLVS *Tarchaniota*, egregius Miles ſimul & Poëta, qui durum Martem & teneras Muſas conjunctim adeo feliciter coluit, ut *Florentiæ Bartholomæi Scalæ*, Vexilliferatus honore conſpicui, filiam *Alexandram*, eruditi ingenii puellam, uxorem nactus ſit. Periit autem in *Cecinna*, Hetruriæ fluvio, cum is ſolito inflatior, equum, cæco vado deceptum, violenter abripuiſſet; quod contigit A. C. 1500, & quidem eodem die, quo *Ludovicus Sfortia*, cognomine *Maurus*, dux Mediolanenſis, ab Helvetiis proditus, & in Vlteriorem Galliam abductus eſt, ubi in ferrato carcere aliquot poſt annis miſer exſpiravit. Plura de eodem *Marullo* vide in ſupra citatis *Pauli Jovii* Elogiis.

Nonus denique illorum doctiſſimorum Græcorum recentiorum eſt JOANNES LASCARIS *Byzantinus*, omnium fere Græcorum, qui Turcicis armis patria pulſi in Italiam confugerint, *nobiliſſimus* quippe qui *Laſcarina* Imperatorum Conſtantinopolitanorum Familia eſſet oriundus. Hunc naufragum *Laurentius Medices*, Princeps laudatiſſimus, Florentiæ benigniſſime excepit ac fovit, & Bibliothecæ ſuæ ſupplendæ gratia ad conquirendos antiquos Codices manuſcriptos Græcos bis cum Legatione miſit Conſtantinopolim ad *Imp. Bajazethem.* Qua occaſione *Laſcaris* abditas Græciæ Bibliothecas perſcrutatus, multa præſtantiſſima antiqua Volumina collegit, & in Italiam transtulit, quæ etiam nunc in celeberrima *Bibliotheca Medicæa* ſtudiose adſervantur. Obiit demum *Romæ* nonagenarius fere ſenex ſub Pontificatu (2) *Leonis Decimi*, ſepultusque eſt in *Eccleſia S. Agathæ ſupra Suburram*, cum hoc ab ipſomet compoſito Epitaphio:

ΛΑΣΚΑΡΙΣ ΑΛΛΟΔΑΠΗ ΓΑΙΗ ΕΝΙΚΑΘΕΤΟ, ΓΑΙΗΝ
ΟΥΤΕ ΛΙΗΝ ΞΕΙΝΗΝ Ω ΞΕΝΕ ΜΕΜΦΟΜΕΝΟΣ.
ΤΡΕΤΟ ΜΕΙΛΙΧΙΗΝ, ΑΛΛ' ΑΧΘΕΤΑΙ, ΕΙΠΕΡ ΑΧΑΙΟΙΣ
ΟΥΔ' ΕΤΙ ΧΟΥΝ ΧΕΥΕΙ ΠΑΤΡΙΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΝ.

Hoc eſt, *Majorano* interprete:

LASCARIS IN TERRA EST ALIENA HIC ECCE SEPVLTVS,
NEC NIMIS EXTERNAM QVOD QVERERETVR ERAT,
QVAM PLACIDAM, O HOSPES, REPERIT; SED DEFLET ACHÆIS
LIBERA QVOD NEC ADHVC PATRIA FVNDAT HVMVM.

Huc-

(1) *Ægerrime enim* Muſurus *tulit, & graviſſime conqueſtus eſt, quod Papa* Leo X. *cum A.C. 1517 Kal. Julii una eadem vice* unum & triginta Cardinales *creaſſet, nempe Cardinales Presbyteros viginti duos, Cardinales autem Diaconos novem, ex omnibus Nationibus electos, ſolam* Nationem Græcam, *quaſi eo honore indignam, præterierit. Poſt hanc igitur numeroſam Cardinalium electionem* Muſurus *adeo celeriter contabuit, ut, obrepente morbo intercute, paulo poſt exſpirarit.*

(2) *Electus is eſt A. C. 1513. & A. C. 1521. obiit.*

Hucuſque igitur *novem* illos doctiſſimos Græcos recentiores enumeravi ſecundum ordinem collocationis Imaginum, a *Theodoro Gallæo* in Tabula æri inciſa ſervatum. In Pauli autem *Jovii* Elogiis doctorum Virorum, publicatis ingenii monumentis illuſtrium, ordo eorundem eſt talis; ut primus ſit *Emanuel Chryſoloras*, ſecundus *Cardinalis Beſſarion*, tertius *Georgius Trapezuntius*, quartus *Theodorus Gaza*, quintus *Joannes Argyropulus*, ſextus *Michael Marullus*, ſeptimus *Demetrius Chalcondyles*, octavus *Marcus Muſurus*, nonus *Joannes Laſcaris*. Vbi omnia bene ſe habent, præterquam quod *Georgius Trapezuntius quinto* loco fuiſſet collocandus, non autem *tertio*; utpote cum ipſe *Jovius* in Prolegomenis ſuis de ordine illorum Clarorum Virorum promittat expreſſe, ſe eos collocaturum ſecundum ſeriem temporis, A quo quisque eorum obierit. Ipſa ejus verba ſunt hæc: *Prima Clarorum Virorum Claſſis eorum eſt, qui fato functi, cum ingenii fœcunditate floruerint, felicium Operum monumenta poſteris reliquerunt. Horum Elogia primus Liber continet, eo quidem ordine diligenter ſervato, ut ad exactam temporis rationem, qui primo vita exceſſerint, ſubſequentes antecedant.* B *Nulla enim alia ordinis nobilitas quæretur, niſi, quæ fatali vitæ exitu præſcribetur. Hac enim ſaluberrima lege totam litem, quæ de loco dignitateque ambitioſe & turbulenter excitari poſſit, pacatis omnibus ſuſtulimus.* Hæc ipſe *Jovius*. Hoc igitur ordine ſervato, *Theodorus* Gaza, qui A. C. 1478 obiit, ſine ulla controverſia præponendus eſt *Georgio Trapezuntio*, quippe quem certo conſtat obiiſſe A. C. 1485.

XXIII.

Sinarum Scientia Politico-Moralis; ſecundum authenticum exemplar, a R. ac Cl. Viro PROSPERO INTORCETTA, Siculo e Soc. JESU partim quidem anno Chriſti CIↃIↃCLXVII in urbe, Quam-Cheu, Metropoli Sinenſis Provinciæ Quam-Tum; partim autem anno Chriſti CIↃIↃCLXIX Goæ in India intra Gangem primum in lucem editam.

MONITUM.

Sub finem Libri quinti, in conſpectu reſidui Commentariorum Operis, Libro ſexto decimo commentaturum ſeſe LAMBECIUS *receperat in codices Orientales. Ejus promiſſi gratia in Appendice ejusdem Libri quinti Additamento tertio decimo Catalogum dederat librorum monumentorumque Sinenſium a* Cl. ac R. Viro PROSPERO INTORCETTA, *Procuratore Sinicæ Miſſionis Societatis JESU* Divo LEOPOLDO IMP. *anno* CIↃIↃCLXXII, *quo librum Commentariorum quintum noſter in lucem emiſerat, ſubmiſſorum. Ejus additamenti gratia, uti ipſe teſtatur,* (a) *Lib. VII. Addit. II. ediderit memoratæ* Scientiæ Sinicæ Li-

(a) *Sic enim hæc inſcripſerat:* ADDITAMENTUM II, pertinens ad Libri quinti Appendicem pag. 418 & 419, ubi fit mentio cum de aliis variis rariſſimis Rei literariæ

Librum ſecundum, *ab eodem R. Viro cum Sociis in Latinum ſermonem converſum.* CONFUCII *Sinenſium Philoſophi*, Ethicæ doctrinæ Libri tres, *quorum iſte ordine ſecundus eſt, Latino cultu Europæam lucem primo viderunt Lutetiæ Pariſiorum anno* CIↃIↃCLXXXVII. *hac ſub epigraphe:* CONFUCIUS, Sinarum Philoſophus, ſive Scientia Sinenſis Latine expoſita; ſtudio & opera PROSPERI INTORCETTÆ; CHRISTIANI HERDTRICH; FRANCISCI ROUGEMONT; PHILIPPI COUPLET, Patrum Societatis JESU. *Porro, quæ ex eo opere Lambecius prius ediderat, ſunt hæc:*

Quandoquidem intellexi, non paucis Viris doctis rem me facturum eſſe gratiſſimam, ſi *Sinarum Scientiam Politico-moralem*, cujus in Appendice Libri *quinti* horum Commentariorum pag. 419 obiter feci mentionem, cum ipſis communicarem, integram ecce eam bona fide hic exhibeo, ſed *latine* tantum, & absque *Sinicis Characteribus*, qui in authentico Exemplari, partim quidem A. C. 1667 in *Quamcheu* Metropoli Sinenſis Provinciæ *Quamtum*, partim autem A. 1669 *Goæ* in India intra Gangem impreſſo, cum *pronunciatione latina* e regione adjuncti ſunt. Huc porro etiam accedit *Confucii Vita*, ex ipſis antiquis Sinicis monumentis deſumpta, quæ jam memoratæ *Scientiæ Politico-morali* in eodem authentico Exemplari ſubjuncta eſt.

SINARVM SCIENTIA POLITICO-MORALIS, SECVNDVM AVTHENTICVM EXEMPLAR SINICO-LATINVM, A R. P. PROSPERO INTORCETTA SICVLO, SOCIETATIS JESV, PARTIM QVIDEM A. C. M DC LXVII IN VRBE QVA̅M-CHEV, METROPOLI SINENSIS PROVINCIÆ QVA̅M-TVM, PARTIM AVTEM A. C. M DC LXIX GOÆ IN INDIA INTRA GANGEM, PRIMVM IN LVCEM EDITVM, QVOD ADSERVATVR IN AVGVSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI.

Mo-

& pictoriæ Sinenſis monumentis, quæ in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea adſervantur, tum vel præcipue de CONFUCII, Principis Philoſophiæ Sinenſis Scientia Politico-Morali.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Moderatores Societatis JESV in Sinenſi V Provincia	*E JESV Societate*		
Ignatius a Coſta Luſitanus,	*Antonius de Govea Luſitanus,*	*Humbertus Augeri Gallus,*	*Emmanuel Georgius Luſitanus,*
Jacob le Faure Gallus,	*Petrus Canevari Genuenſis,*	*Adrianus Grelon Gallus,*	*Philippus Couplet Flandro-Belga,*
Matth. a Maya Luſitanus,	*Franciſcus Brancato Siculus,*	*Jacobus Motel Gallus,*	*Franciſcus Rougemont Flandro-Belga,*
Feliciamus Pacheco Luſitanus,	*Jo. Franciſcus de Ferrariis Pedemontanus,*	*Jo. Dominicus Gabiani Pedemontanus,*	*Chriſtianus Herdtrich Auſtriacus,*
ſuo ſinguli tempore Approbarunt.	*Recognoverunt.*		

FACVLTAS.

R. P. Vice-Provincialis,

Ego infraſcriptus Societatis JESV in Sinis Præpoſitus Vice-Provincialis, poteſtate mihi facta ab A. R. P. N. Joanne Paulo Oliva Præp. Generali, do facultatem P. Proſpero Intorcettæ ejusdem Societatis, ut typis excudendam curet Sinarum Scientiam Politico-Moralem: *quod Opus primum a P. Ignatio a Coſta, deinde a P. Jacobo le Faure, demum a P. Matthia a Maya Prædeceſſoribus meis approbatum, & a duodecim aliis Patribus Soc. noſtræ in Sinis recognitum, & publica luce digmum judicatum fuit. In quorum fidem has manu mea ſignatas, & ſigillo officii mei munitas dedi. In urbe Quamcheu Metropoli Sinenſis Provinciæ Quàmtum die 31 menſis Julii Anni 1667.*

Feliciamus Pacheco.

A

AD LECTOREM.

B

Non injucundum tibi fuerit, Amice Lector, ſi cauſas atque argumentum brevis Opuſculi, Laconica brevitate olim deſcripti a Principe Philoſophiæ Sinenſis CONFVCIO, brevibus hic præcognoſcas. Scias itaque velim, mihi e Sinis Romam proficiſcenti, res Sinicæ Miſſionis acturo, placuiſſe quidem Goæ potius, quæ fœcunda Mater, & prima veluti Radix Orientalium Miſſionum jure cenſeri poteſt, quam alibi terrarum editionem hanc, in Sinis jam antea cæptam, proſequi atque perficere; ut ſcilicet publico Miſſionis bono propius ac citius conſuleretur; & Opus ipſum orientale, Orienti extremo proficuum, ſub auſpiciis APOSTOLI ORIENTIS ſucceſſu proſpero oriretur: quæ & fuerunt Sociorum vota, quando iis,

degentibus in exilio Quantonienſi propter Chriſtum, poſtremum non ſine lachrymis vale dixi. De opuſculi utilitate, ſive animarum lucro, atque incremento autoritatis, quod ex notitia Opuſculi hujus ac reliquorum Confucii accedit Præconi Evangelico, vineam Chriſti Sinenſem, Conchinchinenſem, ac Tunkinenſem excolenti, non ipſe hic loquar; (Japones, aliæque nationes Sinarum imperio vicinæ, ſemper ſapientiæ primas Sinicæ Genti detulerunt) eam tamen utilitatem magnam eſſe neceſſe eſt fateantur Europæorum hominum quotquot, præter idioma gentis, literas quoque atque priſcorum Libros accurate didicerunt; & quotquot ſententias, quibus referti ſunt Libri, placita, inſtituta, maximeque pervetuſta monumenta, in proprios nunc uſus convertunt; ſic ut ſibi aditum aperiant ampliſſimum ad afferendam literatæ genti VERI SVMMIQVE NVMINIS notitiam: ut non loquar de primis Sinicæ Miſſionis Patribus, quorum directione atque induſtria in more fuit poſitum, vel ab ipſis Miſſionis exordiis, ut quicunque in ea Chriſti Præcones verſarentur, Confucii Libris accurate pervolvendis darent operam. Niſi prædeceſſores noſtri magnam inde utilitatem oriri poſſe uſu ipſo didiciſſent, ecquis judicabit, eos & ſibi & poſteris, ſine ullo animarum lucro, tantum onus imponere voluiſſe? Hæc itaque omnia (præter ea quæ in EXPLANATIONE SCIENTIÆ SINARVM POLITICO-MORALIS paulo fuſius declarantur) me impulerunt ad hoc Opuſculum Goæ proſequendum, perficiendumque.

Opuſculi vero titulus & argumentum eſt, CHŪM YŪM, MEDII ſcilicet, ſeu AVREÆ MEDIOCRITATIS CONSTANTIA. Cu-su, Confucii nepos ex filio, hunc Librum vulgavit, & quædam de ſuo addidit; ſed & deſiderantur multa, ſic ut fragmentorum verius quam Libri ſpeciem habeat. Ob hanc cauſam, & quia doctrinæ, quæ traditur, ſublimitas quandoque ipſius Naturæ limites videtur excedere, hunc Librum Sinenſes Magiſtri tanquam ſubobſcurum captuque difficilem, cum numero ſecundus ſit, poſtremo tamen loco in Scholis exponunt. Eſt interim Præconi Evangelico (uti ſupra dicebam) ſane utilis, quatenus & morum egregius Magiſter eſt, & naturali lumini vitiorum tenebris offuſo, ceu auroræ beneficio, eam veritatis lucem ſubminiſtrat, quæ Soli Evangelico præluceat, viamque pandat.

Vt autem hic Europæo Lectori, antiquitatis non minus quam veritatis amanti, quidpiam præberem condimenti, quo poſſet Laconicæ lectionis nauſeam ſibi adimere, aut ſaltem temperare, Confucii Vitam, ex præcipuis Sinarum monumentis erutam, ad finem hujus Opuſculi addendam eſſe cenſui; non eo quidem conſilio, quod cum Seneca vel Plutarcho Sinenſem hunc Philoſophum conferri velim, ſed ut in Europa noſtra tanto Viro nobilitatis tam antiqua Europæorum æqua æſtimatio ſiaum illud duntaxat, quod meretur, precium daret. Rogo tamen te, Lector benevole, ut, ſi forte quis velit de Confucii doctrina tecum diſſerere, vel eum cum Europæis Philoſophis comparare, tuam non prius ſententiam feras, quam alibi accurate perlegas, cum hujus Opuſculi, tum reliquorum Confucii, explanationem, ex qua profecto plurimum

tibi

tibi lucis accedet ad ferendum ſine er-
roris periculo judicium. Demum il-
lud quoque notandum eſt, ea, quæ
diverſo charactere impreſſa ſunt,
claritatis gratia textui eſſe interpoſita.

Hæc ſunt, quæ obiter indicanda volui.
Fruere & vale.

Omnium Servus

Proſper Intorcetta.

SCIENTIÆ SINICÆ
LIBER SECVNDVS.

Chūm 中 Medium

Yûm 庸 Conſtanter tenendum.

VERSIO LITERALIS.

§. 1. *Quod* a Cœlo inditum *eſt* dicitur Natura *rationalis: quod* conformatur *huic* Naturæ, dicitur Regula: reſtaurare *hanc* Regulam dicitur Inſtitutio.

§. 2. Regula *hæc* non poteſt momento temporis abeſſe: *ſi* poſſet abeſſe, non *eſſet* Regula. Hac *de* cauſa perfectus vir attendit & invigilat in his *etiam*, quæ non videntur: timet *ac* pavet in his *etiam*, quæ non audiuntur.

§. 3. Non apparent, *quia* recondita: non *ſunt* manifeſta, quia ſubtilia. Ideo perfectus vir invigilat ſui ſecreto.

§. 4. Gaudium, ira, triſtitia, hilaritas, priuſquam pullulent, dicuntur medium *ſeu natura indifferens: ubi* pullularint, & omnia attigerint *rectam* menſuram, dicuntur concordia. Medium *eſt* Orbis magnum fundamentum: concordia *eſt* Orbis univerſalis Regula.

§. 5. Perfectis Medio & Concordia, Cœli *ac* Terræ ſtatus quietus, & omnium rerum propagatio *exiſtit.*

§. 6. Confucius ait: Perfectus vir tenet medium: improbus prævaricatur medium.

§. 7. Vir perfectus *habet* medium, &, *quia* perfectus *eſt*, ideo ſemper tenet medium. Improbus *etiam habet* medium, *quod teneat; ſed, quia* improbus, ideo non veretur *illud prævaricari.*

§. 8. Confucius ait: Medium *o quam* illud ſublime! *quod e* vulgo pauci *illud* teneant, jam diu *eſt.*

§. 9. Confucius ait: *Cur* via *hæc* non frequentetur, ego novi; *quia ſcilicet* prudentes transgrediuntur; rudes non pertingunt. *Cur item* via *hæc* non *ſit* perſpecta, ego novi; *quia ſcilicet* ſapientes excedunt; inertes non attingunt.

§. 10. Hominum nullus non bibit & comedit; *at* pauci valent dignoſcere ſapores.

§. 11. Confucius ait: Viam hanc non frequentari, proh! *quam dolendum!*

§. 12. Confucius ait: Xún *Imperatoris*, illius *quam* magna prudentia! Xún ſolebat conſulere *ſuos*, & ſolebat examinare *quæcunque etiam* vulgaria *ſuorum* reſponſa, diſſimulando mala, & deprædicando bona; arripiensque illorum *reſponſorum* duo extrema, utebatur eorum medio ad populum *regendum*. *Atque* hæc illa *fuere*, propter quæ factus eſt Xún, *talis ſcilicet ac tantus Imperator.*

§. 13. Confucius ait: Hominum quivis dicit: ego prudens *ſum; ſed ut* impellitur, mox intrat *in* mille retia & laqueos; incidit *in* foveæ medium, & nequaquam ſcit effugere. Hominum quilibet *item* dicit: ego prudens *ſum:* ſeligit medium; ſed non valet *per* ſpatium *unius* menſis ſervare.

§. 14. Confucius ait: Hoêi *diſcipulus*, *ille plane* erat vir; ſeligebat medium, & aſſecutus unam *aliquam* virtutem, illico arcte *eam* ſtringebat, ſovebat *in* pectore, & nunquam dimittebat.

§. 15. Confucius ait: Orbis Regna poſſunt pacifice regi: dignitates & cenſus poſſunt recuſari: nudi enſes poſſunt calcari: *at* medium non poteſt *tam facile* teneri.

§. 16. *Diſcipulus* Cu-Iú quæſivit *in* fortitudine.

§. 17. Confucius ait: De Auſtralis*ne* regionis fortitudine, *vel de* Borealis regionis fortitudine: an *de* veſtra fortitudine *quæris?*

§. 18. *Eſſe* largum lenemque in *aliorum* inſtitutione; nec *immoderatius* pœnas exigere a refractariis, Auſtralium regionum fortitudo *eſt*; & *in hac* perfecti viri immorantur.

§. 19. Cubare lanceas *ſuper* & loricas; mori, & non pertimeſcere, Borealium regionum fortitudo *eſt*, & *in hac* fortes immorantur.

§. 20. Itaque virum perfectum accomodare ſe *aliis*, & non diſluere; *hæc* fortitudo proh quanta! In medio *aliorum*, *ipſum unum* rectum ſtare, & nuſquam inclinare; hæc *fortitudo* proh quanta! *Si in* Regno vigeant virtus *ac leges*, non mutari, *nec* intumeſcere; *hæc* fortitudo proh quanta! *Si in* regno jaceant virtus *ac leges*, *etiam* redactum ad mortem, non mutari; *hæc* fortitudo proh quanta!

§. 21. Confucius ait: Sectari recondita & patrare miranda, *ut* poſteris ſeculis ſint qui deprædicent, *id* ego non fecero.

§. 22. Perfectus vir aggreditur viam, & progreditur: *progredi ad* medium viæ, & deficere; ego non poſſem *ſic* ſiſtere.

§. 23. Perfectus vir conformat *ſe* cum medio; fugere ſæculum; non videri, *nec* cognoſci: & *id* non ſentire, ſolus ſanctus poteſt.

§. 24. Perfectorum regula ampla *eſt* & ſubtilis.

§. 25. Viri fœminæque rudes, poſſunt *tamen* accedere *ad* notitiam; *at* pervenire ad hujus apicem, quamvis

ſit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſit ſanctus, equidem habebit, quod non ſciat. Viri fœminæque inutiles, fieri poteſt, *ut* queant *juxta regulam* operari: *at* pervenire *ad* hujus apicem, quamvis *ſit* ſanctus, equidem habebit quod non poſſit. Cœlum & Terra *cum* magna *ſint*, homines adhuc habent, quod *de his* conquerantur. Legitur, *ſi de* perfecti viri agamus magnitudine; Orbis univerſus non poteſt *eam capere ac* ſuſtentare: *ſi* agamus *de* ſubtilitate; Orbis totus non poteſt *eam* perrumpere.

§. 26. Oda ait: Tuên *avis* volando penetrat cœlos: piſcis immergitur in pelagus: id eſt *(inquit Cu-sù)* illa *virtus in* ſummis, & imis manifeſtatur.

§. 27. Perfecti viri regula ducit initium ab homuncionibus & mulierculis; extendensque *ſe ad* ſuum apicem, manifeſtatur in Cœlo & terra.

§. 28. Confucius ait: regula non longe *eſt ab* homine: *ſi quam ſibi* homines fabricent regulam, quæ longe *ſit ab* homine, non poteſt *ea* cenſeri regula.

§. 29. Oda ait: *Cum quis* exciſo *uno* manubrio, excindit *formatque* manubrium *aliud*, hujus exemplar non longe abeſt. Arripiens manubrium *(explicat Confucius)* ut *ſibi* exſcindat *formetque aliud ſimile* manubrium, oblique contuetur, & explorat, & adhuc tamen abeſt longius. Ideo vir perfectus per hominem regit hominem: & *ſi* emendetur, tum acquieſcit.

§. 30. *Qui* omni cum fide *ac* ſinceritate ex ſe metitur alios, diſcedit a regula non procul; *hæc autem eſt: quæ* fieri ſibi *quis* non optat, itidem non faciat erga alios.

§. 31. Perfecti viri regulæ *ſunt* quatuor: *ego* Kieu necdum *bene* ſervo unicam: quod *enim* exigitur a filiis, ut ſerviant parentibus, *nondum* exacte ſervo; quod exigitur a ſubditis, ut ſerviant Regi, nondum *perfecte* ſervo; quod exigitur a fratribus natu minoribus, ut ſerviant majoribus, nondum *ad amuſſim* ſervo; quod igitur inter amicos, *ut alter alteri* primas deferat, necdum *ſatis* obſervo. *Perfectus vir* ordinarias *has* virtutes exercet, & *in* quotidianis ſermonibus circumſpectus *eſt*. *Si quid* eſt, *in* quo deficiat; non audet non *ſibi* vim facere; *ſi* habeat verborum copiam, non audet totam effundere; verba reſpondent operibus; opera reſpondent verbis. Vir perfectus quomodo non *ſit* ſolidus *ac* ſtabilis hoc modo?

§. 32. Perfectus vir pro ratione ſui ſtatus agit; nec cupit *quidquam* ab hoc alienum.

§. 33. *Si* exiſtat dives & honoratus; agit ut dives & honoratus: *ſi* exiſtat pauper & ignobilis, agit ut pauper & ignobilis, *ſi* exiſtat alienigena, agit ut alienigena: *ſi* verſetur *inter* ærumnas, agit pro ratione *ſtatus* ærumnoſi. Perfectus vir nuſquam intrat, ubi non *ſit* ſua ſorte contentus.

§. 34. Conſtitutus in ſuperiori dignitate, non inclementer tractat inferiores: conſtitutus in inferiori dignitate, non adulatur ſuperioribus: perficit ſe & non quærit *ærumnarum ſuarum cauſam* in aliis; adeoque nunquam indignatur: ſupra non quæritur de Cœlo; infra non culpat homines.

§. 35. Ideo perfectus vir commoratur *in* plano, ut expectet Cœli

ordinationem: improbus ambulat vias periculoſas, ut quærat gratuita.

§. 36. Confucius ait: Sagittarius habet ſimilitudinem cum viro perfecto: *ſi* aberrat a depicto ſcopo, reflectens exquirit *erroris cauſam* a ſuamet perſona.

§. 37. Perfectorum regula *eſt* inſtar facientis iter longinquum; utique a propinquiori *incipit*; vel inſtar ſubeuntis *in* altum: utique ab infimo *incipit*.

§. 38. Oda ait: Vxor amans concordiæ *eſt* inſtar pulſantis cymbala: fratres ubi concordant, concordiæ gaudium utique diu perſeverat, & recte ordinatur tua domeſtica familia; exhilaratur tua uxor, filii *ac* nepotes.

§. 39. Confucius ait: Pater *hoc modo*, & mater; ipſi *o quam* læti & tranquilli vivent!

§. 40. Confucius ait: Spiritibus ineſt operativa virtus; & hæc *quidem quam* præſtans *eſt!*

§. 41. *Illos quaſi* viſu percipis, & tamen non vides; *quaſi* auditu percipis, & tamen non audies: intime ſociantur rebus, adeoque *ſunt id, quod res* non poſſunt dimittere.

§. 42. Efficiunt, *ut* Orbis homines *ſint* puri & mundi, ac ſplendidiorem habitum *induant*, ut offerant ſacrificia. O multitudo immenſa *Spirituum!* ac ſi aſſiſterent ipſis ſuperne; ac ſi aſſiſterent ipſis ad lævam & dexteram.

§. 43. Oda ait: *An* Spiritus adveniant, non poteſt determinari: magiſne *vero* poterit *ſi* negligenter *colantur?*

§. 44. Hujus ſubtillitatis manifeſtatio revera non poteſt occultari: ſic eſt *omnino*.

§. 45. Confucius ait: Xún, illius *quam* magna obedientia! virtute A fuit ſanctus: dignitate fuit Imperator: opulentia obtinuit *quidquid* quatuor maria intra *eſt*: *in* majorum templis ſacrificabat: & filios *ac* nepotes conſervavit.

§. 46. Ideo magna *ipſius* virtus haud dubie obtinuit *tantam* illam dignitatem: haud dubie obtinuit *tantos* illos cenſus: haud dubie obtinuit *tantum* illud nomen: haud dubie obtinuit illam *tam* longævam ætatem.

§. 47. Etenim Cœlum *in* productione rerum haud dubie accom- B modat ſe earum diſpoſitionibus, & dat incrementa: ideoque recte conſita fovet, dejecta deſtruit.

§. 48. Oda ait: Laudandus jubilis perfectus vir: reſplendet *ejus* præclara virtus: quæ populi *ſunt*, tribuit populo: quæ competunt Magiſtratibus, tribuit Magiſtratibus: recipit cenſus a Cœlo: conſervat *ac* protegit imperium, & ab *ipſo* Cœlo bonis cumulatur.

§. 49. Ideo tantæ virtutis vir utique accipit imperium.

§. 50. Confucius ait: Expers mœroris, is ſolus *fuit* Vên-Vâm C *Rex*: quia Vâm-Kí fuit *ei* pater, & quia Vù-Vâm fuit *ei* filius: *quæ* pater *eſt* orſus, filius pertexuit.

§. 51. Vù-Vâm *Imperator* propagavit & Tái-Vâm & Vâm-Kí avorum, & Vên-Vâm *patris* ſtirpem: ſemel arma induit, & obtinuit Imperium: *ejus* perſona nunquam amiſit *toto* Orbe illuſtrem famam: dignitate fuit Imperator: opulentia obtinuit *quidquid* quatuor maria intra eſt: *in* majorum templis ſacrificabat: filios *item ac* nepotes conſervavit.

§. 52. Vù-Vâm *jam* ſenior ſuſcepit Imperium: *deinde* Chĕu-cūm *(prædicti frater)* adimplevit Vên

&

& Vù *(patris ac fratris)* virtutes: posthumo ornavit Regulorum titulo *proavum* Tai-Vâm, & *avum* Vâm-Kí: solemnius augustiusque sacrificabat defunctis majoribus juxta Imperatorum ritus. *Et* hi *erga Majores* ritus propagabantur ad Regulos & Magnates, usque ad Literatos, & plebejos homines. *Si* pater fuisset de Magnatibus, & filius esset Literatus; sepeliebat *patrem* ut Magnatem, & sacrificabat ut Literato; *si verò* pater fuisset Literatus, & filius esset de Magnatibus; sepeliebat *patrem* ut Literatum, & sacrificabat ut Magnati. Vnius anni luctus pertingebat usque ad Magnates; triennii *verò* luctus pertingebat usque ad Imperatorem. *In hoc* patris & matris *triennali* luctu non *alia* nobilium, *alia* ignobilium, *sed* una omnium ratio.

§. 53. Confucius ait: Vù-Vâm, & Chēu-cūm, horum *quam* propagata *fuit* obedientia!

§. 54. Hi *tam* obedientes Principes præclare valuerunt prosequi majorum *suorum* voluntatem: præclare valuerunt enarrare majorum *suorum* illustria facinora.

§. 55. Vere & autumno adornabant suorum avita templa; *recte* disponebant eorum antiqua vasa: exponebant eorum togas & vestes: offerebantque illius temporis edulia.

§. 56. *Et quia erat* majorum templi ritus, propterea observabatur ordo assistentium ad lævam, & assistentium ad dexteram: item observabatur ordo dignitatis; *ac* propterea distinctio *fiebat* nobilium & ignobilium: *præterea* ordo tenebatur officiorum; quapropter & discrimen sapientiorum. *Cum deinde* omnes *se mutuo* invitarent ad vina, inferiores ministrabant majoribus: eaque propter *solemnitas illa* pertingebat *aliquo modo etiam* ad ignobiliores. *Cum denique inter se consanguinei* epularentur; canities *præcedebat*, adeoque ratio dentium, *id est ætatis*, *habebatur*.

§. 57. *Vù-Vâm* & *Chēu-cūm* prosequebantur suorum *Majorum* dignitatem: exercebant eorum ritus: canebant eorum Musicam: *ea* venerabantur, ii quæ coluerant: *ea* amabant, ii quæ dilexerant: serviebant modo mortuis, ac si servirent *adhuc* viventibus: serviebant olim mortuis, ac si servirent *adhuc* superstitibus; & *hic erat* obedientiæ apex.

§. 58. Sacrificiorum Cœli & Terræ ritus *erat* id, quo colebant supremum Imperatorem: & majorum aulæ ritus *erat* id, quo sacrificabant suis majoribus. *Qui clare* intellexerit *hos* Kiāo-Xé ritus & *rituum* Tí-chām rationes, administrabit Regnum is *ea facilitate*, ac si respiceret ad palmam manus.

§. 59. Ngāi-Cūm *(Rex Regni Lù)* quæsivit de regimine.

§. 60. Confucius respondit: Vên & Vù *Regum* regimen ad extensum exstat *in* tabulis & cannis. Similes viri *si* existerent, mox & ipsorum regimen resurgeret: *at* similes viri interierunt; adeoque & eorum regimen interiit.

§. 61. Hominum virtus expeditum reddit regimen, *uti* terræ virtus accellerat incrementa plantarum: ejusmodi regimen *est instar* fluviatilium cannarum.

§. 62. Enimvero recta gubernatio pendet *ab* hominibus. *Rex* deligat homines ad normam personæ

ſuæ. Excolitur *autem* perſona per regulam: perficitur regula per *univerſalem* amorem.

§. 63. Amare, hominis *eſt:* amare *autem* parentes eſt præcipuum. Juſtum eſſe, æquitatis *eſt:* colere *autem* ſapientes, eſt præcipuum. *Hoc in* amandis parentibus *ac propinquis* diſcrimen, & *in* colendis ſapientibus ordo, *ab* officiorum ratione *quadam recte commenſurata* enaſcitur.

§. 64. Ideo perfectus Rex non poteſt non excolere ſuam perſonam: meditans excolere ſuam perſonam, non poteſt non ſervire parentibus: meditans ſervire parentibus, non poteſt non cognoſcere homines: meditans cognoſcere homines: non poteſt non cognoſcere Cœlum.

§. 65. Orbis univerſales regulæ *ſunt* quinque: ea quibus exercentur illæ, tria: videlicet Regem *inter* & ſubditum: patrem inter & filium: maritum *inter* & uxorem: fratres majores natu *inter* & minores, & *ejus quæ* amicos *inter eſt* ſocietatis *regula.* Hæ quinque *ſunt* Orbis generales viæ. *At* Prudentia, Amor *univerſalis* & Fortitudo; tria *hæc ſunt* Orbis generales virtutes: id *vero* quo exercentur ipſæ, unum *quid eſt.*

§. 66. Sive *quis* naſcatur ſciens, ſive diſcendo ſciat, ſive laborando ſciat, ubi pertigerunt ad ipſam ſcientiam, unum *quid eſt.* Sive *quis* ſponte quieteque operetur, ſive *ob* lucrum operetur, ſive violente operetur, ubi pertigerunt *ad* ipſius complementum operis, unum *quid eſt.*

§. 67. Confucius ait: Qui amat diſcere, appropinquat ad Prudentiam: qui nititur operari, appropinquat ad Amorem: qui novit verecundari, appropinquat ad Fortitudinem.

§. 68. *Si* noſti hæc tria, jam noſti id, quo excolitur perſona: *ſi* noſti id, quo excolitur perſona, jam noſti id, quo regas homines: *ſi* noſti id, quo regas homines; jam noſti id, quo regas *totius* Orbis Regna.

§. 69. Quicunque regunt Orbis Regna, habent has novem regulas, videlicet: excolere ſeipſos; colere ſapientes: amare parentes *ac propinquos;* honorare præſtantiores Miniſtros; accommodare ſeſe *cum* reliquis miniſtris; filiorum inſtar amare populum; accerſere plurimos artifices; benigne excipere e longinquo advenas; *denique* fovere Regulos.

§. 70. *Si Rex* excolat ſeipſum, mox regulæ *illæ* vigebunt: *ſi* colat ſapientes, jam non hæſitabit *in negotiis; ſi* amet parentes, jam *inter* reliquos patruos, fratres majores *natu*, & minores non *erunt* ſimultates; *ſi* veneretur præcipuos Miniſtros, jam non caligabit *in regimine; ſi* ſeſe accommodet *cum* reliquis miniſtris, jam *omnes* Præfecti reddent obſequia *ſua* impenſius; *ſi* filiorum inſtar amet populum, tunc populus animabitur; *ſi* accerſat plurimos artifices, tunc divitiarum ad utendum affatim *erit;* ſi benigne excipiat e longinquo advenas, mox quatuor terrarum *populi ad ipſum* ſe conferent; *ſi* foveat Regulos, jam toto orbe formidabilis *erit.*

§. 71. Abſtinentem & purum *eſſe;* gravi cultu indui; illicita non attingere; ea *ſunt*, quibus *Regia* excolitur perſona. Repellere detractores; procul abeſſe a venereis; vilipendere opes; & magnipendere virtutem; ea *ſunt*, quibus animantur ſapientes. In pretio habere ſuorum dignitatem; augere eorum redditus; eadem *cum* illis amare & odiſſe;

odisse ; ea *sunt*, quibus animantur *omnes ad* amandos parentes. Habere Præfectos inferiores *in* magno numero, *qui majoribus subordinati* ex officio *minora quæque negotia* administrent ; *est* id, quo animantur superioris ordinis Præfecti. Suis fidere & credere, amplaque *conferre* stipendia ; ea *sunt*, quibus animantur *Regii* Ministri. Congruo tempore occupare *populum*, & moderari vectigalia ; ea *sunt*, quibus animatur populus. Quotidie examinare, & quovis mense per se explorare, *an operariorum* alimenta respondeant operi, *est* id, quo animantur opifices. Prosequi abeuntes, & comiter excipere adventantes, collaudando *aliorum* præclaras dotes, & miserando *aliorum* imbecillitatem; *est* id, quo benigne tractantur e longinquo advenæ. Perpetuare *Regulorum* intereuntes familias, & erigere *eorundem* collabentia Regna, moderando tumultus & propulsando pericula ; celebrare Regulorum comitia, & excipere *eorundem* Legationes juxta *statuta* tempora ; laute tractare abeuntes ; & moderari adventantium munera; ea *demum sunt*, quibus foventur Reguli.

§. 72. Quicunque regunt Orbis Regna, habent *prædictas* novem regulas : id *vero*, quo exercent illas, unum est.

§. 73. *Si* omnes res & actiones, *quæ spectant ad prædictas regulas*, præcogitentur, hoc ipso solidæ subsistent; *si vero* non præmeditatæ *fuerint*, hoc ipso incassum abibunt. *Sic si* verba prius determinaveris ; hoc ipso non cespitabis : *si* res agendas prius statueris, eo ipso *deinde* non angeris : *si* opus *ipsum* prædeterminaveris, hoc ipso *deinde* non *te* pigebit. *Si itaque* regula *rectæ rationis* prius fixa firmaque *fuerit* ; tum indeficiens *tibi ejus usus fuerit.*

§. 74. *Si* constituti *in* inferiori dignitate non obtinent gratiam apud superiores, populus nequit fieri ut regatur. *Ad* obtinendam *autem* gratiam apud superiores, datur regula: *si* non servent fidem cum amicis, nec obtinebunt gratiam apud superiores. *Ad* servandam fidem cum amicis, datur regula: *si* non sint obsecundantes erga parentes, nec servabunt fidem cum amicis. *Ut sint* obsecundantes erga parentes, datur regula: *si* reflectentes ad suammet personam, *compererint se* non sinceros *esse*, nec *erunt* obsecundantes erga parentes. *Ad* sincere perficiendam suammet personam, *seu se ipsos*, datur regula: nisi exploratam habeant rationem boni, nec sincere perficient suammet personam.

§. 75. Vera solidaque perfectione dotatum esse, cœlestis *quædam est* ratio : *ad hanc* veram solidamque perfectionem contendere, humana *quædam est* ratio. Vera solidaque perfectione dotatus non *sibi* vim infert, & tamen attingit finem : non operose discurrit, & tamen assequitur : cum tranquillitate & facilitate attingit virtutem : *atque hoc* sanctorum *est.* Qui ad veram solidamque perfectionem contendit, seligit bonum, & fortiter manu tenet.

§. 76. *Et hic quidem* multa perdiscit : *præmature* discutit quærenda : attente meditatur : *res inter se* clare distinguit : solide *ac* constanter operatur.

§. 77. Sunt, qui nolunt discere, *quia* discendo non proficiunt ; ne *tamen*

men desistant: sunt qui nolunt interrogare, *quia* interrogantes non capiunt *responsa;* ne tamen desistant: sunt qui nolunt meditari, *quia*, quod meditantur, non *facile* assequuntur; ne tamen desistant: sunt qui nolunt argumentari, *quia* argumentando non clare percipiunt; ne tamen desistant: sunt qui nolunt operari, *quia in* operando non *sunt* solidi & constantes; ne tamen desistant: *nam quod* alii unica vice assequi potuere, *tu* ipse *saltem* centesima *poteris: quod* alii decima vice assequi potuerunt, *tu* ipse *saltem* millesima poteris.

§. 78. Revera *qui* servare valet hanc regulam, quamvis rudis *sit*, tandem *erit* clare intelligens; quamvis imbecillis *sit*, tandem fortis *evadet.*

§. 79. Se ipso vere solideque perfectum *esse*, *simulque rerum omnium* intelligentem, dicitur natura, *seu nativa virtus:* se ipsum *prius* illuminare reddereque intelligentem, *ac deinde in* vera *virtute seu* perfectione solidare, dicitur institutio. *Qui* nativa perfectione dotatus *est*, eo ipso intelligens est: *qui autem prius* rerum intelligentiam *sibi comparavit*, poterit deinde perfectus *evadere.*

§. 80. Solum *in* universo *hoc* summe perfectus potest exhaurire suam naturam: *Si* potest exhaurire suam naturam, jam poterit exhaurire *aliorum etiam* hominum naturam: *si* potest exhaurire hominum naturam, jam poterit exhaurire rerum naturas: *si* potest exhaurire rerum naturas, jam poterit adjuvare Cœlum & Terram *in* productione & conservatione *rerum: si* potest adjuvare Cœlum & Terram *in* productione & conservatione rerum; jam *etiam* poterit cum Cœlo & Terra ternarium principium *constituere.*

§. 81. Ab his *primi ordinis perfectis viris* secundi *sunt*, *qui* nituntur restaurare nondum extinctam nativæ bonitatis particulam. Restaurantes nativæ bonitatis particulam, poterunt obtinere solidam perfectionem: ubi assecuti *fuerint* solidam perfectionem, mox *illa* sese prodet: *ubi* sese prodiderit, mox illucescet: *ubi* illuxerit, mox lucis radios late diffundet: *ubi ita* irradiaverit, eo ipso motum faciet *animorum: ubi* motum fecerit, jam *morum* mutationem inducet: ubi mutationem induxerit, eo ipso conversionem efficiet. Solum *in hoc* universo summe perfectus efficere potest conversionem *hujusmodi.*

§. 82. Summe perfecti virtus *ea est*, *ut* possit præscire *futura. Cum* Regia Familia proxime *est* erigenda, procul dubio *passim* dantur fausta prognostica: *cum* Regiæ Familiæ imminet occasus, procul dubio *passim* dantur infausta prognostica, *quæ* & manifestantur in *herba* XI *dicta*, & testudine; & prævio motu percellunt corpus *humanum.* At summe perfectus, *cum* calamitas, *aut* felicitas proxime instat; *in* probis procul dubio prænoscit istam, *id est*, *felicitatem: in* improbis procul dubio prænoscit illam, *id est*, *calamitatem.* Ideo summe perfectus *est* instar Spiritus.

§. 83. *Ejusmodi* vera solidaque perfectio *est* sui ipsius perfectio; & regula *est* sui ipsius regula.

§. 84. *Hæc* vera solidaque ratio, *seu perfectio*, *est* rerum *omnium* finis & principium. *Si* desit *rebus hæc* vera solidaque ratio, *seu perfectio*,

ctio, non erunt res. Hac de cauſa ſapiens & probus vir veram *hanc* ſolidamque perfectionem æſtimat maximi.

§. 85. Vere perfectus, *quia* non ipſe perficit ſeſe *ſolum*, & *hic* ſiſtit, propterea perficit *etiam* res *alias*. Perficere ſeipſum, amoris *eſt*: perficere res, providentiæ *eſt*. *Et hæ quidem* nativæ virtutes *ſunt*: *has autem* unire applicando externis & internis, regulæ *eſt*: adeoque ſuis temporibus exercere convenientiæ *eſt*.

§. 86. Propterea ſumme perfectus nunquam ceſſat.

§. 87. *Si* nunquam ceſſat, ergo perdurat: *ſi* perdurat, ergo per effectus ſe prodit.

§. 88. *Si* per effectus ſe prodit, ergo late longeque diffunditur: *ſi* late longeque diffunditnr, ergo amplus & profundus: *ſi* amplus & profundus, ergo ſublimis & clarus.

§. 89. *Quia* amplus & profundus, ideo ſuſtentat res: *quia* ſublimis & clarus, ideo protegit res: *quia* late diffuſus & perdurans, ideo perficit res.

§. 90. Amplitudine & profunditate, æquiparatur Terræ: ſublimitate & claritate, æquiparatur Cœlo: latitudine & duratione, absque termino *eſt*.

§. 91. Cum ſit talis *ac* tantus, non *prius* exhibet ſeſe *atque oſtentat*, ac tum deinde manifeſtus fit: non *prius* motum, ac tum deinde converſionem efficit: non *prius operoſo quodam virium molimine quidpiam* facit, ac tum deinde perficit.

§. 92. Cœli Terræque ratio poteſt unico verbo exhauriri; & hæc *quidem* in efficiendis rebus non *eſt* A *quid* duplex, *ſed unicum quid eſt ſimplex*; adeoque hujus *ejusdem in* procreandis rebus *virtus eſt* inſcrutabilis.

§. 93. *Hæc itaque* Cœli & Terræ ratio lata *eſt* & profunda, ſublimis & clara, late diffuſa & perdurans.

§. 94. Jam hoc Cœlum *eſt* hæc lucis & fulgoris tantilla portio, *at* veniendo ad ejus *totius molis* interminabilem *amplitudinem*; Sol, Luna, Stellæ, Signaque cœleſtia *in eo* ſuſpenſa continentur; univerſæ *item* B res *ab eo* teguntur: Jam *tantilla* hæc terræ *portio*, *quam calcamus*, *cum tota ejus mole collata*, vixdum unius pugilli terrei *eſt* quantitas: *at* veniendo ad *totius* ejus *molis* vaſtitatem & profunditatem, ſuſtentat montem HOA-YO *dictum*; & tamen non gravatur: complectitur ſinu flumina & maria, & tamen non inundatur: omnium *eſt illa* rerum ſuſtentaculum. Jam hic *unus* mons unius *item* fruſti lapidei tantillum *quid eſt*: *at* veniendo ad ejus *totius molis* latitudinem & magnitudinem; plantæ & arbores *ibi* naſcuntur; volucres & feræ *ibi* com- C morantur; metalla *item* lapidesque pretioſi, *in ejus* viſceribus latentes, in lucem prodeunt. Jam hæc aqua, unius *item* cochlearis tantilla *eſt* portio: *at* veniendo ad *totius* ejus *molis* inexhauſtam abyſſum, cete grandia, crocodili, ſerpentes, dracones, piſces, teſtudines, *in ea* procreantur; opes *denique ac* divitiæ *ex ea* enaſcuntur.

§. 95. Oda ait: Solius Cœli virtus proh quam alte recondita! nunquam ceſſat: quaſi diceret *(inquit Cu-Su)*: Cœlum ideo eſt Cœlum. Quomodo *(proſequitur Oda)* non *ubique* manifeſta Ven Regis virtutum

puritas? quasi diceret *(addit Cu-Su)*: Ven Rex ideo fuit Ven, *talis scilicet ac tantus vir*, *cujus* puritas quoque nunquam defecit.

§. 96. *O quam* magna Sancti Viri lex & virtus!

§. 97. *O quam in* immensum diffusa! producit, conservatque omnia: *adeo* eminens, *ut* pertingat ad Cœlum.

§. 98. O abundantiam *ejus* maximam! rituum *majorum* & officiorum trecenta *capita*; & rituum *minorum*, officiorumque ter mille *capita*, *magna & parva omnia complectitur*.

§. 99. Expectandus hic vir *est*: tum demum *hæc omnia poterunt* opere perfici.

§. 100. Ideo dici solet: si non *existat* summa virtus, summa lex nequaquam coalescet.

§. 101. Hinc virtutis studiosus summopere colit & *conservare studet* rationalem naturam *suam*, adeoque ad rectæ rationis regulam *omnia accurate* explorans, *seseque* instituens, implet *mentis suæ* capacitatem & amplitudinem; atque exhaurit *ac perspicit etiam* subtilissima & minutissima *quæque*. Præterea perficit, & ad apicem perducit *nativam ejusdem mentis suæ* sublimitatem & claritatem; & quidem *omnia agendo* juxta regulam medii; recolit vetera, & studet scire nova. *Denique stabilit* & corroborat ante parta, ut augeat & *perficiat*, quod fas & æquum est.

§. 102. Hac de causa consistens *in* superiori *loco*, non insolescit: consistens *in* inferiori *loco*, non *est* refractarius. Si in Regno vigeant virtus *ac* leges, ejus sermo sufficit, ut *etiam nolens* promoveatur *ad dignitatem*. *Si* Regnum sine virtute *ac* legibus *sit*, ejus silentium sufficit, ut imperturbatus sibi vacet. Oda ait: Quia recte intelligens *erat*, ac rerum prudens indagator, *(loquitur de quodam Sapiente Chùm-Xan-fu dicto)* idcirco illæsam conservavit suam personam. Hoc illud est, *(addit Cu-Su) quod hic supra* diximus.

§. 103. Confucius ait: *Si quis* rudis *est*, & tamen vult suo *unius* judicio uti: *si quis* e vili plebe *est*, & tamen vult sibi arrogare, quæ non sunt sui juris & fori: *si* natus in præsenti sæculo, *tamen* convertat se *ad* priscorum *jam antiquatas* leges: qui talia agunt, calamitates obvenient ipsorum personis.

§. 104. Nisi *fuerit* Imperator, nemo instituat urbanitatis officia; nec inducat *novos* curiæ usus; nec mutet quidquam rei literariæ.

§. 105. Moderni Imperii currus eosdem *ducunt* sulcos, *quos olim:* libri eandem *servant* methodum, *quam olim:* morum *quoque* eadem ratio *est*.

§. 106. Tametsi *quis* habeat eorum *(priscorum scilicet Regum)* dignitatem, si *tamen* careat eorum virtute; ne ausit instituere ritus & Musicam: tametsi *quis* habeat eorum virtutem, si *tamen* careat eorum dignitate, item nec ausit instituere ritus & Musicam.

§. 107. Confucius dicebat: Ego *cum voluptate* refero *Familiæ Imperatoriæ* HIA ritus, *at exigui Regni* KI *posteri* non *sunt horum* sufficiens testimonium: ego didici *Familiæ Imperatoriæ* YN ritus; & sunt *Regni* SVM *posteri*, *apud quos horum adhuc* exstant monimenta: ego *item* studui *hujus Familiæ Imperatoriæ* CHEV ritibus, & *hi* nunc in usu sunt: ego *igitur* sequar *hujus* CHEV ritus.

§. 108.

§. 108. *Ad* gubernandum Imperia ſunt *illa* tria maximi momenti: & illa *rariora faciunt*, *ſeu*, minuunt peccata.

§. 109. Superiorum temporum Reges quamvis probe ſtatuerint leges, *tamen* carent teſtimonio; & *cum* deſit teſtimonium, non datur fides; *ſi* non datur fides, populus non ſequitur. *Vir Sanctus* in inferiori *ſeu privato* conſtitutus, tametſi urbanitas officia colat, *eſt tamen privatus ac* ſine dignitate: & *cum* ſine dignitate *ſit*, *ei* non datur fides; *ac denique quia* ſine fide & *authoritate eſt*, populus *ipſum* non ſequitur.

§. 110. Ideo perfecti Regis recta gubernandi ratio fundatur in ſua ipſius perſona, teſtatam faciendo *virtutem ſuam* univerſo populo. Explorat exigitque regimen ſuum ad *normam* trium *priſcorum* Regum & non aberrat: *confert & conbinat* res a ſe geſtas cum Cœli Terræque *lege* & *huic* non adverſatur. Teſtatam facit ipſis *adeo* Spiritibus *quantumvis reconditis virtutem ſuam*, & nihil dubitat; *imo etiam poſt* centum ſecula expectato Sancto, *quin teſtata futura ſit*, nihil ambigit.

§. 111. *Quod* teſtatam fore Spiritibus non dubitet, *inde eſt*, *quia* novit Cœlum: *quod poſt* centum *etiam* ſecula expectato Sancto *eandem teſtatam fore* nihil *item* ambigat, *inde*, *eſt quia* novit hominem.

§. 112. Hac de cauſa perfectus Rex *ſi quidpiam* aggreditur; jam *hoc ipſum omnibus* ſeculis eſſe poteſt Orbis principium: *ſi quidpiam* agit, jam *hoc omnibus* ſeculis eſſe poteſt Orbis lex: *ſi quid* loquitur, jam *id omnibus* ſeculis eſſe poteſt Orbis norma: *denique talis eſt*, *ut* procul abſentes jam *ad ipſum* anhelent; *qui vero* propiores *ſunt*, jam nullo *ipſius* tædio afficiantur.

§. 113. Carmen ait: *Si* exiſtat illic, nullus *eum* averſatur; *ſi* exiſtat iſthic, nulli tædio eſt: quaſi diu noctuque, & in perpetuum deprædicabitur. Perfectus Rex *(addit Çu Su)* nullus dum fuit, *qui* non hoc modo, & *quam* citiſſime obtinuerit laudem & famam per univerſum Orbem.

§. 114. Confucius *(inquit ÇU-SV)* eminus honorifice commemorabat ΥAO & XVN *priſcos Reges*; cominus *vero* ſequebatur VEN & VV *modernos Reges*: ſupra imitabatur Cœli tempora; infra conformabat ſe aquæ & terræ.

§. 115. Quemadmodum Cœlum & Terra, *hæc quidem* nihil non continet & ſuſtentat, *illud vero* nihil non tegit & ambit; quemadmodum *item* quatuor tempora ſucceſſive procedunt; quemadmodum Sol & Luna alternatim illuminant, *ſic cum quadam proportione Confucius.*

§. 116. Vniverſæ res una procreantur, & non ſibi mutuo nocent: *quatuor temporum*, *Solis item ac Lunæ* ſucceſſivi motus æquabiliter procedunt, & non ſibi mutuo contrariantur tenues *ac* limitatæ, *quæ rebus inditæ ſunt*, virtutes, *ceu* fluenti *cujusdam* emanationes *ſunt*. *Illa autem* magna & illimitata virtus effectrix & corrobratrix *emanantium* procreationum *eſt*. Iſtud *eſt*, Cœlum & Terra propter quod ſunt magna.

§. 117. Solum *in* toto Orbe ſumme perfectus & ſanctus eſt, qui queat *omnia* percipere, clare intelligere, penetrare, & comprehendere; *adeoque* ſufficiens eſt, ut habeat regimen. *Ejus anni* magnitu-

do, liberalitas, affabilitas *ac* benignitas ſufficiunt, ut habeat capacitatem, *qua admittat*, & complectatur *univerſos*. *Ejus* activitas, animi celſitudo, robur & conſtantia ſufficiunt, ut *omnia* manu teneat. *Ejus pura illa* ſimplicitas, ſerietas, æquabilitas & rectitudo, ſufficiunt ut obtineat honorem & venerationem. *Multiplices animi dotes ac* ornamenta, *eorumque mirabilis illa* temperies, *qua omnia in pondere & menſura moderatur*, minimarum *etiam* rerum exacta inveſtigatio *ac* diſcuſſio ſufficiunt, ut habeat, quo *citra eorum omnia* diſcernat.

§. 118. *Eſt enim* amplus, diffuſus, profundus, *rerumque omium* fons & origo; adeoque *ſuis* temporibus *ſeſe* prodit exeritque.

§. 119. Amplus & diffuſus, velut Cœlum; placidus & profundus, velut aquarum abyſſus. *Si* foras ſe prodat, jam e populo nullus *erit*, *qui eum* non veneretur: *ſi* loquatur, jam e populo nullus *erit*, *qui ei* non det fidem. *Si quid* agat, jam e populo nullus *erit*, *qui ei* non gratulabundus applaudat.

§. 120. Hac de cauſa *ejus* fama *ac* nomen oceani *inſtar* exundabit per medium *Sinarum* Regnum, & hinc dimanans pertinget ad *uſque* barbaros; naves & currus quocunque appellunt; hominum vires quocunque penetrant; Cœlum quidquid tegit: tellus quidquid ſuſtinet; Sol & Luna quidquid colluſtrant; pruina & ros quocunque decidunt: quicunque *denique* habent ſanguinem & reſpirationem, non *poterunt eum* non venerari & amare. Ideo *ſupra* dicebam *eum* æquiparari Cœlo.

§. 121. Solummodo in Vniverſo *hoc* ſumme perfectus, eſt, *qui* queat A diſtinguere & contexere Mundi magnum ordinem, & erigere Vniverſi magnum fundamentum, & perſpectam habere Cœli & Terræ *rationem in* procreatione & conſervatione *rerum*. Si talis tantusque *eſt*, quomodo erit *res ulla*, cui innitatur, *vel, a qua ipſe dependeat?*

§. 122. Summe benevolus *ac* beneficus *eſt* ejus amor & pietas: placidiſſima *ac* profundiſſima ejus *perfectionum* abiſſus: latiſſime patens ejus Cœlum.

§. 123. Si quis *(concludit Cu-Su)* non *ſit* revera perſpicax, clare intelligens, ſanctus, prudens, & al- B te penetrans Cœli virtutes, hunc *modo dictum Sanctum* ecquis *alius poterit cognoſcere.*

§. 124. Oda ait: Indutus veſtem divitem *ac* variegatam, *ſi* ſuperinduat vulgarem penulam, *is ſcilicet* odit ejusmodi ornatus oſtentationem *ac* ſplendorem. Ideo *(ait Cu-Su)* perfecti viri virtus occulit ſe *illa* quidem, ſed indies *ultro* manifeſtatur: improbi *vero fucata* virtus, *quia ſolum* ſpecie tenus *eſt talis*, proinde C indies *magis ac magis* evaneſcit. Perfecti viri virtus inſipida *videtur*, & tamen non parit faſtidium; exile *quid*, & *prope* contemptibile *videtur*, & tamen *multum* habet venuſtatis; rudis informisque *videtur*, & tamen *intus* perpolita *eſt*. *Itaque ſi vir ejusmodi perfectus* noverit *eorum, quæ* longe abſunt, proximum principium, noverit *item* morum motuumque originem; noverit *denique* ſubtilium & arcanorum manifeſtationem; poterit *deinde* hoc modo *paulatim* gradum facere *ad* virtutem *Sanctorum*.

§. 125. Oda ait: Penitus abdita licet deliteſcant *vitium & virtus*, tamen *vel ſic* omnino in lucem prodibunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bunt. Ideo *(exponit Cu-Su)* vir perfectus cordis intima discutiens, *si* nihil morbidi *deprehendat*, non *est cujus eum* pudeat in corde *suo*. *Nimirum* vir perfectus *ad* quod non potest, *nisi difficulter*, pervenire, *nonne* hoc ipsum solum *est*, homines *passim* quod non vident?

§. 126. Oda ait: Vide *ac* circumspice *cum* solus degis *in* tua domo: insuper ne agas, *de quo possis* erubescere in *tuæ* domus recessu. Ideo *(ait Cu-Su)* vir perfectus non aggreditur *negotium*, & *tunc primum* attendere sibi *incipit*: non profert sermonem, & *tunc primum de* verborum veracitate *cogitat*. *Sed semper & in omnibus est vigilans.*

§. 127. Oda ait: *Archimystes* ingrediens *templum*, movet & invitat *Spiritus*, & *quamvis* non indicat *silentium*, *tamen* tempore *sacrificii* nulla est *populi* contentio *aut murmur*. Eodem modo *(ait (Cu-Su)* Rex perfectus, *quamvis* non largiatur *multa*, tamen populus excitatur *ad præstandum quod sui muneris est; quamvis* non irascatur, tamen populus *eum* pertimescit præ falcibus & securibus.

§. 128. Oda ait: *Si* non apparens *ac velut* solitaria *sit regis* virtus, centum Reguli illam studiose æmulantur. Hac de causa *(inquit Cu-Su)* si Rex perfectus *virtutem* solide colat, jam Orbis universus pace perfruetur.

§. 129. Oda ait: Ego complector & amo *(inducitur XAM-TI Supremus Cæli Imperator loquens)* Regis Ven-Vam claram virtutem, *quæ* non magnopere personabat, ut exterius perciperetur, & *appareret*. Confucius ait: Sonitus verborum, & splendor exterior, in ordine ad convertendum populum *sunt quid* posterius. Oda ait: Virtus *hæc est* quid subtile & leve instar pili. Imo vero *(subjicit Cu-Su)* pilus adhuc habet; *quod cum eo* comparetur; *adeoque magis rem declarat carmen aliud, quo dicitur:* Supremi Cœli res, nec sonum, nec odorem *habet: sed* summum *quid est, & omnia transcendens.*

CONFVCII VITA.

Cùm-fu-cù, sive Confucius, quem Sinenses uti Principem Philosophiæ suæ sequuntur & colunt, vulgari, vel domestico potius nomine Kieu dictus, cognomento Chúm-nhi, natalem habuit sedem in Regno Lù (quod Regnum in Provinciam deinde, quæ hodie Xan-tùm dicitur, redactum fuit) in pago Cēu-yé territorii Cnām-pim, quod ad civitatem Kio-féu pertinet; hæc autem civitas paret urbi Yèn-cheu dictæ. Natus est anno 21. Imperatoris Lím-úam; (fuit hic tertius & vigesimus è Familiá seu Domo Imperatoriá Cheu dictá) Anni nomen Kem-sio; secundo item & vigesimo anno Siam-cum Regis, qui ea tempestate Regnum Lu obtinebat; die 13. undecimæ Lunæ Kem-cù dictæ, sub horam noctis secundam, anno ante Christi ortum 551. Mater ei fuit Chim, è familia prænobili Yen oriunda; Pater Xo-leám-he, qui non solum primi ordinis Magistratu, quem gessit in Regno Sùm, sed generis quoque nobilitate fuit illustris. Stirpem quippe

duxit (uti Chronica Sinenſium teſtantur, & Tabula genealogica, quæ Prolegomenis ad Annales Sinicos inſeritur, perſpicue docet) ex vigeſimo ſeptimo ſive penultimo Imperatore Tí-yé dicto. Porro natus eſt Confucius Patri jam ſeptuagenario, quem adeo triennis infans mox amiſit; ſed Mater pupillo deinde ſuperſtes fuit per annos unum & viginti, conjuge in monte Tūm-fám Regni Lu ſepulto. Puer jam ſexennis, præmatura quadam maturitate, viro, quam puero ſimilior, cum æqualibus nunquam viſus eſt luſitare. Oblata edulia non ante delibabat, quam priſco ritu, qui Cu-tèu nuncupatur, Cœlo venerabundus obtuliſſet. Annorum quindecim adoleſcens totum ſe dedere cœpit Priſcorum-libris evolvendis, & rejectis iis, quæ minus utilia videbantur, optima quæque documenta ſelegit, primum expreſſurus ea ſuis ipſe moribus, deinde aliis quoque ad imitandum propoſiturus. Non multo poſt una cum Mem-ỳ-cù, & Nán-cūm-Kim-xo ad ritus civiles addiſcendos ſe contulit. Decimo nono, aut ut alii, 20. ætatis anno duxit uxorem, quæ unica illi fuit Kiēn-quōn-xi, ex qua ſequenti mox anno ſuſcepit filium Pe-yu; ſed hoc deinde jam quinquagenario, cum ipſe 69. annos natus eſſet, orbatus eſt, uxore tribus ante annis amiſſa. Haud quaquam tamen cum filio ſtirps omnis extincta eſt, ſed per nepotem Cù,ſu, (qui avitæ laudis, ac Philoſophiæ ſtudioſus Avi ſui Libros commentatus eſt, & magnis in Imperio muneribus perfunctus) perpetua poſterorum ſerie, cum non vulgari tam opulentia, quam dignitate ad hæc uſque tempora propagata eſt, nulli fortaſſe Familiarum, quas vel in Africa vel in Europa nobilitatis antiquitas commendat poſtponenda. Sic quidem affirmare non dubitavit P. Joannes Adamus Schall Soc. JESU Sacerdos, vir Sinicarum rerum peritus in primis, cum forte is, qui hac ætate Philoſophi nomen ac ſtirpem tuetur, eum Pekini viſendi gratia, nec ſine muneribus (qui mos eſt gentis) adiviſſet. Quod ſi meminerimus primam Confucianæ ſtirpis originem, ab antiquiſſimis peti Sinicæ Gentis Imperatoribus Chim-tām, Tù, Hoâm tí; hunc autem jam ante annos quatuor mille & amplius Sinis imperaviſſe, nullus utique de tanta nobilitate dubitandi locus nobis erit, ſi modo Sinarum Chronicis fidem, quam merentur, dare placuerit. Variis in locis Magiſtratum geſſit Philoſophus magna cum laude: curas vero hujuſmodi ac dignitates non alio fere ſtudio admittebat, quam publicæ utilitatis, & ſpe propagandæ doctrinæ ſuæ: qua quidem ſpe, ſi forte falli ſe videret, ultro ſcilicet Magiſtratu ſeſe abdicabat. Hujus rei cum alias ſæpe, tum vero 55 ætatis ſuæ anno illuſtre teſtimonium dedit. Cum enim in Regno Lù Mandarinum ageret (loquor hic more Luſitanorum, a quibus in hoc Oriente Mandarini vocantur, qui publicas res inter Sinas adminiſtrant) tanta legum obſervatio, rerumque & morum tam felix converſio trimeſtri ſpatio mox conſecuta eſt, ut jam vicini Reges, æmulique invidia metuque aliquo tenerentur, haud ignari, Respublicas non alia re felicius conſervari & creſcere, quam diſciplina legumque obſervatione. Finitimi ergo Regni, quod Çi dicebatur,

Rex

Rex atque Optimates tam præclaræ æmulorum gubernationi ſtructuri inſidias, donis eas, ut fit, tegunt: puellas forma, canendi gratia, aliisque dotibus præſtantes dono mittunt Regni Lù Regi. Rex ignarus inſidiarum doloſum munus admittit; capitur illico muliercularum gratia; capiuntur & Proceres ſic prorſus, ut ad trimeſtre totum, dum novis illis deliciis indulgeretur, negotia ceſſarint publica, & Regis adeundi via præcluſa fuerit. Non tulit hoc Confucius: renunciat muneri, relinquit Aulam, atque ad Regna Cigueï, & Cù ſpontaneus exul contendit: Verum nec hi bono, quod aliis inviderant, frui voluerunt. Non admittitur Philoſophus; qui adeo coactus petere Regnum Chin, hic ad extremam victus quoque penuriam redigitur. Nec multo poſt, dum Regnum Sùm peragrat, a quodam Huón-túi, præpotenti viro, ſed inſigniter improbo, non ſemel ad mortem conquiſitus eſt. Ipſe interim tot ærumnas inter atque diſcrimina ſui ſemper ſimilis, invicto ſemper animo, & pro cauſa tam bona vitam quoque ponere paratus, quamquam fretus ipſe recte factorum conſcientia præſidioque cœleſti, rurſum negabat, quemquam ſibi nocere poſſe, ſiquidem eſſet ea virtute inſtructus, qua ipſi Cœlo initeretur. Ardens atque indefeſſum ſtudium divulgandæ per totum Imperium ſanioris doctrinæ ad extremum uſque ſpiritum non remiſit; cumque viri ardor patriis finibus ægre contineretur, non ſemel de navigando mari, terrisque remotioribus adeundis cogitavit. Diſcipulos numeravit 3000. Ex his omnino quingentos extitiſſe memorant,

A *qui variis in Regnis Magiſtratum geſſerint; qui præ cæteris autem virtute literisque eminerent, duos & ſeptuaginta fuiſſe; quorum adeo nomina, cognomenta, & qua quisque patria ſit oriundus, memoriæ proditur. Quatuor doctrinæ ſuæ, ceu gradus, totidemque diſcipulorum ordines conſtituebat. Supremus ordo in excolendo virtutibus animo ponebat ſtudium; & in hoc quidem ordine primas ferebant Mîn-cù-kiên, Gèn-pe-nieû, Chúm-*

B *cùm, ac denique Yén-yuên, charus præ omnibus Magiſtro diſcipulus, cujus immaturum fumus (obiit quippe primo & trigeſimo ætatis anno) continenter lugebat. Proximus ordo ratiocinandi dicendique facultati dabat operam; hujus principes erant Cài-ngo, & Cù-cùm. Tertius agebat de Regimine politico, & probe gerendis muneribus publicis; excellebant hic Gèn-yèu, & Ki-lú. Quarti denique & poſtremi ordinis labor & occupatio*

C *hæc erat, ut, quæ ad mores ſpectabant, apto venuſtoque ſtylo declararent; quod duo Cù-yeu, & Cù-hia præcipua cum laude præſtabant. Atque hi quidem, inter duos & ſeptuaginta, decem erant ſolertiores diſcipuli, & flos Scholæ Confucianæ. Omne ſtudium ac doctrina Philoſophi eo collimabat inprimis, ut naturam ignorantiæ tenebris offuſam, vitiisque depravatam revocaret ad priſtinam lucem atque integritatem, cum qua a Cælo conditam fuiſſe aſſerebat; ex quo deinde clemens & æqua rerum adminiſtratio adeoque felix & maxime pacatus Imperii Status conſequeretur. Quo autem certius attingeretur hic ſcopus, volebat omnes Kimt'iên;*

Ńgai-gîn; Ké-kì; obſequi Cælo, ipſumque timere & colere; amare proximum ſicut ſeipſum; vincere ſe, atque appetitus ſuos ſubdere rationi, nec quidpiam agere, dicere, vel etiam cogitare, quod ab hac eſſet alienum. Porro quæ ſcripto verboque præcipiebat, primus ipſe moribus exprimebat ac vita: cujus rei teſtimonium ſatis luculentum præbere poteſt tantus tot illuſtrium Virorum numerus, qui in diſciplinam ejus ſe contulerunt, & quæcunque geſſit dixitque, quamvis minutiſſima, poſteritati prodidere. Ad hæc conſtans ille favor tot Principum, tantus tot ſeculorum honor (de quo mox agemus) argumento eſſe poteſt, virtutem ſane fuiſſe Philoſopho, non meram ſpeciem fucumque virtutis. Quid? quod noſtris temporibus haud defuerint e Literatorum ordine, qui vel amplexi jam Religionem Chriſtianam, vel hujus integritate ſanctitateque probe ſaltem perſpecta, non dubitanter affirmarunt, ſperari poſſe, Philoſophum ſuum, ſiquidem vixiſſet ætate noſtra, primum fuiſſe futurum, qui ad Chriſti legem tranſiiſſet. Certe quemadmodum ſectatores ejus tradunt, mira quædam fuit Viri gravitas, & corporis animique moderatio, fides, æquitas, lenitas ſingularis. Severus erat ac pervigil ſui ipſius obſervator ac cenſor; contemptor opum honorumque; hoc agens unum ſtudio prorſus indefeſſo, ut doctrinam ſuam quamplurimis mortalium impertiret. Quod autem in eo vel maxime ſuſpicimus Europæi, & in noſtratibus quidem priſcæ ætatis Philoſophis deſideramus, tanta fuit animi demiſſione Confucius, ut non ſolum de ſe ſuisque rebus admodum modeſte loqueretur, ſed ultro quoque & palam argueret ſeſe, quod nec in diſcendo (ut ajebat) eſſet impiger, nec conſtans in docendo, neque ea, qua par erat, vigilantia vitiorum ſuorum emendationi, & ſtudio virtutum exercitioque operam daret. Certiſſimum vero argumentum modeſti ſincerique animi tum dedit, cum palam ingenueque profeſſus eſt, doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed Priſcorum Sapientum, in primis Yáo, & Xún-Regum, qui ipſum mille quingentis eoque amplius annis anteceſſerant. Cum itaque non deeſſent, qui cum ſapientia natum eſſe opinarentur, adeoque & prædicarent, perægre id ferebat, & diſerte negabat ad gradum perfectæ conſummatæque virtutis aut ſanctitatis pervenire ſe poſſe; dicere identidem ſolitus, (ut a quibusdam Sinenſium traditur) Virum Sanctum in Occidente exiſtere, Sī-fañ-yèu-xîm-gîn: quod ipſe de quo, quove ſpiritu pronunciarit, in certum eſt. Hoc certum, anno poſt Chriſtum natum 66, Imperatorem Mîm-tí (fuit hic e Familiâ Hàn decimus ſeptimus) motum verbis Philoſophi, magis etiam oblata ſibi per ſomnum ſpecie Sancti ex Occidente Herois, cum ipſimet ire non eſſet integrum, miſiſſe Cai-cim, & Cîn-kim legatos ſuo nomine occaſum verſus, inibi veram legem & ſanctitatem quæſituros; qui quidem cum ad Inſulam quandam appuliſſent, quæ non procul diſtabat a Rubro mari, non auſi longius procedere, Idolum quoddam, & monſtrum hominis Fè dictum (qui quingentis circiter annis ante Confucium in India floruerat) nec non execrabilem ipſius legem in hoc Imperium & vicina circum Regna

gna retulerunt; felices æternumque de patria ſua bene merituri, ſi pro hac peſte ſalutarem Chriſti doctrinam, quam per eadem tempora Thomas Apoſtolus apud Indos propagabat, reportaſſent. Sed enim felicitas humana, & quæ hinc naſcebatur, ſuperbia Gentis opulentæ, potentis, & florentiſſimæ, veræ felicitati tunc, ut opinor, aditum obſtruxit. Sinenſes ergo, cum Idola jam magis magisque venerarentur, nec ſine exemplo quorundam Regum, qui prorſus impenſe novam ſuperſtitionem ſectati ſunt, paulatim ſcilicet diſceſſerunt a genuina Magiſtri ſiu doctrina, & præclaris inſtitutis Priſcorum; ac tandem in contemptum Religionis omnis verumque Atheiſmum ſunt prolapſi. In hunc porro literatos & acutiores quosque ceu manu duxit doctrina illius ipſius Fe, qui rudi vulgo idololatriæ magiſter extitit. Duplicem quippe perditiſſimus impoſtor iſte atque Atheorum Princeps doctrinam reliquit; alteram, qua rerum omnium principium finemque NIHIL eſſe docet; quam qui ſectantur, Athei ſunt, & arcanam atque interiorem vocant; alteram, quæ exterior dicitur, atque illius adumbratio quædam eſt, ad vulgi & rudiorum fere captum & ſuperſtitionem accommodata. De Confucio tamen dubitari non poteſt, quin ab hac, & illa peſte immunis fuerit: idolorum certe cultorem fuiſſe ne illi quidem, qui vitio temporis idola jam venerantur, affirmare auſint; ab Atheiſmo vero quam fuerit alienus non ipſe tantum, ſed priſca Sinarum ætas omnis, in Explanatione Libri CHVM YVM declaramus.

Migravit e vita Confucius anno ætatis 73, luna 4, Kì-cheù vulgo dicta, anni, cui Gin-ſio nomen, e ſexagenario Sinenſis æræ cyclo, & quaſi aureo Gentis numero, petitum. Erat hic annus primus & quadrageſimus Imperii Kim-uâm, vigeſimi quinti e Familia Chēu Imperatoris: quo etiam tempore Regulus Ngāi-cūm patrium Philoſophi Regnum, Lù dictum, annum jam 16 tum moderabatur. Paulo ante, quam morbo, qui ſupremus ei fuit, corriperetur, lugens ſuorum temporum perturbationem, hunc verſum cygnea voce concinere auditus eſt: PRÆGRANDIS MONS (doctrinam ſuam intelligebat) QVO DECIDISTI! TRABALIS MACHINA EVERSA EST: SAPIENTES, ET SANCTI EXARVERE. Mox inde languere incipiens, ſeptimo die ante mortem ad diſcipulos ſuos converſus: Superiori nocte, inquit, per ſomnium viſa mihi ſunt in Aula juſta fieri. Reges, quæ doceo, non obſervant. Ecquis horum per Imperium noſtrum inſtituti mei ſectator & cultor eſt? hoc unum ſupereſt, ut moriar. Hæc effatus lethargo corripitur, & cum totos ſeptem dies dormientis inſtar perſtitiſſet, tandem vivere deſiit. Sepultus eſt in Lu patrio Regno (domum quippe ſe cum diſcipulis ſuis contulerat) prope Civitatem Kìo-fèu, ad ripam fluminis Sù, in ipſa Academia ſua, in qua docere conſueverat, quæ hodie quidem muris, veluti Civitas, cincta cernitur. Luxerunt inibi Magiſtrum ſuum diſcipuli habitu lugubri, multaque cum inedia & lachrymis, non ſecus ac filii parentem; idque per annum totum; nec defuerunt qui ad annos omnino tres, Cù-cùm vero ſex ipſos annos, in eodem loco, luctuque perſtiterunt. Fuit ad-

admodum procero corpore Philosophus, & , si fas est Sinis credere , giganteo ; sed cui tamen lati humeri , pectusque amplum decorem conciliabat ac majestatem. In ipso vertice capitis grandiusculus ei tuber erat ; quare a Patre suo, Kieu, id est, Colliculus, cujus speciem aliquam præbebat tuber, nominatus est ; quo ipso nomine vir modestus identidem quoque utebatur. Facies ei lata , subfuscus oris color, oculi nigri ac prægrandes , capillus niger , barba promissa , nasus simus, vox gravis , ac tonitrui instar , ut Sinæ tradunt.

Porro quantum honoris per annos bis mille eoque amplius detulerit Magistro suo, ejusque lucubrationibus & grata Sinarum posteritas , pro me loquantur quotquot Imperio toto ad dignitates & munia publica præsidio literarum sunt evecti : qui omnes utique fatentur a Confucii inprimis Schola , & Libris , e quibus ad Gradum examinantur , opes , honores, & illustre sibi nomen obvenisse. Loquantur item singulis in Oppidis Vrbibusque erectæ Viro ac dicatæ Aulæ, ante quarum fores quotiescunque transeunt, qui e Literatorum ordine publicos gerunt Magistratus , protinus e sublimi augustaque sella, in qua more Gentis gestantur , venerabundi descendunt, & passus aliquot pedites viam suam prosequuntur. Loquantur denique tituli sane honorifici , qui in iis Aulis, quas modo dicebamus , cernuntur trabalibus auratisque literis exarati: MAGNO MAGISTRO, ILLVSTRI LITERARVM REGI, SANCTO , seu eximia quadam Sapientia ornato , aliisque similibus , quibus hunc Gentis suæ Doctorem Imperatorum Familiæ Hán , Sui , Tam, Sum , Yuen (fuit hæc Tartarorum occidentalium) & quæ hodiernam Tartarorum orientalium Cim proxime antecessit , Mim dicta , tantum non supra laudes humanas evexerunt. Quoniam tamen voce Xin , quæ Spiritum sonat , quamque posterior ætas multis suorum superstitiose tribuit , semper hic abstinuerunt Sinæ, hodieque abstinent, (quatenus saltem vox hæc Numen aliquod , vel Idolum significat: titulus quippe Xin-güei, vel huic similis, funebribus tabellis inscribi solitus, & defunctis omnibus communis , superstitione caret) satis utique declarat, non alio ritu , quam prisco Majorum suorum , qui ab idololatria fuerunt alieni , coli nunc quoque Magistrum suum ; maxime cum , præter hosce titulos & ipsum nomen tabulæ inscriptum , nulla plerumque statua cernatur inibi , imago nulla. Vna tamen extat imago Philosophi , vivæ ac spiranti non modo similis , sed re ipsa spirans ac viva ; Nepos ille videlicet, cujus ante jam meminimus, quem adeo propter Avi , quamvis intervallo bis mille annorum, & plusquam sexaginta generationibus jam remoti memoriam , summi pariter infimique colunt , sic prorsus , ut eum Xunchi , Monarchiæ Sino - Tartaricæ Fundator , cum Aulam de more adiisset , perhonorifice exceperit , & familiariter quoque cum eodem agere observatus fuerit. Gaudet ipse perpetua & hæreditaria Mandarinorum dignitate ; raro item privilegio , neque ullis , præterquam Regii sanguinis Principibus , concesso , ut Imperatori nullum vectigal pendat. Adhæc

hæc quotquot ſingulis trienniis ad Doctoris Gradum evehuntur, pigmus aliquod grati animi, & quaſi Minerval, quod Avo non poſſunt, Nepoti perſolvere conſueverunt. Quod autem merito laudemus ac ſuſpiciamus etiam nos Europæi, cum China fortunæ varietatem ſane magnam ſit experta, cumque tot bellorum caſus & calamitates ſubierit, tot ortus viderit interitusque Familiarum, penes quas erat rerum ſumma, nunquam tamen honores, quos memoravi, gratæque poſteritatis erga Confucium monumenta ſunt interrupta; ſi tamen paucos annos exceperimus, quibus tertio poſt ſeculo, quam Philoſophus obiit, Cin-xi-hoam, ſecundus e Familia Cin Imperator, non in Libros tantum, ſed etiam Literatos barbare crudeliterque ſæviit. Cæterum cum hujus morte literæ mox revixerunt, & iis honorum incrementis, quæ ſub Tartaris quoque ſpectamus hodie, Confucii quoque nomen & fama crevit.

Intelliget ex his omnibus prudens Lector, quam non inutilis futura ſit Evangelico Præconi Viri hujus autoritas, ſiquidem ea apud hanc Gentem, quæ Magiſtri ſui & literarum ſuarum uſque adeo ſtudioſa eſt, uti quandoque poſſit (& vero poteſt) ad Chriſtianam Veritatem confirmandam; quemadmodum videmus, Apoſtolum Paulum Poetæ Græci autoritate olim apud Athenienſes fuiſſe uſum. Vnum tamen hic ſolicite cavendum nobis erit, poſito ſemper ante oculos eorum Patrum exemplo, qui Miſſionem hanc cum ſingulari virtute prudentiaque fundatam nobis reliquere, ut apud Sinas admodum moderate commendemus ac laudemus Confucium, ne teſtimonio noſtro atque autoritate æſtimatio hominis, doctrinæque ejus, quæ juſto prope major eſt, immodice prorſus augeſcat; maxime apud Gentem natura ſane ſuperbam, & aliena fere præ ſuis contemnentem. Multo magis tamen cavendum nobis erit, ne verbo ſcriptove damnemus aut lædamus eum, quem tota Gens tantopere ſuſpicit ac veneratur, ne huic odioſi reddamur non nos ipſi tantum, ſed ipſemet, quem prædicamus, Chriſtus; &, dum forte contemnimus aut condemnamus eum, qui tam conſentanea rationi docuit, quique vitam ac mores cum doctrina ſua conformare ſemper ſtuduit, videamur nos Europæi, Sinis ſaltem, non tam cum Magiſtro ipſorum, quam cum ratione ipſa pugnare velle, & hujus lumen, non autem Confucii nomen extinguere.

Hucuſque SINARVM SCIENTIA POLITICO-MORALIS, una cum CONFVCII VITA, uti ea ex ipſis antiquis Sinicis monumentis deſumpta, & jam memoratæ *Scientiæ Politico-morali* ſubjuncta eſt. Cæterum quamvis ego in præſens rebus Sinicis non poſſim diutius immorari, ſed iis, qui plura de his ſcire deſiderant, *R. P. Athanaſii Kircheri S. J. Chinam Illuſtratam & Theophili Spizelii Commentarium de Re Literaria Sinenſium* præcipue commendem, hoc unum tamen, priusquam ad alia pergam, corollarii inſtar addo, inter cæteros raros Libros Sinicos, qui poſt annum 1672 S. CÆS. MAJESTATI ex Regno Sinarum uſque ad hunc diem transmiſſi ſunt, multas ob cauſas lectu digniſſimum inprimis eſſe eum, quo continentur *Acta Judicialia accuſationis & abſolutionis*

Præconum Religionis Chriſtianæ Catholicæ in Regno Sinenſi A.C. 1669, 1670 & 1671. Cum igitur is non nimium prolixus ſit, & vel ſola novitate Lectori jucundus fore videatur, integrum eum quam fideliſſime hic A publico, ſed *latine* tantum, & absque *Sinicis Characteribus*, qui in authentico Exemplari, in *Quàm-chēu* Metropoli Provinciæ *Quàm-tum* A. C. 1671 impreſſo, cum *pronunciatione latina* e regione adjuncti ſunt.

INNOCENTIA VICTRIX,
SIVE,
SENTENTIA COMITIORVM
IMPERII SINICI
PRO
INNOCENTIA
CHRISTIANÆ RELIGIONIS, LATA JVRIDICE PER ANNVM M DC LXIX, ET JVSSV R. P. ANTONII DE GOVVEA, SOCIETATIS JESV IBIDEM
VICE-PROVINCIALIS,
SINICO-LATINE EXPOSITA
IN QVAM-CHEV, METROPOLI PROVINCIÆ QVAM-TVM IN REGNO SINARVM, ANNO SALVTIS HVMANÆ M DC LXXI.

PSALM. XCVII:
IN CONSPECTV GENTIVM
REVELAVIT
JVSTITIAM SVAM.

FACVLTAS
R. P. Vice-Provincialis.

Opuſculum Sinico-Latinum, cui titulus INNOCENTIA VICTRIX, quod exaratum fuit, ut conſtaret liquidius ac magis autentice veritas eorum, quæ de Sinica perſecutione vulgata ſunt per Europam variorum literis atque ſermonibus; cum jam recognitum fuerit atque approbatum a quatuor Societatis noſtræ Sinicæque Miſſionis Patribus, Ego infraſcriptus poteſtate mihi facta ab Adm. R. P. N. Joanne Paulo Oliva, Societatis ejusdem Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis excuda- B *tur. In quorum fidem has manu mea ſignatas, & ſigillo officii mei munitas dedi. In Quàm-chēu metropoli Provinciæ Quàm-tum, die 28 Decembris Anni 1670*

Antonius de Gouuea.

Accuſaverat Evangelicos Præcones in China livor & impietas Ethnicorum de ignorantia artis Aſtronomicæ, de meditata perduellione, de falſitate Religionis ac pravitate. Verum pugnante pro ſuis illo, qui ipſa eſt Veritas; Cœlum quidem, experimentaque cœleſtia, erroris & ignorantiæ convicerunt æmulos: ſuſpicionem perduellionis communis ubique

Neo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Neophytorum quies, innocentia, patientiaque diſpulit: calumniam falſæ pravæque Religionis Chriſtiana tam Veritas quam Sanctitas oppreſſit: pœnas interim ſeveriſſimas de perverſis impiisque tum calumniatoribus, tum etiam Judicibus exigente DEO, Teſte, Judice, & Vltore; ac tandem INNOCENTIAM & æquitatem cauſæ ſuæ per illos ipſos, a quibus damnata quondam fuerat, eo, quo ſubjicimus, ordine, & modo, mirabiliter declarante, & in conſpectu Sinarum revelante Juſtitiam ſuam.

Multa quidem peccaverant quatuor Proceres natione Tartari, a quibus, Imperatore etiamnum puero, Sinica res adminiſtrata fuerat vicaria cum poteſtate. Veruntamen haud alia re ulla peccaverant gravius, quam quod innocentiſſimam Chriſti Legem, uti ſeditioſam pravamque damnaverant. Neque tulit injuriam Innocentiæ Vindex DEVS. Vnum ex ipſis (Soni vulgo nominabatur) mors, morbum conſecuta, humano quidem eripuit judicio ſupplicioque; at non Divino. Alterum, Sucama nomine, ipſemet Imperator, ſimul atque ſuſcepit Imperium Anno 1667 tota cum ſtirpe juſſit interfici. Reliqui duo per anni ſpatium non impuniti modo perſtiterunt, ſed in gratia quoque ipſius Principis; cujus adoleſcentia indigere adhuc videbatur conſilio ipſorum; quoad tandem Anno Chriſti 1669 is, cui Patrocum, nec non Ngao-Pai nomen erat, conſcientia meritorum ſuorum (quæ utique non fuerant mediocria in Familiam hanc Imperatoriam Tartarorum) tumidus atque inſolens, jamque non autoritatem modo Regiam, ſed etiam poteſtatem viſus affectare, idemque hoſtis acer & acerbus Chriſtianæ Religionis, cecidit tandem aliquando; reusque agitatæ defectionis, alios complures, qui ipſo nitebantur, nec non Collegam ſuum Erpicum nomine in eandem ſecum (minus tamen atrocem) ſuſpicionem traxit ac ruinam.

Edictum protinus, ut, quicunque damni quidpiam ab alterutro paſſi fuerant, oblatis de more Libellis, id exponerent Imperatori. Plurimum paſſa fuerat Chriſtiana res. Hujus ergo cauſam ſuſcipiunt tres e Societate JESV Sacerdotes, Ludovicus, Gabriel, Ferdinandus; qui, deſtinato plane conſilio Numinis, juſſi fuerant in Aula perſiſtere, reliquis omnibus Divinæ Legis Præconibus numero viginti quinque in extremam Provinciarum Auſtralium ablegatis. Commodiſſime etiam paucis ante menſibus acciderat, ut peritia ſingularis rei Aſtronomicæ, qua pollebat Ferdinandus, eam denuo portam reſeraret Evangelio, quam cum olim aperuiſſet induſtria Societatis JESV, Sinarum deinde ſuperbia, invidiaque Mahometanorum occluſerat: ſed nunc, demonſtratis Sole prope ipſo clarius & horum & illorum erroribus, emerſerat quodammodo velut ex eclipſi ſua annorum circiter quatuor Aſtronomia Europæa, priſtinoque uſui & dignitati reſtituta, plurimorum ſtudiis ac ſermonibus, maxime quidem Tartarorum, celebrabatur; erantque jam iſto nomine non modo Ferdinandus, ſed etiam duo Socii perquam gratioſi apud ipſum Imperatorem: cui adeo non per Libellum ſupplicem, ſed (quod rariſſimæ felicitatis eſt) coram & per ſe exponunt omnia, occaſionem prorſus inſperatam tantæ rei offerente DEO.

Et ſpem quidem ſucceſſus optati audientis attentio benignitasque fece-

rat. Ea tamen haud contenti, exacto deinde biduo, Regulis, sive Principibus Stirpis Regiæ, quibus suscipiendorum libellorum datum erat munus, de scripto quoque declarant acceptas in re Christiana injurias atque damna.

Libellus supplex.

Offerunt Libellum supplicem Ludovicus Buglius, Gabriel Magellanius, Ferdinandus Verbiest. Causa supplicandi multiplex: fraus inprimis, qua circumventus Princeps; & violentia, qua præcipitati in interitum innocentes, communi cum indignatione & offensâ tam Superum quam mortalium. Obtestamur itaque Majestatem Regiam, ut extinguat quidquid etiammum latet nequitiæ confœderatæ; & sic palam faciat Mundo causam innocentiamque Joannis Adami Schall, vita licet jam defuncti. Hoc igitur cum dolore gemituque nos tres dicimus, annum jam agi quadragesimum octavum, quod popularis ille noster & longinquus advena Joannes Adamus pervenit ab Occidente in hanc Aulam, & imperante etiam tum Familia superiore Mim, protinus ex mandato Regio curam suscepit rei Astronomicæ: deinde vero beneficio singulari novæ hujus Familiæ (Tartaricæ), novo jussus diplomate perseverare in illo munere, constanter annos viginti & amplius, nemine omnium vel adversante, vel obtrectante, motus cœlestes, annuasque vicissitudines accurate supputatas, rite quotannis vulgavit per Imperium; quoad (prob dolor!) tandem incidit in insidias ac manus improbi veteratoris Yám-quam-siēn: qui quidem homo imperante Familia Mim, jussu regio cæsus fustibus, jam pœnas semel dederat accusationis absque justo fundamento, & cum pervicacia institutæ; & tamen idem nunc rursus tyrannica fretus autoritate (unius maxime Patrocum) haud dubitavit erroris arguere Astronomiam Europæam, eamque regulam, quam præcedens Imperator ab annis decem & amplius stabiliverat, temere criminari: quoad indictis nuper Comitiis (in rem nostram sane feliciter) jussi sunt Principes primi & secundi Ordinis, nec non Regiorum tribunalium Præsides & Assessores examinare denuo novam illam methodum; quæ & approbata tunc fuit summo consensu omnium, ipseque mox Ferdinandus, jussu beneficioque Regio, Astronomicæ rei curam denuo suscepit; nec fas deinde cuiquam fuit movere amplius hanc controversiam.

Sola nunc supereſt declaranda similiter Lex atque Religio Domini Cœlorum, de quo pervetustus ille Codex vester ait: SVPREMVS EST ET MAXIMVS IMPERATOR, SCILICET QVI DESCENDENS IN HÆC INFERIORA, TREMENDAM SVAM MAJESTATEM MANIFESTAT; estque ipse Conditor omnium rerum ac Dominus. In Occidente quidem nostro servant ipsius Legem triginta & amplius tum Regna tum Satrapiæ, unius omnes Familiæ adinstar; idque jam per annos mille ac trecentos, nec secus ac si foret dies una: ex quo etiam potest intelligi Legis ejusdem tam antiquitas, quam amplitudo. Quid? quod, imperante Ván-lie Rege, jam existebat in hac Chi-

China; ſuntque adeo jam anni octoginta & amplius, quod eam Doctor Europæus Matthæus Riccius, fixo hic domicilio, ſcripto verboque vulgavit. Summa porro Chriſtianæ Legis hæc eſt, ut veneremur Cœleſte Numen, ac diligamus proximum: nec alio fere ſpectant, quæ docet præterea, quam ut nos vincamus ipſi, & impleamus naturæ noſtræ leges omnes, fidei inprimis erga Regem, obedientiæ obſervantiæque erga majores; moderationis item modeſtiæque; quæ omnia præcipua ſunt illius capita. Et talis quidem inter ipſa ſtatim principia paſſim hic audiebat Lex noſtra: quam adeo tum Nobilitas, tum etiam Magiſtratus habebant charam & in pretio. (Xún-chi) certe, conditor Familiæ hujus Imperatoriæ, adivit ſæpenumero ædes noſtras ac templum; & in hujus quidem atrio juſſit ipſe de cenſu Regio marmoreum erigi monumentum ſuæ erga nos benevolentiæ: aliud item præfigi voluit ipſis foribus, quo ædes ipſas more Gentis celebrabat, nimirum: SEDES ILLVSTRIS PENETRANTIS ARCANA. Ipſum denique Adamum honoravit novo hoc cognomento: PRÆSTANTIS ET ARCANÆ LEGIS DOCTOR. Quod ſi Religio Chriſtiana perverſa eſt ac falſa; quomodo virtus illa ac ſapientia memorati Imperatoris non eam ſevere omnibus interdixit? Et nunc tamen propter ea, quæ Yám-quam-siēn confinxit, concremati fuerunt Libri Divinæ Legis, ædesque deſtructæ. Quin & idem præterea Yám-quam-siēn reum egit Joannem Adamum meditatæ perduellionis: atqui nos, cæterique ſociorum, tam remotis e Regnis advenæ, & qui terra marique poſuimus annos omnino tres in hoc itinere ſtadiorum nonagenies mille, & amplius; nos, inquam, qui nunc in China degimus homines duntaxat viginti & aliquot, nati quidem in Occidente, ſed viventes ac morientes in hoc Oriente, quibus tandem alis inſtructi ſumus, quibus, obſecro, ſubſidiis ad ſuſcipienda perduellionis conſilia, & occupandum armis ſcilicet hoc Imperium? Et tamen os illud tortuoſum, ſubdolæque confictiones, tantum effecerunt, ut innocentes iſti advenæ viginti & aliquot ablegati ſint in Provinciam Cantonienſem; ubi etiamnum hærent miſeri vinctorum inſtar, & nec progredi ſinuntur nec regredi; cumque nullum crimen admiſerint, quod bonorum publicationem mereatur, ædes tamen ipſorum traditæ ſint aliis incolendæ: loca ſepulturæ deſtinata alii invaſerunt; quo magis etiam urgemur nos tres clara voce conqueri de tanta iniquitate. Cumque jam tyrannis illa Patrocum tandem protracta ſit in lucem, & inſignis iſta inſolentia Solis inſtar jam pateſcat, obſecramus Majeſtatem Regiam, ut demittat ſe ſe, ac diſcooperiat hos, qui etiamnum latitant, dolos, riteque examinet ac declaret cauſam iſtam: ut, ſic patefacta defuncti jam Miniſtri innocentia, deprædicet is ipſe beneficentiam Regis ſui, quam vivus mortuusque ſenſerit. Offerebant hunc Libellum anno octavo Cām-Hī Imperatoris, Lunæ quintæ die quinto, Salutis humanæ 1669, 21 Junii.

Exceperunt eum Reguli cum inuſitata quadam ſignificatione voluntatis erga nos ſuæ; quamvis id haudquaquam tunc probaretur Concilii Rituum

Præsidi, quippe hosti capitali Christiani nominis; quo etiam acerbius ipsum deinde usserit, opinor, quod eundem Libellum jussus ipsemet e Sinico reddere Tartaricum, referri viderit inter alios primi ordinis ac primo loco recitandos Imperatori. Recitatus est igitur, & quidem ab eo, qui nunc Colaos inter est primus, idemque patruus Imperatricis. Verum perspecta jam dudum erat Principi causa nostra, & causæ æquitas: placuit ipsi nihilominus (quo perennius, credo, esset firmiusque beneficium suum) referri de postulatis nostris ad Concilium, quod modo dixi, Rituum. Est illud inter sex majora Concilia Regia ordine tertium, propriumque illius munus de rebus ad Religionem spectantibus sententiam dicere. Cæterum nunquam adhuc favere visum est rei Christianæ; postremis vero hisce temporibus adversari damnoque esse persæpe. Cujus rei egregie conscii tres Patres, ubi delatam eo causam cognoverunt, angi animo atque æstuare scilicet: nec mora; is cui Ferdinando nomen, adit rursus Imperatorem; rogat cum lachrymis, & obtestatur, ad aliud Tribunal causam traduci ut jubeat. Annuit: jubet traduci. Sed enim favorem benigni Principis celeritas inimicorum jam anteverterat. Prodit illico responsum, quo homines impii ipsam illam sententiam, quæ ante annos quatuor inique lata fuerat, tuentur & confirmant iniquius.

Responsum Concilii Rituum ad postulata trium Patrum.

Præses Concilii Rituum cum suis Assessoribus cæterisque Consiliariis Libellum offert, quo exquirit reverenter voluntatem Suæ Majestatis. Ego Subditus ac Minister Regius, cæterique Administri, institutа communi consultatione, comperimus, secundum ea, quæ referuntur in Libello supplice Ludovici Buglii, Gabrielis Magellanii, Ferdinandi Verbiest, quod Lex & Religio Domini Cœli jam existebat in China temporibus Vánliē, qui fuit superioris Familiæ Mím (sive Taimingæ) Imperator: jamque adeo effluxisse annos octoginta & amplius, quod Europæus Doctor Matthæus Riccius pervenit in hunc Orientem, fixoque hic domicilio, vulgare cæpit doctrinam suam; quam & scripto verboque declaravit. Summam porro Christianæ Legis hanc esse: Venerari Cœleste Numen, ac diligere proximum, nec alio fere spectare, quæ Lex ista præterea doceat, quam ut vincamus nos ipsi, & impleamus naturæ nostræ leges omnes, fidei inprimis erga Regem, & obedientiæ observantiæque erga Majores; nec non modestiæ & moderationis. Nos interim, facta disquisitione, rursum comperimus, quod anno decimo tertio Xún-chi, Imperatoris proxime defuncti, Luna undecima, exceperimus venerabundi Edictum Regium, quo præcipiebat is huic Rituum Concilio hisce verbis: Ego ut administrem recte hoc Imperium, debeo ante omnia necessario dirigere probeque instituere subditorum meorum corda; adeoque rejicere doctrinas omnes artesque pravas ac perversas. Et tres quidem Sectæ, una Literatorum scilicet, ac duæ quæ suo quæque ritu idola colunt, si pariter considerentur, omnes hoc efficiunt, ut agant homines, quæ bona sunt; abjiciant, quæ mala; ut avertant sese

ab

ab eo, quod pravum est, & ad id, quod est rectum, convertant. Verum dantur præter istas aliæ quædam Sectæ aberrantes ac sinistræ, quæ confundunt imperitam multitudinem; quæ sociant inter sèse homines improbos; noctu congregantur, disperguntur orta luce. Ex harum sectatoribus, ii, qui tenuiores sunt, nummis fere inhiant, ac turpitudini dedunt sèse; qui vero potentiores sunt, prorsus abjiciunt obedientiam Regi debitam, & clanculum machinantur defectiones. Porro adhibui ego sæpenumero severa quædam remedia: nondum tamen (utique præter meam opinionem) penitus extingui potuerunt reliquiæ istius mali. Totum hoc revera oritur ex eo, quod dentur in ipsa Aula sectatores quidam, qui cum assistant Imperatori, patrocinantur interim illis hominibus, qui specioso utentes nomine religiosarum supplicationum & oblationum, multa interim perpetrant temere & inverecunde, viris pariter ac fœminis parum honeste concurrentibus; &c.

Nos igitur voluntati Regiæ tam disertæ reverenter morem gerentes, vulgavimus tunc severam interdictionem; exstatque Processus totius rei in Archivio nostro.

Præterea Fundator hujus novæ Dominationis, Imperator (defunctus) honoravit Joannem Adamum elogio marmori insculpto. Elogii pars una sic habebat: Ego dum lustro septa mea venatoria, sita ad meridionalem plagam Regiæ nostræ, forte transivi per Templum quoddam, in quo vidi

A *Spiritus cujusdam venerandam effigiem, similem hominibus illius Regni (1); forma quoque Templi & supellex, & ornamenta respondebant normæ illius Regni. Libri denique mensæ impositi dicebantur agere de rebus, quæ spectant ad Legem Domini Cœli. Joannes autem Adamus, qui ante decades aliquot annorum in Chinam est ingressus, præclare servat Legem istam, servitque dicto Spiritui (cui etiam exstruxit novum istud Templum) non sine laude insignis observantiæ, integritatis innocentiæque.*
B *Plane vir est egregia vitæ morumque constantia: adhæc vere impiger ac sedulus; & denique vir prorsus eminens; aliaque ibi dicuntur ejusdem fere sententiæ.*

Dicimus præterea Ferdinandum Verbiest, ac Socios ipsius, prout ipsimet, quondam juridice interrogati, professi sunt, admittere in Legem suam mares æque ac fœminas, quo etiam tempore utentes aqua pura abluunt ipsis frontem, & sic remittunt
C *eorundem peccata. Ad hæc quotiescunque seu viri seu fœminæ ex iis, qui jam susceperunt Legem, quodpiam delictum commiserunt, ipsos tunc loco DEI solvere illud ac remittere; quotquot item ægrotant cum periculo, inungere illis oleo sacro organa quinque sensuum, & DEVM tunc procul dubio miseratum illos, ignoscere peccata. Cæterum iidem isti Christiani non cremant papyrum avis suis ac majoribus vita functis (2); quod est utique non observare legem honorandorum parentum. Nec est interim quidpiam, ex*

quo

(1) *Scilicet Europæi; estque sermo de picta Christi Salvatoris imagine.*

(2) *Ridicula superstitio est, qua ii maxime, qui Bonzios audiunt, fabulasque Pythagoricas, opitulari conantur suorum manibus apud inferos detentis.*

quo dilucide pateſcat vel ſolutio peccatorum, vel opitulatio, vel alia quæpiam utilitas iſtius Legis, ſed pertinet ipſa ad ſectas a tribus ſupra memoratis diverſas. Non eſt igitur vera lex, Lex Chriſtiana, neque expedit eam admitti.

Ad id vero quod præterea in Libello ſuo prædicant tres Europæi homines, crematos fuiſſe Libros ſuos; ædium ſuarum alias fuiſſe deſtructas; alias vero traditas certis hominibus, qui incolerent: loca item ſepulturæ ſuæ deſtinata, ab aliis fuiſſe occupata, &c; reſpondemus, Libros quidem qui tractant de Religione Europæa; item ærea nummiſmata; tabulas item Libelli de propagatione Religionis ejusdem noviſſime excuſi: hæc, inquam, omnia, tanquam res proprias Chriſtianæ Religionis, jam tum fuiſſe concrematas; Templum quoque ipſorum ac domicilium, quod ad plagam Occidentalem Regiæ Pekinenſis ſitum eſt, ex mandato Regio (1) tradita fuiſſe duobus ſummis Præſidibus (2) Collegii Aſtronomici: alterum vero eorundem Templum ſitum ad plagam Orientalem ejusdem Regiæ, conceſſum fuiſſe Adamo, Ludovico, Gabrieli, Ferdinando incolendum: tertium denique Templum ſitum extra portam Feù-chím dictam, traditum fuiſſe Concilio Regio operarum publicarum, a quo & vemundatum eſt; emptor vero demolitus eſt illud in uſum ſuum. Alia interim Templa extra Pekinenſem Provinciam ſita, nos, obtemperantes mandato item Regio, nondum deſtruximus; ſed habitari juſſimus ab aliis. Loca tamen deſtinata ſepulturæ ipſorum, nondum cuiquam attribuimus; ſed ipſis relicta ſunt. Præterea quod attinet ad titulum favore Regio præfixum foribus, SEDES ILLVSTRIS PENETRANTIS ARCANA, ſimul cum altero titulo, qui ſimiliter collatus fuit ipſimet Joanni Adamo, ſcilicet, PRÆSTANTIS ET ARCANÆ LEGIS DOCTOR, uterque hic titulus ideo collatus ei fuit a Fundatore novæ Dominationis, quia callebat ipſe Aſtronomiam; non autem ut commendaret vel illuſtraret ipſius Religionem; quin imo propter ipſam illam cauſam, quod exerceret Joannes Adamus, ac propagaret Chriſtianam Religionem; idcirco privatus fuit ſua dignitate, & traditus Criminum Tribunali, ut caſtigaretur (3); dum autem deliberatur de ſupplicio, nos interim titulos modo dictos eradi juſſimus.

De reliquis interim hominibus Europæis numero ſupra viginti, cum vereremur, ne, ſi relinquerentur hic, demùo vulgarent pravam Legem & doctrinam ſuam; nos, conſulta prius Majeſtate Regia, ablegavimus illos in Provinciam Cantonienſem (4).

Ad extremum quod attinet ad tres illos Miniſtros Regios, Tùm-que-ki (5), Doctores item Hiù-cum-çem, Hiù-chī-çien, aliosque; hos omnes propter collatas pecunias in exſtruenda Templa; vel quia ſuſceperant Le-

(1) *Quatuor ſcilicet dictorum Procerum, tunc vices gerentium Imperatoris pueri.*

(2) *Tartaro & Sinæ.*

(3) *Veritatem hanc ex inimicis noſtris audiat Europa, cauſamque perſecutionis tam glorioſam gratuletur nobis, qui utique gloriari novimus etiam inter Sinas in Cruce Domini noſtri JESV Chriſti.*

(4) *Invidenda ſors noſtra! exilium ter felix! tametſi decennale fiat, quod jam nunc eſt quinquennale, quando talis fuit exulandi cauſa.*

(5) *Hic tribus in Provinciis, quas Prorex adminiſtraverat, impenſe faverat rei Chriſtianæ, ſumptusque fecerat in exſtruendas Ædes ſacras.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Legem ipſam; vel propter conſcriptum Proœmium Libelli ſupra dicti de propagatione Religionis Chriſtianæ; reos eſſe tunc judicavimus, adeoque privandos dignitate publica. Neque eſt quod res iſtæ vocentur jam amplius in deliberationem: quippe poſt examen accuratum latæ fuerunt ſententiæ; exſtatque proceſſus rei totius in Archivio noſtro. Cæterum par erat a nobis ſimul omnia ſic exponi, & exquiri ſententiam Majeſtatis Tuæ.

Hæc illi, multa nequidquam cogitantes conſilia, quæ nunquam ſtabilire potuerunt. Protinus enim cognovit vel Imperator ipſe, vel certe privatum ipſius ac ſupremum Concilium (quod ex Colais fere conſtat) non alio tendere ambages tam ſubdolas iſtorum Judicum, & narrationes nomini Chriſtiano tam invidioſas, quam ut tenebras offunderent animo Principis adoleſcentis, & inani quadam ſpecie æquitatis, iniquitatem maximam ſuperiorum temporum ac judiciorum offuſcarent: parum interim memores, peccari ab ſe hoc pacto non ſolum adverſus eum, qui nunc imperat, ſed etiam adverſus Xunchium ejusdem Patrem, & Fundatorem Tartaricæ Dominationis, dum ſic perſeverant reos agere doctrinæ falſæ perverſæque homines illos, e quibus alterum Filius, tanta cum ſignificatione honoris ac benevolentiæ, rei Aſtronomicæ rurſum præfecerat; alterum Pater ipſe tam raris celebrarat encomiis, üsque non ab una petitis Aſtronomia, ſed multo etiam magis, ab obſervantia cultus religioſi, ab eximia vitæ morumque conſtantia, innocentia, integritate; a præſtantia denique ipſiusmet Divinæ Legis, quam vox illa Kiáo citra controverſiam ſignificat iſto loco, uti Su vox altera Magiſtrum ſeu Doctorem, quæ adeo Legis auditores atque diſcipulos ei ſimiliter permiſiſſe dici debet: quam denique Legem, ut alia defuiſſent omnia, ſolæ ſeptem voces Regio præfixæ monumento Elogii ſupra memorati: yú-chi t'iēn chù t'ám poi-ki; id eſt: MONVMENTVM INCISVM MARMORI AVTORITATE REGIA PRO TEMPLO DOMINI COELORVM; ſatis ſuperque & tueri debuerant & commendare: cæcis interim hominibus impiisque nihil prorſus afferentibus, quo probarent innocentiſſimæ Legis pravitatem, præter neglectum ſuperſtitionis unius, quam ipſamet Literatorum Sinenſium Schola diſertis verbis ĉo ſiáo, hoc eſt, ridiculam & inanem, vocat. Sic ut miranda plane fuerit cæcitas iſta hominum vere pertinacium, & eo quidem magis miranda, quod ſuis ipſi oculis jam pœnas viderant juſtiſſimas, quas dederant (dederant autem non iſto quidem rei nomine; vere tamen & illo rei, & occulto juſtoque judicio DEI vindicantis) omnes illi, qui tribus ante annis in utroque Concilio, & Rituum & Criminum, cauſam rei Chriſtianæ tam inique violenteque tractaverant; omnes ſcilicet præter unum, qui nunc Præſes erat, ſpoliati ſua dignitate; ſuccedentibus in eorum locum biſce, qui, uti nunc videmus, & errare cum prioribus, & pugnare ſecum ipſi perſeverabant. Cæterum Imperator multo plus tribuens æquitati cauſæ noſtræ, & Ferdinandi lachrymis, quam patronis impiis tot calumniarum, & Judicii tam perverſi, jubet ſine mora transferri cauſam totam a tribunali Rituum ad Comitia ipſius Imperii; quæ dum verbis edicit, ſane

ſane gravibus ordiri voluit (utique de induſtria) ab illo nomine, quod Conſiliarii illi conſulto malitioſeque præterierant, veteratoris ſcilicet Yám-quam-siēn, qui quidem dux & adminiſter fuerat totius fraudis ac ſceleris.

Mandatum Imperatoris, quo cauſa noſtra Comitiis Imperii traditur examinanda.

SUperioribus menſibus jam ſemel ſimilibus in Comitiis judicatus fuit Yám-quam-siēn reus eſſe gravioris criminis (1), propter accuſationem, quam inſtruxerat quondam contra Joannem Adamum: qua quidem accuſatione & proceſſu judiciali homines item aliquot (2) damnati fuerunt capitis, aliique aliis addicti pœnis. Verum cum nunc aperte dicatur, quod crimen & condemnatio Joannis Adami ex inimicitia calumniaque proceſſerit, quomodo fas ſit non examinare dilucide, num ita res habeat nec ne? Quocirca præcipio Principi Comitiorum Præſidi, aliisque Principibus ac Primoribus Stirpis Regiæ, item Præſulibus (3) Conciliorum noſtrorum, nec non Cenſoribus Imperii noſtri, ut coacto rite cœtu examinent demuo accurate ſingula; ac deinde faciant me de omnibus certiorem. Hactenus Imperator.

Omnino ſexies coactus eſt cœtus iſte graviſſimus, nec niſi ob res admodum graves ſolitus indici. Tres Societatis JESV Sacerdotes ter adeſſe juſſi; & in ſecundis quidem Comitiis cum impio Yám-quam-siēn, præcipuo perſecutionis adminiſtro, pugnatum fuit acerrime: perduellionis ſimul ac falſæ Religionis infame crimen, cujus ille nos reos agere perſeverabat, egregie dilutum; ſic prorſus, ut, cum indignabundi Principes ac Primores Tartari calumniatorem tam gravem ſine mora vinciendum eſſe judicarent, Judices autem Sinæ hic diſſentirent, conſulto per internuncios Imperatore, & aſſentiente Tartaris, in ipſo ſtatim veſtigio conſpectuque omnium catenis vinciretur. Confecta res erat, niſi fraus interceſſiſſet; cum enim Comitia, quæ proxime ſecuta ſunt, multa præclare ſtatuiſſent in rem noſtram, memoratus ille Præſes Concilii Rituum, a nobis & a Chriſto alieni, alieniſſimus & ipſe, dum acta Comitiorum deſcribit Imperatori recitanda, voculæ unius fraudulenta commutatione evertit rem noſtram. Sed Imperator fraudem, credo, ſubodoratus, (Præſes certe quidem non multo poſt dignitate ſua privatus eſt) iterum jubet, iterumque haberi Comitia, & quæ minus declarata videbantur, rurſum diſcuti. Prioribus iterum adſtitere Patres, & pro libertate innocentiaque Chriſtiana fortiſſime dimicaverunt: quo autem ſucceſſu, patebit ex ſententia Comitiorum, quam ſubjungimus.

Sententia Comitiorum.

EGo (4) ſummus Præſes Comitiorum cæterique mecum Judices,

(1)

(1) *Atque adeo & capitis; quamvis id ei protinus condonatum fuit periniqua violentaque ſententia, non tam Imperatoris, quam duorum Procerum Patrocum & Erpicum, qui etiamtum dominabantur.*

(2) *Quinque ſcilicet Mandarini Chriſtiani ex Collegio Aſtronomico.*

(3) *Tam Sinis quam Tartaris.*

(4) *Primus hic eſt Principum ſanguinis Regii, idemque mirifice nunc favet hominibus noſtris, & rei Chriſtianæ.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

(1) *obtemperantes huic mandato Imperatoris noſtri, poſtquam coacto rite cœtu denuo inſtituimus disquiſitiones & conſultationes noſtras, comperimus Yám-quam-siēn hominem improbum & nequam, confictis maligne criminibus, importune violenteque accuſaſſe Religionem Chriſtianam falſitatis ac pravitatis: quæ quidem Religio rejecta tunc fuit ac vetita per ſententiam.*

Nunc autem perſpicue nos cognovimus, quod profeſſio illa Chriſtianæ Religionis nihil prorſus contineat, quod pravum ſit, vel ad defectiones vergat perturbationesque publicas. Quapropter par eſt rurſum conſtituere, ut iis, qui ſequuntur Religionem Chriſtianam, liceat eandem profiteri priſtino cum ritu ac libertate; ſic tamen, ut prohibeantur inſtituere cœtus majores; item ſpargere ſupradictum Libellum de propagatione ejusdem Religionis; ærea item numiſmata (2).

Cognomentum Joannis Adami (3), ſcilicet PRÆSTANTIS ET ARCANÆ LEGIS DOCTOR, eidem reſtituatur.

Curæ ſit etiam Concilio Magiſtratuum (4), ut eidem ſimiliter reſtituatur gradus ſuus, dignitasque priſtina (5).

Pari modo, quod attinet ad Doctorem Hiù-çuon-çēm, & alios (6), mandetur dicto Concilio, ut exquirat, ecquid publici muneris ipſi quondam geſſerint, & reſtituatur unicuique munus ſuum.

Quod item attinet ad Templum ac domicilium (7), ſita quondam extra portam hujus Regiæ Feù-chîm dictam, reſtituatur & pretium, quo venundata fuerunt (8), & fundus ipſe, Ferdinando ac Sociis.

Detur vero in mandatis ſupremo Gubernatori Provinciarum Quàm-tum & Quam-si, nec non Proregi proprio Provinciæ prioris, ut expediant aliquos e miniſtris ſuis, qui homines Europæos quinque & viginti, ob cauſam Religionis Chriſtianæ ablegatos in dictam Provinciam, deducant in hanc Aulam; qui ubi pervenerint, exquiret tunc Concilium Rituum voluntatem Suæ Majeſtatis.

Præterea Mandarinis Lì-çù-pĕ, & aliis (9) procuret Concilium Magiſtratuum, ut ſingulis pro ſuo cujusquĕ gradu ea impendatur beneficentia Regia, quæ mortuis conſuevit impendi; filiique & fratres eorundem ab exilio revocati, quotquot publicam geſſerunt dignitatem, eam recuperent.

Jam ſi agatur rurſum de Yâm-quam-siēn: utique nixus ille fuit iniquo patrocinio gratiaque (10). Nuper certe cum per ſe examinaſſet Impe-

(1) *Trium Conciliorum, cui deinde ſubſcripſerunt Imperatoris nomine quatuor Proceres.*

(2) *Ne daretur anſa ſcilicet renovandæ ſuſpicionis & calumniæ, qua nos jam abſolverant, de agitata clam defectione.*

(3) *Quo ipſum Xùnchi Imperator honoris gratia quondam ornavit.*

(4) *Primum eſt inter ſex Regia, proprìumque illius munus diſpenſare magiſtratus, & de eorundem cauſis cognoſcere.*

(5) *Tametſi vita jam pridem functo: more pervetuſto Gentis ſcilicet, quotiescunque poſt mortem comperta eſt cujusquam innocentia.*

(6) *Circiter duodecim Chriſtianæ Legis cauſa privatos ſua dignitate.*

(7) *Societatis JESV.*

(8) *A Queſtore Regio, & ab emptore dein deſtructa.*

(9) *Quatuor e Collegio Aſtronomico, privatis publico munere, fortunis ac vita.*

(10) *Patrocum.*

perator, quæ ab illo peccata fuerant (1), *ſine mora privavit hominem ſuo magiſtrato, uſurus deinceps opera Ferdinandi ad Aſtronomicæ rei curam & adminiſtrationem. Ex quo poteſt colligi, eundem Yám-quam-siēn, dum graſſatus quondam fuit tot mendaciis & calumniis, id revera feciſſe fretum autoritate potentiaque perfidi Ngào-pái* (2); *qui & autor ipſe fuit, ut ſic faceret. Plane ſic res habet: innixus Yám-quam-siēn iſti ſocietati improborum atque rebellium per meras fraudes & calumnias præcipitavit homines innocentes in interitum.*

Idem quoque ſuapte autoritate demolitus eſt ac deſtruxit altare (ſeu pegma ſacrum), nec non marmoreum monumentum in Templo Domini Cœli; cum tamen ea mandato Regio vetita fuiſſent violari.

Quæ cum ita ſint, cum fuerint octo capita accuſationum ex odio & temeritate profectarum, quibus Yám-quam-siēn nocuit certis hominibus: cumque alias ſimiliter inſtruxerit calumnias paulo antememoratas, ipſe quidem plectatur capite, uxor vero & liberi exules abeant in Tartariam noſtram Nim-cù-ta. Hactemus Comitia.

Quid nunc aliud expectet, quisquis priora conſiderarit attentius, quam promptiſſime ſubſcripturum Principem æquitati juſtitiæque tam patenti? Poſcebat id quidem res ipſa & ratio; ſed enim voluit is vincere duntaxat Innocentiam Chriſtianam; triumphare (quod tamen erat juſtiſſimum) necdum voluit.

Reſponſum Imperatoris ac Sententia.

Oportebat me quidem hic ſubſcribere ſententiis veſtris, ipſumque Yám-quam-siēn morti addicere, verum tamen conſiderata hominis ætate admodum jam provecta (3), *ego pro lenitate mea & clementia ipſum hac quidem vice mortis ſupplicio, uxorem vero & liberos exilii pœna abſolvo* (4). *Europæos homines quinque & viginti non eſt neceſſe adduci in Aulam. Ad Chriſtianam Religionem quod attinet, (excepto quidem Ferdinando & reliquis, qui eam ſicut prius ipſimet exerceant licet) quoniam verendum eſt, ne foris in hac Provincia Pekinenſi cæterisque denuo forte exſtruantur Templa, & ſuſcipiatur iſta Religio, mando rurſus expediri diplomata, quibus id ſevere interdicatur. Cætera vero quæ cenſuiſtis* (5), *omnia approbo & rata habeo.*

Protinus itaque executioni mandata omnia, revocati exules, reſtituta bona, &c. Non reſpondit quidem hæc ſententia ſpei noſtræ, qui ſumma quæque (nec temere) ſperaveramus, fatendum tamen, ea nos id fuiſſe conſecutos, quod temporibus maxime ſecundis & per annos octoginta ſummis expetitum votis, nunquam potueramus conſequi, ut ſcilicet Innocentia Chriſtianæ Legis graviſſimo teſtimonio Comitiorum Imperii & ipſiusmet Impe-

(1) *Variis in rebus ſpectantibus Aſtronomiam, cui fuerat Præfectus; impune tamen peccata, propter autoritatem perfidi patroni.*

(2) *Sive Patrocum.*

(3) *Erat ſeptuagenario jam major inveteratus ille dierum malorum.*

(4) *At non abſolvit DEVS: quippe duobus poſt menſibus extinxit impium calumniatorem, ſævo prorſus ac peſtilenti morbo correptum.*

(5) *De innocentia ſcilicet Legis Chriſtianæ, atque adeo ut Sinis, qui Chriſtiani jam ſunt, perſeverare liceat in illa, more priſtino; ut item recuperent ſuam libertatem, nec non honores priſtinos ac facultates, quicunque ea propter Chriſtianam Religionem nuper amiſerunt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peratoris tandem confirmaretur. Regiis itaque diplomatibus vulgata per universam Chinam hæc sententia, adeo non dejecit animos Neophytorum (quod principio timuerant Socii) ut e contrario erexerit dejectos, & quæ religio apud Ethnicorum non paucos in odio & contemptu fuerat propter calumnias superiorum temporum, hac tandem audita sententia, cœpit esse in honore. Formidines interim nescio quæ injectæ animo Principis, etiamnum adolescentis, ab uno alterove Consiliario, plus quam par erat, politico, hic in causa fuerunt, ne penitus explerentur spes nostræ ac vota. Veruntamen nunquam fuit, neque nunc erit consilium contra Dominum. Cœpit; utique perficiet. Sic sperare nos jubet ejusdem Bonitas summe sapiens, summe potens; quin & ille ipse, qui erravit, (Imperator, inquam,) creduli timoris ac facilitatis suæ quodammodo pœnitens, haud multo post coram solatus Ferdinandum, sperare illum jussit meliora. Et vero exploraverat jam ipse studiosius, quo animo ferrent Socii promulgandæ Legis Evangelicæ interdictionem, certoque cognoverat instar acerbissimi fuisse vulneris. Quocirca spem datam quantocyus confirmare volens, missis postridie duobus aulicis ad ædes nostras, significari jussit suo nomine Sociis in genua provolutis (sic enim mos est audire, quidquid nuntiari jubet Sinica Majestas) æqua sibi videri, adeoque jam tum probari, quæ postulabant: quo tamen ordinatius stabiliusque fierent omnia, Libellum de more supplicem denuo offerrent. Quibus quidem verbis inde etiam suum accedebat pondus, quod idem Princeps tribus ante diebus Apologiam nostram, & summam doctrinæ Christianæ, ge-

A *mino comprehensas volumine, exhiberi sibi voluisset. Quamvis igitur hoc in negotio nunc quoque adversarios habeamus & acres & potentes, procul dubio tamen (sed favente Regum Rege) quæ nunc vicit Innocentia, brevi etiam triumphabit.*

Favoris interim humani, & spei similiter humanæ pignus haud exiguum, præter ea, quæ paulo ante commemorata sunt, fuit eximius honor ille, sumptusque e fisco petitus
B *Regio, quo celebrari jussit idem Imperator memoriam & exequias P. Joannis Adami Schall: illius nimirum viri, quem tribus ante annis per tot raptatum tribunalia, tot oppressum calumniis & injuriis, quatuor illi Proceres, quamvis iniqui infestique, absolverant tamen; primum quidem peracerbo mortis supplicio, ad quod ipsum calumniatrix (ut ita loquar) superstitio, ceu reum perduellionis, condemnaverat; quasi consulto scilicet diem infaustum designasset ad funus efferendum Infantis Regii: deinde vero absolverant ipso etiam crimine, quando nempe Imperatoris nomine declaraverunt: Exercere*
C *judiciarias observationes & electiones temporum, non esse munus proprium illius, qui supremus Astronomiæ est Præses. Quem item Virum Imperii Comitia, uti modo vidimus, altero crimine, sed longe gloriossimo, liberaverant, promulgatæ Legis Christianæ; quatenus scilicet eam Legem sine ullo esse crimine pronuntiarant: & tandem Princeps ipse Sinarum simul ac Tartarorum vita jam defunctum tantis est prosecutus non modo laudibus, sed etiam gratiis, quantæ non solent, nisi in Viros summos, optimeque meritos de Imperio conferri.*

Elogium Exequiale.

IMperator deferri jubens honores funebres piis manibus Joannis Adami, Miniſtri quondam ſui ex primo Ordine (1), *nec non rerum Aſtronomicarum Præſidi ſupremo, ſic ait: Impendere ſumma cum reverentia vires omnes animi corporisque* in obſequium Principis & utilitatem publicam, *laus fuit, atque opus illuſtre hujus Miniſtri mei,* velut alterius Chu-Co-Leám, qui id olim ſermone factoque uſurpavit (2). *Commiſeratione vero nunc affici vita functi, meritisque ejusdem munus aliquod ac præmium rependere, eſt hoc* viciſſim *meum Imperatoris præcipuum quoddam & officium & beneficium. Veniſti huc, o Joannes Adame, a finibus Occidentis, & cum peritus eſſes Aſtronomiæ, in eaque exercitatus, adminiſtratio ſuprema rerum Aſtronomicarum uni tibi fuit commiſſa; quin & condecoratus fuiſti cognomento illo honorifico: PRÆSTANTIS ET ARCANÆ LEGIS DOCTOR; quando ecce derepente longum illud a nobis iter moriens ingreſſus es. Ego ſentio vehementer hanc mortem tuam, dataque opera collaturus tibi beneficium, cujusmodi ſolet in mortuos conferri, legavi unum ex Miniſtris meis Regiis, qui honores hoſce exequiales tibi meo nomine rite perſolvat. Ah! Ah! Tu quidem inter nos immortalem famam relinquis ac gloriam nominis tui: at ſuſcipe tamen hanc qualemcunque remunerationem conſtantis fidei, qua tuimet oblitus, totum te utilitati publicæ quondam conſecraſti; & quando is es, qui etiamnunc percipias ſenſum animi mei, potes utique venire, & quæ deferimus, ſuſcipere.*

Hunc igitur in modum quatuor illi Præcones innocentiſſimi Legis Chriſti, Adamus, Ludovicus, Gabriel, Ferdinandus, (præter alios ſex & viginti: quatuor ſcilicet ex Sacra Divi Dominici Familia; ex Seraphica S. Franciſci unum; reliquos minimæ Societatis noſtræ) cum Legis ejusdem cauſa, innocentes & ipſi, multas tamen gravesque ærumnas & contumelias paſſi fuiſſent præ reliquis in Regia Pekinenſi, præ reliquis etiam honorati ſunt in eadem Regia; volente ſic ipſos honorari non tam Sinico Rege, quam eo, in cujus manu ſunt omnium corda Regum: qui uti potuit, ita etiam voluit illuſtrare Innocentiam Legis immaculatæ innocentium contumelia ſimul & honore; idque eo admirabilius, quo ſuavius fortiusque & accommodatius (ut ita loquar) ad ingenium Sinarum. Cujus quidem fortiſſimæ ſuavitatis, &, quæ huic famulata eſt, Regiæ voluntatis adeo propenſæ in rem noſtram, & plerisque magiſtratuum procul dubio jam perſpectæ non minus illuſtre, quam recens argumentum hoc eſt, quod videamus interdictionem illam, ſeu verius ſuſpenſionem propagandæ Religionis Chriſtianæ, ſic eſſe vulgatam, ut timori quidem officioque politico factum ſit

(1) *Sinicæ Dignitatis Ordines omnino ſunt novem: Primus idem eſt, qui Supremus, adeoque pauciſſimorum.*

(2) *Colaus ille, quicum defunctus hic comparatur, vir fuit integerrimæ fidei publicæque ſalutis ſtudioſiſſimus, & nulli prope eorum, quos China deprædicat, ſecundus. Imperator quidem Chao-Lie jam moriturus (anno Chriſti 223) ſic eum relinquebat filio ſuo & hæredi Conſiliarium, Magiſtrum, & Patrem, ut ſimul capeſſere juberet Coronam & Imperium dejecto filio, ſi quando is monitis illius haud obtemperaret. Floruit imperante Familia Heù-Hàn, inter Familias Imperatorias ordine ſexta.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſit ſatis ; re autem vera, propagetur ipſa Religio, numerusque Chriſtianorum novis in dies acceſſionibus, tam in hac cæterisque Provinciarum, quam in ipſa Regia: nemine vel prohibente, vel inquirente, feliciter augeatur.

Duobus circiter poſt menſibus, quam ſuperior narratio typis edita fuerat, cum nos admodum ſuſpenſi animo, ſucceſſus novos expectaremus novorum conatuum atque certaminum, tandem die nona Martii anni hujus 1671 ex privatis publicisque nuntiis cognovimus, deſideratam diu poteſtatem nobis fieri ab Imperatore ad Eccleſias ac Stationes priſtinas revertendi. Animus erat, eoque amplius; quod Socii Pekinenſes conſcripſerant Libellum, & ex conſilio virorum prudentum atque amiciſſimorum ſæpius ad limam revocatum, verbis inſtruxerant ac rationibus ad ingenium Gentis utriuſque, Sinenſis ac Tartaræ, mire accommodatis, quibus adeo gratiam illam ac poteſtatem ſupplices flagitabant. Verum cum uſitata ac prope neceſſaria offerendi Libelli ratio ac via hæc eſſet, ut per manus illius, qui Rituum Concilio præſidebat, offerretur, nunquam hic, id ut faceret, exorari potuerat. Quare Socii aliam ingreſſi viam, patrocinante nobis tum Patruo Imperatricis, eodemque primo Imperii Adminiſtro, tum etiam Principe Stirpis Regiæ, qui Præſes fuerat Comitiorum antecedentium, tandem aſſecuti ſunt, ut admiſſus ab illo Magiſtratu (qui Tūm-chím-sū vulgo dicitur) Libellus ad manus Principis perveniret. Magiſtratum hunc, qui tertii eſt Ordinis, Literati complures conſtituunt, quos quidem recte Magiſtros ſupplicationum voces: ipſorum namque munus eſt admittere Libellos ſupplices, admiſſos diſcutere, &, ſiquidem æqua poſtulari videantur, Colais ac Principi repræſentare.

Libellus ſupplex.

Nos Ludovicus Buglius, Gabriel Magellanius, Ferdinandus Verbieſt, cæterique ex remoto Occidente ſubditi Tui, reverenter ac ſupplices certiorem facimus Tuam Majeſtatem de rebus ad Tuam ipſius ſpectantibus Munificentiam, cui perdifficile eſt referre vices ac grates. Nos ſubditi Tui ſuſpicimus admirabundi, reque ipſa experimur Imperatoriæ Majeſtatis Tuæ perſpicacitatem, prudentiam, clementiamque ampliſſimam, nunc & olim ſemper unam & eandem. Sicut patuit nuper, quando ſcilicet, examinato proceſſu judiciali, quo Yám-quam-siēn falſi criminis accuſaverat Joannem Adamum Schall, poſt totam illam cauſam, Tuo juſſu per Principem Comitiorum Præſidem, aliosque Principes ac primores Stirpis Regiæ, Præſides item Conciliorum Tuorum, nec non Cenſores Imperii, coactis rite Comitiis, ſingillatim & accurate diſcuſſam, iis quidem omnibus, qui munere publico fuerant privati, reſtituta fuit dignitas priſtina; qui vero in exilium ablegati, reſtituta patria; mortuis ea, quæ ſolet, impenſa eſt miſeratio: ſuperſtites autem (eorum filii) gaudent jam humanitatis & clementiæ Tuæ, munificentiæque donis (cenſu paterno ſcilicet ac dignitate). Nihil denique tam fuit humile, tamque exile, quo non pertigerit colluſtratio benignitatis Tuæ. Soli ex

omnibus Antonius (1) *cæterique homines* (2) *ſupra viginti multo jam tempore vinctorum in morem detinentur in Provincia Cantonienſi. Obſervantur autem aſſidue oculis mentis noſtræ dicti Socii: ex quibus multi jam nati ſunt annos plus minus ſeptuaginta vel octoginta; plures item quam decem, artis Aſtronomicæ periti, anno decimo ſexto Imperantis Xún-chi, mandato ejusdem Chinam ſunt ingreſſi; poſtquam nempe Concilium Rituum (cujus acta etiammum exſtant) voluntatem Regiam exquiſiverat. Porro nos ſubditi ab ineunte jam ætate noſtra res omnes curasque humanas abjecimus, & diſciplinæ religioſæ operam damus: cumque vitam hauſerimus in Europa, tamen finimus illam in China, idque per annos prope centum a temporibus Familiæ Taimingæ ad hunc uſque diem. Et defuncto quidem Imperatori* (Patri Tuo) *penitus perſpectum fuit Legem Divinam expertem eſſe labis omnis ac vitii, quocirca etiam benefice nobis conceſſit ipſe Templum; tribuit titulum foribus ejusdem præfixum; tribuit Elogium marmori inciſum; repetitis quoque vicibus Sacra Majeſtas Illa acceſſit ad Templum noſtrum, & permiſit nos, cæterosque Sociorum commorari ſingulos propriis in Templis, & vacare divino cultui ſtudioque virtutum. Obſecramus ergo ſupplices Tuam Majeſtatem, ut demittas in nos perennem illam magnamque beneficentiam Tuam, & benigne memor ærumnarum Antonii ac reliquorum, omni culpa vacantium, digneris permittere, ut eadem cum libertate, qua tempore Imperatoris defuncti, liceat ipſis, qui vegetioris quidem ætatis ſunt, remigrare proprias ad ædes ac Templa, qui vero ſenes atque decrepiti, ad loca ſepulturæ ſuæ deſtinata; ut ſic humanitas atque benignitas illa, qua* (Pater tuus) *Imperantis Familiæ conditor, homines exteros complecti ac fovere conſueverat, per Te perpetuetur. Hoc pacto, ſi quid vitæ nobis omnibus ſubditis Tuis erit reliquum, id omne Virtutis Tuæ, qua nos ad vitam quodammodo revocaveris, munus erit. Iterum hic ſupplices imploramus Sapientiam Tuam, qua expendas ea, quæ modo propoſuimus, & executioni mandari jubeas. Concilio quidem Rituum ſimiliter expoſueramus hæc omnia de ſcripto; ſed impetrare non potuimus, ut referret ea pro nobis Majeſtati Tuæ. Quocirca nos ipſi, oblato reverenter Libello, certiorem facimus Tuam Majeſtatem, ejusqae mandatum præſtolamur.*

Ex remoto Occidente ſubditi
Buglius, Magellanius, Verbieſt.

Imperantis Cām Hī anno IX, die 20 menſis undecimi.

Libellum hunc admiſit Imperator, & in intimo ac ſupremo Colaorum Concilio perlectum, transmiſit de more ad Concilium Rituum.

Mandatum Imperatoris, quod prodiit ejusdem anni & menſis die 28.

Quæ continentur hoc Libello, Concilium Rituum ſingula conſideret ac diſcutiat accurate, nosque certiores faciat.

Cum

(1) *De S. Maria ſcilicet, ex Divi Franciſci Familia, qui cum perſecutionis tempore primus in aulam perductus fuiſſet, primum* Regiis *in catalogis locum, qui ſtylus eſt curiæ, mortuus quoque ſemper obtinuit.*

(2) *Sacerdotes Europæi.*

Cum neceſſe fuerit huic mandato vel invitos morem gerere, patebit ex duplici, quod hic ſubjicitur, Conſulto, quanta cum pervicacia ſimul & calliditate homines politici adverſati ſint propenſæ in rem noſtram voluntati Regiæ, priſtinæque libertati ad Legem Divinam ſuſcipiendam.

Primum Conſultum ac Reſponſum Concilii Rituum.

Nos e Concilio Rituum ſubditi Majeſtatis Tuæ, inſtituta conſultatione communi, comperimus, qua ratione Buglius ac Socii expoſuerint Majeſtati Tuæ, quod Antonius cæterique homines ſupra viginti jam diu hæreant quaſi vincti in Provincia Cantonienſi: ex quibus cum multi jam ſenes ſint annos nati plus minus ſeptuaginta vel octoginta, reputantes hoc ipſi apud animum ſuum, ſupplices rogant Majeſtatem Tuam, ut demittat perennem illam magnamque beneficentiam, & recordetur ærumnarum Antonii ac Sociorum, omni culpa vacantium; quibus adeo liceat, vegetioribus quidem remigrare ad Templa ſua, ſenioribus vero ad loca ſepulturæ ſuæ deſtinata; &c. Quarum rerum per nos facta disquiſitione, comperimus, quod poſtquam nuper inſtituimus communem conſultationem his ipſis de rebus, mentemque noſtram expoſuimus Tuæ Majeſtati, Edictum haud multo poſt prodiit, quo ſignificabatur, non eſſe neceſſarium, ut Antonius cæterique homines viginti quinque adducerentur in Aulam. Ad Religionem vero Chriſtianam quod attinebat, (exceptо quidem Ferdinando ac cæteris, quibus fas eſſet eandem ſicut prius exercere) quoniam verebatur Majeſtas Tua, ne foris in hac Provincia Pekinenſi reliquisque demuo forte exſtruerentur Templa, & Religio iſta ſuſciperetur, mandabat iterum expediri diplomata, quibus id ſevere interdiceretur. Nos itaque venerabundi morem geſſimus huic mandato. Nunc autem, ſiquidem Antonius ac cæteri jubeantur ſinguli redire ad ſua Templa, veremur & nos, ne lapſu temporis demuo inſtituant ipſi Templa exſtruere & facere Chriſtianos: res eſt ſaltem incerta. Quapropter ea quæ de Antonio cæterisque propoſita ſunt Tuæ Majeſtati, non vocentur amplius in deliberationem, ſed reverenter procedatur ſecundum Edictum præcedens.

At certe non edixit Imperator, ut ii, quos innocentes declararat, ejecti domiciliis ſuis, perpetuo in exilio contabeſcerent, quæ veſtra hic videtur eſſe ſententia.

Alterum Conſultum & Reſponſum ejusdem Concilii.

Rebus iterum diſcuſſis, comperimus, quod ſententia ſuperiorum Comitiorum propoſita Majeſtati Tuæ fuerit, ut reſtitueretur privatis dignitate dignitas priſtina; ut exulibus reſtitueretur ſolum patrium; vita functis ut impertiretur ſolita miſeratio; Antonio cæterisque etiamnum detentis in Provincia Cantonienſi poteſtas ut fieret ſingulis ad propria Templa redeundi (1). Sed quoniam venerandum Majeſtatis Tuæ Reſponſum de-

(1) *Liquet igitur, idque teſtimonio hominum tam acriter nobis adverſantium, placuiſſe tunc Comitiis Imperii evocari nos Pekinum, eo maxime conſilio, ut dimitteremur inde majori cum ho-*

deinde fuit ac placitum, vereri te, ne forte in hac aliisque Provinciis demuo exſtruerentur ab ipſis Templa, atque indigenæ Legem iſtam ſuſciperent, cumque adeo rurſum præſcripſeris ſeveram ejusdem prohibitionem: cenſemus & nos haud expedire, ut ſinguli revertantur ad ſua Templa. Veruntamen quia carituri ſunt iidem communi illa noxarum condonatione & gratia, ſiquidem detineantur etiamnum in Provincia Cantonienſi; & quia plures quam decem dicuntur eſſe inter ipſos periti Aſtronomiæ; poterunt ſatis convenienter evocari omnes in hanc Regiam, ut ibidem ſimul cum Ferdinando commorentur. Die 18 menſis duodecimi.

Placitum Imperatoris ac Sententia data ejusdem menſis duodecimi die vigeſima prima.

Secundum ea, quæ nobis ſignificata ſunt a Ludovico Buglio ac Sociis, Antonius ac cæteri, (quos inter multi ſunt annos plus minus ſeptuaginta vel octoginta nati,) jam diu & absque culpa ſua detinentur in Provincia Cantonienſi, &c. Ex his igitur qui periti ſunt rei Aſtronomicæ, jubemus ſeligi ac venire in Regiam, una cum Ferdinando commoraturos: qui vero periti non ſunt, iis gratiam facimus, ut revertantur ſinguli ad propria Templa. Verum præter exercitia virtutum cultusque divini propria Religionis ipſo-

nore & autoritate ad priſtinas Eccleſias ac Stationes noſtras, & quidem ſine ulla prohibitione Divinæ Legis propagandæ.

Mitior aliquanto ſententia; verum Divinæ Legis promulgationi noſtræque libertati non minus quam prima adverſans. Quanquam ſperari non poterat quidquam melius ab eo cœtu Conſiliariorum, a quo nulla unquam Secta vel Religio legitime recepta vel approbata fuiſſe dicitur, quamdiu ſtetit hæc Monarchia, præter unam, quæ Iu Kiáo nuncupatur, eſtque propria hominum Literatorum ac Magiſtratuum: quantumvis interim multi ſæpe Principes Imperii totius: quin & Præſides ac Senatores hujus ipſius Conſilii, privata quadam ſuperſtitione Sectis aliis aliisque impenſe faverint. Secta porro Iú Kiáo rationi Legique Naturæ ſatis conſentanea, primis illis Monarchiæ temporibus, diu ſane perſtitiſſe videtur inviolata, (quantum nobis licet conjicere ex vetuſtiſſimis Gentis libris ac monumentis) quoad lapſu vitioque temporum depravari cæperunt, qui illam maxime profitebantur, ac tot erroribus totque ſuperſtitionibus tandem inquinari, ut hoc tempore priſci quidem Codices illam conſervent; Literatorum vero multi ſolo illius nomine & fucata quadam ſpecie glorientur. Quo minus eſt mirandum adverſari tam conſtanter Legi Gratiæ, qui Legi Naturæ parere deſierunt. Accedit etiam, quod tam Sinæ quam Tartari propriis inſuper ſtimulis contra nos concitentur: Sinæ quidem livoris ac invidiæ, dum ſe non æquari modo, ſed etiam ſuperari vident ab iis, quos in incultis barbarisque numeraverant; dum item Lex Evangelica ſuas vel invitis exhibet maculas,

ac palam facit, quam tenue lumen fuerit priſcæ ipſorum Philoſophiæ; quam cum uſque adeo deprædicent tumidi, ſuis tamen erroribus vitiisque tam fœde commaculant. Tartaros autem perpetuæ quædam ſuſpiciones agitant atque formidines, quas gignit paucitas ſua, conſcientiaque occupati Imperii, & ſic occupati: quo etiam fit, ut nihil ipſis eſſe videatur alienius ab omni prudentia cautioneque politica, quam homines exteros, & quidem Magiſtros peregrinæ Legis, per Vrbes ac Provincias ſuas diſpergi. Malitioſe interim callideque metus iſtos & curas nonnulli Sinarum exaggerant, non tam ut conſulant publicæ incolumitati, quam ut ferocius barbari crediliique victoris animus contra nos concitetur. Superſtitio denique & Dæmoniorum cultus multorum animos vehementer a nobis alienat: (quamvis hoc ipſum mira tegant diſſimulatione, quotiescumque jus dicunt) ferunt enim peracerbe, quod ea Numina, quæ ipſi tanta cum ſuperſtitione colunt, Chriſtiana Religio ſpernat at deteſletur, & Dæmonia eſſe doceat æternis inferorum ſuppliciis addicta. Et his quidem aliisque de cauſis, ubi duo iſta Senatus-conſulta ad ſupremum intimumque Concilium delata ſunt, tam ferociter ibi contra nos ac vota noſtra pugnatum fuit, ut ab amico nunciaretur tribus Sociis, non poſſe jam diutius adoleſcentulum Principem tam obfirmatis tot ac tantorum virorum ſententiis reluctari. Conſtabat certe Colaos omnino tres, natione Sinas, palam adverſari rebus noſtris, ſic ut ſtupendum fuerit, ac Divinæ tribuendum Potentiæ, eviciſſe bonum Principem, ut reditus nobis ad Eccleſias, cum tam illuſtri teſtificatione innocentiæ noſtræ, tametſi non cum ea, qua par erat, libertate, concederetur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipſorum, haud permittimus, ut quisquam in hac aliisque Provinciis ſuſcipiat Legem iſtam; ſed etiammum vigere volumus ſuperiorem prohibitionem.

Effluxerunt duo menſes cum dimidio poſt decretoriam hanc in cauſa noſtra Sententiam, quando perlatæ ſunt literæ curiales ad Gubernatorem Provinciæ Cantonienſis, a duobus exaratæ Conciliis Regiis, Rituum ſcilicet, Reique militaris, quibus executio Sententiæ de more demandata fuerat. Repetebatur autem dictis literis magna cum fide ſupplex Libellus noſter, ac deinde recenſebantur noſtra Sacerdotum Europæorum nomina; nec non Provinciarum, in quibus dicata DEO habemus Templa. Digmumque eſt animadverſione, quod cum ſimilis enumeratio Templorum bona fide per nos facta in Libello quodam, paulo ante perſecutionem edito, tam graviter offenderit, ac Innocentiam noſtram in ſuſpicionem crimenque vocaverit, nunc ubi declarata fuit Innocentia, Judices ipſimet in favorem noſtrum eandem repetant Provinciarum ac Templorum enumerationem hoc ordine.

Nos omni cum reverentia obſequentes mandato Regio, comperimus, quod annis ſuperioribus degebant, in Eccleſiis quidem Provinciæ Xan-Tum, Antonius de S. MARIA (Hiſpanus) (1), *Joannes Valat* (Gallus); *in Eccleſiis Provinciæ Xan-Si, Michael Trichault* (Gallobelga) (2), *Chriſtianus Herdtrich* (Auſtriacus); *in Eccleſiis Provinciæ Nán-Kim, Emmanuel Georgius* (Luſitanus), *Franciſcus Rougemont* (Flandrobelga), *Joannes Dominicus Gabiani* (Pedemontanus), *Franciſcus Brancati* (Siculus) (3), *Jacobus le Faure* (Gallus), *Feliciamus Pachecus* (Luſitanus), *Philippus Couplet* (Flandrobelga); *in Eccleſiis Provinciæ Hú-Quàm, Jacobus Motel* (Gallus); *in Eccleſiis Provinciis Kiam-Si, Petrus Canevari* (Genuenſis), *Adrianus Grelon* (Gallus), *Proſper Intorcetta* (Siculus); *in Eccleſiis Provinciæ Che-Kiam, Humbertus Augeri* (Gallus), *Dominicus Navarrete* (Hiſpanus), *Philippus Leonardi* (Hiſpanus), *Dominicus Sarpetri* (Siculus); *in Eccleſiis Provinciæ Fo-Kién, Antonius de Gouuea* (Luſitanus), *Ignatius a Coſta* (Luſitanus) (4); *in Eccleſis Provinciæ Xèn-Si, Franciſcus de Ferrariis* (Pedemontanus), *Claudius Motel* (Gallus); *in Eccleſiis Provinciæ Quàm-Tum, Stanislaus Torrens* (Romanus), *Andreas Lubelli* (Lupienſis).

Poſt hæc referebantur ea, quæ duplici Conſulto ſtatuerant Conſiliarii, & quæ Imperator ipſe cum ſupremo Colaorum Concilio decreverat: ac tandem hac ſequenti clauſula literæ finiebantur:

Vbi decretum hoc Regium debita cum veneratione delatum eſt ad Curiam noſtram, oportuit nos pro officio expedire literas ad Gubernatorem ſupremum Provinciæ Cantonienſis, qui adeo perlectis illis diligenter examinet, quam multi ſint inter ipſos valde periti rei Aſtronomicæ, & curet, ut honorifice deducantur in Aulam: efficiat etiam, ut, qui minus periti ſunt Aſtronomiæ, ad ſuas ſinguli Provinciæ cujusque ædes ac Templa revertan-

(1, 2, 3, 4) *Hi quatuor obierunt in Cantonienſi exilio.*

tantur. Nos itaque præmittimus hic cauſæ totius ſeriem & acta. Gubernator autem Provinciæ iſtius non gravetur expendere omnia, & ſecundum ea, quæ Imperatoris Placito continentur, reverenter executioni mandare. Hactenus Concilium.

Porro quod vix auſi fueramus ſperare, permiſſum nobis fuit eligere pro arbitrio, qui pergerent in Aulam, nec coacti fuimus plures duobus eo deſtinare; magno utique commodo rei Chriſtianæ in tanta Miniſtrorum penuria. Dum hæc itaque prelo committuntur, ipſi nos ad iter accingimus; & alii quidem ad leucarum ducentarum iter, ad quadringentarum alii; multi etiam ad quingentarum eoque amplius. Qui Aulam petent, expenſis ibunt Regiis, & ſingulari cum honore, quem Gubernatores Oppidorum, Vrbium, Provinciarum, eis de more deferent. (*) Quoniam vero ſuperioris argumenti literæ ad Præfectos aliarum quoque Provinciaram ſunt expeditæ, dubitari vix poteſt, quin diu ante quam revertamur ad Eccleſias noſtras, eæ cura Miniſtrorum Regiorum (ſic quidem ſperare nos jubent Socii Pekinenſes) vacuæ ſerventur in adventum noſtrum.

(*) *Reliquis etiam omnibus (quod modo nobis nunciatur) Prorex hujus Provinciæ navigia per trecentas circiter leucas attribuenda eſſe Edicto cenſens, ſimul docet id ita fieri oportere, ut Miniſtri Regii cum exemplo ipſius Regis, benigne foventis exteros, conformentur.*

Quod interim prohibeantur indigenæ Legem Chriſti ſuſcipere, non uſquequaque nos angit; tum quia non vetantur in ea perſeverare, qui jam ſuſceperunt; tum vero maxime, quod viri graves ac prudentes, & in his Ethnici, fidenter aſſerant, ſpecietenus id factum. Et vero qui poteſt fieri, ut quo Edicto Lex iſta tam ſerio, tamque diſerte pronunciatur innocens, & innocentes, qui illam profitemur, ac promulgamus, eodem ipſa Edicto ſerio prohibeatur. Quod ſi poſt interdictum, anno 1670 prima vice vulgatum, tamen illo ipſo anno, & quidem in Aula conſpectuque Principis, tria circiter millia Chriſto ſunt adjuncta, (uti ex poſtremis Sociorum literis accepimus) quid in terris ab Aula remotioribus erit ſperandum? Neceſſaria tamen erit in poſterum ſummeque neceſſaria moderatio, prudentia, vigilantia ſingularis: verendum eſt enim, ne errore quamvis levi, & peccato Zeli præfeſtinantis atque præfervidi, ſive eorum, qui foris cum degant, aditum ſibi quærent in haſce miſſiones, ſive horum, qui filios ſuos in Chriſto, a quibus per exilium ſex annorum fuerunt abſtracti, denuo jam reviſent, Chriſtiana res iterum adducatur in diſcrimen, & multo quidem gravius eo, quo modo eſt perfuncta, atque adeo, quæ Sinarum clauſtra portæque Europæis hominibus adhuc quidem non fuerunt niſi æneæ, metuendum erit, ne culpa noſtra reddantur adamantinæ, æternumque obſeratæ, cum incredibili damno tot animarum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; nec minori injuria Divini Nominis, dum atroces impiæque ſuſpiciones & calumniæ, quæ in multorum animis non tam extinctæ ſunt, quam conſopitæ, denuo (quod avertat DEVS) ſuſcitabuntur; & multo quam ante vehementius exardeſcent: cum e contrario ſperare poſſimus non libertatem modo priſtinam, ſed æmulam Conſtantiniani quoque temporis pacem ac felicitatem, ſiquidem freti DEO, cum prudenti charitate Apoſtoli Gentium, qui omnibus fiebat omnia, conjunxerimus manſuetudinem ac patientiam Chriſti JESV; cujus Innocentia peccatorum alienorum pondere quondam oppreſſa, & in crucem acta, tam glorioſe vicit ac triumphavit, & triumphabit in æternum.

XXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf


順治
XVNCHI
REX
TARTARORVM
AC
SINARVM.





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIV.

Specimina veſtitus Sinici virilis & muliebris ; virilis quidem in XVN CHI, Tartarorum ac Sinarum Rege, item in Cl. ac R. Viro JOANNE ADAMO SCHALL, Colonienſi, Regis Chinenſis Monitore, e S. J. muliebris autem in illuſtri quapiam matrona Sinenſi, potionem ex herba Thée decoquente ; adſtante puella & focum flabello excitante.

Hucuſque Opuſculum illud *Sinico-Latinum ;* in quo cum *Xunchi*, Regis Tartarorum ac Sinenſium, & R. P. *Joannis Adami Schall* e Societate JESU, frequenter ac præcipue fiat mentio, exhibeo hic utriuſque *Imaginem*, ſumma diligentia & fide delineatam, & æri inciſam, ſecundum authenticas illas *Tabulas pictas*, quæ Sacratiſſimo Potentiſſimoque Imperatori Noſtro LEOPOLDO I ante aliquot annos ex ipſo *Sinarum* Regno transmiſſæ ſunt ; eſtque ibi inprimis notatu dignum, inter habitus Regii pretioſiſſima ornamenta præcipuum obtinere locum *Draconem barbatum & cornutum*, eumque Regis ac Regni Sinici proprium Inſigne eſſe, quemadmodum *Aquila* Inſigne eſt Imperatoris & Imperii Romano-Germanici. Cauſa autem, cur *Sinenſes* illud inſigne ſibi elegerint, eoque in publicis monumentis religioſiſſime utantur, hæc eſt, quod ſecundum vulgarem quandam fabulam unus ex antiquis eorum Regibus, tali inſidens *Draconi cum* (1) *barba longa & cornibus*, qualis hic in Schemate pectorali habitus Regii cernitur, in aerem aſcenderit. Qua de re vide plura apud R. P. *Athanaſium Kircherum* in Declaratione paraphraſtica antiqui Monumenti *Sino-Chaldaici*, Chinæ Illuſtratæ inſerti, pag. 25, 32 & 41. Cæterum quod attinet ad *Inſigne Gruis* in Schemate pectorali R. P. *Joannis Adami Schall*, id ei ab ipſo Rege *Xunchi* honoris cauſa fuit conceſſum, æque ac Titulus (2) *præſtantis & arcanæ Legis Doctoris*. Et certe ſive is conſideretur ut *Theologus* (3) *Chriſtianæ Legis obſervantiſſimus*, ſive ut (4) *fideliſſimus Regis Monitor & vigilantiſſimus Conſiliarius Intimus*, ſive ut (5) *Supremus Rerum Aſtronomicarum Præſes*, ſive ut *Vir ſumma* (6) *vitæ & morum conſtantia, obſervatione boni ordinis, & tolerantia laboris eminentiſſimus*, rectiſſime ac meritiſſime *Inſigne Gruis* illi competit. Qua de re vide plura apud *Joannem Pierium Valerianum* Hieroglyphicorum Libro decimo ſeptimo & *Philippum Picinellum Mediolanenſem* Mundi Symbolici Libro quarto, cap. 41. (a).

SPE-

(1) *Huc quoque pertinet proverbium Sinenſe:* Draconis barba longa licet longe ſit, arcus tamen ejus & enſes manibus prehendi poſſunt; *hoc eſt :* Imperator quamvis ſit abſens, memoriam tamen ſui ubique præſentem relinquit.
(2) *Vide ſupra col. 1273.*
(3) *Vide ſupra col. 1266.*
(4) *Vide ſupra col. 1279.*
(5) *Vide ſupra col. 1279.*
(6) *Vide ſupra col. 1266.*
(a) *In Appendice Libri octavi, quæ ſequuntur, inſcripta erant :* ADDITAMENTUM XIII, pertinens ad Appendicis Libri ſeptimi horum Commentariorum paginam 397, ubi exhibentur æri inciſa ſpecimina duo veſtitus Sinici virilis. KOL.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Specimina vestitus Sinici muliebris.

Cum jam memorato loco Appendicis Libri *septimi* horum Commentariorum æri incisa exhibuerim authentica duo specimina *vestitus Sinici virilis*, addo nunc ex alia quadam ejusdem Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ elegantissima Tabula picta Sinensi, itidem authentica, etiam *Imaginem vestitus Sinici muliebris*, qua præsentatur *Fœmina aliqua illustris Sinensis, potionem ex herba Thée decoquens in vase aurei coloris, quod artificiosissimo Tripodi focario ejusdem coloris impositum est; adstante puella, & focum flabello excitante.* Plurimum certe lucis hæc Imago afferet descriptioni coctionis *Thée*, quam celeberrimus Medicus *Nicolaus Tulpius Amstelodamensis* Observationibus suis Medicis inseruit Libri quarti capite sexagesimo; quod propterea hic appono integrum. *Indiæ Orientali*, inquit, *nihil familiarius est potione decocta ex herba, quam Chinenses THEE, ac Japonii T'chia vocant: cujus notitiam ab illis, qui cum summo imperio illic præfuere, mihi communicatam, equidem lubens posteritati tradam. Sunt itaque huic herbæ, ut folia oblonga, acuminata, & in ambitu crenata, sic radices fibrosæ, ac in minimas particulas dispersæ; crescitque tantum non in China ac Japonia, verum etiam in Chiam: at eo discrimine, quod Chinensis folia sint ex nigro viridia, Japonensis vero colore dilutiore, ac sapore gratiore; unde quoque fit, quod Japonensium T'chia longe pluris etiam æstimetur, quam Chinensium Thée, væneatque non raro una ipsius libra centum argenti libris. Quippe creditur hic passim nihil hac herba salubrius, cum ad vitam in extremam senectutem prorogandam, tum ad impediendā quæcunque sanitatis incommoda; neque ipsam solum corpora reddere vegeta, atque arcere calculi dolores, quibus hic neminem dicunt obnoxium, verum etiam tollere dolorem capitis, gravedinem, lippitudinem, destillationem, spiritus difficultatem, ventriculi imbecillitatem, intestinorum tormina, lassitudinem, ac somnum; quem tam evidenter compescit, ut sorbitionem hujus decocti assumentes, videas interdum integras noctes lucubrando consumere, ac sine ulla molestia evincere inexpugnabilem cæteroquin dormiendi necessitatem. Calefacit enim modice, & adstringendo ventriculi osculum refrænat, coercetque usque eo vaporum ad somnum conciliandum necessariorum adscensum, ut nihil impedimenti offeratur illis, qui scribendo aut meditando satagunt noctes transigere. Videtur autem hæc planta non longe cognita fuisse Chinensibus, neque admodum diu in usu: desunt enim ipsis avita, quibus eam designent, nomina, sive hieroglyphici illi characteres, (quales ferme sunt omnes Chinensium literæ) quibus exprimant ipsius naturam. Differuntque etiam haud parum inter se discrepantes hæ Nationes circa utendi rationem; permiscentibus Japoniis pulverem hujus plantæ, in lapide ophitide contritum, aquæ calidæ, Chinensibus vero ipsam plantam cum paucis salis saccharive granis ex liquore aliquo decoquentibus. Quod decoctum deinde calefactum officiosissime propinant cum convivis invitatis, tum quibuscunque honoris causa ipsos salutatum venientibus, idque ea animorum inclinatione,*

ut



Fœminæ duæ SINENSES sive CH
herbà THÉE decoqu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Fœminæ duæ SINENSES sive CHINENSES, potionem ex herbâ THÉE decoquentes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut Principes etiam Viri non detrectent, quin potius honori ducant, ſuis manibus hanc herbam vel amicis decoquere vel alioquin ei miſcendæ temperandæve operam ſuam impendere: extructis propterea in Palatiorum ſuorum interioribus ac foculis ex pretioſiſſimis lapidibus ligniſve, iſti operi ſpeciatim dicatis; in quibus etiam curioſe aſſervantur ollæ, tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaque perpolita hujus culinæ inſtrumenta, quæ aliquot aureorum millibus redempta, ac ſericis integumentis involuta, intimis ſolummodo amicis oſtendunt, neque minori habent loco, quam apud nos adamantes, gemmas, ac baccata ſummi pretii monilia; uti videre eſt apud Joannem Maffæum Rerum Indicarum lib. VI. & XII. & Ludovicum Almeydam ſelect. epiſt. lib. IV, & Petrum Jatricum Tom. II. lib. II. cap. XVII, & Matthæum Ricium de Chriſtian. expedit. apud Sinas lib. I. cap. VII, & Aloiſium Frois in Relat. Japonic. & Jacobum Bontium Dialog. VII. Medic. Ind. & Joannem Liſcotum cap. XXVI. Hucuſque doctiſſimus *Tulpius*. Cæterum quod ad *Flabellum* attinet, *quo puella Sinenſis in hac Imagine focum excitat*, illud non eſt artificioſum, ſed mere naturale; nempe *Planta marina retiformis*, in Oceani Atlantici parte Sinenſi & Americana potiſſimum naſcens; quam Clariſſimus & experientiſſimus Medicus *Carolus Cluſius* Exoticorum lib. 6. cap. 2. & 3. accuratiſſime deſcribit & adjecta eleganti figura, ligno inciſa, illuſtrat. Ipſa verba capitis ſecundi, cujus Inſcriptio, *Frutex marimus elegantiſſimus*, ad rem præſentem præcipue pertinentia ſunt hæc: *Elegantiſſimo huic Frutici marino ſecundum locum ab Arbuſcula marina in hoc Exoticorum Libro ſexto dare, & ei quodammodo congenerem aliam marinam Plantam (de qua proximo capite) præcedere volui. Videbam autem Amſtelredami anno a Chriſti nativitate ſexcenteſimo tertio ſupra milleſimum quaternos aut quinos ejusmodi frutices, magnitudine quidem diſpares, ſed omnes illo ipſo anno a Batavis nautis ex India Orientali relatos. Eum porro, qui inter illos omnium minimus, quod integra & magis perfecta forma eſſet, & ad delineandum commodior videretur, mutuo mihi concedebat honeſtiſſimus vir Petrus Garetus, ut ejus iconem in lignea tabella exprimendam curare, & fruticis hiſtoriam deſcribere poſſem; quam hic propono. Pedem autem & ſeptem uncias longus ſive altus erat hic frutex, & tredecim unciarum amplitudinem habebat, qua parte latiſſimus; trium vero pedum & decem unciarum erat ejus ambitus; durus prorſus & lignoſus, atque valde planus FLABELLI inſtar, in ternos aut quaternos craſſiuſculos ramos diviſus; a quibus innumeri alii tenuiores ramuſculi exoriebantur, in longum & latum ſe ſpargentes, adeo miro ordine, ut ſimul quodammodo coaleſcerent, vacuaque tantum quaedam ſpatia relinquerent, cribri aut reticuli maculas imitantia. Integer frutex purpuraſcente colore obductus fuiſſe videbatur; quem deinde ſalſuginoſa candida materia obduxiſſet, ut ex infima fruticis parte & aliis quibuſdam locis, a quibus ſalſugo deterſa erat, aparebat. Illam vero ſalſuginem creberrimis iisque valde exiguis foraminulis tanquam acu impreſſis, tam affabre tantoque artificio elaboratam conſpicere licebat, præſertim in minutioribus ramu-*

lis, ut nullum opificem imitari posse mihi persuadeam: sed cum in adeo exiguo spatio, cujus capax est lignea tabella, illam elaboratam salsuginem pictor exprimere non posset, istum fruticem nudum & sine salsugine delineare coactus est, ut ramulorum tenuitas facilius observari, & conspici posset. Latam autem habebat sedem, qua scopulo inhaserat sub marinis aquis; ex qua binæ aut ternæ aliæ adnatæ plantæ, sive potius rami, abrupti fuisse videbantur. Ejus materies adeo dura, ut vix cultello scindi posset. Nautæ corallium appellabant; sed ad Palmæ marinæ, a Theophrasto descriptæ, genus aliquod verius referendum esse arbitror. Item capite tertio, cujus hæc Inscriptio: *Planta marina retiformis: Plantam quandam marinam ex America advectam anno a nativitate Christi, nostri Redemptoris, nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum mittebat ad me ornatissimus idemque humanissimus vir Simon Parduymus, Consul Medioburgensis in Walachria Zelandriæ, valde raræ formæ. Nam instar virgulti lignosa erat, prorsus tamen plana, in frequentes ramos, eosque etiam planos, sparsa, ex quibus in longitudinem & obliquæ exibant multi nervi, retis instar fere contexti, adeo firmi, ut ex æneo filo conflati viderentur; lumini tamen oppositi glutinis substantiam verius referrent. Tota planta cubito longior erat, prorsus, ut dixi, plana, & multis maculis retis instar pertusa, subrubescens, quadam tamen salsugine multis locis infecta, extima parte ferme pedem lata, intima vero palmum, sed ea non integra; nam ex utroque latere plurimum abruptum fuisse apparebat: salsus ejus sapor. Cui rei innata fuerit, mihi non liquet, ut cujus infima pars confracta esset: verisimile tamen scopulo aut lapidi innatam, corallii modo. Nam triennio post similes conspiciebam Amstelredami in museo cujusdam civis, quarum infima pars plana erat, ut quæ scopulo adnata fuissent. In Americano autem Oceano natas ajebat.* Hucusque *Clusius.* Ejusdem *Plantæ marinæ retiformis* Descriptio, cum adjuncta perelegans figura æri incisa, exstat etiam in *Museo celeberrimi Pharmacopæi Francisci Calceolarii Veronensis*, a *Benedicto Ceruto* & *Andrea Chiocco*, eruditissimis Medicis Veronensibus, Veronæ apud Angelum Tamum A. 1622. in folio edito, Sectionis primæ pag. 16. & 17. his verbis: *Ad easdemmet Plantas, quæ Coraliorum naturam & imaginem spirare videntur, abs re non erit, si & Planta illa subjungatur, quam rerum exoticarum ditissimus Sprecchius, non ambitionis, sed liberalitatis effectum exprimens, humanissime ad Calceolarium misit, & cujus exemplar, in tabella incisum, ut quid rarum, & visui perjucundum Lectori attendendum speculandumve, exhibetur. Est namque Planta ex Americano Oceano extracta, fruticosa satis, & virgulti modo lignosa, non secus ac Coraliorum frutices, ut plurimum esse consuevere, cum e mari intempestive ac immature eximuntur. Foris illa eadem materia mucosa & alba est infecta, qua Coraliorum ramulos e trunco frondescentes, sæpenumero coopertos annotavi, & quos etiam in Museo nostro adhuc servamus. Plantæ hujus forma, ut videre est, in summitate quasi semicircularis exstat; infima vero pars, etsi Coralii modo scopulo aut lapidi innatam esse dices,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Dens molaris viginti octo uncias pendens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Tabula repræsentans PLANTAM MARINAM RETIFORMEM quâ Fœminæ Sinenses et Americanæ pro flabello utuntur.

dices, in
perpulch
go Vent
noſtratæ
corpore v
ſolent: f
citandum
dum in f
iam plano
firmiſſima
magis ido
oblique,
texti (ut
adeo firmi
conflati.
mulieres (
jus plantæ
manibus ar
& vim calo
FLABEL
ſummam N
ri quam fac
deficiente i
peditare ſe

Re
dicti, re ip
dem, maj
rum. Pul

Æ
ſexto Ad
effectrices
heic ego

Appen
hib
dum vera
duplicem

(a) Epigra
TAMEN
To

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



dices, in acumen obtusum desinit; ut perpulchre illud Trinachidii genus (vulgo Ventaline) imitari videatur, quo nostratæ Matronæ, æstuante Syrio, pro corpore ventilatione refrigerando, uti solent: facie namque est plana, ad excitandum ventum apta; quæ postmodum in frequentes ramos, eosque etiam planos spargitur. Ex quibus, ut firmissima maneat, & aeri comparando magis idonea sit, in longitudinem, & oblique, multi nervi, retis instar contexti (ut Clusianis utar verbis) exeunt, adeo firmi, ac si ex cupreo filo essent conflati. Vnde cum Americanæ illæ mulieres (apud quas maximus est hujus plantæ proventus) hac quoque præ manibus arrepta, ad defugandos æstus, & vim caloris ambientis compescendam, FLABELLI vice uti sint assuetæ, summam Naturæ providentiam attestari quam facillime poterunt; quæ, arte deficiente illa omnia humano generi suppeditare soleat, quorum medio, ne A *quid detrimenti patiatur, præservari possit, & longæva vita frui valeat. PLANTA RETIFORMIS a Cl. Carolo Clusio nominatur appositissime, & sapienter deducta similitudine ab instrumento illo, quod ob varietatem (ut Varroni placet) retis nomen est adeptum, & quo aves piscesve capiuntur.* Quo magis igitur ea confirmentur & illustrentur, quæ, ut jam ad verbum indicavi, in *Caroli Clusii* Exoticis & in Descriptione *Musei Calceolariani* de Planta marina Retiformi B referuntur, exhibeo hic etiam ex *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi tertiam* ejusmodi *Plantæ marinæ Retiformis Imaginem* secundum veram suam magnitudinem verumque conspectum, excepto solo colore, nonnullis locis *purpurascente*, qui a chalcographo non magis, quam in aliis coloratis Imaginibus, potuit distincte & ad vivum repræsentari.

XXV.

Res Historiæ Naturalis quædam; videlicet dentes, gigantæi vulgo dicti, re ipsa λιθώματα, sive corpora alia, aut dentes animantium, in lapidem, majori mole, indurati. Frumentum trecentorum & amplius annorum. Pullus gallinaceus biceps.

MONITUM.

Æri hæc incisa vulgataque erant partim Libro Commentariorum sexto Additamento XI, alia Lib. VIII. Additam. IX. quorum indoles, effectrices, conservatricesque causæ notiores doctis jam sunt, quam ut heic ego monere plura aut velim aut debeam. (a)

Appendicem hanc clausurus, exhibeo hic coronidis loco secundum veram magnitudinem suam & duplicem formam, literis A & B notatam, *Dentem molarem, viginti octo uncias* sive *libras duas minus quatuor unciis* pendentem; de quo cum mihi prorsus incompertum sit, unde quando

(a) *Epigraphen ista prius habebant hanc:* ADDITAMENTUM XI. continens Partis secundæ Libri Sexti Coronidem Medico-Physicam. KOL.

do & quomodo is in *Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream* pervenerit, hoc tantum ſine ulla aſſeveratione ſimpliciter refero, eum antiqua & vulgari fama pro *dente alicujus Gigantis* haberi. Secundum hanc igitur communem & inveteratam opinionem eſt is ex genere illorum *dentium giganteorum*, quorum veritatem & genuinitatem oculatus teſtis *S. Auguſtinus*, Episcopus Hipponenſis, Libri 15. de Civitate Dei capite nono aſſerit atque tuetur his verbis: *Quamobrem nullus prudens rerum exiſtimator dubitaverit, Cain non ſolum aliquam, verum etiam magnam potuiſſe condere Civitatem, quando in tam longum tempus protendebatur vita mortalium, niſi forte infidelium quiſpiam ex ipſa numeroſitate annorum nobis ingerat quæſtionem, qua vixiſſe tunc homines, ſcriptum eſt in Autoribus noſtris, & hoc neget eſſe credendum. Ita quippe non credunt etiam magnitudines corporum longe ampliores tunc fuiſſe quam nunc ſunt. Vnde & nobiliſſimus eorum Poëta Virgilius de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum, vir fortiſſimus illorum temporum pugnans, & rapuit, & cucurrit, & intorſit, & immiſit:*

Vix illud, inquit, lecti bis ſex
cervice ſubirent
Qualia nunc hominum producit
corpora tellus;

ſignificans majora tunc corpora producere ſolere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus Mundi, ante illud nobile diffamatumque diluvium. Sed de corporum magnitudine plerumque incredulos nudata per vetuſtatem, ſive per vim fluminum varioſque caſus, ſepulcra convincunt, ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis oſſa mortuorum. Vidi ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum in uticenſi littore MOLAREM HOMINIS DENTEM tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, (1) CENTVM nobis videretur facere potuiſſe. Sed illum GIGANTIS alicujus fuiſſe crediderim. Nam præter quod erant omnium multo majora, quam noſtra, tunc corpora, Gigantes longe cæteris anteibant; ſicut aliis deinde noſtrisque temporibus rari quidem, ſed nunquam ferme defuerunt, qui modum aliorum plurimum excederent. Plinius Secundus, doctiſſimus homo, quanto magis magisque præterit ſeculi excurſus, minora corpora naturam ferre teſtatur. Quod etiam Homerum commemorat ſæpe carmine fuiſſe conqueſtum: non hæc velut poetica figmenta deridens, ſed in hiſtoricam fidem tanquam miraculorum naturalium Scriptor aſſumens. Verum, ut dixi, antiquorum magnitudines corporum inventa plerumque oſſa, quoniam diuturna ſunt, etiam multo poſterioribus ſeculis produnt. Hucuſque *S. Auguſtinus.*

(1) F. Leonardi Coquæi *Scholion ad hunc* S. Auguſtini *locum eſt tale*: Hieronymus Magius lib. 1. Miſcellaneor. cap. 4. exiſtimat, formæ ſimilitudine S. Auguſtinum fuiſſe deceptum; non enim centuplo corporibus noſtris majora fuiſſe Gigantum corpora exiſtimandum, quod ex dente illo argueretur, ſed molarem illum Elephanti aut marinæ belluæ fuiſſe: ſed puto, facile potuiſſe diſcernere S. Auguſtinum, an dens ille molaris hominis eſſet, vel Elephanti aut belluæ marinæ, nec nobis imponere voluiſſe, maxime cum legamus, exploratores terræ Canaan retuliſſe, ſe vidiſſe filios Enakim, quibus comparati quaſi locuſtæ videbantur: nec erit abſurdum, ſi D. Auguſtinum hyperbole quadam uſum dicamus, qua voluerit exprimere, in quantam molem aliqui homines ſupra cæteros excreverint.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Dens viginti trium unciarum anno 1644. Crembsæ repertus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nus. Quem illius locum *Joannes Ludovicus Vives Hiſpalenſis* uberioris confirmationis cauſa hoc illuſtrat Scholio: *Feſto Divi Chriſtophori cum ſalutatum iſſemus illum* (ſcil. S. Chriſtophorum) *ad maximum Vrbis noſtræ templum, oſtenſus eſt nobis DENS MOLARIS PVGNO MAJOR, quem dicebant eſſe illius.* Plura de Gigantum dentibus aliisque eorundem reliquiis, variis temporibus ac locis fortuito repertis, vide apud *Joannem Caſſanionem* Monoſtrolienſem toto Libro ſingulari de Gigantibus, apud *Joannem Goropium Becanum* Originum Antvverpianarum libro ſecundo, qui inſcribitur *Gigantomachia;* apud *Joannem Boccatium* Genealogiæ Deorum gentilium lib. 4 cap. 68; apud *Hieronymum Magium* lib. 1 Miſcellaneorum cap. 4; apud *Simonem Majolum* Dierum Canicularium Colloquio ſecundo de Homine; & apud complures alios antiquos & novos Autores, quos omnes ſingulatim recenſere, nimis longum foret: præcipue autem apud R. P. *Athanaſium Kircherum* S. J. Mundi Subterranei Lib. 8, Sect. 2, cap. 4, § 1 *de Oſſibus Gigantum ſubterraneis*, ubi in peculiari quadam Tabula exhibet *Goliathum*, qui fuit altus cubitos 6½ ſive pedes 13, *Gigantem Helvetum*, qui fuit altus cubitos 9 ſive pedes 18, *Gigantem Mauritaniæ*, qui fuit altus cubitos 60 ſive pedes 120, ac denique *Gigantem* in *Erice* monte apud *Drepanum* Siciliæ Vrbem repertum, qui altus fuiſſe traditur cubitos 200 ſive pedes 400, eosque ut & nonnullos alios Gigantes ibi recenſitos, tum inter ſe, tum cum hominibus ordinariis proportionali ratiocinio comparat. Huc quoque pertinet *Dens* ille *viginti trium unciarum*, itidem pro *giganteo* habitus, qui A.C. 1644 *Crembſæ* in Auſtria Inferiore inter muniendum ſub terra inventus eſt, & in peculiari Tabula, e regione hic appoſita, æri inciſus exhibetur, quemadmodum ad vivum depictus exſtat in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea.* Cum hactenus igitur indicaverim, quænam de ſupra exhibito *Dente*, qui in jam memorata *Auguſtiſſima Bibliotheca* adſervatur, vetus ſit traditio & popularis perſuaſio, ſupereſt, ut porro *tres* etiam alias de eodem *Dente* diverſas opiniones recenſeam. Harum *prima* eſt eorum, qui *Dentem* hunc exiſtimant merum eſſe lapidem, & purum naturæ mineralis opus ſubterraneum; cujusmodi *dentes foſſiles* copioſe reperiuntur in diverſis *Siciliæ* antris, de quibus ſupra laudatus R. P. *Kircherus* in Mundo Subterraneo pag. 58, 59, 60, 61 & 62 prolixe accurateque agit, & quidem, quantum ad rem præſentem maxime pertinet, his verbis: *Accidit* (1) *eodem tempore, ut Panormi cum Illuſtriſſimo Marchione Carolo de Vintimiglia, Viro eruditiſſimo, nec non exactiſſimo Siciliæ Hiſtorico, de hujusmodi Gigantum oſſibus magna animi mei voluptate conferrem, cumque ei nonnullos dentes, quos pro Gigantum dentibus mihi nonnulli Antiquarii donaverant, oſtendiſſem, ſubriſit is modeſte, dicens: Putasne Pater mi, hoſce Gigantis dentes eſſe? Ego ſubnectens, tantam me fidem iis habere, quantum ami-*

(1) *Nempe A. C. 1637.*

amica eorum, qui eos donaverant, fides merebatur, respondi. Is vero subdens: Crastina die, ait, denuo me convenias, & ego tibi monstrabo, cujusnam hi dentes sint. Dictum factum. Vti receperam, postero die Virum humanissimum conveni, qui dixit: Ascendamus rhedam. Quo facto, me duxit ad locum, tribus fere passuum millibus Panormo dissitum, quod Mare dulce vocant. Erat ibidem ingens montis promontorium, & e regione foramen prægrande, per quod in obscura immensi specus latibula patebat aditus. Descendamus, inquit: jam monstrabo tibi mi Pater, quantum natura in similibus humani corporis membris effingendis possit; accensisque tædis, famulis præeuntibus, ingressi sumus longissimi tractus antrum, &, cum jam aliquantulum intima penetrassemus, ostendit mihi in sinistro antri pariete longe lateque exporrectum mirum naturæ opus. Pariter dentes referebat parvos, mediocres, maximos & excessivæ magnitudinis, ea serie, qua natura maxillis animalium inserere solet, infixos, tanta copia, ut centum carros inde onerari posse facile crediderim, tanta naturalium dentium similitudine, ut vix hos ab illis distinguere potueris; supra quidem candorem pellustrem, inferius vero radices monstrabant acutas, omnes tamen in lapidem solidum conversas. Tum ecce ad me Vir Illustrissimus: Hi sunt dentes, quos nonnulli impostores hinc exemptos pro Gigantum aut Elephantorum dentibus (erant enim aliqui excessivæ, ut dixi, magnitudinis) imperitæ plebi vendunt. Ego vero non exiguam eorum mihi copiam comparavi, quorum partem in Musæo in hunc usque diem reservo, partem literatis Viris ad impostoram monstrandam dono dedi. Sed non stetit hic mira Naturæ industria; ulterius progressi, in subterranei cuniculi parietibus, nescio quæ humanorum membrorum lineamenta intuiti sumus: nunc enim tibiarum protuberabant formæ, modo vertebrarum genuumque vestigia; nullo tamen ordinis nexu spectabatur. Videbantur quoque nonnulli tumores argillacei ingentes; qui excisi, ex una parte os genuum, ex altera concavitatem relinquebant, calvariæ haud absimilem: nihil tamen inter omnia osseæ substantiæ vestigia organizatum, uti sunt caput, manus pedesque, reperiebatur; unde luculenter admirabilem Naturæ in ossibus, aut ossibus similibus saxis formandis industriam primo cognovi. Hæc ibi R. P. *Kircherus;* qui tandem totam illam Dissertationem claudit his verbis: *Habes hic duos modos, quibus Natura in hujusmodi ossibus formandis utitur: unum nempe, intra montium hiatus, pro dispositione concavitatis, intra quam marga gypsea salenitroso liquore superaffusa, & in lapidem conversa, tales efformat figuras, quas matrix exhibet; alterum, per argillosæ materiæ, gypso & nitro mixtæ, devolutionem ex montibus factam, uti dictum est. DENTES vero FOSSILES, quos in antro Panormitano curiose me observasse memini, hoc pacto a Natura formantur. Parietes antri cum non adeo duro lapide constent, sed arenoso potius, seu calcario aut gypseo, & rimis ob humidi abundantiam obnoxii sint, uti stiriæ nitrosæ satis monstrant, hinc fit, ut salenitrosus seu vitricus humor subtilitate sua mollem lapidis substantiam usque ad extimam superficiem pervadat;*

dat ; ubi cum , quo defluat , non habeat , ibidem fixus , in levem , candidam , osseamque materiam , dentibus haud absimilem , induretur : qui quidem dentes juxta rimosam parietum dispositionem , singuli a singulis separati , & veluti intra maxillam infixi , veras dentium maxillas prope mentiuntur , diversissimæ magnitudinis , ita ut nonnulli Gigantum dentes non immerito videri possint , & tanta multitudine , ut Dentium Minera merito dici queat. Rogatos autem velim omnes curiosioris ingenii Naturæ exploratores , ut dictum (1) antrum adeant , ipsi singula examinent , & nihil aliud , quam quod diximus , hosce reperturos , certo mihi persuadeo.

Imago Dentis fossilis Antri Panormitani.



Hucusque R. P. *Athanasius Kircherus.* Ex hoc igitur *fossilium dentium* genere nonnulli existimant etiam illum esse *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ dentem*, de quo in præsens ex professo agitur. Alii autem eundem putant esse *dentem molarem* ingentis alicujus *Draconis* ex *Draconibus* illis (2) *Carpaticis* , de quorum *cavernis* & *sceletis* accurate agit doctissimus *Joannes Patersonius*, Physicus Eperiensis, Libri tertii Ephemeridum Medico-Physicarum Germanicarum Observatione CXXXIXna & CXCIVta ; ubi inter alia expresse refert, *dentes Draconum* ibi reperiri, *qui spithamam superent* , & speciminis loco *tres* ibi repræsentat *dentes molares*, quorum *maximus* est talis.



Alii denique eundem supra exhibitum *Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ dentem* arbitrantur esse *mandibulam Elephanti*, eamque opinionem Excellentissimus atque experientissimus S. CÆS. MAJESTATIS Archiater , Dn. *Antonius de Pozzis*, confirmat & defendit hac ad me scripta Epistola.

Perillustris & Clarissime Domine:

Posteriorem mandibulæ partem adnexos habere dentes in elephantis , puto esse extra controversiam, siquidem non prioribus duobus dentibus comedunt , sed posterioribus cibos conterunt ; unde exsurgit distinctio inter dentes humanos & elephantorum.

Nam

(1) *Simile quid ipse A. 1657 meis oculis vidi & observavi in vastissimo & monstrosissimo Ducatus Brunsvicensis Antro Baumannico , cujus Lib. 1 horum Commentariorum seg. 22 a me facta est mentio. Vide etiam* Martini Zeilleri *Topographiam Ducatuum Brunsvicensis & Luneburgensis pag. 31, 32 & 33.*

(2) *Ita nempe dictis a* Carpate *monte, in quo degunt. Is autem est Sarmatiæ Europææ mons, pro varietate locorum & linguarum varia nomina sortitus , qui Moraviam , Poloniam Russiamque ab Hungaria & Transylvania separat. Græce is appellatur* ὁ Καρπάτης ὄρος , *ut videre est in Geographiæ* Ptolemæi *optima editione Bertiana lib. 3 cap. 5. Corrigendi igitur sunt , qui pro* Carpates *perperam scribunt* Carpatus , *vel* Carpathus *per aspirationem , confundentes hac ratione* Κάρπαθον *sive* Carpathum , *Maris Mediterranei Insulam inter* Rhodum & Cretam , *cum* Carpate , *monte Sarmatico.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nam ordinario naturæ curſu in homine dentes a mandibula intercisi & ſeparabiles exiſtunt; quare non Gigantum mandibulam cum dentibus adhærentibus, ſed elephanti mandibulam, cui dentes radicaliter inhærent, mihi perſuadeo. Multo minus judico foſſilem eſſe materiam, ſed ab elephanto ante mille annos circa (1) *Badenſia confinia deciſam; quod varia confirmare valent, ut ſuperficies dentium oſſea vel eburnea, conformatio induratæ ſubſtantiæ diverſa inſtrumenta offerens. Accedit quod Badenæ femoris oſſa atque tibiarum ſint ante paucos annos reperta, non ſolum mihi Viennæ tanquam falſa Vnicornua & alexipharmaca a circulatore propoſita, verum etiam Græcii ante paucos annos tanquam foſſilia commendata. Quod ſi lapideam mentiatur naturam, hoc accidit a terræ, cui ſepeliuntur, occultis conatibus, quæ ſuo concentrato archeo ſemina extrahit lapidificationis atque indurat; cujus rei hiſtoriam nolo in medium adferre illi, qui Cæſaream Bibliothecam in corde & ore perpetuo in integrum conſervat.*

Et hæc quidem de *Dente* illo ſæpius jam memorato in præſens ſufficiant. Cæterum, quandoquidem nunc peropportune mihi in mentem venit, *C. Plinium Seniorem* Hiſtoriæ Naturalis lib. 18 cap. 30 peculiariter agere *de ratione ſervandi frumenti*, & pro ſingulari diuturnitatis exemplo ex *Varrone* referre, *quod triticum, cum ſua ſpica, ita ut nullus penetret ſpiritus, conditum, annis duret quinquaginta, milium vero centum*, facere non poſſum, quin obiter ſignificem, adſervari in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea capſulam rotundam, plenam frumento cum ſpica*, quod anno hoc milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto jam eſt *annorum trecentorum viginti novem*, & inde a *die vigeſimo octavo Februarii* jam agit annum *trecenteſimum trigeſimum*. Cujus rei teſtandæ & ad perpetuam poſteritatis memoriam propagandæ cauſa, *operculo* iſtius *capſulæ* etiamnunc affixa eſt antiqua hæc publicæ autoritatis ſchedula germanica: *Anno 1551 den 28 Februarii zeigt Matthæus Ebner an, daz dieſes Korn damals alt geweſen ſey zwey hundert und ſechs Jar.* Hoc eſt: *Anno 1551 die 28 Februarii indicavit Matthæus Ebner, frumentum hoc tunc temporis jam fuiſſe ducentorum & ſex annorum.* Natum ergo eſt hoc frumentum anno Chriſti *milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quinto;* ubi autem & quam ob cauſam, priuſquam in *Auguſtiſſimam Bibliotheeam Cæſaream* pervenit, adeo ſtudioſe ac diligenter fuerit conſervatum, nondum potui inveſtigare. An forte illud fuit collectum ex *prodigioſa* aliqua (2) *Pluvia frumentaria*, cujusmodi non paucas diverſis temporibus ac locis contigiſſe, variis Hiſtoriarum monumentis eſt proditum? Ego enim nec affirmare id auſim, nec refellere; ſed hoc tantum nunc addo, *capſulam* illam *rotundam*, qua jam memoratum *frumen-*

(1) *De* Badena & Thermis Badenſibus, *quatuor milliaribus Germanicis* Vindobona *ſive* Wienna *diſtantibus, vide Lib. 1 horum Commentar. ſeg. 7. Profluunt autem hæ* Thermæ *ex monte* Cetio; *quam ob rem etiam appellantur* Aquæ Cetiæ.

(2) *Vide* Conradi Lycoſthenis *Chronicon Prodigiorum & Oſtentorum*, & Simonis Majoli *Dies caniculares Colloquio primo de Meteoris.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf


Frumentum
trecentorum viginti
novem annorum
A.C. 1674
d. 28 February.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MONSTROSI DENTIS VETVSTISSIMI GI
GANTIS OG REGIS BASAN.
quinque pendentis libras minus quadrante, qui olim in spelunca
quadam contigui Urbis Hierosolymitanæ repertus, et A.C. 1674.
mense Iulio Constantinopoli Vindobonam sive Viennam
Austriæ ad S.C.Æ.S. MAIESTATEM
missus est duplex Imago, secundum Veram
magnitudinem suam et duplicem conspectum



VSTISSIMI GI.
ASAN.
nte, qui olim in spelunca
næ repertus, et AC 167[illegible]
dobonam sive Viennam

mentum continetur, re vera multo majorem esse, quam ea repræsentatur in Tabula ænea, e regione hic apposita, idemque de ipso etiam *frumento* ac *spica* similiter intelligendum esse.

Quod supereſt, cum in supra citatis Ephemeridibus Medico-Physicis Germanicis *prodigiosorum animalium bicipitum*, & *monstrorum ex ovis editorum*, aliquoties fiat mentio, exhibeo hic propter similitudinem argumenti *Imaginem pulli gallinacei bicipitis*, Græcii in Styria A. 1645 nati; simul etiam promitto, me in *Appendice* proxime sequentis *Libri septimi*, utpote quo *de Codicibus manuscriptis Græcis Philosophicis proprie dictis* agetur, plures alias rariorum quarundam rerum naturalium Icones publicaturum, si intellexero, exiguam hanc ultimo huic Libri sexti Additamento insertam promulsidem curiosis mirandorum Naturæ spectaculorum Observatoribus haud displicuisse.

Additamentum *de monstroso Dente vetustissimi Gigantis OG, Regis Basan*, pertinens ad Libri *sexti* horum Commentariorum Appendicem. (a)

Quandoquidem in Appendice Libri *sexti* horum Commentariorum æri inciſum exhibui *Dentem molarem*, libras duas minus quatuor unciis pendentem, qui in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* adservatur, & secundum antiquam ac vulgarem famam pro *Dente alicujus Gigantis* habetur, exhibeo nunc alium altero tanto majorem, nempe pendentem *libras quinque minus quadrante*. Missus is fuit mense Julio superioris anni 1678 *Constantinopoli Vindobonam* sive *Viennam Austriæ* ad S. CÆS. MAJESTATEM, & vænalis EIDEM oblatus fuit pro *mille Aureis* sive *bis mille Imperialibus*, cum alioqui non solum ob stupendam magnitudinem, verum etiam ob præsumptam rarissimam antiquitatem æstimatus esset *decem millibus Imperialium*. Traditur enim is inter fabricandum repertus fuisse in *Palæstina* apud *Vrbem Hierosolymitanam* in ingenti aliqua subterranea spelunca, una cum *Sepulchro quodam Giganteo* & hac Inscriptione *Chaldaica:* HIC JACET GIGAS OG. Quod si verum esse concedatur, sequitur, Dentem hunc esse celeberrimi istius (1) OG, REGIS BASAN, quem *Moyses* seculo ante Christum decimo quinto debellavit & occidit; ut ipse refert Numerorum cap. 21 vers. 33, 34, 35, & Deuteronomii cap. 3 vers. 1 ac deinceps usque ad vers. 11, ubi lecti ejus ferrei fit expressa mentio secundum vulgatam versionem latinam his verbis: *Solus quippe OG, REX BASAN, restiterat de stirpe Gigantum. Monstratur LECTVS EJVS FERREVS, qui est in Rabbath filiorum Ammon, NOVEM CVBITOS habens LONGITVDINIS, & QVATVOR LATITVDINIS ad mensuram cubiti virilis manus.* Quem *Moysis* locum quam impudentibus & pro-

(a) *Erat prius in Appendice Libri Commentariorum octavi* Additamentum ix. Kol.

(1) *De* Libro *ejusdem* Gigantis OG, *ab hæreticis confictо, & ab Ecclesia Catholica damnato, quomodo is post diluvium cum dracone pugnaverit, vide* S. Gelasium Papam distinct. 15 c. Sancta Romana, *& Prodromum meum Historiæ Literariæ lib. 2. cap. 2 §. 6.*

prodigiosis mendaciis *Rabbini Judæorum* exaggeraverint, breviter ac solide indicat Vir doctissimus, *Gerardus Joannes Vossius* in Opere Incomparabili de Theologia Gentili, sive de Origine & Progressu Idololatriæ, lib. 1 cap. 26, ubi *Typhoëa* sive *Typhonem Ethnicorum* cum *Ogo Judæorum & Cananæorum* convenienter ac recte comparans, sic scribit: *Dixeris hæc longe abire a MOSE: qui non tribuit OGO magnitudinem ampliorem, quam hominum duorum; quippe qui dicat, FERREVM ejus LECTVM cubitorum fuisse duntaxat novem; proinde longe alium esse TYPHOEA, qui, ubi artus extendisset, tria vasta illius Siciliæ promontoria complecteretur. Sed facile his occurrimus. Nec enim Poetæ solum immensis sic follibus spirant mendacia de suo TYPHOEO, sed idem fabulatores Judæi de suo OG ausi sunt. Quippe ajunt Rabbini lectum illum Mosi memoratum, qui in Ramoth (Philadelphiam secundum S. Hieronymum de Locis Sanctis postea dixere) ostendi solet, nihil aliud fuisse, quam cunas OG: postea eum tanta cepisse incrementa, ut pes solus cubitorum esset centum viginti, non communium, sed giganteorum. Itaque, ubi adventare Israelitas cognosceret, vastissimum montem imposuisse capiti, eo animo, ut hoc in Hebræos conjecto, exercitum obtereret universum. Sed Deum, ut consilium ejus disturbaret, in monte illo produxisse ingentem formicarum vim, quæ sic medium exederent montem, ut is OGO caput per partem perforatam exerente, utrimque humeris incubaret. Sed quia sic quoque eum injicere in Israelitas valuisset, fecisse Deum, ut dentes ejus ad cubitos decem extra os excrescerent. Ita montem, ob dentium obstaculum, excuti nequisse. Tum MOSEN decem cubitos longum, arripuisse securim totidem cubitorum; hinc ad cubitos item decem subsiliisse, ac sic quoque non pertigisse ultra tibiæ cum pede junctura. Vbi impacta securi, mox prostratum tam vastæ molis gigantem, monte etiam obrutum, quem gestarat. Compertum deinde, tibiam ejus tam longam fuisse, ut cum cervus forte fuga se in eam prorupisset, venatori dimidiata die fuerit insequendus, antequam capere posset. Hæc, qui volet, reperiet apud NICOLAVM LIRANVM, e Judæo Christianum, & ALPHONSVM TOSTATVM, Abulensem Episcopum, Quæst. XXVII. Num vero minus hæc portentosa sunt poeticis de TYPHONE deliriis? Quamobrem facile in animum induco, Poetas in TYPHONE suo exprimere voluisse OGVM, non qualis describitur a MOSE, quem non legerant, sed quantus a fabulatoribus Judæis & Cananæis ferebatur. Nec enim a paucis retro seculis fabulari cœpere Judæi, sed multo ante Christum: ut vel liquet ex Apocryphis Esdræ tributis. Cujusmodi si obtrudi potuere illis, qui Mosen haberent & Prophetas, quo non mendaciorum prolapsas putemus cæcas Palæstinorum & Phœnicum gentes? quarum notitia sola constabat traditione: unde ubi semel ista mendacium admiserat, sic levitate hominum glisceba, ut tandem in portenta exiret incredibilia.* Hæc ibi de *OGO* doctissimus ille, & tam de Vniversa Re Literaria, quam in primis de Omnigenæ Historiæ Chronologia optime meritus

Gerar-

Gerardus Joannes Voſſius. Cæterum quid IPSA S. CÆS. MAJESTAS de ſupra memorato *Dente* judicaverit, ſatis inde patet, quod eum ſine ulla licitatione remiſerit *Conſtantinopolim.*

XXVI.

M. Grunnii Corocottæ Porcelli Teſtamentum.

MONITUM.

Libro Commentariorum ſecundo p. 984. in recenſione codicis Ambraſiani CCCCLVI. Teſtamentum quoddam Aſini evulgaverat noſter: Continet illud argutias ruſticas potius & verniles quam impias; ſecus illæ acceptæ intellectæque fuerunt a multis, dataque LAMBECIO *ea diligentia fuit vitio. Eorum proinde gratia* Teſtamentum *hoc* Corocottæ Porcelli, *cujus Divus etiam* HIERONYMVS *commeminit, cum adnotationibus ſuis, quo certius intelligi poſſet, edidit in Appendice Libri III. Additamento XV. hoc exemplo:* (a).

Quandoquidem intellexi, quoſdam malevolos Catones, non ſolum in malam accepiſſe partem, verum etiam maximo vitio mihi vertiſſe, quod TESTAMENTVM ASINI, in ſupra memorato *Codice manuſcripto Ambraſiano* a me repertum, horum *de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Commentariorum Libro ſecundo* integrum inſeruerim, lubet nunc mihi delicatiſſimi iſtius faſtidii mitigandi cauſa in Appendice Libri *tertii* exhibere vetuſtiſſimum illud TESTAMENTVM PORCI, ad cujus imitationem recentius illud *Aſininum* indubie compoſitum eſt. Hoc igitur eſt tale:

M. GRVNNIVS COROCOTTA PORCELLVS
TESTAMENTVM FECI;
QVOD QVONIAM MANV MEA SCRIBERE NON POTVI,
SCRIBENDVM DICTAVI:
MAGIRVS COCVS DIXIT: VENI HVC EVERSOR DOMI, SOLIVERSOR, FVGITIVE PORCELLE; EGO HODIE TIBI VITAM ADIMO. COROCOTTA PORCELLVS DIXIT: SI QVA FECI, SI QVA PECCAVI, SI QVA VASCVLA PEDIBVS MEIS CONFREGI, ROGO DOMINE COCE, VENIAM PETO RO-

(a) *Epigraphe prior erat iſta:* ADDITAMENTVM XV. pertinens ad Libri Secundi pag. 984, ubi agitur de Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice manuſcripto Philologico Latino inter Codices MStos Ambraſianos CCCCLVIto, quo continentur BARTHOLOMÆI AMANTII Eloquentiæ & Poëſeos in Academia Ingolſtadienſi Profeſſoris ordinarii, Scholia in libros Epiſtolarum familiarium M. TVLLII CICERONIS, a CHRISTOPHORO WEHINGERO Anno 1532, excerpta & conſcripta, aliæque multæ Annotationes miſcellæ, & inter eas quoque TESTAMENTVM ASINI. KOL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ROGANTI CONCEDE. MAGIRVS COCVS DIXIT: TRANSI PVER, ADFER MIHI DE CVLINA CVLTRUM, VT HVNC PORCELLVM FACIAM CRVENTVM. PORCELLVS COMPREHENDITVR A FAMVLIS, DVCTVS SVB DIE XVI. KAL. LVCERNINAS, VBI ABVNDANT CYMÆ, CLIBANATO ET PIPERATO CONSVLIBVS; ET VT VIDIT SE MORITVRVM ESSE, HORÆ SPATIVM PETIIT, COCVM ROGAVIT, VT TESTAMENTVM FACERE POSSET. INCLAMAVIT AD SE SVOS PARENTES, VT DE CIBARIIS SVIS ALIQVID DIMITTERET EIS; QVI AIT: PATRI MEO VERRINO LARDINO DO LEGO DARI GLANDIS MODIOS XXX, ET MATRI MEÆ VETVRINAE SCROFÆ DO LEGO DARI LACONICÆ SILIGINIS MODIOS XL, ET SORORI MEÆ QVIRINÆ, IN CVIVS VOTVM INTERESSE NON POTVI, DO LEGO DARI HORDEI MODIOS XXX, ET DE MEIS VISCERIBVS DABO DONABO SVTORIBVS SETAS, RIXATORIBVS CAPITINAS, SVRDIS AVRICVLAS, CAVSIDICIS ET VERBOSIS LINGVAM, BVBVLARIIS INTESTINA, ISICIARIIS FEMORA, MVLIERIBVS LVMBVLOS, PVERIS VESICAM, PVELLIS CAVDAM, CINÆDIS MVSCVLOS, CVRSORIBVS ET VENATORIBVS TALOS, LATRONIBVS VNGVLAS, ET NEC NOMINANDO COCO DO, LEGO AC DIMITTO POPAM ET PISTILLVM, QVÆ MECVM DETVLERAM A QVERCETO VSQVE AD HARAM; LIGET SIBI COLLVM DE RESTE. VOLO MIHI FIERI MONVMENTVM EX LITERIS AVREIS SCRIPTVM: M. GRVNNIVS COROCOTTA PORCELLVS VIXIT ANNOS DCCCCXCVIIII, QVOD SI SEMIS VIXISSET, MILLE ANNOS IMPLESSET. OPTIMI AMATORES MEI VEL CONSIMILES VITÆ, ROGO VOS, VT CORPORI MEO BENEFACIATIS, BENE CONDIATIS, DE BONIS CONDIMENTIS NVCLEI, PIPERIS ET MELLIS, VT NOMEN MEVM IN SEMPITERNVM NOMINETVR. MEI DOMINI ET CONSOBRINI MEI, QVI HVIC MEO TESTAMENTO INTERFVISTIS, JVBETE SIGNARI.

LVCANICVS SIGNAVIT.
NVPTIALICVS SIG.
LARDIO SIGN.
TERGILLVS SIGN.
CELSINVS SIGN.
OFFELLICVS SIGN.
CYMATVS SIGN.

Hucuſque vetuſtiſſimum illud celeberrimum *Teſtamentum Porci*; cujus ipſe *S. Hieronymus* in *Proœmio* (1) *Libri duodecimi Commentariorum in Prophetam*

(1) *Ad* Euſtochium *virginem. Ipſa autem* S. Hieronymi *verba ſunt ibi hæc*: Teſtamentum Grunnii Corocottæ porcelli decantant in ſcholis puerorum agmina cachinantium.

tam Esaiam, & in *Apologia ad Pammachium & Marcellinum adversus Rufinum*, clare ac nominatim meminit. Cum igitur doctissimis Viris (1) *Laurentio Abstemio*, (2) *Joanni Alexandro Brassicano*, &, qui unus omnium instar est, (3) *Barnabæ Brissonio*, Regii in Gallia Consistorii Consiliario & Amplissimi Senatus Parisiensis Præsidi, jam memoratum *Testamentum Porci* salva existimatione sua edere licuit, non video certe, cur ego tantopere sim reprehendendus, quod *Testamentum Asini*, ad alterius imitationem ab anonymo quodam *recentiori* Autore compositum, in publicam lucem protulerim; nisi quis forte respectu dignitatis *Porcum Asino* præferendum esse existimet: cui tamen quam vehementissime reclamat doctissimus *Daniel Heinsius*, qui integrum scripsit Librum eruditissimum *de Laudibus Asini*. Huc insuper accedunt non pauca alia ejusdem argumenti Scripta variorum Autorum encomiastica & apologetica, quæ *Casparus Dornavius* in (4) *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Joco-Seriæ*, ubi (5) de *Asino* agitur, conjunctim edidit. Quod reliquum est, cum in supra exhibito Testamento Porci major elegantia, eruditio & antiquitas latitet, quam prima fronte videtur, subjungo hic explicandi ejus & illustrandi causa sequentes Notas.

MARCVS GRVNNIVS) Ut manifeste liquet, ludicrum hoc nomen gentilitium GRVNNIVS compositum esse a *grunniendo*, quod *porcorum* est proprium, ita etiam minime dubium arbitror, quin idem nomen effictum sit ad imitationem veri nominis gentilitii GRANIVS, quod apud antiquos Historiæ Romanæ Scriptores & in vetustis *Inscriptionibus* satis frequenter occurrit; uti videre est in *Joannis Glandorpii* Onomastico Historiæ Romanæ, ubi agitur de Gente *Grania*, & in *Jani Gruteri* Syntagmate antiquarum Inscriptionum totius Orbis Romani, ubi præter alios varios *Granios* diversis *Prænominibus* distinctos, non pauci quoque recensentur, qui *prænomen* habuerunt MARCI: nempe pag. 302. M. GRANIVS VITALIO EQ. pag. 417. M. GRANIVS M. F. M. N. CORDVS, pag. 533. M. GRANIVS SERENVS, pag. 873. & 977. M. GRANIVS VRSIO. Inter omnes autem *Granios* præcipuam meretur laudem ille *Granius Serenus*, Proconsul Asiæ, qui *Imp. Hadriani* animum erga *Christianos* placavit, literis illius suis ad Ipsum missis, quibus indicavit, iniquissimum esse, ut clamoribus vulgi concederetur sanguis

(1) *Edidit is hoc:* Testamentum Porci cum Hecatomythio *suo Venetiis apud Joan. Franciscum & Joan. Anton. de Rusconibus Anno 1524. in 8vo.*

(2) *Vide editionem* Adagiorum Erasmi *Wechelianam Anno 1599. in folio pag. 1981. & 1982, ubi etiam expresse additur* Joannem Alexandrum Brassicanum J. C. Testamentum *hoc bona fide descripsisse ex* antiquo exemplari Dominicanorum *apud* Moguntiam. (α).

(3) *Vide eruditissimum illius Opus de* Formulis & solennibus Populi Romani verbis, *editum Parisiis apud Sebastianum Nivellium A. 1583. in folio, pag. 756. & 757.*

(4) *Impressum illud est Hanoviæ typis Wechelianis Anno 1619. duobus Tomis in folio.*

(5) *Nempe Tomi primi pag. 493. & deinceps usque ad pag. 503.*

(α) Vide Io. Alex. Brassicani Proverbiorum Symmicta, Basileæ 1532. in 8vo edita, ubi sub finem hoc testamentum inveneris. Kol.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

guis hominum innocentium, & solum religionis nomen pro crimine ac reatu haberetur. Hac enim epistola commotus *Imp. Hadrianus Minucio Fundano*, *Granii Sereni* Proconsulatu Asiæ successori, rescripsit, *Christianos* sine objectu criminum non esse condemnandos. Qua de re vide plura apud *Eusebium Pamphili* Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 8. & 9. ubi tamen pro Γρανίȣ Σερένȣ perperam legitur Σερεννίȣ Γρανιανȣ̃, & apud *Orosium* Historiarum adversus Paganos lib. 7. cap. 13.

COROCOTTA) In editione *Laurentii Abstemii* ter perperam legitur COROCOCTA. Quod autem ad etymologiam & significationem hujus fictitii Cognominis COROCOTTA attinet, existimant Viri doctissimi *Claudius Salmasius* in Plinianis Exercitationibus in *C. Julii Solini* Polyhistora pag. 337. & *Gerardus Joannes Vossius* in Etymologico Linguæ Latinæ pag. 160. *Corocotta* idem esse atque *Crocotta*, quod secundum *Plinium*, *Solinum* & *Porphyrium* est nomen *Indicum* animalis ex leæna & hyæna geniti; hoc autem cognomen *M. Grunnio Porcello* propterea esse inditum, quia nomen ὕαινα sive *hyæna*, utpote ab ὗς sive *sus* derivatum, idem ad verbum est atque *Porca*. Secundum quam cognominis *Corocottæ* interpretationem verba hæc M. GRVNNIVS COROCOTTA PORCELLVS idem significarent, ac si legeretur M. GRVNNIVS PORCA PORCELLVS; quo certe vix quidquam dici aut fingi potest absurdius, cum propter superfluitatem vocis PORCA, tum propter differentiam sexus PORCÆ & PORCELLI. Ego vero persuasissimum habeo, quemadmodum fictitio nomine gentilitio GRVNNIVS alluditur ad verum nomen gentilitium GRANIVS, sic etiam fictitio cognomine COROCOTTA, alludi ad verum cognomen COTTA, quod diversis *Gentibus Romanis*, nempe *Aurunculejæ*, *Corneliæ* & *Fusiæ*, præcipuæ autem *Genti* AVRELIÆ fuit familiare, ut apparet ex multis CAIIS, LVCIIS & MARCIS AVRELIIS COTTIS quorum apud *antiquos Historiæ Romanæ Scriptores* & in vetustis *Inscriptionibus* passim fit mentio. Primus, qui hoc cognomine usus est, accepit illud sine dubio ob *ferociam morum* & *protervam alios verberandi libidinem*, nempe a verbo græco κοττέω, quod secundum Hesychium idem significat atque τύπτω sive *verbero*, quemadmodum etiam κόσσος sive κόττος apud Suidam pro *alapa* sive *colapho* accipitur. Minus autem recte idem cognomen *Cotta* alii derivant a græco κότος, quod significat *Iram veterem*, *quæ mansit diu alta mente reposta*. Eo videlicet alludit Præceptor *Catelliani Cottæ*, celeberrimi Jurisconsulti Mediolanensis hoc disticho:

Irasci faciles COTTAS, vultuque severos,
Fama refert; domui nomen & inde datum.

Verumenimvero evidenter repugnat huic Etymologiæ, quod vocabulum κότος pro *veteri ac recondita ira* scribitur per simplex T, κόττος autem pro *colapho* vel *plaga*, & κοττέω pro *verbero*, per duplex T. Similiter enim & cognomen COTTA scribitur per duplex T, non autem COTA per simplex T. Lepidum porro hujusmodi *Cotticismi* sive protervæ libidinis alios verberandi exemplum narratur ab *Aulo Gellio* Noctium Attica-

ticarum lib. 20 cap. 1. his *Q. Labeonis* verbis: *Quidam Lucius Neratius fuit egregie homo improbus atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palma verberare. Eum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans; &, quemcunque depalmaverat, ei numerari statim secundum duodecim Tabulas viginti & quinque asses jubebat. Propterea Prætores postea hanc legem abolescere & relinqui censuerunt, injuriisque æstimandis Recuperatores se daturos edixerunt.* Cum igitur, ut supra demonstravi, cognomine *Cotta* significetur *homo petulans ac rixosus, qui alios temere irritando & verberando ad pugnam provocat*, atque germanice dicitur *ein Slager und Rauffer;* abunde hinc porro liquet, quam apposite & convenienter *M. Grunnius Porcellus* vocabulo fictitio Græco-Romano, a κόρος quod *Juvenculum* significat, & a *Cotta*, compositum, cognominetur COROCOTTA, hoc est, *Juvenis Cotta*, & germanice *ein Junger Slager und Rauffer*; nempe propter *juvenilem ejus petulantiam ac ferociam*, quæ satis clare indicatur in ipso *Testamento*, partim quidem per titulum *Eversoris domi*, partim autem per propriam confessionem, *Si qua feci, si qua peccavi, si qua vascula pedibus meis confregi.* Quod ergo reliquum est, non sunt confundenda duo diversa diversæ originis & significationis nomina, COROCOTTA, quod est *Græco Romanum*, & CROCOTTA, quod est mere *Indicum.*

TESTAMENTVM FECI) In editionibus *Laurentii Abstemii* & *Barnabæ Brissonii* pro FECI perperam legitur FECIT. Æque male etiam sequens pronomen relativum QVOD in editione *Abstemiana* omissum est.

MAGIRVS COCVS] *Magirus* vox est mere græca Μάγειρος, hoc est, *Cocus.* Vsurpatur autem hic tanquam nomen proprium; nempe ad eundem fere modum, ut apud *Petronium Arbitrum Scissor obsonii in convivio Trimalchionis* a *carpendo* sive *discerpendo* vocatur *Carpus.*

EVERSOR DOMI) In editione *Brassicani* pro DOMI legitur DOMVS casu genitivo quartæ declinationis. Germanice diceretur *du Haus-störer* vel *Haus-stürmer. Eversores* alias etiam vocantur homines *prodigi* & *dissoluti*, qui patrimonium suum profundunt; ut videre est ex tituli octavi antiquæ Epitomes Institutionum *Caii*, Jurisconsulti pervetusti, his verbis: *Sub curatore sunt minores ætate, majores EVERSORES, insani. Hi, qui minores sunt, usque ad viginti & quinque annos impletos sub curatore sunt; qui vero EVERSORES aut insani sunt, omni tempore vitæ sub curatore esse jubentur, quia substantiam suam rationabiliter gubernare non possunt.*

SOLIVERSOR] *Soliversor* hic appellatur, qui pœnæ subterfugiendæ causa aufugit, & loci mutatione latitat; eodemque sensu apud *Ciceronem* in Oratione pro *Cæcinna* legitur: *Qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo SOLVM VERTVNT.* In editione autem *Abstemiana* pro *Soliversor* perperam legitur *Soli vertiator.*

EGO HODIE TIBI VITAM ADIMO] In editione *Abstemiana* corrupte legitur, & *hodie tibi dirimo vitam.*

VASCVLA] In editione *Abstemiana* legitur *vasella.*

ROGO DOMINE COCE, VENIAM PETO, ROGANTI

CONCEDE] Omnia hæc verba in editione *Braſſicani* omiſſa ſunt, & poſt proxime præcedentem vocem CONFREGI poſitum eſt ſignum interrogationis. In editione autem *Abſtemiana* exſtant quidem hæc verba, ſed pro *VENIAM* legitur *VITAM peto, ET concede roganti.*

DE CVLINA] In edit. *Abſtem.* pro *Culina* legitur *Coquina.*

DVCTVS] *Duci* uſurpatur hic ſimpliciter pro *ad mortem duci.* Sic etiam *victimæ* olim dicebantur *duci*, cum ducerentur ad *immolationem.* Qua de re vide *Barn. Briſſon.* l. 1. de Formulis ſive ſolennibus Populi Rom. verbis, p. 17.

SVB DIE XVI KALENDAS LVCERNINAS, VBI ABVNDANT CYMÆ] In editione *Abſtemiana* pro *Lucerninas* perperam legitur *Lucernulas.* Per *Calendas* autem LVCERNINAS videntur hic ſignificari *Calendæ Aprilis*, ita ut *dies decimus ſextus ante Calendas Lucerninas* reſpondeat *diei decimo ſeptimo Martii*, quo circiter tempore cum *Æquinoctio Ver* incipit. Tunc enim ABVNDANT CYMÆ; quæ quid ſint docet *Plinius* Hiſtoriæ Naturalis lib. 19. cap. 8. his verbis: *Braſſica toto anno ſeritur, quoniam & toto ſecatur; utiliſſime tamen ab æquinoctio autumni. Transfertur, cum quinque foliorum eſt. CYMAS a prima ſatione præſtat PRIMO VERE. Hic eſt quidam ipſorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, Apicii luxuria Druſo Cæſari faſtiditus, non ſine caſtigatione Tiberii patris. Poſt CYMAM ex eadem braſſica contingunt æſtivi autumnaleſque cauliculi, mox hiberni, iterumque CYMÆ, mullo æque genere multifero, donec ſua fertilitate conſumatur.* Hæc *Plinius.* Quibus illuſtrandis lucem affert *Ludovicus Cælius Rhodiginus* Lectionum Antiquarum lib. 17. cap. 27. his verbis: *CYMAS ſeu CYMATA præteneros dicimus in braſſica præcipue coliculos, VERE APPETENTE progerminantes, velut κύηματα plane ſint, id eſt, fœtus.* Huc quoque pertinent ſequentes *Columellæ* verſus ex Carmine de cultu Hortorum:

Tum quoque conſeritur, toto quæ plurima terræ
Orbe virens pariter plebi Regique ſuperbo
Frigoribus caules, & VERI CYMATA mittit.

Eadem CYMATA vocantur quoque in eodem Carmine *Prototomi caules*, id eſt, *Caules primæ ſectionis*, hoc verſu:

Sed jam PROTOTOMOS tempus decidere CAVLES; quemadmodum videlicet etiam a *Galeno* appellantur *πρωτότομοι καυλοὶ*, & a *Martiale* lib. 10. epigram. 48. atque lib. 14. epigr. 101. *Prototomi coliculi.* De iisdem CYMIS ſive *Coliculis primæ ſectionis*, & eorundem apud antiquos Romanos *præparationibus* conſulendus inſuper eſt *Cælius Apicius* libri tertii de Re culinaria capite (1) *ſeptimo;* quod inſcribitur *de CYMIS;* ut & libri octavi capite ſeptimo, ubi inter ea, quæ ad *Porcellum Hortulanum* præparandum pertinent, etiam memorantur *COLICVLI elixi.* Hinc igitur jam patet, cur in *Teſtamento* hoc *M. Grunnii Corocottæ Porcelli* mactatus is eſſe dicatur

(1) *Nempe ſecundum* Albani Torini *editionem*, Baſileæ, *A. 1541. in 4to impreſſam. In editione autem* Gabrielis Humelbergii, *Medici & Phyſici Iſnenſis*, Tiguri *typis Froſchovianis A. 1542. in 4to impreſſa, eſt illud Caput* nonum, *& pro* Cymæ, *perperam legitur* Cimæ; *quod tamen recte ibi emendavit jam memoratus* Humelbergius *in* Annotationibus *ſuis lectu digniſſimis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tur *eo tempore*, VBI ABVNDANT CYMÆ; nempe quia veteres Romani *carnem porcellinam* libenter comederunt cum CYMIS ſive *Coliculis braſſicæ prototomis.* Quod autem expreſſa fit mentio *diei decimi ſexti ante Kalendas Apriles*, ejus cauſam eſſe arbitror, quoniam eo die celebrabantur *Liberalia* ſive *Dionyſia* in honorem *Liberi* ſive *Bacchi* cum profuſa lætitia convivali, cujus pars ſine dubio etiam fuit *Porcellus Hortulanus*, cujus præparatio a *Cælio Apicio* lib. 8. de Re culinaria cap. 7. deſcribitur his verbis: (1) *Porcellus Hortulanus exoſſetur per gulam in modum utris; indatur ei pullus iſiciatus particulatim conciſus; adjiciantur turdi, ficedulæ, iſicia de pulpa ſua, lucanicæ, dactyli exoſſati, edules bulbi, cochleæ exemptæ, malvæ, porri, betæ, apium, COLICVLI ELIXI, coriandrum, piper integrum, nuclei; ova quindecim ſuperinfundantur, & liquamen piperatum; ova addantur tria, & denique conſuatur, præduretur, & in furno aſſetur. Deinde a dorſo ſcindatur, & jure hoc perfundatur; piper teratur; ruta, liquamen, paſſum, mel & oleum modicum bulliant; ubi bullierint, amylum mittatur. Jus porro frigidum in porcellum ſic facias: In elixum teras piper, careum, anethum, origanum modicum, nucleos pineos; ſuffundas acetum, liquamen, caræum, mel ſinapi factum, ſuperſtiles oleum, piper aſpergas, & inferas.* Hucuſque *Cælius Apicius.* Cæterum cur *Calendæ Aprilis* appellen-

A tur LVCERNINÆ, nulla alia nunc mihi ſuppetit ratio, quam quod (2) *illo menſe* celebraretur *Feſtum Iſidis*, quæ ſecundum *Herodotum*, *Diodorum Siculum*, aliosque antiquos Autores eadem atque Δημήτης ſive *Ceres* eſt. Hoc autem Feſtum vocabatur Λυχνοκαΐα hoc eſt, *Accenſio LVCERNARVM*, quia noctu circa domos frequentes accendebantur *Lucernæ*, eæque per totam ardebant noctem; ut prolixe & accurate refert *Herodotus* lib. 2. cap. 62. his verbis: Ἐς Σάϊν πόλιν ἐπεὰν συλλεχθῶσι τῆσι θυσίῃσι, ἐν τῇ νυκτὶ λύχνα

B κάιουσι πάντες πολλὰ ὑπαίθρια περὶ τὰ δώματα κύκλῳ. τὰ δὲ λύχνα ἔστι ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς καὶ ἐλαίου· ἐπιπολῆς δὲ ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον· καὶ ξύτο καίεται παννύχιον. καὶ τῇ ἑορτῇ οὔνομα κέεται ΛΥΧΝΟΚΑΙΗ. οἱ δ' ἂν μὴ ἔλθωσι τῇσι Αἰγυπτίων εἰς τὴν πανήγυριν ταύτην, φυλάσσοντες τὴν νύκτα τῆς θυσίης, καίουσι καὶ αὐτοὶ πάντες τὰ λύχνα· καὶ οὕτω οὐκ ἐν Σάϊ μούνῃ κάιεται, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν Αἴγυπτον· ὅτευ δὲ καὶ ἕνεκα φῶς ἔλαχε τιμὴν ἡ νὺξ αὕτη, ἔστι ἱρὸς λόγος λεγόμενος. Hoc eſt ſecundum interpre-

C tationem editionis græco-latinæ Wechelianæ Francofurtenſis A. 1608. in folio: *Vbi vero in Sain urbem ſacrificatum convenerunt, noctu ſub dio univerſi circum domos frequentes LVCERNAS accendunt, imbutas ſale & oleo plenas, quibus ſuperſtans incumbit ipſum ellychnium, quod tota ardet nocte. Cui Feſto nomen impoſitum eſt ACCENSIO LVCERNARVM. Ad hunc conventum quicun-*

(1) *Inſpice hujus loci utramque ſupra citatam editionem, nempe* Baſileenſem & Tigurinam, *& videbis, quomodo variantes earum lectiones conciliaverim.*

(2) *In* Calendario Romano Ethnicæ vetuſtatis, *a* Joanne Raſſio *ex variis antiquis Calendariis Romanis collecto, & Sangalli typis Leonhardi Straubii A. 1584. in 4to edito, refertur hoc* Feſtum Iſidis *ad* Nonas *ſive* diem quintum Aprilis.

cunque Ægyptiorum non ierint, obſervantes Sacrificii noctem, & ipſi univerſi LVCERNAS accedunt: atque ita acceduntur LVCERNÆ non in Sai modo, ſed etiam per univerſam Ægyptum. Qua vero gratia nox hæc lumen & honorem ſortita ſit, ſacra quædam ratio commemoratur. Hæc *Herodotus*. Conſulendus etiam eſt de eodem *Feſto LVCERNARVM*, ejuſque origine & arcana cauſa, doctiſſimus *Fortunius Licetus* libro ſexto eruditiſſimi Operis *de Reconditis Antiquorum Lucernis*, & quidem capite 87, ubi agitur de *Lucerna*, in effigiem *capitis Ægyptii Sacerdotis raſi* efformata. Et hæc quidem de CALENDIS LVCERNINIS in præſens ſufficiant. Tu autem, quiquis hæc legis,

- - ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

CLIBANATO ET PIPERATO CONSVLIBVS] Fictitiis hiſce *Conſulum cognominibus* alluditur ad *Clibanum*, in quo (1) caro porcina coquitur, & ad *Piper*, quo eadem conditur. *Clibani* fit mentio apud *Cælium Apicium* lib. 7. de Re Culinaria lib. 7. cap. 5. his verbis: *Aſſatura in collari; elixatur & infunditur in fretali piper, condimentum, mel, liquamen, & (1) attoretur in CLIBANO, quouſque coquatur.* Quæ verba ſupra memoratus *Gabriel Humelbergius* illuſtrat hac Annotatione: *CLIBANVS Græce, FVRNVS Latine dicitur. Eſt etiam CLIBANVS aliquando vas coquinarium, quod Teſtus dicitur & Teſtum, ex ære patens, in quo prunis ſuppoſitis coquuntur ſpiræ, ſcribitæ, muſtacea in muptiis, placentæ & teſtuacea, a teſtu ſic vocata, & ex variis eſculentis concinnata condimenta & obſonia.* *Piperati* autem fit mentio apud eundem *Apicium* lib. 3. cap. 14. his verbis: *Raphanos cum PIPERATO ita ut piper cum liquamine teras.* Ad quæ verba idem ſupra citatus *Humelbergius* hæc annotat: *PIPERATVM condimentum eſt a pipere ſic dictum ſicut Cuminatum a cumino, Coriandratum a coriandro.*

INCLAMAVIT AD SE SVOS PARENTES] In editione *Abſtemiana* perperam legitur, *Clamavit ad ſe duos parentes.*

PATRI MEO VERRINO LARDINO] *Priori* horum duorum cognominum alluditur ad vocabulum *Verres*, quod ſignificat *porcum maſculum*; *poſteriori* autem ad *Lardum* ſeu *puinguedinem ſuillam.* Notandum etiam hic obiter eſt, cognomen VERRINVS *Genti Gellæ & Magiæ* fuiſſe *familiare*, ut videre eſt in *Jani Gruteri* Syntagmate antiquarum Inſcriptionum Romanarum pag. 730; utpote ubi fit mentio GELLIÆ VERRINÆ & MAGII VERRINI.

DO LEGO DARI] In editione *Abſtemiana* perperam legitur DELEGO DARI, eademque vitioſa lectio ibidem deinceps *bis* repetitur.

MATRI MEÆ VETERINÆ SCROFÆ] In editione *Abſtemiana* nomen *Veturinæ* perperam omiſſum eſt. Mihi autem veriſimile videtur, initio fuiſſe ſcriptum vel VETVRIÆ SCROFÆ vel VETVLINÆ SCROFÆ, nempe per alluſionem

(1) *Vide ſupra citatum* Cælii Apicii locum lib. 8. cap. 7.

(2) *In editione* Baſilienſi *legitur atteritur.*

ſionem vel ad verum *nomen gentilium* VETVRIVS, quod apud antiquos Hiſtoriæ Romanæ Scriptores & in vetuſtis Inſcriptionibus paſſim occurrit, vel ad verum *cognomen* VETVLINVS, quod *Caſſiæ Genti* fuit *familiare*, ut apud *Dionem Caſſium* lib. 58. videre eſt. Similiter enim & cognomine SCROFÆ alluditur ad verum cognomen SCROFA, quod *Tremelliæ Genti* fuit familiare, ut patet ex *Cn. Tremellio* SCROFA, cujus *Plinius* Hiſt. Natur. lib. 17. cap. 23. meminit. Origo autem & cauſa hujus cognominis refertur a *M. Terrentio Varrone* lib. 1. de Re ruſtica cap. 4. ubi ipſe *Tremellius Scrofa* introducitur loquens his verbis: *Ignorare videris, cur appeller Scrofa. Itaque ut etiam hi propter te ſciant, cognoſce meam Gentem ſuillum cognomen non habere, nec me eſſe ab Eumæo ortum. Avus meus primum appellatus eſt SCROFA, qui Quæſtor cum eſſet Licinio Nervæ Prætori Macedonia provincia relictus, qui præeſſet exercitui, dum Prætor rediret, hoſtes arbitrati occaſionem ſe habere victoriæ, impreſſionem facere cæperunt in caſtra. Avus, cum cohortaretur milites, ut caperent arma, atque exirent contra, dixit, celeriter ſe illos, VT SCROFA PORCOS, disjecturum; id quod fecit. Nam in prælio hoſtes ita fudit ac fugavit, ut eo Nerva Prætor Imperator ſit appellatus, Avus cognomen invenerit, ut diceretur SCROFA: itaque Proavus ac ſuperiores, de Tremelliis nemo appellatus SCROFA; nec minus ſeptimus ſum deinceps Prætorius in Gente noſtra, nec tamen defugio, quin dicam quæ ſcio de ſuillo pecore,* Hucuſque ipſe *Tremellius Scrofa* de origine ſui cognominis. *Mater* itaque *Corocottæ porcelli* fingitur hic appellari VETVRIA vel VETVRINA, ſeu potius VETVLINA, ob provectam ætatem, quaſi *Vetula;* SCROFA autem ob *frequentem partum multorum porcorum.* Sus enim, quæ multos jam peperit porcos, proprie dicitur *Scrofa.*

LACONICÆ SILIGINIS MODIOS XL] In editione *Abſtemiana* pro *Laconicæ ſiliginis* perperam legitur *Lalluginis.*

SORORI MEÆ QVIRINÆ] Viri doctiſſimi *Claudius Salmaſius* & *Gerardus Joannes Voſſius* exiſtimant, ſororem hanc *Corocottæ porcelli* natu minorem appellari QVIRINAM quaſi Χοιρίνην ſive CHOERINAM per alluſionem ad vocem Græcam χοῖρος, quæ ſignificat *porcum;* ſed revera alluditur fictitio hoc nomine QVIRINA ad *quiritum*, qui proprius eſt porcorum tenellorum, ut *grunnitus* porcorum adultorum. Quemadmodum enim *pulli gallinacæi* a ſono primæ ſyllabæ *pi* dicuntur *pipire*, ſic *porci tenelli* a ſono primæ ſyllabæ *qui* dicuntur *quirire*; pro quo Germani noſtri ſecundum Saxoniæ Inferioris dialectum dicunt *quiken.* Iidem etiam ex latino *quirire* per mutationem *qu* in *k* & geminationem literæ *r* fecerunt verbum *kirren*, quod ſignificat *ſtridere.* Cæterum a verbo primitivo *quirire* deſcendit frequentativum verbum *quiritare*, quo *Autor Poematis de Philomela ſive Luſcinia*, *Ovidio* perperam attributi, utitur pro *vocem verris edere* hoc verſu:

QVIRITAT VERRES tardus;
rudis oncat aſellus.

Idem quoque verbum *quiritare* per metaphoram uſurpatur pro *vagitu infantium*, ut videre eſt apud *Plinium*

Juniorem lib. 6. epiſt. 20. ubi de *Veſuvii* montis incendio agens, ſic ſcribit: *Audires ululatus fœminarum, INFANTIVN QVIRITATVS, clamores virorum.* Aliud ergo eſt verbum *Quiritare*, cum derivatur a voce porcellina *quirire*, atque aliud, cum derivatur a nomine *Quirites*, utpote cum ſecundum poſteriorem hanc derivationem ſignificet *Quiritium*, hoc eſt, *Populi Romani implorare fidem & auxilium*, ut teſtatur *Varro* lib. 5. de Lingua Latina his verbis: *Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat.* Idem quoque multis veterum Autorum exemplis confirmat & illuſtrat *Barnabas Briſſonius* lib. 8. de Formulis, & *Joannes Ludovicus de la Cerda* Adverſariorum Sacrorum cap. 141. §. 508. in *Notis* ad *Iſidori Gloſſarium*, ubi *quiritare* & *proquiritare* ſignificat *Populum alloquendo aliquid publicare.* Quamvis igitur *Corocottæ porcelli ſoror* ob tenellam ætatem nominetur QVIRINIA per alluſionem ad porcellinam vocem *quirire*, opinor tamen, ut in reliquis omnibus hujus Teſtamenti fictitiis nominibus & cognominibus verorum nominum & cognominum Romanorum ludicra imitatio latitat, ſic etiam per nomen QVIRINA reſpici ad verum nonnullarum fœminarum Romanarum nomen gentilitium QVIRINIA & verum cognomen QVIRINA, quorum exempla extant in *Jani Gruteri* antiquarum Inſcriptionum Syntagmate.

IN CVIVS VOTVM INTERESSE NON POTVI] Videtur hic per jocum intelligendum eſſe *Votum matrimonii* ſive *deſponſatio nuptialis.*

DABO DONABO] In editione *Abſtemiana* verbum DONABO perperam omiſſum eſt.

SVTORIBVS SETAS] Hinc patet, non carere teſtimonio antiquitatis, quod *Robertus Stephanus* in Theſauro Linguæ Latinæ refert, verbum *ſuere* a quibuſdam deduci a *ſue*, quia hujus animalis *pili* in *ſuendo* ſutores uterentur.

RIXATORIBVS CAPITINAS] In editione *Abſtemiana* mendoſe legitur *Rixoribus.* Quod porro autem ad vocem CAPITINAS attinet, ingenue fateor, de ejus vera lectione veroque ſenſu nondum mihi ſatis liquere. An forte legendum eſt RIXATORIBVS CANINOS, ſubaudito DENTES? Qui autem illi ſint, docet *Plinius* Hiſt. Nat. lib. 11. cap. 37. his verbis: *Continuorum dentium, qui digerunt cibum, lati & acuti; qui conficiunt, duplices; qui diſcriminant eos, CANINI appellantur. Hi ſunt ſerratis longiſſimi.* Item lib. 7. cap. 16. *Fœminis minor numerus dentium: quibus in dextra parte gemini ſuperne, A CANIBVS COGNOMINATI, fortunæ blandimenta pollicentur, ſicut in Agrippina Domitii Neronis matre; contra in læva.* Hæc *Plinius.* Quem poſteriorem locum doctiſſimus *Claudius Salmaſius* in Plinianis Exercitationibus ad *Solini* caput *primum* prolixe explicat. Iidem dentes vocantur græce Κυνόδοντες, ut apud *Ariſtotelem* de Hiſtor. Animal. lib. 2. cap. 3. & apud *Solinum* jam citato loco videre eſt. Hos igitur κυνόδοντας ſive CANINOS *dentes* RIXATORIBVS *ob conviciorum morſus & lacerationes* valde convenienter legari arbitor; nempe eodem fere ſenſu, quemadmodum *Theonimus dens, gemimus dens,*

dens, & *facundia* atque *eloquentia* *CANINA*, abierunt in proverbium.

BVBVLARIIS INTESTINA] In editione *Brassicani* legitur *Bubulariis.*

ISICIARIIS FEMORA] Ita hic legendum est, non autem, ut vulgo legitur ESICIARIIS. *Isiciarii* enim dicuntur coqui, qui faciunt *Isicia.* ISICIA autem, ab *insecando* proprie nuncupata ISICIA, sunt non solum *edulia & cibaria ex carne insecta & concisa*, quæ vel per se, vel reticulo & omento circumdata in sartagine, aliis etiam nonnullis rebus, & præcipue quidem aromatibus, plerumque adjunctis, cum adipe, butyro aut oleo friguntur; verum etiam *farcimina*, quæ fiunt intestinis *carne concisa* fartis & impletis, & alias a Græca voce τομὴ, quæ *sectionem* & *incisuram* significat, appellantur *tomacula.* Meminit hujusmodi *Insiciorum* sive *Isiciorum Varro* lib. 4. de Lingua Latina his verbis: *INSICIA, ab eo quod INSECTA CARO, ut in Carmine Saliorum est; quod in Extis dicitur nunc Prosectum.* Prolixius & accuratius de iisdem agit *Macrobius* Saturnalium lib. 7. cap. 8. ubi *Furius Albinus* & *Disarius* introducuntur colloquentes hoc modo: *Post hæc Furius Albinus: Ego quoque pro virili portione Disarium nostrum in exercitum non relinquo. Dicas, quæso, quæ causa difficile digestu facit INSICIVM, quod ab INSECTIONE INSICIVM dictum, (amissione enim literæ N postea quod nunc habet nomen obtinuit;) cum multum in eo digestionem futuram juverit tritura tam diligens, & quicquid grave erat carnis absumpserit, consummationemque ejus multa ex parte confecerit; Et Disarius: Inde hoc genus cibi difficile digeritur, unde putas ei digestionem ante provisam. Levitas enim, quam tritura præstitit, facit ut innatet udo cibo, quem in medio ventris invenerit, nec adhæreat cuti ventris, de cujus calore digestio promovetur: sic & mox atque formatum, cum in aquam conjicitur, natat; ex quo intelligitur, quod idem faciens in ventris humore, subducit se digestionis necessitati, & tam sero illic coquitur, quam tardius conficiuntur, quæ vapore aquæ, quam quæ igne solvuntur. Deinde, dum instantius teritur, multus ei flatus involvitur, qui prius in ventre consummendus est, ut tum demum conficiatur, quod remansit de carne jam liberum.* Hucusque *Macrobius.* Idem quoque vocabulum ISICIVM, sed male transformatum in *Hysitium* & *Esicium*, frequentissime occurrit apud *Cælium Apicium* in Opere de Re culinaria, & quidem imprimis lib. 2. cap. 1. ubi ex professo agitur *de Isiciorum præparationibus.* Cæterum ex simplici vocabulo ISICIVM factum porro est vocabulum compositum *Salsicium*, quasi *Salsum Insicium* sive *Isicium*, & ex hoc denique corruptum vocabulum Gallicum *Sauciſſe*, quod & apud Germanos nostros jam in usu est.

MVLIERIBVS LVMBVLOS] Per *Lumbulos* hic nihil aliud significantur quam *Renes*, quemadmodum apud *Cælium Apicium* lib. 7. cap. 8. quod *de Lumbulorum & Renum apparatu* inscribitur. Recte enim ibi annotat *Gabriel Humelbergius*, in his verbis, *Lumbuli & Renes*, conjunctionem ET expositive accipiendam esse pro ID EST, *Lumbulosque* dictos esse a *Lumbis*, quia spinæ ad-

hærent quaſi parvi lumbi. Quod autem mulieribus hic legantur LVMBVLI eo fit, quoniam *in Lumbis & Renibus præcipua libidinis Veneriæ ſedes* eſt, ideoque iisdem non ſolum a profanis Autoribus antiquis Græcis & Latinis, verum etiam in ipſa *Scriptura Sacra opus generationis* paſſim attribuitur; ut multis exemplis demonſtrat doctiſſimus *Joannes Henricus Meibomius* in Diſſertatione *de Vſu flagrorum in re Veneria.* Vide etiam *Joannis Petri Lotichii* Quæſtionum Petronianarum de Re Medica Reſolutiones, lib. 2. cap. 17. in explicatione horum apud *Petronium Arbitrum* verborum: *Eumolpus, qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer, non diſtulit puellam invitare ad Pygiciaca ſacra. Sed & podagricum ſe eſſe LVMBORVMQVE SOLVTORVM omnibus dixerat, & ſi non ſervaſſet integram ſimulationem, periclitabatur totam pæne tragœdiam evertere.* Ubi ſine dubio SOLVTI LVMBI iidem ſunt atque *nimia Venere enervati.*

PVERIS VESICAM] Hujusmodi *Veſica*, quæ puerorum luſui inſervit, vocatur Germanice a ſonitu, *eine Knapblaſe.* Meminit ejus *Lucretius* lib. 6. his verſibus:

Nec mirum, cum plena anima VESICVLA PARVA
Sæpe ita dat pariter ſonitum diſplo-
ſa repente.

PVELLIS CAVDAM] Nempe vel pro *flabello ludicro*, vel per alluſionem ad *obſcænum ſenſum* vocis *Cauda*; ut apud *Horatium* L. 1. Satyr. 2.

Accidit, ut cuidam teſtes CAVDAMQVE SALACEM
Demeteret ferrum;

item Lib. 2. Satyr. 7.

- - - - ſub clara muda lucerna
Quæcunque excepit TVRGENTIS verbera CAVDÆ.

CINÆDIS MVSCVLOS] Nempe ob *enervatam totius corporis mollitiem.* Κίναιδος enim ſecundum *Heſychium* & Autorem anonymum *Magni Etymologici* eſt Græci ἀσελγὴς πόρνος ſive *puer Sodomiticus*, ſic dictus ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὴν αἰδῶ. Secundum hanc igitur etymologiam prima hujus nominis ſyllaba ſcribenda eſt per I. apud eundem tamen jam citatum *Heſychium* legitur etiam Κύναιδος, & exponitur per λὰν ἀναιδὴς; ſecundum quam ſcripturam & etymologiam *Cynaedus* ſignificat *hominem impudentia canina præditum*, & ſcribendum eſt in prima ſyllaba per Υ.

CVRSORIBVS ET VENATORIBVS TALOS] Appoſite profecto & congrue. Indigent enim hi *robore & agilitate pedum* quam maxime.

LATRONIBVS VNGVLAS] Admodum convenienter. *Vngulæ* enim ſymbolum ſunt *rapinæ & rapacitatis*; quam ob rem & *Plautus* in *Pſeudolo* Act. 2. Scen. 2. *Vngulas injicere* uſurpat pro *rapere.* Introducitur enim ibi *Pſeudolus* ſervus *Harpacem* alloquens his verbis.

- - - nunc certo ſcio
Hoc febrim tibi eſſe, quia non licet
huic (argento) *INIICERE*
(VNGVLAS.

ET NEC NOMINANDO COCO DO, LEGO AC DIMITTO POPAM ET PISTILLVM, QVÆ MECVM DETVLERAM A QVERCETO VSQVE AD HARAM; LIGET SIBI COLLVM DE RESTE] Ita hic locus legitur

in

in editione *Joannis Alexandri Braſſicani* & *Barnabæ Briſſonii*; in editione autem *Laurentii Abſtemii* multo etiam corruptior is legitur hoc modo: *Et nec nominando Coco LEGATO dimitto POPINAM & Piſtillum, QVEM mecum ATTVLERAM De TEBESTE uſque ad TERRESTRE liget ſibi collum de reſte.* Ego vero veram & genuinam ejuſdem loci lectionem arbitror eſſe hanc: *Et nec nominando Coco do, lego ac dimitto PODICEM, & PASTVM* (1) *ILICEVM, QVEM mecum detuleram a querceto uſque ad haram; liget ſibi collum de reſte.* Tale enim non nominandum legatum NEC NOMINANDO debebatur *occiſori*, nempe *Podex* cum *paſtus ilicei* ſeu *querni ſtercoreis reliquiis*, atque loco ultimi VIVE, VALE, ET MEI ESTO MEMOR, imprecatio *voluntarii ſuſpendii*, LIGET SIBI COLLVM DE RESTE, hoc eſt Germanice, *Daſz er ſich erhenke.*

M. GRVNNIVS CORO-
COTTA PORCELLVS VIXIT
ANNO DCCCCXCVIIII, QVOD
SI SEMIS VIXISSET, MILLE
ANNOS IMPLESSET.] Si Inſcriptio hæc ſimpliciter ita eſſet interpretanda, ut nuda verba ſonant, ſuperaſſet *porcellus* iſte *Corocotta* longitudine vitæ ipſum illum omnium hominum μακροβιώτατον *Mathuſalah*, ut pote quem Scriptura Sacra teſtatur vixiſſe non niſi annos *nongentos ſexaginta novem*; attenimvero ſub hoc tam abſurdo & ridiculo ænigmate latitat *verum tempus*, quo ludicrum hoc Teſtamentum compoſitum eſt, ſimul & *præcipuum indicium veræ hiſtoriæ*, quæ ejuſdem fingendi occaſionem præbuit. Totum enim hoc Teſtamentum eſt mera *Satyra* & per MILLE ANNOS non intelliguntur hic *mille anni vitæ* vel *porcelli* alicujus vel *hominis*, ſed *mille anni a condita Vrbe Roma. Milleſimus* autem *primus annus Vrbis conditæ* (2) *Varronianus* cœpit currente anno communis Æræ Chriſtianæ *ducenteſimo quadrageſimo octavo*, quo ab *Imp. M. Julio Philippo Arabe Conſule III.* ejuſque filio *M. Julio Philippo Cæſare Conſule II*, *Ludi Seculares* ob *milleſimum* annum Vrbis conditæ abſolutum magnificentiſſime celebrati ſunt; ut ſolidiſſime demonſtrat R. P. *Dionyſius Petavius* in magno Opere *de Doctrina Temporum* Lib. XI. cap. XXV. & lib XIII. ad an. Chriſti 248. Hoc igitur anno, & quidem poſt celebrationem *Agonis millenarii* Teſtamentum hoc ab anonymo quodam *Satyrographo* confictum eſſe arbitror occulta quadam alluſione ad *Imp. M. Antonium* GORDIANVM TERTIVM, qui *vigeſimo ſecundo* ætatis ſuæ anno juſſu invaſoris Imperii *M. Julii Philippi Arabis* anno Vrbis conditæ 997, Chriſti autem 244, crudeliter & nefarie occiſus eſt. Hoc enim facinus adeo fuit enorme & ſcele-

(1) *Jlex germanice dicitur* eine Steineiche, *vel ſecundum Tabernamontanum* eine Stecheiche, *& differt a quercu foliis. laurinis ſimilibus & ſerratis, glandeſque habet quernis minores. Sæpiſſime tamen Jlex promiſcue uſurpatur pro* Quercu, *quemadmodum etiam hoc loco PASTVS ILICEVS idem eſt atque* QVERNVS, *qui germanice vocatur* Eichen weide *vel* Eichel-weide. *Sic enim & apud* Statium *legitur ILICEÆ TRABES. Idem nempe ILICEVS eſt atque* Ligneus & Ilignus.

(2) *Hoc eſt, ſecundum ſupputationem* M. Terentii Varronis.

leratum, ut *Julius Capitolinus in* Vita *Imp. Gordiani III, Imp. Conſtantino Magno* dedicata, merito exclaclamet; *Ita Philippus impie, non jure obtinuit Imperium.* Quamvis autem ſatyricum hoc Teſtamentum corroborato jam & ſatis firmato *Imp. Philippi Arabis* Imperio compoſitum ſit, neceſſario tamen *cædes* Imp. *Gordiani* quam maxime obſcuro involvenda fuit ænigmati, quia ipſe *Imp. Philippus* barbarum illud crudelitatis ſuæ exemplum omnibus modis occulere ſtuduit; ut teſtatur *Julius Capitolinus* in ſupra citata *Imp. Gordiani III.* Vita his verbis: *Philippus ne a crudelitate nanciſci videretur Imperium, Romam literas miſit, quibus ſcripſit GORDIANVM MORBO PERIISSE, ſeque a cunctis militibus electum; nec defuit, ut Senatus de his rebus, quas non noverat, falleretur. Appellato igitur PRINCIPE Philippo, & AVGVSTO nuncupato, Gordianum adoleſcentem INTER DEOS retulit. Fuit juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in literis nobilis, prorſus ut nihil PRÆTER ÆTATEM deeſſet Imperio. Amatus eſt a Populo & Senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita ut nemo Principum. Cordus dicit, omnes milites eum FILIVM appellaſſe, ab omni Senatu FILIVM dictum, omnem Populum DELICIAS SVAS Gordianum dixiſſe. Denique PHILIPPVS, cum eum interfeciſſet, neque Imagines ejus tollere, neque Statuas deponere, neque Nomen abradere; ſed DIVVM ſemper appellans etiam apud ipſos milites, cum quibus factionem fecerat, ſerio animo & peregrina calliditate veneratus eſt.* Hucuſque *Julius Capitolinus.* Quod itaque ad *hiſtoricam* ænigmatici iſtius & ſatyrici Teſtamenti enucleationem attinet, ea, quantum quidem hactenus a me indagari potuit, eſt talis, quemadmodum hic diſtincte ſubjungitur.

Primo videlicet, per COCVM, cujus juſſu *porcellus Corocotta* a *famulis* comprehenſus & ad necem ductus eſt, ſignificatur IMP. PHILIPPVS ARABS, & per *artem coquinariam* alluditur partim quidem ad ejusdem *crudelitatem*, partim autem ad *ignobilitatem generis*, quam *Julius Capitolinus* clare & expreſſe indicat his verbis: *Myſitheo* (Socero Imp. Gordiani III) *mortuo*, (1) *Arriano & Papo Conſulibus, in ejus locum Præfectus Præfectorii factus eſt PHILIPPVS ARABS, HVMILI GENERE NATVS, ſed ſuperbus, qui ſe in novitate atque enormitate fortunæ non tenuit; ita ut ſtatim Gordiano, qui eum IN Locum PARENTIS adſciverat, inſidias per milites faceret.*

Secundo, per *PORCELLVM occidendum* ſignificatur *IMP. GORDIANVS TERTIVS*, IMP. *Gordiani Secundi* filius, & Imp. *Gordiani Primi* nepos, alluditurque per diminutivam vocem *Porcellus* ad *puerilem ætatem*, vel ad *primam adoleſcentiam*, quarum alterutra Imperium adeptus eſt, ut teſtatur *Julius Ca-*

(1) *Intelliguntur hoc loco* C. Julius Arrianus & Æmilius Papus, *qui* Conſules *fuerunt* A. V. C. 966. *Chriſti autem* 243. *Notandum etiam eſt, in* Jani Gruteri *editione Scriptorum Hiſtoriæ Auguſtæ Latinorum Minorum pro* Arriano *perperam legi* Apriano, *eundemque errorem ibidem quoque repeti in* Indice.

Capitolinus his verbis: *Post mortem duorum Gordianorum, Senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti Viris, quos ad Rempublicam tuendam delegerat, Pupienum sive Maximum & Claudium Balbinum Augustos appellavit, ambos ex Consulibus. Tunc Populus & Milites GORDIANVM PARVULVM, annos agentem, ut plerique asserunt, VNDECIM, ut nonnulli, TREDECEM ut Junius Cordus dicit, SEDECIM, (nam VIGESIMO ET SECVNDO anno eum periisse asserit,) petiverunt, ut CÆSAR appellaretur; raptusque ad Senatum, atque inde in Concione positus, indumento Imperatorio tectus, CÆSAR est appellatus. Hic natus est, ut plures asserunt, ex filia Gordiani, ut unus aut duo, (nam amplius invenire non potui,) ex (1) FILIO, qui in Africa periit. Gordianus igitur CÆSAR factus, apud Matrem educatus est, &, cum exstinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, qui biennio imperaverant, GORDIANVS ADOLESCENS, qui CÆSAR eatenus fuerat, a militibus & Populo & Senatu & omnibus Gentibus ingenti amore, ingenti studio & gratia AVGVSTVS est appellatus.* Huc quoque pertinet, quod idem *Capitolinus* supra citato loco ait, *GORDIANI TERTII Imperio FRÆTER ÆTATEM nihil defuisse.*

Tertio, per *PORCINAM vitæ conditionem, Imp. Gordiano Tertio* in hoc Testamento affictam, alluditur ad *patris* ipsius, nempe *Imp. GORDIANI SECVNDI, voluptariam & libidinosam vitam*, cujus *Julius Capitolinus* meminit his verbis: *MVLIERVM CVPIDISSIMVS fuit* (Imp. Gordianus Junior sive Secundus). *Habuisse eum decretas* sibi *CONCVBINAS VIGINTI DVAS fertur; ex quibus omnibus TERNOS & QVATERNOS FILIOS reliquit, appellatusque est SVI TEMPORIS* (2) *PRIAMVS; quem vulgo jocantes, quod esset natura* (3) *propensior PRIAPVM, non PRIAMVM, sæpe vocitarunt. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus, nec pater aspernatus est, sæpissime dicens, illum quandoque in summa claritate cito esse moriturum.* Item aliquanto post: *Extant dicta & soluta oratione & versibus GORDIANI JVNIORIS* (sive SECVNDI), *quæ* (4) *HODIE ab ejus AFFINIBVS frequentantur, non magna, non minima, sed media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed LVXVRIANTIS & suum deserentis ingenium.* Et tandem: *Hæc de GORDIANO JVNIORE digna memoratu comperimus. Non enim nos talia dicere voluimus, quæ Junius Cordus ridicule ac stulte composuit DE VOLVPTATIBVS DOMESTICIS*

(1) *Idem repetit ac confirmat paulo post ipse* Julius Capitolinus *ibidem his Verbis*: DEXIPPVS asseverat ex FILIO Gordiani (primi) TERTIVM GORDIANVM esse natum. *Si quis quis jam porro scire cupit, quis ille fuerit* Dexippus, *qui hic a* Julio Capitolino *citatur, is consulat* Gerard. Joan. Voss. *de Histor. Græc. lib. 2. cap. 16.*

(2) *Nempe ob* liberorum multitudinem. *Qua de re videsis* Homerum & *alios antiquos Poetas.*

(3) *Nempe* ad rem veneriam.

(4) *Nempe temporibus* Imp. Constantini Magni, *cum is post* Licinii *interitum jam imperaret solus. Tunc enim* Julius Capitolinus trium Gordianorum *scripsit* Vitas, *easque* Imp. Constantino Magno *dedicavit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CIS, cæteriſque infimis rebus; quæ qui velit ſcire ipſum legat Cordum. Hucuſque *Julius Capitolinus.* Quemadmodum igitur *Horatius* lib. 1. ep. 4. hujusmodi hominem voluptarium merito vocat *Epicuri de grege PORCVM,* his verbis:

Me PINGVEM & nitidum
bene curata cute viſes,
Cum ridere voles EPICVRI DE
GREGE PORCVM;

ſic minime dubium eſt, quin etiam Autor hujus Teſtamenti eodem reſpexit, & *Imp. Gordianum Tertium* finxerit eſſe *Porcellum*, tanquam *libidinoſiſſimo Verre genitum.* Perſuaſiſſimum inſuper habeo, *Imp. GORDIANVM Tertium*, partim quidem ob res in *Africa* contra *Imp. Maximinum* geſtas, partim autem ob nimiam *pervetuſtæ Nobilitatis ſuæ* oſtentationem, cujus etiam *Julius Capitolinus* expreſſe meminit, partim denique ob *monſtroſam libidinem Veneriam*, tacite hic comparari cum *Plautino* illo *Milite glorioſo Pyrgopolinice*, qui in ejuſdem tituli Comœdia, & quidem Act. 4. Scen. 2. conqueritur, adeo multas mulieres ob eximiam pulchritudinem ſuam & præclara facta moleſtas ſibi fuiſſe de concubitu, ut, quot illæ & quænam fuerint, ne meminiſſe quidem poſſit, ideoque ſervo ſuo Paleſtrioni interdicit, ne vulgo ac promiſcue omnibus mulieribus ſuam pollicitetur operam. Hinc igitur *Palæſtrio Milphidippam* ancillam ibi alloquitur his verbis:

- - - PA. Audin' tu mulier?
Dixi hoc tibi dudum, & nunc dico:
niſi huic VERRI affertur merces,
Non hic ſuo ſeminio quamque PORCVLAM impertiturus eſt.
MI. Dabitur quantum ipſus pretii poſcet. - - - -

Item paulo poſt introducuntur ibidem *Paleſtrio* ſervus, *Milphidippa* ancilla & ipſe *Pyrgopolinices*, de longævitate filiorum ejus colloquentes hoc modo:

- - - PY. non edepol tu ſcis mulier.
Quantum ego honorem nunc illi (ſc. Heræ tuæ) habeo.
(MI. ſcio & iſtuc illi dicam
PA. Contra auro alii hanc vendere potuit operam MI. iſtuc pol tibi credo.
PA. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit;
Et pueri ANNOS OCTINGENTOS vivunt. MI. Væ tibi mugator.
PY. Quin MILLE ANNORVM perpetuo vivunt, ab ſeculo ad ſeculum.
PA. Eo minus dixi, ne hæc cenſeret me advorſum ſe mentiri.
MI. Perii; quot hic ipſe annos vivet, cujus filii tam diu vivunt?
PY. Poſt triduo natus ſum ego, mulier, quam Jupiter ex Ope natus eſt.
PA. Si hic pridie natus foret, quam ille eſt, hic haberet Regnum in Cælo.

Nempe & hanc *Militis glorioſi* jactantiam Autor hujus Teſtamenti *Imp. Gordiano Secundo* ſatyrice accomodavit, cum propter *Imp. Gordiani Tertii* feliciſſimam Expeditionem *Perſicam* & ſplendidiſſimum *Triumphi Perſici* apparatum, de quo paulo poſt accuratius agetur, tum quoque ob ejusdem interitum paulo ante *annum Vrbis conditæ milleſimum.*

Quarto, per cognomen CORCOTTA ſignificantur antiquiſſimæ Gentes Romanæ AVRELIA & CORNELIA, quibus, ut ſupra demonſtratum eſt, cognomen COTTA fuit familiare. Nam ex his duabus, ut & pluribus aliis vetuſtiſſimis nobiliſſimisque Gentibus Romanis *tres Imperatores GORDIANI* oriundos ſe eſſe

esse gloriati sunt, & quidem nimis affectata ambitione, quæ invidiam simul iis peperit & ludibrium. Qua de re consulendus est *Julius Capitolinus* in principio Vitæ *Imp. Gordiani primi*, ubi expressa fit mentio *originis paternæ* ex *Gracchis* Gentis *Semproniæ*, *maternæ* autem ex *Imp. Trajano* Gentis *Vlpiæ*; ut & in principio Vitæ *Imp. Gordiani Secundi*, ubi originis GORDIANORVM, partim quidem ex *Antoninis* Gentis *Aureliæ*, partim autem ex *Scipionibus* Gentis *Corneliæ*, partim denique ex Gentibus *Pompeja* & *Antonia*, fit mentio his verbis: *Gordianus Junior* (sive Secundus) *Gordiani Senis*, *Proconsulis Africæ*, *filius*, *qui cum patre & ab Afris*, *& Senatu AVGVSTVS appellatus est*, *literis & moribus clarus fuit præter Nobilitatem*; *quam*, *ut nonnulli ab ANTONINIS*, *ut plurimi*, *ab ANTONIIS duxit*. *Siquidem argumento ad probandam generis qualitatem alii hoc esse dixerunt*, *quod AFRICANVS Gordianus Senior appellatus est*, *cognomine SCIPIONVM*; *quod Domum POMPEIANAM in Vrbe habuit*; *quod ANTONIORVM cognomine semper est nuncupatus*; *quod ANTONIVM filium suum ipse significari voluit in* (1) *Senatu*; *quæ singula videntur Familias designare*. *Sed ego Junium Cordum sequor*, *qui dicit*, *ex omnibus his Familiis Gordianorum coaluisse Nobilitatem*. *Idem igitur natus patri primus ex Fabia Orestilla*, *Antonii pronepte*; *unde Cæsarum quoque Familiam contingere videbatur*. *Et primis diebus sui natalis ANTONIVS est appellatus*; *mox in Senatu ANTONINI nomen est editum*; *vulgo deinde GORDIANVS haberi cœptus*. Hucusque *Julius Capitolinus*. Cæterum quamvis, ut supra demonstravi, cognomen COTTA recte derivetur à græco verbo κοττέω, quod idem est atque *verbero*, opinor tamen hic propter *Imp. Gordiani Secundi* LASCIVIAM JUVENILEM, qua, ut *Julius Capitolinus* testatur, a luxurioso Imperatore *Heliogabalo* Quæsturam promeruit, per cognomen COROCOTTA etiam alludi ad *Cottabum* sive *Cottabismum*, celeberrimum in antiquiorum Græcorum & Latinorum conviviis Ludum, quem *Joannes Meursius* in Libello eruditissimo *de Ludis Græcorum* describit his verbis: *Defixa in terram virga quædam longa erat*, *ac super eam item altera*, *quæ utrinque agitabatur ceu in statera*. *Ex hac lances duæ appensæ*, *& sub ipsis crateres totidem*, *aqua pleni*. *Sub aqua statua ænea erat deaurata*, Μάνης *dicta*. *Jam qui* κοτταβίζειν *vellent*, *phialam vino plenam habebant*, *longiusque absistentes*, *inter se certabant*, *quod vini ex epota illa superesset*, *id in lancem illam mittere*, *ut repleta gravis fieret*, *inclinaretque*, *& caput allideret statuæ sub aqua latentis*, *atque ita sonum ederet*; *quique ita jaceret*, *ut ne gutta quidem una in terram caderet*, *majoremque e jactu suo sonum ederet*, *ille victor*, *ab amica redamari se putabat*. Hæc *Meursius*. Vide etiam Explicatores *Juvenalis* ad Satyræ *tertiæ* versum *centesi-*

(1) Isaacus Casaubonus *pro* in Senatu *legendum hic esse credit* in Censu, *hoc est*, *in professione liberorum*, *solita à parentibus fieri apud Acta*.

teſtimum octavum, qui *ultimus* eſt lectu digniſſimi iſtius loci, ubi *Adulatores*, qui tunc temporis in *Aula Cæſarea* vel *Græci* fuerunt, vel *Itali*, Græcorum in arte comica & adulatoria ſimii, elegantiſſime deſcribuntur his verſibus:

Natio COMOEDA eſt. Rides? majore cachinno
Concutitur; flet, ſi lachrimas conſpexit amici,
Nec dolet; igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit (1) *endromidem; ſi dixeris æſtuo, ſudat.*
Non ſumus ergo pares: melior, qui ſemper & omni
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, ſi rectum minxit amicus,
SI TRVLLA INVERSO CREPITVM DEDIT AVREA FVNDO.

Quinto, per titulum EVERSORIS DOMI, quem *Cocus porcello occidendo* tribuit, ut & per *propriam* ejusdem *porcelli confeſſionem*, SI QVA FECI, SI QVA PECCAVI, SI QVA VASCVLA PEDIBVS MEIS CONFREGI, ſignificantur Imp. GORDIANI TERTII *tres priores anni* adminiſtrationis Imperii, videlicet ab anno Chriſti 238. quo electus eſt, uſque ad annum 241, quo, antequam contra *Perſas* proficiſceretur, in uxorem duxit filiam (2) *Myſithei*, doctiſſimi atque diſertiſſimi Viri, quem in locum *Parentis* adſcivit, & ſtatim fecit *Præfectum Prætorii.* Hucuſque enim *Imperium Gordiani puerile & contemptibile* fuerat culpa *Matris* & pravorum ejus ac corruptorum Miniſtrorum aulicorum, quorum illa perniciosis conſiliis & ſceleſta opera per ignorantiam aut conniventiam uſa eſt, quique ſummo jure EVERSORES DOMVS AVGVSTÆ, EVERSORES IMPERII & EVERSORES SALVTIS PVBLICÆ appellari meruerunt. Melioribus enim & fidelioribus conſiliis per ſocerum ſuum *Myſitheum* informatus, agnovit ipſe poſtea *errores* ſuos in adminiſtrando Imperio commiſſos, eosque bona fide abolevit & emendavit; ut *Julius Capitolinus* in ipſius Vita luculentiſſime teſtatur hac vere aurea & omnibus Principibus utiliſſima lectuque neceſſaria narratione: *Finita igitur ſolicitudine in Africa, Gordiano jam iterum & Pompejano Conſulibus, bellum Perſicum natum eſt. Quare ADOLESCENS Gordianus, priuſquam ad bellum proficiſceretur, duxit uxorem filiam MYSITHEI, DOCTISSIMI VIRI, quem CAVSA ELOQVENTIÆ dignum* (3) *Parentela ſua putavit, & Præfectum (Prætorii) ſtatim fecit. Poſt quod non PVERILE jam & CONTEMPTIBILE videbatur Imperium; ſiquidem & optimi Soceri conſilio adjuva-*

(1) Endromis *veſtis fuit Gallica, qua Romani ad arcendum frigus uſi ſunt, & quidem præcipue in Gymnaſio & Theatro poſt exercitationem ludorum, ne luſores calefacti ſubito refrigeſcerent.*

(2) *Ita hoc nomen revera ſcribendum eſt nempe, per Y prima ſyllaba, non autem per I: ut jam pridem recte obſervarunt ac monuerunt doctiſſimi Viri* Iſaacus Caſaubonus & Claudius Salmaſius *in Notis ad* Julium Capitolinum.

(3) *Hoc eſt, quem in locum* Parentis *adſciſceret, & cui ſe daret in* filium. *Nam quod* gener ſocerque patris & filii *nomina uſurpaverint, ex ſe-*

varetur, & ipse propria ætate aliquantulum (1) saperet, nec per spadones aut MINISTROS AVLICOS, (2) Matris vel (3) ignorantia vel conniventia venderetur. Extat denique & Soceri ejus ad eum epistola, & ipsius GORDIANI ad Socerum, qua intelligitur ejus seculum emendatius ac diligentius Socero adjuvante perfectum, quarum exemplum hoc est: DOMINO FILIO ET AVGVSTO MYSITHEUS SOCER ET PRÆFECTVS. Evasisse nos gravem temporum maculam, qua per SPADONES & per illos, qui AMICI Tibi videbantur, (erant autem vehementes INIMICI;) omnia vendebantur, voluptati nobis est, eo magis, quo Tibi gratior EMENDATIO est; ut si qua vitia fuerunt, TVA NON FVISSE satis constet, mi Fili venerabilis. Neque enim quisquam ferre potuit datas Eunuchis suffragantibus militum præposituras; NEGATVM LABORIBVS PRÆMIVM; aut interemptos, aut liberatos, pro libidine atque mercede, quos non decebat; VACVATVM ÆRARIVM; per eos, qui quotidie Te insidiosissime frequentabant, initas factiones, ut Tu decipereris; cum inter se de bonis pessimi quique haberent ANTE-CONSILIA Tibimet suggerenda; bonos pellerent, detestandos insinuarent; omnes postremo TVAS FABVLAS venderent. Diis igitur A gratias, quod, VOLENTE TE IPSO, emendata Respublica est. Delectat sane boni Principis esse Socerum, & ejus, QVI OMNIA REQVIRAT, ET OMNIA VELIT SCIRE, & qui pepulerit homines, per quos antea VELVT IN AVCTIONE positus, nundinatus est. Item GORDIANI ad ipsum: IMPERATOR GORDIANVS AVGVSTVS MYSITHEO PATRI ET PRÆFECTO. Nisi Dii omnipotentes Romanum tuerentur Imperium, etiammunc per emptos Spadones velut in hasta positi venderemur. Denique B nunc demum intelligo, neque Felicem Prætorianis cohortibus præponi debuisse, Neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse, &, ne omnia dimumerem, MVLTA NON FVISSE FACIENDA, QVÆ FECI; sed Diis gratias, quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea, quæ INCLVSVS scire non poteram. Quid enim facerem, quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano & Reverendo & Montano habito, vel laudaret aliquos, vel vituperaret, & illorum consensu quasi testium, quod C dixerat, approbarem? Mi Pater, verum audias velim. MISER EST IMPERATOR, APVD QVEM VERA RETICENTVR; qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut audiat, & vel audita, vel a plurimis corroborata, confirmet. His

sequentibus Imp. Gordiani & Mysithei epistolis mutuis videre est.

(1) Ita hic legendum est, nempe propria ætate, non autem, vulgo perperam legitur pro pietate. Salmasius legendum censet pro ætate.

(2) Priusquam enim Imp. Gordianus III. in uxorem duceret filiam Mysithei, totus fuit in potestate Matris, ita ut ipsa filii nomine omnia in Imperio ageret & administraret per spadones aliosque pravos ministros aulicos.

(3) MISER merito appellandus est Princeps, qui cum a Ministris suis aulicis venditur, vendi se ignorat; STVLTVS autem, qui se vendi scit, & connivet.

His epistolis intellectum est, ADOLESCENTEM Soceri consiliis emendatum atque correctum. Hucusque *Julius Capitolinus.*

Sexto, per titulos SOLIVERSORIS & FVGITIVI, quos *Cocus porcello occidendo* tribuit, significatur Imp. Gordiani Tertii EXPEDITIO CONTRA PERSAS, *Syriam populantes*, utpote quam ea potissimum de causa suscepit, ut varios errores, in administrando Imperio culpa *Matris* & ministrorum ejus ante commissos, absens insigni aliquo facto suo compensaret. Quam felix autem & fortunatus Expeditionis istius fuerit successus, refert *Julius Capitolinus* his verbis: *Sedato terræ motu,* (1) *Prætextato & Attico Consulibus, GORDIANVS aperto Jano gemino (quod signum erat indicti belli, profectus est contra PERSAS cum exercitu ingenti, & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Moesiam, atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thracia fuit, delevit, fugavit, expulit atque submovit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ a Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit, SAPORE Persarum Rege submoto post Artaxatam, Antiochiam recepit, & Carras, & Nisibin, quæ omnia sub Persarum Imperio erant. Rex sane Persarum tantum GORDIANVM Principem timuit, ut cum instructus esset suis copiis, nostris tamen Civitatibus ipse præsidia sponte deduceret, easque integras suis civibus redderet, ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per MYSITHEVM Socerum Gordiani, eundemque Præfectum, gesta sunt. Effectum denique est, ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in Regnum suum, pugnante GORDIANO redirent, totumque Orientem Romana Respublica detineret. Exstat Oratio GORDIANI ad Senatum, qua de rebus suis gestis scribens, MYSITHEO Præfecto suo & Socero ingentes gratias agit; cujus partem indidi, ut ex eo vera* (2) *cognoscere: Post hæc, PATRES CONSCRIPTI, quæ, dum iter agimus, gesta sunt, quæque ubique singulis triumphis digna sunt actitata; etiam PERSAS, ut brevi multa connectam, ab Antiochensium cervicibus, quas jam nexas Persico ferro gerebant, & Regem Persarum amovimus. Carras deinde cæteraque Vrbes Imperio Romano reddidimus. Nisibin usque pervenimus, &, si Dii faverint, Ctesiphonta usque veniemus. Valeat tantum MYSITHEVS Præfectus & Parens noster, cujus ductu & dispositione & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, Nos Diis commendare, MYSITHEO gratias agere. His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum GORDIANO decretæ sunt, utpote qui PERSAS vicisset, ut TRIUMPHO PERSICO triumpharet; MYSITHEO autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus hujusmodi: MY-*

(1) *Intelliguntur hoc loco* C. Aufidius Atticus & C. Afinius Prætextatus, *qui* Consules fuerunt A. V. C. 995., *Christi autem* 242. *Notandum etiam obiter est, Aufidium* ab Is. Casaubono *in Notis ad* Julium Capitolinum *perperam appellari* Vettium.

(2) *Alloquitur hoc loco Julius Capitolinus* Imp. Constantinum Magnum.

MYSITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRÆTORII PRÆFECTO, TVTORI REIP. S. P. Q. R. VICEM REDDIDIT.

Hucuſque *Julius Capitolinus* de *Imp. Gordiani Tertii* feliciſſima Expeditione Perſica.

Septimo, per *Porcelli occidendi deprecationem* ROGO DOMINE COCE, VENIAM, vel ut in *Abſtemiana* editione legitur, VITAM, PETO, ROGANTI CONCEDE, ſignificatur infima illa & prorſus pudenda infractio animi & demiſſio, qua IMP. GORDIANVS TERTIVS *Præfectum Prætori* M. JVLIVM PHILIPPVM ARABEM præ metu mortis jam appellavit (1) DOMINVM, & ab eodem ultimis precibus petiit, ut SE PRO DVCE HABERET, ET PATERETVR VIVERE; quemadmodum *Julius Capitolinus* teſtatur in ipſius Vita, ubi totum illum miſerabilem & vere tragicum caſum a principio uſque ad finem perſpicue ſimul atque breviter enarrat his verbis: *MYSITHEO mortuo, Arriano & Papo Conſulibus, in ejus locum PRÆFECTVS PRÆTORII factus eſt PHILIPPVS ARABS, humili genere natus, ſed ſuperbus, qui ſe in novitate atque enormitate fortunæ non tenuit; ita ut ſtatim GORDIANO, qui eum IN LOCUM PARENTIS adſciverat, inſidias per MILITES faceret, quæ tales fuerunt.*

A *MISITHEVS Tantum quantum diximus, habuerat conditorum, ut vacillare diſpoſitio (2) Romana non poſſet, verum ARTIBUS PHILIPPI primum NAVES FRVMENTARIÆ ſunt averſæ; deinde in ea loca deducti ſunt milites, in quibus (3) ANONNARI non poſſent. Hinc GORDIANO INFESTOS MILITES ſtatim reddidit, non intelligentes, ARTIBVS PHILIPPI Juvenem eſſe deceptum. Sed PHILIPPVS etiam hoc addidit, ut rumorem per milites ſpargeret: ADOLESCENTEM ESSE GORDIA-*
B *NVM, IMPERIVM NON POSSE REGERE; MELIVS ESSE ILLVM IMPERARE, QVI MILITEM GVBERNARE, QVI REMPVBLICAM SCIRET. Corrupit præterea etiam principes, effectumque, ut palam PHILIPPVS ad Imperium poſceretur. AMICI GORDIANI primum vehementiſſime reſiſtebant, ſed cum MILITES FAME vincerentur, Imperium PHI-*
C *LIPPO mandatum eſt, juſſumque a militibus, ut quaſi TVTOR ejus PHILIPPVS cum eodem GORDIANO pariter imperaret. Suſcepto igitur Imperio, cum & PHILIPPVS ſe contra GORDIANVM ſuperbiſſime ageret, & ille ſe Impera-*

(1) *De Titulo DOMINI, quatenus IMPERATORI ROMANORVM ſimpliciter & per excellentiam competit, vide librum decimum Epiſtolarum* Plinii Junioris *ad* Imp. Trajanum, *& inſcriptionem ſupra exhibitæ* Epiſtolæ Myſithei *ad* Imp. Gordianum Tertium, *atque inſuper conſule* Julii Cæſaris Bulengeri *caput* 32. *Libri primi* de Imperatore Romano, *ubi ea de re ex profeſſo accurate agitur.*

(2) Iſaac. Caſaubonus *exiſtimat hic pro* diſpoſitio Romana *legendum eſſe* diſpoſitio annonaria.

(3) *Ab* annona *factum eſt verbum deponens* annonari, *ut* frumentari, aquari, *& ejus generis alia. Sunt tamen etiam, qui legendum arbitrantur:* in quibus ANNONA HABERI non poſſet.

ratorem atque Imperatorum prolem, & virum nobiliſſimæ Familiæ recognoſceret, nec ferre poſſet IMPROBITATEM HOMINIS IGNOBILIS, apud Duces & milites, adſtante Præfecto MÆCIO GORDIANO, Affine ſuo, in Tribunali conqueſtus eſt, ſperans poſſe Imperium PHILIPPO abrogari. Sed hac conqueſtione nihil egit, cum illum incuſaſſet, quod immemor beneficiorum ejus ſibi minus gratus exiſteret. Et cum milites rogaſſet, cum aperte Duces ambiſſet, FACTIONE PHILIPPI minor apud omnes fuit. Denique cum ſe videret MINOREM haberi, petiit, ut ÆQVALE ſaltem inter eos eſſet Imperium; nec impetravit. De hinc petiit, ut loco (1) CÆSARIS haberetur; nec id obtinuit. Petiit etiam, ut PRÆFECTI loco eſſet PHILIPPO, quod & ipſum negatum eſt. VLTIMÆ PRECES fuerunt, ut EVM PHILIPPVS PRO DVCE HABERET, ET PATERETVR VIVERE. Ad quod quidem pæne conſenſerat PHILIPPVS ipſe tacitus, ſed omnia per amicos agens nutibus atque conſiliis. Verum cum ſecum ipſe cogitaret amorem Populi Romani & Senatus circa GORDIANVM, & totius Africæ ac Syriæ, totiusque Orbis Romani, cum & nobilis eſſet, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis gravibus totam Rempublicam liberaſſet, (poſſe fieri, ut (2) factione quandoque militum GORDIANO redderetur Imperium,) cum RECENTES IN GORDIANVM IRÆ MILITVM FAMIS CAVSA VEHEMENTES eſſent, CLAMANTEM (3) ANTE CONSPECTVM DVCI JVSSIT, ac SPOLIARI & OCCIDI; quod, cum primum DILATVM eſſet, poſt, ut juſſit, (4) IMPLETVM eſt. Ita PHILIPPVS impie, non jure obtinuit Imperium. Imperavit GORDIANVS annis SEX. Hucuſque *Julius Capitolinus.*

Octavo, ſi per CALENDAS LVCERNINAS, ut (5) ſupra indicavi poſſe veriſimiliter conjectari, alluditur ad Λυχνοκαΐαν ſive FESTVM LVCERNARVM, per *totam Ægyptum* olim quotannis religioſiſſime celebratum, minime dubium eſt, quin ſimul etiam ſatyrice alludatur ad IMP. PHILIPPI *nationem*

(1) *CÆSAR ſignificat hic* deſignatum *ſive* futurum Imperatorem. *Vide* Jul. Cæſ. Bulengerum *de Imperatore Romano lib. 1. cap. 4. ubi ex profeſſo agitur* de Nomine & Titulo CÆSARIS.

(2) *Salmaſius exiſtimat hic legendum eſſe:* fieri poſſe, ut REFICTA quandoque militum VOLVNTATE Gordiano redderetur Imperium. *Ego vero nihil mutandum eſſe arbitror.*

(3) *Salmaſius legendum cenſet:* clamantem E CONSPECTV duci juſſit, ac diſpoliari & occidi. *Ego vero nihil mutandum eſſe arbitror.*

(4) *Modum* Occiſionis & *numerum* occiſorum *refert idem* Julius Capitolinus *aliquanto poſt his verbis:* Quod de Cajo Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de GORDIANO Cordus eveniſſe perſcribit. Nam omnes, quicunque illum GLADIO appetiverunt, (qui NOVEM fuiſſe dicuntur,) poſtea, interemptis Philippis, ſua manu ſuisque GLADIIS, & IISDEM, quibus illum PERCVSSERANT, interiiſſe dicuntur.

(5) *Vide ſupra col. 1329. Conſiderent tamen Viri docti, an forte alia quædam* Calendarum LVCERNINARVM *explicatio erui poſſit ex* Julii Capitolini *in Imp. Gordiani Tertii Vita, ubi de principio Imperii ipſius agitur, his verbis:* Sed INDICIVM NON DIV IMPERATVRI GORDIANI hoc fuit, quod Eclipſis Solis facta eſt, ut nox crederetur, neque SINE LVMINIBVS ACCENSIS quidquam agi poſſet. *Potuit enim ſatyricus hujus Teſtamenti Autor etiam ad illam* Eclipſin, *tanquam cædis* Gordiani *prænunciam, ob LVCERNARVM VSVM in tantis* tenebris *neceſſarium, haud abſurde alludere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nem ARABICAM. *Arabia* enim *Ægypto* adeo prope adjacet, ut illi, qui *Ægypti Superioris partem Orientalem Trans-Niliacam* incoluerunt, ARABÆGYPTII appellati sint.

Nono, per CLIBANATVM & PIPERATVM CONSVLES, significantur PEREGRINVS & FVLVIVS ÆMILIANVS, qui *Consules* fuerunt A. V. C. 997. Christi autem 244. quo *Imp. Gordianus Tertius* jussu Præfecti Prætorii *Philippi Arabis* nefarie occisus est.

Decimo, per verba, ET VT VIDIT SE MORITVRVM ESSE, HORÆ SPATIVM PETIIT; COCVM ROGAVIT, VT TESTAMENTVM FACERE POSSET, significatur exigua *dilatio* cædis *Imp. Gordiani Tertii*, quam *Julius Capitolinus* supra citato loco expresse indicat his verbis: *CLAMANTEM ante conspectum DVCI jussit, ac SPOLIARI & OCCIDI, quod cum primum DILATVM esset, post, ut jussit, impletum est.*

Vndecimo, per *Porcelli occidendi patrem* VERRINVM LARDINVM significatur IMP. GORDIANVS SECVNDVS, partim quidem propter *nimiam* ejus *libidinem veneriam*, cujus (1) supra jam est facta mentio, partim autem propter *vastitatem & obesitatem corporis*, quam *Julius Capitolinus* in ipsius Vita indicat his verbis: *Pomorum & OLERVM avidissimus fuit, in reliquo ciborum genere parcissimus; adeo ut semper pomorum aliquid recentium devoraret. Frigidarum percupidus; nec facile per æstatem nisi (2) frigidas edit, & quam plurimum bibit. Et erat CORPORIS VASTI; quare magis ad frigidas urgebatur.* Item paulo post idem *Julius Capitolinus*, postquam narravit, *Vulcatium Terentianum* in sui temporis Historia scripsisse, *quod Imp. Gordianus Secundus POMPEIO visus sit simillimus*, subjungit: *quamvis Pompejus OBESI CORPORIS fuisse denegetur.* Cæterum quod *Imp. Gordianus secundus fingitur tempore cædis filii sui Imp. Gordiani Tertii* adhuc vivere, id pertinet ad deridendam jam memorati *Imp. Gordiani Tertii simplicitatem* in adsciscendo sibi IN LOCVM PARENTIS *Philippum Arabem*, a quo, tanquam ab homine barbaro & superbo, nihil nisi perniciem suam atque interitum expectare potuit.

Duodecimo, per id quod *Porcellus occidendus* LINGVAM suam CAVSIDICIS & VERBOSIS legat, videtur alludi ad *Mysitheum*, quem *Imp. Gordianus Tertius*, ut *Julius Capitolinus* (3) supra citato loco testatur, tanquam DOCTISSIMVM VIRVM, ELOQVENTIÆ CAVSA dignum putavit, ut eum assumeret *Socerum*, & in locum *Parentis* adsciseret. Præterea etiam videtur satyrice derideri *Oratio* ipsius *Imp. Gordiani Tertii*, qua in Tribunali militibus *frustra* persuadere conatus

(1) *Vide supra Col. 1346.*

(2) Frigidæ, *scilicet* mensæ, *significant hic quicquid, ut edatur, ignis opera opus non habet. Similiter* & Plutarchus *in Symposiacis Quæstionibus* edulia, *hujusmodi* ἄπυρα *sive* incocta *apellat* ψυχὰς τραπέζας. *Quoniam autem tales cibi, qui* & *hoc loco* & *apud* Plutarchum *per* frigidas *intelliguntur, imbecillimæ sunt materiæ, minimumque alimenti præstant, hinc valde prosunt iis, qui abdomine laborant, ad minuendum adipem.*

(3) *Vide supra col. 1352.*

natus est, ut contra se electo *Philippo Arabi* abrogaretur Imperium.

Decimo tertio, per legatum, licet ridiculum ac turpe, quod *Porcellus occidendus Coco* occisori suo relinquit, alluditur satyrice ad *Imp. Gordiani Tertii splendidissimum Triumphi Persici apparatum*, quo *Imp. Philippus Arabs* post cædem *Gordiani* in *Ludis Secularibus anni Vrbis conditæ millesimi* magnificentissime usus est; ut testatur *Julius Capitolinus his* verbis: *Fuerunt sub GORDIANO (TERTIO) Romæ elephanti triginta & duo, quorum ipse duodecim miserat,* (1) *Alexander decem; alces decem; tigres decem; leones mansueti sexaginta; leopardi mansueti triginta;* (2) *belbi, id est hyænæ, decem; gladiatorum fiscalium paria mille; hippopotamus & rhinoceros unus,* (3) *arcboleontes decem; camelopardali decem; onagri viginti; equi feri quadraginta; & cætera hujusmodi animalia innumera & diversa: quæ omnia PHILIPPVS LVDIS SECVLARIBVS vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas,* (4) *PARARAT GORDIANVS AD TRIVMPHVM PERSICVM; sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc PHILIPPVS exhibuit SECVLARIBVS LVDIS & Muneribus atque Circensibus, cum MILLESIMVM AB VRBE CONDITA ANNVM in Consulatu suo & filii sui celebravit.*

Decimo quarto, post imprecationem voluntarii suspendii, LIGET SIBI COLLVM DE RESTE, subaudienda est satyrica hæc clausula VT FECIT MEVS AVVS. Respicitur enim ad *Imp. Gordiani Primi interitum*, quem *Julius Capitolinus* narrat his verbis: *Hæc ubi comperit SENIOR GORDIANVS,* (nempe filium suum *Gordianum Juniorem* sive *Secundum* pugna contra *Capelianum* commissa victum, & in prælio interfectum esse, (5) *cum in Africa nihil præsidii, & a MAXIMINO multum timoris; & fides Punica perurgeret, & acerrime* (6) *Capellianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, LAQVEO VITAM FINIVIT.* Hæc *Julius Capitolinus*; nec aliter *Herodianus* Historiarum sui temporis libro *septimo*, ubi eandem rem narrans, his utitur verbis: ἀνήρτησεν ἑαυτὸν βρόχῳ.

Decimo quinto, per MONVMENTVM, quod *Porcellus occiden-*

(1) *Intelligitur hoc loco* Imp. M. Aurelius Severus Alexander, *qui A. C. 235. militari tumultu occisus est.*

(2) Salmasius *pro* belbi *legendum esse censet* beluæ, *ita ut* hyenæ *per excellentiam appellantur* beluæ, *cum tamen hoc nomen alioqui generale sit.*

(3) Josephus Scaliger & Is. Casaubonus *existimant hic legendum esse* agrioleontes, *hoc est*, feri leonis, *ita ut opponantur supra memoratis* mansuetis; Salmasius *autem asserit legendum esse* argoleontes, *hoc est* albi leones, *idque probat* Epistola Alexandri Magni *ad* Aristotelem, *in qua expressa fit mentio* alborum leonum, *tauris comparandorum magnitudine corporis.*

(4) *Ita hic legendum est, nempe* pararat, *sive* paraverat, *non autem, ut vulgo legitur,* parabat.

(5) *Ita legitur hic locus in editione* Jani Gruteri; *in* Casauboni *autem & Salmasii editionibus hoc modo:* Hæc ubi comperit Senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum, raramque Punicam fidem considerans, & acri dolore percitus, ut vincula etiam hostium evitaret, LAQVEO VITAM FINIVIT, & vitam cum Imperio reliquit. Hic exitus &c.

(6) *Apud* Herodianum *legitur* Καπελλιανὸς *per duplex* Λ *sive* L.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dendus VVLT SIBI FIERI EX LITERIS AVREIS SCRIPTVM, significatur SEPVLCRVM IMP. GORDIANI TERTII cum TITVLO five INSCRIPTIONE, cujus *Julius Capitolinus* in Vitæ ipſius fine meminit his verbis: *Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes AVGVSTI appellati ſunt, duobus in Africa interemptis, IN PERSIDIS FINIBVS TERTIO GORDIANO* (ſcilicet *Tertio*) *SEPVLCRVM milites apud* (1) *CIRCESIVM CASTRVM fecerunt IN FINIBVS PERSIDIS, TITVLVM hujusmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Perſicis, & Judaicis, & Ægyptiacis LITERIS, ut ab omnibus legeretur:*

A

DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM,
VICTORI GOTHORVM, VICTORI SARMATARVM,
DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM,
VICTORI GERMANORVM,
SED NON VICTORI PHILIPPORVM.

Quod ideo videbatur additum, quia in Campis (2) *PHILIPPICIS ab Alanis tumultuario prælio VICTVS abſceſſerat; ſimul etiam quod a PHILIPPIS videbatur* (3) *OCCISVS. Quem* (4) *TITVLVM evertiſſe LICINIVS dicitur, eo tempore,* (5) *quo eſt nactus Imperium, cum ſe vellet videri a PHILIPPIS originem trahere.* Hucuſque Julius Capitolinus. *Decimo ſexto*, per MILLE ANNOS, quos *Porcellus* IMPLESSET, ſi adhuc SEMIS VIXISSET, alluditur quidem ſatyrice ad ſupra memoratum *Plautinum Pyrgopolonicen* ejusque *filios, meros bellatores genitos, & MILLE ANNORVM perpetuo viventes ab ſeculo ad ſeclum*, revera autem ſignificatur ANNVS VRBIS CONDITÆ MILLESIMVS, quem *Imp. Gordiani Tertii cædes triennio* anteceſſit. Occiſus enim is

B

(1) *Ita hic legendum eſt; nempe* Circeſium, *pro quo apud* Zoſimum & Procopium *græce legitur* Κιρκήσιον, *non autem, ut vulgo perperam legitur*, Circejum. *Fuit autem* Caſtrum *hoc græce appellatum* Κιρκήσιον, *quaſi latine dicas* Circenſe, *quod* Circi *inſtar aqua eſſet circumdatum.*

(2) Salmaſius *minus recte exiſtimat pro* in Campis Philippicis *legendum hic eſſe* in Campis PHILIPPIS. Philippi *enim ipſa appellata fuit Vrbs* Macedoniæ *in* Thraciæ *confinio, unde* Campi PHILIPPICI *denominati ſunt. Quod igitur in* Sepulcro Gordiani *ambigue inſcriptum fuit SED NON VICTORI PHILIPPORVM, id ſine ignominia* Imp. Philippi Arabis *explicari potuit, ac ſi legeretur, SED NON VICTORI IN CAMPIS APVD VRBEM PHILIPPOS.*

(3) *Ipſe enim* Imp. Philippus Arabs & *ejusdem filius* Philippus Junior, *occuluerunt iſtud facinus quam maxime, ideoque aſſeverarunt ac præ ſe tulerunt*, Imp. Gordianum Tertium morbo *periiſſe.*

(4) Titulum *ergo tantum ſive* inſcriptionem *evertit, tanquam* Imp. Philippo Arabi *propter exprobrationem* cædis Imperatoris Gordiani Tertii *ignominioſum, non autem* Sepulcrum *ipſum, utpote quod* Ammianus Marcellinus, *qui ſub Imperatoribus* Gratiano & Valentiniano Juniore *floruit, Libro 23tio expreſſe teſtatur ſua adhuc ætate exſtitiſſe, & propriis oculis a ſe eſſe conſpectum.*

(5) *Contigit hoc A.C. 310. ut teſtatur* Euſebius Pamphili *his verbis:* Ἔτει τῖ, Λικίνιος ἀνηγορεύθη ἐν Καρνοῦντι *hoc eſt*, S. Hieronymo *interprete:* LICINIVS a Galerio Carnunti Imperator factus. *Vide etiam R. P.* Dionyſii Patavii *Opus de Doctrina Temporum lib. 11. cap. 34. & lib. 13. ubi* initium Imperii Licinii *refertur ad annum Chriſti 308.* Aubertus *autem* Miræus & Vbbo Emmius *referunt illud ad an. Chriſti 311.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

is eſt A. V. C. 997. cum imperaſſet *annos* SEX. Si igitur in Imperio adhuc vixiſſet TRES *annos*, hoc eſt, SEMIS ejus temporis, quod jam imperaverat, attigiſſet finem *anni ab Vrbe condita* MILLESIMI. Hic certe verus & genuinus eſt *Inſcriptionis* iſtius ſenſus, quem Autor hujus Teſtamenti dedita opera & ſummo ſtudio obſcuravit, partim quidem dum *annum* poſuit *nongenteſimum nonageſimum nonum* pro *nongenteſimo nonageſimo ſeptimo*, partim autem ambiguitate vocis SEMIS quæ hic non ſignificat DIMIDIVM ANNVM, ſed DIMIDIVM TEMPVS IMPERII *Imp. Gordiani Tertii.* Quod reſtat, nec ſilentio prætereundum eſt, in editione *Laurentii Abſtemii* poſt verba VIXIT ANNOS DCCCCXCVIIII perperam ſequi ET MENSES SEX. Superfluum enim hoc eſt additamentum, & a recentiori alicujus correctoris manu, qui elegantiſſimum iſtius loci ænigma obeſis ſuis naribus minime odoratus eſt.

Decimo ſeptimo, per OPTIMOS denique AMATORES ET CONSIMILES VITÆ (ita enim hic legendum eſt, non autem ut in *Laurentii Abſtemii* & *Barnabæ Briſſonii* editionibus perperam legitur, CONSVLES VITÆ) quos *Porcellus occidendus* rogat, ut CORPORI ſuo BENE FACIANT, vel, ut in editione *Abſtemiana* legitur, CVM CORPORE ſuo BENE FACIANT, & BENE CONDIANT DE BONIS CONDIMENTIS (1) NVCLEI, PIPERIS ET MELLIS; ut & per (2) DOMINOS ET CONSOBRINOS, QVI TESTAMENTO INTERFVERVNT, atque illud SIGNARVNT, ſignificantur partim quidem *Imp. Gordiani Tertii* COGNATI & AFFINES aliique AMICI, quos *Julius Capitolinus* refert vehementiſſime reſtitiſſe, ne *Philippo Arabi* a militibus mandaretur Imperium, & inter eos præcipue *Mæcius Gordianus*, qui *Imp. Gordiano* in Tribunali adſtitit, ubi apud milites de *Philippi Arabis* ingrato & ſuperbo erga ſe animo conqueſtus eſt, eique Imperium abrogari petiit; partim autem MILITES, qui eidem *Imp. Gordiano* ſupra memoratum fecerunt SEPVLCRVM *in finibus Perſidis* apud *Caſtrum Circeſium.* Nomina autem omnia, quæ illis hic tribuuntur fictitia ſunt, alluditurque per ea *ad uſum & præparationem carnis porcinæ*, & inde facta *edulia.* Per nomen enim LVCANICVS alluditur ad *Lucanicam*, farciminis genus e conciſa carne porcina, de quo extat hoc *Martialis* diſtichon, quod eſt lib. 13. epigram. 35.

Filia
Cum voco te DOMINVM, nolo tibi, Cinna, placere;
Sæpe etiam SERVVM ſic reſaluto meum.

Huc etiam pertinet lepidiſſima *Etymologia* tituli DOMINVS a verbo DO, ad quam in *antiquis Epigrammatibus Græcis* alluditur hoc verſu: Οὐκ ἐθέλω ΔΌΜΙΝΕ, ἐγὰς ἔχω ΔΌΜΕΝΑΙ· hoc eſt: *Quoties tibi aliquid DO, ſtatim me appellas DOMINVM; nunc autem recuſo titulum DOMINVS, quia non habeo, quod DEM.*

(1) In edit. *Braſſicani* perperam legitur *NVCLEIS piperis & mellis.* Vid. *Cælii Apicii* de Re culin. lib. 8. cap. 7.

(2) Vocabulum *Dominus* hic non ſolum eſt *honoris*, ſed & *amoris* nomen, quemadmodum apud *Ovidium* Amorum l. 3. eleg. 7.

Et mihi blanditias dixit, DOMINVMQVE vocavit,
Et quæ præterea PVBLICA VERBA juvant.

Idem vocabulum *Dominus* ſæpe etiam *ironice* uſurparunt veteres, ut videre eſt apud *Martialem* lib. 5. epigram. 88.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Filia Picenæ venio LVCANICA porcæ;
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Vide & *Varronem* de Ling. Lat. lib. 4. ubi refert, *Lucanicam* inde appellari, quod *milites Romani* confectionem ejus didicerunt a *Lucanis*, incolis Regionis Italiæ, quæ nunc *Basilicata* dicitur. Consule insuper *Cælium Apicium* lib. 2. de Re culin. cap. 4. ubi de *Lucanicarum confectione* ex professo agitur. Similiter per nomen TERGILLVS alluditur ad *tergillum*, quod diminutivum est a *tergore*, & significat interdum quidem ipsam *pellem & cutem suis crassam*, quæ proprie *tergus* vocatur, interdum autem *dorsum* aut *spinam pulpasque* a latere eminentes dorsi, quæ posterior thoracis pars est, & *tergum* proprie dicitur. Vide etiam *Cælium Apicium* lib. 4. de Re culin. cap. 3. ubi describitur *Minutal Matianum*. Eadem ratione per nomen NVPTIALICVS alluditur ad antiquissimam *Græcorum & Latinorum consuetudinem nuptialem* immolandi PORCVM sponsi & sponsæ Diis tutelaribus; unde natum est hoc pervetustum proverbium:

Α᾽πόλωλεν ῦΤΣ μοὶ, καὶ τάλαντον, καὶ ΓΑ᾽ΜΟΣ.
Periit mihi SVS, & talentum, & NVPTIÆ.

Ita enim olim quidam exclamavit, cum, omnibus jam ad nuptias præparatis, sponsam præter spem non esset consecutus. Itidem & per nomen CELSINVS, pro quo in omnibus antehac impressis editionibus perperam legitur CELSANVS, alluditur ad *Celsinium* illum vel *Celsinum*, a quo denominatus est *Porcus CELSINIANVS*, cujus præparationem describit *Cælius Apicius* lib. 8. de Re culin. cap. 7. Ita enim ibi legendum est, nempe *Porcus Celsiniamus*, ut recte legitur in editione Tigurina *Humelbergii*, non autem *Porcus Cæsiamus*, ut legitur in editione Basileensi *Albani Torini*. Eodem quoque modo per nomen LARDIO alluditur ad *lardum suillum*, & per nomen OFFELLICVS ad *offellam* sive *offulam*, quæ diminutiva sunt vocabula ab *offa*, & nunc quidem communiter usurpantur pro *esculento carnium jure*, antiquitus autem plerumque significabant *massas & frusta carnis globosa* seu *glomerata*, quæ alias in popinis *pulpæ*, *pulpulæ* & *pulpellæ* vocantur. Hinc *Varro* de Ling. Lat. lib. 4. meminit particulæ carnis porcinæ, quam appellat *Offam minimam in sue;* & vetustissimus Poeta *Nævius Offam penitam* vocavit *frustum* sive *absegmen Carnis porcinæ cum cauda*, ut docet *Sex. Pompejus Festus* his verbis: *PENITAM OFFAM Nævius appellat absegmen carnis porcinæ cum cauda sive coda, utpote quam antiqui vocabant PENEM. OFFAM autem iidem vocabant abscissum globi forma, ut manu glomeratam pultem.* Consule insuper *Cælium Apicium* lib. 7. de Re culin. cap. 4. ubi ex professo agitur de *Offellarum præparationibus*, & speciatim quidem de *Offellis aprugnis*. Quod denique ad nomen CYMATVS attinet, per illud alluditur ad *esum carnis porcinæ cum* CYMIS sive CYMATIBVS; quæ quid sint, satis luculenter (1) supra jam indicatum est.

Cum igitur, ut hactenus verisimilime ostendi, TESTAMENTVM M.

(1) *Vide supra Col. 1328.*

M. GRVNNII COROCOTTÆ PORCELLI mera sit *Satyra ænigmatica* seu *Apologus satyricus* de *trium Imperatorum Gordianorum* vita, moribus ac rebus gestis, & præcipue quidem de *Imp. Gordiani Tertii* per Prætorii Præfectum & Invasorem Imperii *Philippum Arabem* nefarie perpetrata, sed callidissime occultata interfectione, minime profecto mirum est, quod illud sub *Imp. Philippo Arabe*, & deinceps per integros fere *centum annos* magna cura suppressum latitaverit. Sic enim (1) *Licinius*, qui A. C. 310. Imperator creatus est, eam ob causam, quod se vellet videri a duobus Imperatoribus *Philippis*, patre videlicet & filio, originem trahere, *Titulum* sive *Inscriptionem Sepulcri Imp. Gordiani Tertii* in finibus *Persidis* evertit, ne is insidiis & jussu illorum videretur occisus, quomodo potuisset *Testamentum* hoc *Corocottæ Porcelli* publice circumferri, si certo constituisset, illud primario fuisse compositum ad propagandam crudelitatis *Imp. Philippi Arabis Senioris* in *Imp. Gordianum Tertium* editæ sempiternam memoriam? Quapropter existimo, *Testamentum* illud temporibus *Imp. Licinii* vel omnino incognitum in tenebris adhuc delituisse, vel fuisse quidem cognitum, sed perperam habitum pro *figmento mere fabuloso & inani*; digno tamen, quod conservaretur, & a *pueris inter dictata scholastica* perdisceretur, cum ob *insignem elegantiam antiqui puriqueque sermonis latini*, tum ob *solennes Testamentorum formulas*, quæ in usu fuerunt seculo post Christum *tertio*, quo *Æmilius Papinianus*, *Domitius Vlpianus*, *Julius Paulus*, *Pomponius*, *Herennius Modestinus*, aliique nonnulli celeberrimi Jurisconsulti floruerunt, simul & *Testamentum* hoc *Satyricum* compositum est. Hinc itaque *S. Hieronymus* in supra citato Proœmio libri duodecimi Commentariorum in Prophetam *Esaiam* ejusdem *Testamenti* nominatim meminit his verbis: *Testamentum Grunnii Corocottæ Porcelli decantant in SCHOLIS PVERORVM agmina cachinnantium. Pueri* enim isti oblectaverunt se tantum *nudis* hujus *Testamenti verbis*, ad *nucleum* autem *satyricum* & *serium* sub *cortice vili* ac *ridiculo* latentem non potuerunt penetrare. Quem si ego primus hisce Notis meis feliciter & recte detexi, ingentes profecto gratias habeo malignis illis Catonibus, qui reprehensione editionis *Testamenti asinini* necessitatem mihi imposuerunt edendi hic atque illustrandi *Testamenti Porcini*, ad cujus imitationem alterum illud recentius compositum est; sin minus, attamen nec pigebit me, nec pudebit, celeberrimo huic & pervetusto Monumento explicando paucorum aliquot dierum succisivas horas impendisse, & meam de abstruso ejus atque arcano sensu publicasse conjecturam: quam si quis improbare voluerit, nolim subsannando id faciat & clanculum detrahendo, sed palam refutando æque solidis & luculentis argumentis ac testimoniis, quam illa sunt, quibus ego eam verisimillime asserui.

1) *Vide supra Col. 1366. in not.*

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum ac Verborum memorabilium, quæ in hoc Analectorum Vindobonenſium Tomo I. præ aliis notari merentur.

A.

Abdirama (fortaſſe Abdalrahman) Saracenorum dux, a Carolo M. profligatus. col. 551. C.

Abitaurus (f. Abu-thaher) Saracenorum dux filium ſuum & fratrem Carolo M. obſides dat. col. 562. A.

Abotriti, vide Obotriti.

Academia Colonienſis anno 1389. inſtituta. col. 71. in *nota* (1).

Academiæ Pariſinæ privilegiorum indices. col. 307. B. & col. 339. C.

Academiæ Viennenſis in Auſtria origo col. 43. & ſeqq. Colonienſi prior. col. 71. in *not.* (1). Ejus prima ſtatuta col. 42. Ejusdem ſtatuta recentiora, ſive Sanctio Pragmatica Ferdinandi II. Imp. col. 281. A. Vide præterea *ſtatuta.*

Achilleus, Alexandriæ præſul. col. 545. B.

Achlant, nomen oppidi in Auſtria. col. 42. B.

Adalberoni Epiſcopo Regino Abbas Prumenſis Chronicon ſuum dedicat col. 598. C.

Adalgiſus, Deſiderii Regis filius, Conſtantinopolim fugit. col. 561. B.

Adamas miræ magnitudinis Caroli Pugnacis, Burgundiæ Ducis, in prælio Granſeenſi perditus κτῆμα poſtea Fuggerorum. col. 829. A.

Addo, Archiepiſcopus Moguntinus col. 526. C.

Adriani I. PP. obitus. col. 565. A. & 574. A. Ejus epitaphium, a Carolo M. compoſitum, & auro marmori inſcriptum. col. 574. B.

Ægyptiaci dies quid & qui? col. 947. in *Monito.*

Æneæ Sylvii Hiſtoriæ Auſtriacæ Friderici III. Imper. quæ in autographis ejus MSS. Cæſareis habetur, ſpecimen. col. 71. B. Vide *Pius II. PP.*

Æresburg, caſtrum in Saxonia, a Carolo M. expugnatum. col. 560 B.

Ærtzperch, nomen loci in Stiria. col. 37. A.

Agatha, urbs Gothica. col. 553. C.

Aich (Jo.) Juris Pontificii apud Vindobonenſes præceptor non incelebris. col. 73. B.

Ainalarabi, ſive Ibnularabi, Saracenus. col. 503. B. Vide *Ibnularabi.*

Albertus Abbas S. Quintini de monte. col. 546. B.

Albertus I. Imp. col. 125. *not.* (1).

Albertus III. Dux Auſtriæ, Academiæ Viennenſis immunitates confirmat anno 1384. col. 65. B. Moritur anno 1395. 18. Aug. col. 280. C. Sepultus Viennæ ad Divi Steph. *ibidem.*

Albertus IV. Dux Auſtriæ, Imperatoris Alberti pater. col. 120. B.

Alcuinus Britannicus, Diaconus & Rhetor, deinde Abbas monaſterii S. Martini, ſanctitate & doctrina clarus. col. 565. A. Caroli M. Imp. Magiſter. col. 352. B. Ejusdem poëmatia duo, vetuſto Bibliorum codici prætexta. col. 617. A. Ejus epiſtola de hiſtoria vitæ S. Vedaſti ab ſe emendata. col. 633. A. Hymnus de eodem Sancto col. 639. A. Homilia in die natali ejusdem Sancti. col. 640. A. Obiit. col. 567. A.

Alexandri IV. PP. Literæ ad magiſtros & ſcholares Pariſienſes. col. 317. B.

Ad Cancellarium Pariſien. col. 318. A.

Ad Cancellarium S. Genovefæ. col. 318. B.

Alpheida, *aliis* Alheyda, Altheida, Pipini Craſſi concubina. col. 549. B.

Altumajor, Saracenus, Compoſtellam evaſtat. col. 486. C.

Amalricus, Epiſcopus Laventinenſis. col. 3. C.

Amblava, nomen loci ad Rhenum. col. 550. A.

SS. Ambroſii & Auguſtini hymnus. col. 409. A.

Ambroſius Comes. col. 524. B.

Ammon de Chaufburn (Chunradus) Notarius Imp. col. 278. C.

Amormulus, Saracenorum Dux munera pretioſa cum elephante Carolo M. ſubmittit. col. 566. B.

Aniſi Vallis. col. 38. C.

Aniſus vel Anaſus Fluv. Auſtr. col. 42. A.

Andegavenſium civitas, a Carolo Martello capta. col. 551. B.

Aniciæ Perleoniæ gentis origines, a Lambecio fruſtra propugnatæ. col. 765. B. & ſeqq.

Anna, Caroli VIII. Galliarum Regis uxor. col. 539. *not.* (γ).

Annales Francorum incerti autoris ab anno 714. ſcripti literis Gothicis, ab Ulphila inventis. col. 547. A. Item Annales Francorum, qui Fuldenſes audiunt. col. 500. A. B. Nova eorum ſupplementa. col. 523. A. Regum Francorum Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii. col. 612. C. 465. B.

Annales Fuldenſes, vide *Annales Francorum.*

Anonymi prolegomena, vetuſto Pſalmorum codici præmiſſa, ex S. Hieronymi, S. Auguſtini & S. Iſidori Hiſpalenſis Operibus, ut videtur, deſumpta. col. 385. A.

S. Anſcharius, primus Archiepiſcopus Hamburgenſis. col. 364. *not.* (9).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Anſchiſius, pater Pipini ducis Francorum. col. 549. A.
Ansger, Comes Widonis. col. 525. A.
Antoninus, Placentiæ præſul. col. 545. B.
Antonius, Virduni epiſcopus. col. 546. A.
Anulo Herioldi Daniæ Regis nepos. col. 505. B.
de Appoldia (Theodor.) vide *Theodoricus Thuringus.*
Argenti marcæ a marca denariorum differentia. col. 37. A.
Argentus (Jo.) Soc. Jeſu col. 305. B.
Argyropuli (Jo.) icon & vita compendio exhibita col. 1205. C.
Arn epiſcopus. col. 514. C.
Arnulphus, Carolomanni Regis filius col. 600. C.
Arnulphus, dux Bajoariæ. col. 522. A.
Arnulphus, Churonenſis Archiepiſcopus. col. 545. A.
ex Arriani deſcriptione Pontis Euxini excerpta. col. 1101. C.
Aſcloha, munimentum Normanorum. col. 511. B.
Aſpeck de Obernberg (Gundakerus) cler. & Notar. Imp. col. 272. C.
S. Athanaſii, Alexandriæ Epiſcopi ſymbolum fidei. col. 409. B.
Athima, ſive Athirva Saracenorum princeps, Narbonæ obſeſſus. col. 553. A.
Augerii Busbeckii epiſtolæ quædam. col. 1029.
Auguſti Octav. Imp. Rationarium. col. 29. A. 31. C.
Aurontum, ſive Auruntum urbs col. 553. C. *not.* (11).
Auſſe, oppidum Stiriæ. col. 38. C.
Auſtria, ſive Oſtria ejus etymon *Oſtenreich, Orientalis regio.* col. 657. *not.* (4). Auſtriæ rationarium vetus ſub Ottocaro duce ſcriptum col. 40. B.
Avari, eorum incurſio in Pannoniam. col. 526. B. Vincuntur a Bulgaris. col. 527. C. Eorum legatio ad Carolum M. Imp. col. 566. Todanus eorum Regulus cum comitibus ſuis Aquisgrani baptizatus & cum muneribus ad ſuos remiſſus. col. 573. B.
Azan (f. Haſſan) urbis, Oſca dictæ præfectus. col. 504. C.

B.

Babenbergenſis ſtirpis marchionum Auſtriæ epitaphia quædam. col. 881.
Balaſius, ſive Balaſſius, ſpecies rubini. col. 829. *not.* (1).
Bardunwich urbs. col. 573. A.
Barthius (Caſpar) hiſtoriam vitæ Caroli M. a monacho monaſterii S. Galli ſcriptam & ab Henr. Caniſio typis editam ex ingenio emendavit. col. 459. B.
Baugolf, Abbas Fuldenſis col. 503. C.
Bebelii (Henrici) Diſſertatio de *titulo* Chriſtianiſſimi, Romanis Impp. debiti. col. 535.
Beda Presbyter obiit col. 552. A.
Behemot ſcriptoribus barbaris quid? col. 533. *not.* (1).
Benedicti PP. VII. bulla, monaſterio Gemblacenſi conceſſa. col. 922. A.
Bernhardus Barcinonæ Comes Ludovici Pii Camerarius. col. 499. A. & 506. A.
Bernardus Dapifer, ejus hiſtoria de B. Gothalmo. col. 856. C.
Bernhardi Italiæ Regis ſeditio contra Imp. col. 570. B.
Bernhardus Rex Longobardorum. col. 569. C.
Bernhardus filius naturalis Ludovici Imp. col. 518. B.
Bernharius Epiſcopus Wangionenſis col. 568. B.
Beſſarionis S. R. E. Cardinalis icon & vita compendio exhibita. col. 1197. B.
Betowe caſtrum in Stiria. col. 37. B. & 39. B.
Beturica ſive Bitturica urbs a Pippino expugnata. col. 559. A.
Biblia ſacra Veteris & novi Teſtamenti ſtudio & ſumptibus Radonis Abbatis monaſterii S. Vedaſti ſcripta. col. 615. C.
Blotius (Hugo) Aug. Bibl. Præfectus, epiſtolæ eruditorum virorum ad eundem. col. 1029.
S. Bonifacius Germaniæ populos ad Chriſtiana ſacra traducit. col. 554. C. Wirtzburgenſem & Eichſtetenſem epiſcopatus inſtituit. col. 501. C. & 555. A. Martyrio coronatur. col. 558. A.
Bonſtetten (Alberti) Hiſtoria Auſtriaca manu ſcripta adhuc inedita. col. 71. B. item. 58.
Boppo Comes Thuringorum. col. 513. C.
Breviarium chronologicum ac orbe condito uſque ad annum Chriſti 809. cujus autorem eſſe Eginhardum Lambecius exiſtimat. col. 602. A. Simile & fere idem. col. 610.
de Bria (Simonis) tit. S. Cæciliæ Cardinalis compoſitio. col. 321. C. 322.
Bruno epiſcopus Brixinenſis. col. 36. C.
Bruno epiſcopus Olomucenſis. col. 36. C.
Buibertus Sconenſis epiſcopus. col. 545. A.
Bulgari col. 506. Avares vincunt. col. 527. C.
Burbonem Pipinus capit. col. 559. A.
Burchartus epiſcopus Wirtzburgenſis col. 501. C. Ordinatur epiſcopus. col. 355. B.
Busbeckii (Augerii) epiſtolæ quædam col. 1029.

C.

Calcarienſis (Gerhardus) academiæ Colonienſis primus lector. col. 72. *not.* (1).
Calliſti Nicephori Hiſtoriæ eccleſiaſticæ codex m. ſ. Cæſareus. col. 1061. C. col. 1103. A.
Caniſius (Henricus) vitam Caroli M. ab anonymo monacho S. Galli conſcriptam, mendoſe edidit. col. 459. A.
Cantela urbs a Pipino capta. col. 559. A.
Capcanus princeps Hunorum. col. 505. A. Aquis-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aquisgranum ad Carolum M. venit & inter Sarabiam & Carnuntum habitandi locum obtinuit. *ibidem.*
Capella idem atque Cancellaria. col. 427. C.
Capellen (Eberhardus) col. 123. A.
Carbonacum villa. col. 497. A.
Carbonellus Ligmedonenſis abbas col. 546. B.
de Carinthia, Ordinis Eremit. S. Auguſtini, Col. 129. C.
Cariſtia quid? col. 992. C.
Carolomannus & Pipinus adverſus ſaxones dimicant. col. 554.
Carolomannus rebus ſeculi valere juſſis inſtitutum S. Benedicti in monte Caſſino amplectitur. col. 555. C. Moritur Viennæ in Gallia. col. 558. B.
Carolus Calvus Imp. Compendii monaſterium S. Cornelii condit. col. 544. B. clavum & coronam Dominicam in eccleſiam S. Dionyſii Aquisgrano adfert. col. 543. C.
Carolus Magnus Imp. Recenſio vetuſtorum codicum Cæſareorum, qui monumenta quædam, ad hiſtoriam vitæ Caroli M. pertinentia continent. col. 345. Ejus vitæ hiſtoria ab anonymo monacho S. Galli conſcripta. col. 458. C. 466. B. Item alia ab anonymo itidem circa annum Chriſti 1165. ſcripta. col. 469. A. Ejuſdem Geſta ab anonymo quodam cœnobii Egoliſmenſis S. Eparchii monacho literis mandata. col. 494. C. Pſalterium juſſu Caroli M. ſcriptum, & ab eodem Hadriano I. PP. oblatum præfixis verſibus dedicatoriis col. 349. 350. Caroli M. artium liberalium & poëſeos peritia col. 351. B. Ejuſdem alphabeta Steganographica & cryptographica. col. 717. B. Grammaticam patrii ſermonis compoſuit, col. 353. B. Clavum & coronam Dominicam Conſtantinopoli Aquisgranum adtulit. col. 543. C. Saxones in Tranſilvaniam transfert. col. 567. A. Cum fratre Carolomanno Hunoldum in Aquitania rebellem capit. col. 560. A. Invitante Hadriano Pontifice Italiam ingreditur. col. 560. C. Papiam deditione capit. col. 561. C. Dedicationem eccleſiæ S. Nazarii in Lauresheim celebrat. col. 561. C. Pampelonam civitatem ab Saracenis recipit. col. 562. Ex Hiſpania redux Saxones rebelles bello ſuperat. col. 562. B. Slavorum gentem Wilzi dictam transflumen Albim ditioni ſuæ ſubjicit. col. 564. B. Saxonum colonias in varias terras transfert. col. 578. B. Romæ ſynodum cum epiſcopis celebrat. col. 579. A. Imperator creatus. col. 580. A. Aquisgrani ſynodum congregat. col. 581 A. In eadem ſynodo Regulam S. Benedicti omni clero promulgari jubet. col. 581. A. Leges in univerſo Imperio ſtatuit. col. 582. B. de Caroli M. & Rulandi rebus geſtis poema rhythmicum antiquis verſibus Theotiſcis. col. 587. B. Inter filios Imperium dividit. col. 567. A. Ejus obitus. col. 497. B. In ſanctorum numerum a Paſchali III. PP. refertur. col. 489. B. Ejus corpus a Friderico I. Aquisgrani ſolenniter elevatur. col. 489. De hac elevatione & relatione in numerum ſanctorum Teſtimonium. col. 489. C. Ejus corpus in Eccleſiam S. Dionyſii Areopagitæ translatum. col. 543. C. De ejus ſanctitate meritorum & gloria miraculorum *prologi*, ab anonymo ſcripti. col. 469. B. 529. C. In ejus honorem Officium eccleſiaſticum & miſſa. col. 489. A.
Carolus Martellus. E cuſtodia liberatus. col. 549. B. Cum Ratbodo Friſonum Rege congreditur. *ibidem.* Hilphricum cum ſociis profligat. col. 551. A. Alemannos & Bajoarios ſubigit. col. 551. B. Saxones debellat. col. 551. B. Lugdunum in poteſtatem ſuam redigit. col. 552. A. Avinione recepta Saracenos repellit. col. 552. C. In Gothorum fines penetrans Narbonem obſidet. col. 552. C. Aquitaniæ regnum occupat. col. 552. B. Saracenos prælio profligat. col. 552. A. Saxonibus tributum imperat. col. 553. C. Wermbriæ diem ſuum obiit. col. 554. A.
Carolus VIII. Rex Galliæ. col. 539. not. (α)
Carolus Pugnax Dux Burgundiæ in prælio Granſeenſi victus pretioſiſſimam ſuppellectilem amittit. col. 827. B.
Carnunti, ſuperioris Pannoniæ urbis nunc Hamburgi eruditæ reliquiæ, a Lambecio collectæ & explicatæ. col. 1013.
Catalogus librorum Arabicorum & Syriacorum, qui ad tempora Lucæ Holſtenii Romæ impreſſi fuerunt. col. 1095. B.
S. Caſtoris corpus ad Confluentes in eccleſia ejus honori condita depoſitum. col. 596.
Catharina Caroli IV. Imper. filia Rudolphi IV. Archiducis Auſtriæ uxor. col. 58. C.
Chalcondylæ (Demetrii) icon & vita compendio exhibita. col. 1203.
Chariſtia, vide Cariſtia.
Charta vetuſta, elementis, Lambecio ignotis conſcripta. a Cl. Viro Mabillonio lecta & *Ravenenſis* nomine adpellata. col. 1027.
Chemiſce inſula. col. 526. C.
Chinneberg, oppidum Stiriæ. col. 39. A.
Chnuetvelde, oppidum Stiriæ. col. 38. B.
Choregia caſtellum. col. 525. A.
Chrems, ſive Krembs, urbs Auſtriæ. col. 42. A.
Chriſtiana religio apud Sinas accuſata & abſoluta. col. 1255.
Chronici Hildensheimenſis. Pars prior. col. 547. A. 549. not. (α).
Chronicon Regum Francorum anonymi. col. 599. C. Vide *Annales Francor.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Chronologia diplomatica Univerſitatis Vindobonenſis. col. 43. in *Monito.*
Chryſoloræ (Manuelis) icon & vita compendio exhibita. col. 1201. A.
Chrueglach oppidum Stiriæ. col. 39. A.
Chunradus epiſcopus Friſingenſis. col. 3. C.
Clavus & corona Dominica a Carolo M. Conſtantinopoli Aquisgranum & inde in Galliam a Carolo Calvo translatus. col. 543. C.
Clemens IV. Pontifex M. Gwidonem Cardinalem in Hungariam & Auſtriam cum poteſtate Legati Apoſtolici mittit. col. 5. A.
Cluniacenſe monaſterium in Gallia, monumenta quædam ad ejus hiſtoriam pertinentia. col. 897.
Codex epiſtolarum & diplomatum Carolinus Cæſareus, cura & juſſu Eminentiſſimi Cardinalis Bibliothecarii Dominici Paſſionei Romæ typis iterum evulgatus. col. 449. B.
Codex Pſalmorum, quo Beata Hildegardis Caroli M. conjux uſa fuiſſe fertur. col. 345. not. (1). Ejus prolegomena cum titulis Pſalmorum. col. 349.
Colloquium Theotiſcum Chriſti cum Samaritana ad fontem. col. 584. A.
Colomannus Martyr, ejus matyrii & miraculorum hiſtoria. col. 843. A.
Colonia Agrippina inſtaurata. col. 514. C.
Colonia Hadriana. col. 11. not. (1)
Comitum Tyrolenſium Succeſſio. col. 821. A.
Concilium provinciale Viennenſe in Auſtria. col. 26. A. Aquisgranenſe. col. 569. C. Wormatienſe ſub Ludovico Pio Imp. col. 596. A.
Concluſio generalis ſtatutorum ſingularum quatuor Facultatum Univerſitatis Vindobonenſis. anno 1389. perlata. col. 267. C. Vide *Statuta.*
Confeſſionis auricularis formula Theotisca. col. 445. B.
Confluens Caſtellum. col. 510. C.
Confucii, Sinicæ Philoſophiæ principis Scientia Politico-moralis. col. 1209. Ejuſdem Philoſophi vita. col. 1242.
Cono idem atque Conradus. col. 601. not. (3) & (4).
Conradus epiſcopus Friſingenſis. col. 3. C.
Conventus generalis Ratisbonenſis. col. 527. C. Wormatienſis. col. 525. C. Aquisgranenſis col. 570. B.
Crantzius (Albertus) a Lambecio correctus. col. 8. C.
Crembſium urbs Auſtriæ. col. 42. A.
Corocottæ porcelli teſtamentum Scholiis Lambecii illuſtratum. col. 1318.
S. Crucis particula in cœnobio Mellicenſi in Auſtria adſervata. col. 860. C.
Cunringhen (Seyfridus). col. 123. A.
Curſon (Robert). Cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio monte. col. 321.

D.

Dagobertus Rex. col. 549. A.
Dagulfus Caroli M. librarius, cujus etiam juſſu Pſalterium, quod in Aug. Bibliotheca Vindob. conſervatur, ſcripſit; ut ex verſibus ab eo adſcriptis intelligere licet. col. 357. 358. & 342. not. (1).
S. Damaſi PP. epiſtola ad B. Hieronymum. col. 392. A. Ejuſdem & S. Hieronymi, ſi epigraphæ habenda fides, verſus in Pſalterium Davidis. col. 397. 398.
Danorum ſeditio. col. 597. B.
Dapiferi (Bernardi) Hiſtoria de B. Gothalmo. col. 856. C.
Darimplii (Jac.) epiſtola ad Cl. virum Sebaſtianum Tengnagelium, Aug. Bibliothecæ Præfectum. col. 1090. B.
Darmſtat (Chunradus) Mag. Med. Academ. Viennenſis. col. 269. A.
Daventria portus. col. 513. B.
Demetrii Chalcondylæ icon & vita compendio exhibita. col. 1203.
Denariorum marca quid? col. 37. A.
Dentes Gigantei, ut vulgo adhuc creditum. col. 1302.
Deſiderius Rex Carolo M. reſiſtens Papiæ includitur. col. 560. C. Cum conjuge & filia captivus in Franciam abducitur. col. 561. B
Deſiderius Weligonenſis epiſcopus. col. 545. C.
Deſtarbenzon, Friſones ſic dicti, quaſi a Domino deſtinati. col. 517. B.
Dies Ægyptiaci qui? col. 947. in *monito.*
Dinkelſbühel (Nicolaus). col. 70. A. 73. A.
Diploma civibus Viennenſibus a Friderico II. anno 1237. conceſſum. col. 43. C.
Diplomata duo, quibus origines univerſitatis Viennenſis continentur. col. 273. C.
Donaldus abbas monaſterii Scotorum Viennen. col. 273. C.
Duces Meraniæ. col. 821. not. (3).
Dux Saracenorum dum Orenſem eccleſiam diripere tentat, in lapidem convertitur. col. 488. A.

E.

Ebersdorff NN. ſupremus Camerarius. col. 122. B.
de Ebraco (Conradus) Ord. Ciſtercienſis, col. 129. C.
Eccleſia S. Ioannis Hamburgi. col. 7. C. Sancti Nicolai. col. 7. A. Sancti Stephani Viennæ in Auſtria, Omnium ſanctorum olim dicta. col. 57.
Ederus (Georg). Academiæ Vindobonenſis Rector col. 48. C. a Lambecio correctus. col. 64. C. 69. A.
Edo, Rex Galliæ. col. 527. A.
Egenburch oppid. Auſtr. col. 41. B.
Eginhardi, ut videtur Lambecio, Annales Regum

gum Francorum Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii ab anno 741. uſque ad annum 824. col. 463. in not. (a) 610. B. Ejuſdem locus de Caroli M. artium liberalium & Poëſeos peritia. col. 351. B. Caroli M. vita, ab Eginhardo ſcripta. col. 455. B. 457. 464. 467. B. 593. A. 612. A.
Ejuſdem vitæ nova editio ab Lambecio promiſſa. col. 354. in not. (3).
Egino Comes Thuringorum. col. 513. C.
Ekertzaw (Cadoldus). col. 123. A.
Elipanti Toletani epiſcopi & Felicis epiſcopi hæreſis. col. 571. C.
S. Eliſabethæ, Andreæ II. Regis Hungariæ filiæ vita & miracula. col. 885.
Emanuelis Chryſoloræ icon & vita compendio exhibita. col. 1201. A.
Emarsdorff oppid. Auſt. col. 41. A.
Engildico Marchenſis Bajoariorum, honoribus privatus. col. 526. B.
Epiſtolæ Romanorum PP. Imperatorum, Caroli M. juſſu anno 791. in unum volumen collectæ; ſive Codex Carolinus. col. 450. A.
Erchinfridus, cœnobii Mellicenſis in Auſtria tertius abbas. col. 842. in *Monito.*
Eresburg caſtrum ſ. Æresburg, quod vide.
Ericus cognomine Glipping, Rex Daniæ a Guidone Cardinali excommunicatus anno 1266. col. 8. C.
Ermoldus abbas ab Imp. Ludovico Pio in Italiam miſſus ad Pipinum filium. col. 543. A.
Ermoldi Nigelli Poëma de rebus geſtis Ludovici Pii Imp. col. 530. C. col. 668. B.
Eudo dux Aquitaniæ. col. 551. A. a Carolo M. fugatur. *ibid.* B. Saracenos in auxilium advocat. *ibid.* C. moritur. col. 552. B.
Euſebius Babyloniæ Epiſcopus. col. 545. B.

F.

Fabaciæ pultis uſus in ſacrificiis. col. 997. not. (a)
Fabariæ, Calendæ Juniæ cur ſic dictæ. col. 997. not. (a).
Faſtrada Regina diem ſuum obiit. col. 572. B.
Felix presbyter Valentiæ. col. 546. A.
Ferdinandus I. Imp. Societatis Jeſu Patres Viennam accerſit. col. 281. in *Monito.*
Ferdinandi II. diploma de Collegio Soc. Jeſu Univerſitati Vindobonenſi uniendo. col. 306. A. Ejusdem Sanctio Pragmatica de eadem re. col. 281. A.
Ferdinandi III. Imp. diplomata duo ejuſdem ſanctionis Pragmaticæ gratia conceſſa. col. 304. B.
S. Firmini epiſcopi & confeſſoris Vita. col. 941. B.
Firſtenberg, vide Fürſtenberg.
Flaccius Illyricus Otfridi volumen Evangeliorum primus edidit, atque idem alterius ejuſdem nominis monachi S. Galli opus eſſe male putavit. col. 649. C.
Florianus abbas montis Caſſin. col. 546. A.
Formula confeſſionis auricularis Theotiſca. col. 445. B.
Fortunatus archidiaconus Valentiæ. col. 545. C.
Frabodus prior S. Projecti. col. 546. B.
Franciſcus *adject.* idem ac Francicus; ut *Franciſco more*, ideſt *Francico.* col. 667. A. *Franciſcæ* præterea dicebantur ſecures oblongæ, quibus Franci uſi ſunt in bello. col. 669. B.
Francorum Orientalium conjuratio contra Carolum M. col. 504. B.
Freudenekke oppid. Stiriæ. col. 38. A.
Friderici I. Imperatoris diploma de elevatione & canonizatione Caroli M. col. 489. C.
Fridericus II. Imp. Fridericum II. Auſtriæ Ducem proſcribit. col. 43. B. Male a quibuſdam creditus primus fundator Academiæ Vindobonenſis. col. 43. A. Vindobonam privilegiis ornat. col. 43. B.
Frieteslar urbs col. 503. A. Ejuſdem loci baſilica per miraculum ab incendio ſervata. *ibid.*
Fritillum quid? col. 1011. not. (1).
Fromundus Leodii epiſcopus. col. 545. A.
Frontonis Ducæi Soc. Jeſu ad Tengnagelium, Aug. Bibl. Vindob. Præfectum, epiſtolæ de pervetuſto MS. codice Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti. col. 1067. B. 1071. B. 1076. C.
Frumentum miræ vetuſtatis. 1311. C.
Fuggeri (Jo. Jac.) Deſcriptio Germanica prælii Granſeenſis cum interpretatione Latina Lambecii, col. 825. B.
Fuldenſes Annales. col. 500. A. B. Novo ſupplemento aucti. col. 523. A.
de Fulmenſtain dapifer. col. 38. A.
Fulradus abbas S. Dionyſii Areop. col. 546. B. Capellanus. col. 497. A.
Fürſtenberg (Wradislav.) col. 1113. A.
Fürſtenbergica familia Domui Habſburgicæ cognatione juncta. col. 1113. A.
Fürſtenvelde oppid. Stiriæ. col. 37. A.

G.

Gaguinus (Robertus) Hiſtoriæ Franco-Gallicæ autor. col. 540. in nota (*d.*)
Gallicus (Joannes) Magiſt. Medic. Academiæ Viennenſis. col. 269. A.
Gaufridus Pictavienſis. col. 316. B.
Gavanodurum, corrupte apud Ptolemæum pro Juvavodurum. col. 11. not. (1).
Gazæ (Theod.) icon & vita compendio exhibita. col. 1205. B.
Geisler (Sigiſm.) Medic. Doct. Acad. Vien. col. 305. B.
de Gelria, ſive Geldria (Lambertus). col. 269. A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Gemblacenſe monaſterium in Brabantia, ad ejus hiſtoriam ſpectantia monumenta quædam. col. 897. & 926.
Georgii Trapezuntii icon & vita compendio exhibita. col. 1206. A.
Gerbertus Aurelianenſis epiſcopus. col. 545. A.
Geſtnich locus in Stiria. col. 40. A.
Giralalahha flumen. col. 568. C.
Gmunden oppid. Auſtriæ. col. 41. A.
Godafridus Danorum Rex. col. 505. B.
Godafridus Dux Normannorum. col. 511. C. Baptizatur, & Hugonis, Hlutarii filii, ſororem ducit. col. 513. C. Occiditur. col. 516. C.
Godrus, Horic Regis Danorum ex fratre nepos. col. 507. B.
Goffridus epiſcopus Noviomenſis. col. 545. B.
S. Gvibertus Fundator cœnobii Gemblacenſis. Narratio de elevatione ejus corporis. col. 917. B.
S. Gorgonius Martyr in monaſterio, *Gorzia* dicto, ſepultus. col. 559. C. 502. B.
Gotafridus dux, vide Godafridus.
Gorzia, Galliæ monaſterium, col. 502. B. Ejus Fundator S. Gorgonius Martyr, qui ibidem etiam ſepultus. col. 559. C.
Gothalmus in cœnobio Mellicenſi ſepultus, de eo Hiſtoria. col. 856. C.
Gozilin abbas. col. 519. B.
Græcorum Legatio ad Carolum M. Imp. ad villam regiam *Salz*. col. 566. B. & C. Ad Ludovicum col. 569. B.
Grætz Metropolis Stiriæ col. 40. A.
Grazlup. oppid. Stiriæ. col. 38. C. 39. C.
S. Gregorii Magni Benedictionale. col. 415. B. 418. &c.
S. Gregorius Neocæſarienſis confeſſor non martyr adſeritur. col. 364. not. (9).
Gregorii *Noni* PP. Literæ ad Archiepiſcopum Rhemenſem, Epiſcopum Sylvanectenſem & Decanum S. Quintini anni 1228. col. 314. A. Ad Magiſtros & Scholares Pariſienſes an. 1231. col. 314. B. Ad abbatem S. Germani de Pratis an. 1231. col. 314. C. Ad Ludovicum IX. Galliæ Regem col. 315. A. Ad Decanum & Capitulum S. Marcelli Paris. 1231. col. 315. C. Ad epiſcopum Pariſienſem an. 1231. col. 316. A. Ad S. Ludovicum Regem Galliæ an. 1231. col. 316. A. Ad Magiſtros & ſcholares Pariſienſes an. 1235. col. 316. C. Ad Archiepiſcopum, Archidiaconum & Præcentorem Senonenſem. an. 1237. col. 317. A.
Gregorii Nyſſeni locus memorabilis de viſione & revelatione S. Gregorii Thaumaturgi Græce & Latine col. 367.
Gregorii Thaumaturgi Expoſitio fidei Catholicæ, quam is per revelationem nocturnæ viſionis a Joanne Evangeliſta accepiſſe fertur. col. 364. C.
Grimaldus, Haragiſi Beneventani ducis filius. col. 563. B.
Gripho Frater Pipini in Saxoniam fugit. col. 555. C. In Italiam conatus penetrare a Theodoino Comite opprimitur. col. 557. B.
Gvido abbas S. Quintini. col. 546. B.
Gvido Cardinalis tit. S. Laurentii per Germaniam, Daniam & Sueciam Apoſtolicæ Sedis Legatus. col. 5. Concilium Provinciale Viennæ in Auſtria ab eodem celebratum. col. 9. Decreta quædam Canonica Hungaris data. col. 22.
Gvido Fulgodius Cardinalis epiſcopus Sabionenſis, poſtea Clemens PP. IV. male a quibuſdam cum Gvidone Cardinali S. Laurentii confuſus. col. 8. C.
Gundelfingii (Henrici) Hiſtoriæ Auſtriacæ Pars tertia. col. 727.
Gunderſtorf oppid. Auſtriæ. col. 280. C.
Guntharius epiſcopus Colonienſis col. 508. C.

H.

Habacuc Prophetæ Canticum col. 408. C.
Habsburgicæ Gentis origines fabuloſæ a Lambecio propugnatæ col. 765. B. & ſeq.
Haddo epiſcopus. col. 524. B.
Hadriani PP. I. obitus. col. 518. B. Ejus epitaphium, a Carolo M. Imp. compoſitum. col. 355.
Hamburgum Auſtriæ olim Carnuntum, quod vide.
Hamburgum urbs Imperii libera ejus Eccleſiæ S Joannis col. 7. C. Sancti Nicolai. col 7. A.
Hannæ Canticum. col. 408. C.
Haragiſus dux Beneventanus, a Carolo M. muneribus & obſidibus miſſis pacem obtinet. col. 563. C.
Hardeck (Burghardus) Burgravius Magdeburgenſis. col. 122. B.
Hardeck (Jo.) Burgravius Magdeburgenſis. col. 122. B.
Harduinus Vercellenſis præſul. col. 545. B.
Harimbertus Senonenſis Archiep. col. 545. A.
Hartmutus abbas monaſterii S. Galli. col. 691. A. & not. (a).
Hartperch oppidum Stiriæ. col. 37. A.
Hasbaniæ Comitatum, in Leodienſi epiſcopatu ſitum, Nordmanni invadunt. col. 516. B.
Haſelbach (Thomas) Theologus Vindobonenſis percelebris. col. 70. A. 73. A.
de Haſſia (Henric.) Theol. Vindob. col. 70. A. 73. A. 129. C. 268. C.
Heimrich Comes. col. 514. C. 516. C. 520. A. cæditur. 520. B.
Heiſtolphus Archiep. Moguntinus. col. 569. B.
Heiſtolphus Papiæ includitur. col. 558. B. In venatione equo lapſus periit. col. 558. C.
Helmgaudus Comes col. 504. C.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Helwici Thuringi Rationarium Stiriæ &, ut videtur etiam Auſtriæ col. 27. C.
Hemminch dux ex ſtirpe Danorum Occiſus. col. 597. B.
Hemmingus Danorum Rex. col. 505. B.
Henningus de Dania Rector Univerſitatis Pariſienſis col. 336. A.
Henrici Auguſtodunenſis Chronicon. col. 27. A.
Henrici Bebelii Diſſertatio de *titulo* Chriſtianiſſimi, Romanis Imp. debiti. col. 535. in *Nota.*
Henrici Gundelfingii Hiſtoriæ Auſtriacæ Pars tertia. col. 727.
Henricus de Haſſia vide de *Haſſia.*
Heresburg Caſtellum a Carolo M. captum, f. idem atque Æresburg & Eresburg. quæ vide.
Hermannus Archiepiſc. Colonienſis. col 526. C.
Herioldus Daniæ Rex. col. 505. B.
Herioldus Nordmannus col. 506. C.
Heriſtelli locus cur ſic adpellatus? col. 575. C.
Hermanni contracti Chronicon. col. 26. A. 27. A.
Heroldus, primus Rex Daniæ Chriſtianus. col. 667. in nota (2).
Hetti, Trevirenſis Archiepiſcopus, S. Caſtoris corpus ad confluentes transfert. col. 596.
Hezilo idem ac Henricus. col. 601. in not. (3).
S. Hieronymi ad Damaſum Papam epiſtola. col. 393. B. Ejus expoſitionem Fidei Bellarminus Pelagio Hæreſiarchæ attribuit. col. 381. B. Eadem expoſitio. col. 378. C. Præfatio ad Paulam & Euſtochium. col. 383. C.
Hildegardis Caroli M. conjux, codex Pſalmorum, quo uſa fuiſſe fertur. col. 345. nota (1). obiit. col 578. B.
Hildegardis filia Hludovici Francorum Regis. col. 526. C.
Hildesheimenſis Chronici Pars prior. col. 547. A. 549. not. (a).
Hildibertus Rex. col. 549. A.
Hildigarius epiſcopus Colonienſis, a Saxonibus interemptus. col. 557. B.
Hildricus Rex Galliæ in monaſterium detruſus. col. 557. B.
Hilphricus Rex, a Carolo Martello victus. col. 550. B.
Hiltibaldus Archiep. Colonienſis. col. 569. A.
Hiltibrandus Dux Saxonum. col. 503. C.
Hiltrudis Pipini ſoror. col. 556. A.
Hiſtoria Martyrii & miraculorum S. Colomanni. col. 843. A.
Hitting oppidum. Auſt. col. 42. B.
Hludharius. col. 506. A.
Hludovicus Rex. col. 508. C. Mortuus an. 875. col. 509. C.
Hlutarius Rex Galliæ creatus. col. 551. moritur an. 719. col. 551. in not. (2).
Hobacar flumen. col. 555. C.
Hoffman (Petrus) col. 305. C.
Holſteinii (Lucæ) epiſtolæ ad C. V. Sebaſtianum Tengnagelium Aug. Bibl. Præfectum. col. 1091. C. Catalogi duo librorum, quos typis excuſos luci publicæ exponere meditabatur. col. 1107. C. Syntagma Geographorum Græcorum, ab eodem promiſſum. col. 1110. Epiſtolæ ad Lambecium ex ſorore nepotem ſuum. col. 1123. A. Epiſtolæ Libanii ſophiſtæ decem, ab eodem ex Vaticanis codicibus erutæ. col. 1140. Ex ejus *Albo amicorum* excerpta. col. 1187. B. Vltimæ Holſteinii voluntatis tabulæ. col. 1191. A.
Honorii PP. III. Literæ ad Epiſcopum, Decanum & Cantorem Pariſienſem. an. 1229. col. 313. C.
Honorii PP. IV. Literæ ad Joannem Cardinalem Ciolettum. col. 318. C.
Horic Danorum Rex. col. 507. B.
Horoheim urbs. col. 556. A.
Hrabanus Maurus, vide Rabanus.
Hruodgangus, Metenſis Archiep. corpora SS. martyrum Gorgonii, Naboris & Nazarii a Paulo Romano Pontifice impetrat. col. 559. B.
Hruodgauzum, vel Hruodgaudum in Italia res novas molientem Carolus M. interimit. col. 561. C.
Hruotruda, filia Caroli Imp. col. 568. A.
Hugo, Hlutarii filius. col. 514. A. In monaſterium detruſus. col. 518. A. 519. C.
Hundius Wiguleus correctus. col. 121. in not. (3).
Hungaris Decreta quædam Canonica ex Concilio Provinciali Vindobonenſi, ſive Viennenſi in Auſtria a Gvidone Cardinali Apoſtolicæ ſedis Legato data. col. 22. C. Hungarorum ſermo tempore Beati Rhenani ſive ſub finem ſeculi XV. & initium XVI. ſcribi primum cœpit. col. 702. C. Vide *Avares.*
Hunoldus a Carolomanno & Pipino opprimitur. col. 554. B.
Hunorum Legatio ad Carolum M col. 565. B.
Hymnus trium puerorum. col. 409. A.

I.

Ibnularabi dux Saracenorum. col. 262. A.
Ibs, vel Ibſa oppidum Auſtriæ. col. 42. A.
Joannes, abbas S. Qvintini de Inſula. col. 546. B.
Joannes Abrincarum epiſcopus, col. 545. B.
Ioannis Argyropuli icon & vita compendio exhibita. col. 1205. C.
Joannes Buridanus, Rector Univerſitatis Pariſienſis. col. 336. B.
Joannes Cabilonenſis abbas. col. 546. A.
Joannis Laſcaris icon & vita compendio exhibita. col. 1208. A.
Joan. Lugdunenſis Archiep. col. 545. A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Joannes monachus & abbas civitatis Ravenatum. col. 416. A.
Joannes Patavienſis epiſcopus cognomine Scherfenberg. col. 90. C. & col. 121.
Joannis XXII. Pontif. Max. Literæ ad epiſcopum Pariſienſem. col. 320. B. Ad Univerſitatem Pariſienſem. col. 319. C. Ad epiſcopos Sveſſionenſem & Noviomenſem an. 1321. col. 320. B. De juramento conſervatoris ſigilli univerſitatis Pariſ. col. 320. C.
Josbertus Bituricenſis archiepiſc. col. 545. A.
Josbertus Trecarum epiſc. col. 545. B.
Imperator Romanus jure ſuo & merito dicitur Chriſtianiſſimus. col. 535.
Innocentii PP. III. Literæ ad magiſtros & Vniverſitatem Pariſien. an. 1199. col. 309. C. Ad epiſcopum Sylvanectenſem an. 1199. col. 310. B. Ad Cancellarium Pariſienſem an. 1199. col. 310. B. Ad magiſtros & ſcholares Pariſienſes. an. 1199. col. 310. C. an. 1206. col. 311. C. 312. B. & an. 1209. col. 313. B. Ad eoſdem an. 1203. col. 311. A. Ad Cancellarium Pariſien. an. 1206. col. 311. B. Ad epiſcopum Sylvanectenſem. col. 312. A.
Irminſul lucus in Saxonia famoſus, a Carolo M. everſus. col. 160. B.
Iſaiæ Prophetæ Canticum. col. 408. C.
Iſrael Metenſis epiſcopus. col. 545. B.
Judæi de iis Canones in Concilio Provinciali in Auſtria perlati, col. 18. C. & ſeqq. Pileo cornuto a Chriſtianis diſtinguendi, col. 18. C.
Judenburch, civitas Styriæ. col. 38. B. C.
Juſtinus Laudunenſis Archiepiſc. col. 545. A.
Juvavodurum urbs, ſive Salzburgum. col. 11. *not.* (1).
Juvavus fluvius, ſive Salza. *ibid.*

K.

de Kalkar (Gerhardus) col. 129. C.
Kalendarium Eccleſiaſt. col. 449. A.
Kalendarium Romanum ethnicæ vetuſtatis. col. 945.
Kholer (Georg. Frider.) col. 305. A.
Kirchheim. col. 521. C. 525. B.
Kolb (Colomannus) Rector Vniver. Vien. col. 66. C.
Krembs urbs Auſtriæ col. 42. A.
Krenſpach (NN.) Supremus Magiſter venatorum. col. 123. A.

L.

Laa oppid. Auſtriæ. col. 41. B.
Lambecius (Petrus) libro Commentariorum de Auguſta Bibl. tertio de Ambraſiana Bibliotheca agere voluit col. 712. C.
Lamormaini (Guilielmi) Soc. Jeſu. col. 305. B.
Langenſtain (Henricus) dictus *de Haſſia*) col. 129. C.
Lantbertus Widonis. col. 525. C.
Lantfridus a Pipino e Bajoaria ejectus. col. 556. A.
Laſcaris (Joan.) icon & vita compendio exhibita. col. 1208. A.
Lauresheim monaſterium. col. 502. B.
Laxenburg, Archiducum Auſtriæ caſtrum amœniſſimum, a quo ædificari cœptum. col. 280 C.
Lazius (Wolfg.) a Lambecio correctus. col. 4. C. 69. A. Rector Academiæ Vindob. col. 51.
Lemovica urbs a Pipino capta. col. 502. C.
Leo PP. III. a Romanis carceri incluſus; per Albinum cubicularium liberatus; ad Winigiſum ducem Spalatenſem confugiens, inde ad Carolum M. a quo in ſedem ſuam reſtituitur. col. 565. col. 577. B. Obiit. col. 570. A.
Leo epiſcopus Ratisbonenſis. col. 3. C.
Leobrandus Decanus Aquisgranenſis. col. 476.
Leopoldus III. cognomine Probus, Alberti III Archiducis Auſtriæ frater. col. 90. C.
Leopoldus de Bebenburg epiſcopus Bambergenſis. col. 537. in *not.* (β).
Libanii Sophiſtæ epiſtolæ decem, ex MSS. codicibus Vaticanis ab Holſtenio erutæ. col. 1140. A. Ejusdem epiſtolæ ad Ariſtenetum. col. 1157. B.
Liber de vita Nonnarum, ſeu Sanctimonialium in Concilio Aquisgranenſi compoſitus. col. 570. A. Item de vita clericorum. *ibid.*
Lichnius Andraganus Epiſcopus impoſito ſudario Domini mortuum reſuſcitat. col. 545. C.
Lichtenſtain (Jo.) Magiſter Curiæ. col. 122. B.
Lintza urbs Auſtriæ. col. 40. C. & 42. A.
S. Liobomus. col. 513. B.
Lintbertus Moguntinus archiepiſcop. col. 514.
Liutgardis, ſive Hildegardis Caroli M. uxor. IV. col. 578. B. Obitus. col. 578. in *not.* (5).
Liutvardus pſeudoëpiſcopus. col. 511. C.
Lombardus (Petrus) col. 345. A.
Lotharius filius Imp. Ludovici Pii in Italiam miſſus. col. 499. B. Vide Hlodarius vel Hlotarius.
Lucæ Holſtenii epiſtolæ ad Lambecium. col. 1123. A. Vide Holſtenius.
Ludovici Pii Imp. Vita, ab anonymo ſed coævo compoſita. col. 468. A. Item res geſtæ. col. 531. A. De rebus ab eo geſtis ſupplementa. col. 497. C. Ejus colloquium in prædio regali Theodonis. col. 595. Ejus vita autore Thegano chorepiſcopo Trevirenſi. col. 595. A.
Ludovicus VII. Rex Galliæ fundator Academiæ Pariſienſis. col. 345. A.
Ludovicus XII. Rex Galliæ. col. 539. in *not.* (∂). Joannam uxorem repudiat. col. 540. in *not. ibidem.*
Luitbertus Archiepiſc. Moguntinus. col. 516. C.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ei Otfridus monachus Weiſſenburgenſis volumen Evangeliorum dedicat. col. 644. C. A Gabriele Bucellino falſo *Lindebertus* nuncupatur. col. 666. C.
Luitboldus Bajoariæ Præfectus. col. 526. C.
Lullus S. Bonifacio ſuccedit. col. 558. A.
Lupicinus abbas Lugdunenſis. col. 545. A.
Lupicinus epiſcopus Valentiæ. col. 545. C.

M.

Macarius Belga epiſcopus. col. 545. A.
Macarius Vulecti epiſcopus. col. 546. A.
Mæſſenberch (Vigandus) col. 39. B.
Manuelis Chryſoloræ icon & vita compendio exhibita. col. 1201. A.
Marca denariorum quid? & quæ ejusdem a marca argenti differentia? col. 37. A.
de Marca Hertlinus Primus Rector Academiæ Colonienſ. col. 72. *not.* (1).
Marchekke oppid. Auſtr. col. 41. B.
Marci Muſuri icon & vita compendio exhibita. col. 1206. C.
Margareta mater Erici, cognomine Glippingi Regis Daniæ excommunicatur a Guidone Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato anno 1266. col. 8. C.
Margarita Maximiliani I. Imp. filia a Carolo VIII. Galliæ Rege repudiata. col. 539. in *not.* (γ).
Marinus epiſcopus Pontifex creatus. col. 513. B.
Marpurch oppid. Stiriæ. col. 37. C.
Marulli Michaëlis icon & vita compendio exhibita. col. 1207. A.
Maximilianus I. Imp. propoſita mercede ſuos provocare ſolebat ad querenda diplomata, quæ ante quingentos annos eſſent conſcripta. col. 702. B.
Mayſſaw (Jo.) ſupremus Pincerna. col. 122. B.
(Conradus) ſupremus Dapifer. *ibid.*
(Georgius) *ibid.*
Medlicum ſive Mellicium oppid. Auſtriæ col. 41. A. quod vide.
Megan Leonardus Helfrid Comes. col. 304. C.
Meidenberch oppid. Stiriæ col. 40. A.
Mellicium oppid. Auſtr. col. 41. A. Mellicenſe cœnobium, ut ad ejus hiſtoriam pertinentia monumenta quinque. col. 841. Ejus fundationis hiſtoria. col. 871. A.
Meraniæ Duces. col. 821. *not.* (3)
Meranum ad Atheſim fluv. ſita urbs. col. 821. *not.* (3).
Meurſius (Jo.) a Lambecio correctus. col. 9. A.
Meyſſaw. vide Mayſſaw.
Michaëlis Maruli icon & vita compendio exhibita. col. 1207. A.
Micrologus Geſtorum Caroli M. anonymo auctore. col. 471. B.
Middendorpius (Jac.) col. 71. in *not.* (1). refutatus. col. 69. A.
Minutia locus in IX. regione urbis Romæ. col. 997. *not.* (α).
Moneta ſingulis annis in feſto B. Joannis Baptiſtæ Viennæ, in Nova civitate & Anaſi in Auſtria renovari ſolita. col. 40. C.
de Monte Rotundo (Arnaldus) epiſcopus Gerundenſis Officia & ſolemnia miſſarum in honorem S. Caroli M. in ſua eccleſia inſtituit. an. 1345. col. 492. in *not.* (α).
S. Morandus, monachus Cluniacenſis, officium eccleſiaſticum in ejus honorem. col. 899. A.
Moravis pax conceſſa anno 901. col. 529. A.
Mouthenberch oppidum Stiriæ. col. 38. A. & 39. C.
Mouthuſen oppid. Auſtriæ. col. 41. A. 42. A.
Moyſis Canticum. col. 408. C. 409. A.
Mura. col. 37. A.
Murſuslage. col. 39. A.
Muſuri (Marci) icon & vita compendio exhibita. col. 1206. C.
Muta pro *telonio*, ejus etymon. col. 36. C.

N.

S. Naboris corpus in monaſterio Novæ cellæ conditum. col. 502. B. col. 559. C. Vide Hruodgangus.
Næmauſum urbs. col. 553. B.
Narciſſus Toloſæ epiſcopus. col. 546. A.
S. Nazarii corpus in monaſterio Lauresheimenſi conditum. col. 502. B. 503. B. 559. C. Vide Hruodgangus.
Nicephori Calliſti Hiſtoriæ eccleſ. codex Cæſar. MSS. rariſſimus. col. 1061. C. 1103. A.
Nicolaus Pontifex col. 508. B.
Nicolaus Viennenſis præſul. col. 546. A.
Nigellus Ermoldus, vide Ermoldus Nigellus.
Niger Hermoldus. col. 532. A.
Norditi Nordmanni ſuperantur. col. 516. A.
Normannorum in transalpinam Saxoniæ regionem incurſio. col. 498. C.
Nova cella monaſterium ubi S. Nabor M. ſepultus. col. 502. B.
Nova civitas Auſtriæ. col. 41. B. 40. C.
Noveſium urbs. col. 498. C.
Novum caſtrum. col. 59. C.

O.

Obotrita gens Slavica. col. 527. B. Saxoniam devaſtant col. 576. B.
Odo, vide Otto.
Oedendorff (Henricus) Doc. Academ. Vien. col. 268. C.
Offenberch (Dietmarus) col. 38. B.
Officium eccleſiaſticum in honorem S. Caroli M. col. 39. C.
Offo perperam creditus fundator monaſterii Schutterani. col. 718. *not.* (1).

Oliverius. col. 885. B.
Onesburg caſtrum a Carolo M. captum. col. 554. C.
Oratio Dominica col. 409. B. Antiquis rhytmis Theotiſcis. col. 673. Cum Otfridi antiqua Theotiſca paraphraſi. col. 715. B.
Origenis explanatio epiſtolæ ad Romanos juſſu Caroli M. ſcripta. col. 723. *not.* (α).
Origo Prophetiæ David. col. 382. A.
Orntz urbs Hiſpan. col. 487. C.
Orte oppid. Stiriæ. col. 37. B.
Oſca urbs. col. 504. C.
Otfridi Weiſſenburgenſis Volumen Evangeliorum. col. 643. A. Aliud, diverſum ab illo, quod Illyricus edidit col. 647. B. Alia opera col. 651. & 711. C. Poëma ad Ludovicum Pium. col. 657. A. Præfatio ad Luitbertum Archiepiſcopum Moguntinum. col. 659. C. Carmen Theotiſcum, quo Salamoni, epiſcopo Conſtantienſi, volumen Evangeliorum dedicat. col. 670. Carmen Theotiſcum ad Hartmute & Werimbertum monachos S. Galli. col. 676. B. De Otfrido teſtimonia cl. virorum. col. 708. B. Ejus ſcriptorum catalogus. col. 707. C. 721. A.
Otto Dux Saxoniæ pater Imp. Henrici aucupis, a Gallis Rex electus. col. 601. A.
Ottocarus Bohemiæ Rex & Dux Auſtriæ honorifice excipit Guidonem Cardinalem. col. 6. B. Ejus Rationaria Stiriæ & Auſtriæ. col. 27.
de Oytta (Henricus) Decanus facultatis Theologicæ ſtudii Viennenſis. col. 129. B. 268. C.

P.

de Padua Marſilius Rector Vniverſit. Paris. col. 335. B.
Palthenius (Jo. Philipp.) col. 586. not. (α). Fragmentum colloquii Chriſti cum Samaritana ad fontem edidit. col. 586. in not. (α).
Pariſinæ Academiæ prærogativa & dignitas. col. 114. C. & not. (2.) Ejuſdem Academiæ ſtatutorum & privilegiorum recenſio. col. 307.
Pariſius indeclinab. barbare pro Pariſiis. col. 314. C. & col. 473. B.
Particula ligni S. crucis in cœnobio Mellicenſi in Auſt. adſervata. col. 860 C.
Paſchalis I. Papa electus. col. 570. B.
Paſſioneus (Dominicus) Cardinalis editionis Romanæ Carolini codicis Cæſarei author eruditiſſimus. col. 453. not. (a).
Paulinus Patriarcha Forojulienſis. col. 566. C.
Paulus Grammaticus 416. A.
Peapolis, idem ac Herbipolis, ſive Würtzburg. col. 720. not. (1).
Perdicæ Protonotarii Epheſini Deſcriptio metrica Sanctorum locorum Hieroſolymitanorum. col. 1097. A.
Perge oppid. in Auſt. col. 42. B.
Petrus abbas Laudunenſis. col. 546. A.
Petrus a Valle ejus epiſtola ad Cl. Vir Sebaſt. Tengnagelium Aug. Bibl. Præfectum. col. 1041. C.
Petrus de Dania Rector Univerſit. Paris. col. 337. C.
Petrus epiſcopus Patavienſis. col. 3. C.
Petrus Mediolani epiſcopus. col. 545.
Petrus Plebanus in Pilichdorff in Auſt. col. 269. A.
Philippi II. Regis Galliæ diploma an. 1206. col. 324. Academ. Pariſin. Fundator. col. 345. A.
Philippus Colonienſis epiſc. col. 545. C.
Piccopinus Gener Imp. Ludovici, obiit. col. 570. A.
Pidermansdorff oppid. Auſtriæ. col. 280. C.
Pigmenius Lunis Archidiaconus. col. 546. A.
Pilgrinus ſeu Peregrinus Archiepiſc. Salzburgenſis cognomine de Puchaim. col. 90. C. col. 121. not. (2).
Pirchvelde oppid. Stiriæ. col. 39. A.
Pipinus Francorum Dux filius Anſchiſii, moritur. col. 549. A.
Pipinus Caroli M. pater in Saxoniam per Thuringiam ingreditur. col. 555. C. Griphoni Fratri in partibus Niuſtriæ XII. comitatus adſignat. col. 556. B. Ad Zachariam Pontificem Legatos, Romam mittit. col. 556. C. In Italiam venit, & Heiſtulfum bello ſuperat. col. 558. A. Ravenam cum Pentapoli eccleſiæ Romanæ tradit. col. 558. B. Saxones bello ſuperat. 558. C. Aquitaniam ſuæ ditioni ſubdit. col. 559. C. Diem ſuum obit. col. 560. A.
Pipinus, Filius Caroli M. ab Adriano PP. baptizatur, & in Regem Italiæ ungitur. col. 562. C. In Pannoniam proficiſcitur. col. 565. B.
Pipinus Caroli ex Himiltruda concubina filius patrem interimere tentans detonſus in monaſterium detruditur. col. 564. C.
Piſanus (Petrus) Caroli Magni Magiſter. col. 352. B.
Pii II. PP. Univerſitatis Vindobonenſis deſcriptio, & de ſtudiis quæ in ea memoria ſua tradebantur, judicium. col. 69. & 70. B. correctus a Lambecio. col. 71. not. (1). Vide Æneas Sylvius.
Plichtrudis Carolum Martellum carcere detinet. col. 549. B.
Poapolis vel Pœapolis idem atque Herbipolis ſive Wirzeburg. col. 720. not. (1).
Pontanus (Jo. Iſac.) a Lambecio correctus. col. 9. A.
Pontendorff (Conrad.) col. 123. A.
Pontianus Arelatis epiſcopus. col. 546. A.
Poppo Freſonum Dux a Carolo Martello interemptus. col. 552. B.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pottendorff Comites. col. 123. not. (2).
Prætorius (Barthol.) Decanus facultatis Jur. Vien. col. 305. A.
Primarsburch oppid. Stiriæ col. 40. A.
S. Priminus, epiſcopus Meldenſis monaſterium Schutterenſe fundat. col. 718. not. (1).
Princeps in compendio, ſive Enchiridion politicum. col. 32.
Privilegia Univerſitatis Vienenſis. col. 90. C. Vide Statuta.
Privilegia Univerſitatis Pariſien. Vide Statuta.
Profeſſio fidei S. Ambroſii epiſcopi. col. 361. A. Concilii Nicæni. col. 360. B. S. Gregorii Pont. Max. col. 362. B. S. Gregorii epiſcopi Neocæs. col. 364.
Prukka oppid. Auſtriæ. col. 41. B.
Prukke oppid. Stiriæ. col. 39. A.
Pſalmus primus cum Otfridi monachi Weiſſenburgenſis antiqua Theotiſca paraphraſi. col. 713. B.
Pſalterium Latinum curante Carolo M. aureis litteris exaratum. col. 347. 348. A. B. Beata Hildegardis Caroli M. Conjux eo eſt uſa. col. 345. (1). Idem poſtea a Carolo M. eccleſiæ Bremenſi dono datum. col. 410. A. Ejus prolegomena cum titulis pſalmorum. col. 349. Pſalmorum tituli, diverſi ab editione Sixtina. col. 399. Pſalterium quid? col. 390. B. In Pſalmis quid ſignificet *in finem*? col. 389. C. Pſalteria duo Theotiſca. col. 712. C.
Pullus Gallinaceus biceps cum icone. col. 1313. A.
Pyrgus quid? col. 1011. not. (11).
Pyrn oppid. Stiriæ. col. 39. C.

R.

Rabanus Maurus. col. 556. B. Ejus gloſſarium Latino-Theotiſcum. col. 646. A. Linguam germanicam excoluit. col. 645. C.
Rabodus Legmedomenſis epiſc. col. 546. B.
Rado abbas monaſterii S. Vedaſti, conſilio Alcuini de libris monaſterio ſuo providet. col. 616. C. Templum S. Vedaſti incendio deformatum reſtituit. col. 616. A. Ejus epigrammata in honorem S. Vedaſti. col. 642. B.
Raginfridus Majordomus a Carolo Martello victus. A.
Raimbaldus Marſiliæ Antiſtes. col. 546. B.
Randech (Marquardus). col. 549. B.
Ratbodus Freſonum Rex. col. 527. A.
Ratbodus Trevirenſis Archiepiſc. col. 527. A.
Ratgarius abbas Fuldenſis. col. 566. C. Ejus cum fratribus diſſenſio. col. 567. C. deponitur. col. 570. B.
Ratgersburch oppid. Styriæ. col. 37. B.
Rationarium Auſtriæ & Stiriæ Helwici, Thuringi Ottocari Regis Bohemiæ Notarii. col. 27. C.
Rawenſtain (Henricus). col. 123. A.
Rechperger (Guiliel.) Vniverſitatis Vindobonenſis Rector. col. 305. A.
Reginonis abbatis Prumenſis chronicon. col. 594. B. & 597. C.
Regiſtri actorum Vniverſitatis Paris. fragmentum. col. 337. C.
S. Rembertus Archiepiſcopus Hamburgenſis. col. 364. not. (9).
S. Remigii Archiepiſcopi Rotomagenſis vita col. 933.
de Retz (Franc.) Ordin. Prædicat. col. 129. C.
Rhabanus Maurus. Vide Rabanus.
Richardus Ambioneſis epiſcopus. col. 545. B.
Richarius epiſcopus. col. 529. A.
Richboto moritur. col. 567. A.
Richolfus Archiepiſcopus Moguntinus in monaſterium Fuldenſe S. Bonifacii miſſus abbatis & fratrum cauſa. col. 567. C. 568. B. Ejus mors. col. 568. C.
Rigomerus Meldis epiſcopus. col. 546. B.
S. Rimbertus Archiep. Hamburgenſis & Bremenſis. col. 516. A.
Robertus Sveſſionenſis epiſcop. col. 545. A.
Rodulphus Cameraci epiſcopus. col. 545. B.
Rodulphus Burgundiæ Rex. 525. A.
Rorich Nordmannus. 512. B.
Rottenmanne oppid. Stiriæ. col. 39. A. C.
Rothardus Flandriæ præſul. col. 545. B.
B. Rotolandus Comes. col. 483. A.
Rudolphus IV. Dux Auſtriæ, Comitatum Tyrolenſem Auſtriæ adjungit. col. 58. C. Præpoſituram Viennæ ad S. Stephani fundat., turrimque ejus templi ſtruere incipit. col. 58. C. B.
Rukenſtaine oppid. Stiriæ. col. 38. A.
Rulandi & Caroli M. Geſta antiquis rhytmis Theotiſcis. col. 587. B.
Runtia vallis. col. 485. B.
Rutgersburch oppid. Styriæ. col. 40. A.

S.

Sachſenvelde oppid. Stiriæ. col. 37. C.
Sachſenwarte oppid. Stiriæ col. 38. A.
de Salerno (Philipus) Ordin. Minor. col. 306. B.
Salomon epiſcopus Conſtantienſis. col. 655. C. a Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana confunditur cum *tertio* ejusdem nominis epiſcopo. col. 671.
Salmanciacum villa. col. 497. A. 560. B.
Salza fluvius. col. 11. *not.* (1).
Salz villa Regia, ſive Salzburgum. col. 11. *not.* (1). col. 527. B. col. 566. C.
Sambuci (Joannis) epiſtolæ quædam. col. 1029.
Sarabia, ſeu Zagrabia. col. 505. A.
Saraceni Garumnam fluvium transeunt & cuncta devaſtant. col. 551. C. Avenionem capiunt. col. 552. C.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Saracenus (J. An.) ejus epiſtola ad Sambucum de editione nova Græco-Latina Dioſcoridis. col. 1038. B.
Savilii (Henrici) epiſtolæ quædam. col. 1029. Ejusdem epiſtolæ ad Sebaſt. Tengnagelium Aug. Bibl. Præfec. col. 1084. A.
Saxones Francorum terminos vaſtant. col. 502. C. Chriſtianam fidem amplexi Francorum ditioni ſubduntur. col. 562. A. Ad idololatriam revertuntur. col. 564. B. Ad Wiſarahan, ſeu Viſurgim a Carolo M. pacem obtinent. col. 560. C.
Schawenberg (Henricus) Comes. col. 122. B.
Scheilderus (Robertus) col. 1062. C.
Schlikenrieder (Jo.) ejus Chronologia diplomatica Univerſitatis Viennen. col. 43. *in Monito.*
Schola ad S. Michaelem Viennæ in Auſt. col. 52. A. Schola ad S. Stephanum ibidem. col. 52. A.
Schuchſo (Albertus) col. 123. A.
Seligenſtadam reliquiæ S. Marcelli & Petri Roma translatæ. col. 614. *not.* (3).
Septuaginta Interpretum nomina. col. 392. B.
Sergius Andraganenſis abbas territorii Remenſis. col. 546. A.
Sergius Cabilonis epiſcopus. col. 546. A.
Severinus Pictavienſis Antiſtes. col. 546. A.
Sibeneke oppid. Stiriæ. col. 38. A.
Sidney (Robertus) col. 1037. *not.* (2).
Sigeberti monachi Gemblacenſis Narratio de elevatione corporis S. Guiberti. col. 917. B.
Sigiburg caſtellum, Carolo M. captum. col. 561. C,
Sigifridus Rex Daniæ. col. 504. B. 505. B.
Sinarum ſcientia Confucii Politico-Moralis. col. 1209. Specimina veſtitus virilis & muliebris. col 1294.
Sirmondi (Jac.) Soc. Jeſ. epiſtolæ ad Sebaſtianum Tengnagelium Aug. Bib. Præfec. de MS. codice Cæſareo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti col. 1082. A.
Sladus (Samuel) col. 1036. A.
Societas Jeſu a Ferdinando I. Imp. Viennam accerſita, Academiæ Vindobonenſi unitur anno 1625. col. 281.
Specius Archidiaconus. col. 546. B.
Spitignevo Dux Sclavoniæ. col. 527. C.
von Stade (Theodoricus) col. 586. not. (a).
Stadech Joannes) col. 123. A.
Stain oppid. Auſtriæ. col. 41. A. 42. A.
Statuta Academiæ Vindobon. col. 65. C. Statuta ejuſdem Academiæ prima. col. 75. C. Statuta facultatis Theologicæ. col. 127. Juris Canonici & civilis. col. 159. B. Facultatis medicæ. col. 191. B. Facultatis artium. col. 207. B. Statuta recentiora ſive ſanctio pragmatica Ferdinandi II. col. 281.
Statuta varia Vniverſit. Pariſien. col. 324. & ſeq.
Stero (Henricus) col. 3. C.
Stephanus Auguſtæ præſul. col. 545. B.
Stephanus PP. IV. Carolum & Carolomanum in reges ungit. col. 558. A. Remis Ludovicum Imp. ſalutat. col. 570. B.
Stiriæ rationarium ſub Ottocaro Bohemiæ Rege, Auſtriæ & Stiriæ Archiduce ſcriptum. col. 27.
Strabo Walafridus. col. 646. B.
Strenberch oppid. Auſt. col. 42. B.
Stricherus ejus rhytmus antiquus Germanicus de Caroli M. expeditione Hiſpanica. col. 587. A.
Sturm abbas Fuldenſis. col. 503. C.
Succeſſio Comitum Tyrolenſium. col. 821. A.
Svatoplugus, vide Zwentibaldus.
Sventibaldus vide Zwentibaldus.
Sultanus Archidiaconus Vien. col. 546. A.
de Sumeraw (Conradus) col. 125. in not. (1).
Symbolum fidei Concilii Niceni col. 360. B. S. Ambroſii col. 361. A. S. Gregorii PP. col. 361. C. Gregorii Thaumaturgi. col. 364. C. SS. Apoſtolorum. col. 409. B.
Symeonis Canticum. col. 409. B.
Symeon tit. S. Cæciliæ Cardinalis. col. 332. C. 335. B.
Synodus Francofortenſis. col. 564. C. Trevirenſis. col. 526. C.
Syntagma Geographicum Græcorum, quod evulgare moliebatur Lucas Holſtenius. col. 1110. B.

T.

Talia, ſive Tallia Latino-barbarum quid? col. 45. C.
Taſſilo Dux Bajoariæ conſtitutus. col. 556. A. Principatu depulſus in monaſterium detruditur. col. 564. A.
Tedoaldum villa. col. 497. C.
Terioli arx ad Atheſim fluv. col. 821. not. (1).
Terræ motus vehemens Aquisgrani col. 498. B.
Teſtamentum Lucæ Holſtenii col. 1191.
Teſtamentum Corocottæ porcelli Lambecii ſcholiis illuſtratum. col. 1318.
Thegani Chorepiſcopi Trevirenſis Hiſt. Rer. geſtarum Imp. Ludovici Pii. col. 594. C.
Theodoinus Comes in certamine occiditur. col. 557. C.
Theodoricus dictus Stange. col. 38. A.
Theodorici, Thuringi Appendix de vita S. Eliſabethæ. col. 885.
Theodori Gazæ vita & icon compendio exhibita. col. 1205. B.
Theodorus Pentapolis Lybiæ præſul. col. 545. B.
Theophilus Antiochiæ præſul. col. 545. B.
Theotbaldo rebellante Carolomanus depopulatur Alemanniam. col. 554. C.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Theotiſca formula confeſſionis auricularis. col. 445. B.
Theotiſcum Fragmentum colloquii Chriſti cum Samaritana, a Palthenio editum. col. 586. in not. (a).
Thitardus Canonicus eccleſiæ S. Willebaldi Bremenſis. col. 7. B.
Thœdenhove palatium. col. 506. B.
Thuani (Jac. Aug.) epiſtola ad Tengnagelium Aug. Bib. Vindob. Præfectum de ms. Cæſareo codice Hiſtoriæ eccleſias. Nicephori Calliſti. col. 1064. C. 1073. C.
Tilpini ſupplementa duo fabuloſæ ejus hiſtoriæ de Geſtis Caroli M. col. 478. B. Vide *Tulpinus.*
Torpeus Piſanæ urbis epiſcopus. col. 545. B.
Trapezuntii (Georgii) icon & vita compendio exhibita. col. 1206. A.
Trautmonsdorff (Maxim.) Comes. col. 304. C.
Trehenſe oppid. Auſt.. col. 42. A.
Trevirenſis utbs a Nordmannis evaſtata. col. 511. A.
Trithemii (Joh.) epiſtola ad Petrum abbatem monaſterii Amersbach. col. 717. Ejus Polygraphia autographa in Aug. Bib. Cæſ. col. 718. A.
Tulpinus Remenſis Archiepiſcopus. col. 545. Geſta Caroli M. in Hiſpania. col 478. ſupplementa duo fabuloſæ ejus hiſtoriæ de Geſtis Caroli M. col 478. B.
Turpinus vide Tilpinus & Tulpinus.
de Tyrnavia (Jo.) col. 123. A.
Tyrnſtain (Marquardus) Judex Curiæ. col. 122. B.
Tyrolis Comitum ſucceſſio. col. 821. A. Ejus appendix. col. 729.
Tyver oppid. Stiriæ. col. 37. C. 39. C.

U.

Ubdpach oppid. Stiriæ. col. 37. A.
Udalricus Comes Moraviæ col. 529. A.
Uladislaus Dux Poloniæ Archiepiſc. Salzburgenſis. col. 13. *not.* (6).
Ulinsperch oppid. Stiriæ col. 39. C.
Ulphila Gothorum epiſc. col. 547. A.
Ungari Carinthiam devaſtant. col. 529. B. Vide *Hungari, Avares.*
Univerſitas Viennenſis. vide *Statuta.*
Unruochus Comes. col. 521. A.
Urbanus IV. PP. anno 1365. primus conceſſit generale ſtudium, Viennæ in Auſtria excepta facultate Theologica, quod anno 1384. Urbanus VI. ceteris addidit. col. 51. C. Ejusdem hac de re bulla. col. 53. A. & 59.
Urimoldus Rotomagenſis epiſcopus. col. 545. A.
Urſus Ravenæ antiſtes. col. 545. B.

V.

Valdeſpino (Jo.) Ordin. Prædic. col. 306.
a Valle (Petrus), ejus epiſtolæ ad Sebaſtianum Tengnagelium. col. 1041. C.
S. Vedaſtus epiſcopus & confeſſor, excerpta quædam ad ejus vitam pertinentia. col. 633. A. Ejus vita ab Alcuino emendata. col. 633. A.
Vehemot rudioris ævi ſcriptoribus quid? col. 533.
Vellenpach. col. 37. A.
Ventorum & menſium nomina a Carolo M. impoſita. col. 354. A.
a Verdenberg (Jo. Bap.) Baro. col. 305. A.
Veroinus Papiæ præſul. col. 545. B.
Vienna per W. occurrit ſcripta in Rationario Auſtriæ & Stiriæ. col. 27. Viennenſis Concilii mentio in Concilio Salzburgenſi anni 1274 celebrato. Viennæ cathedralis eccleſia conſtituta a Friderico III. Imp. & Archiduce Auſtriæ. col. 5. A. Vienna a Friderico III. obſeſſa & recuperata. col. 43. B.
Vinciacum, ubi Carolus Martellus Hilphricum Regem prælio vicit. col. 550. B.
Vindobona, vide Vienna.
Vinſtritz oppid. Styriæ. col. 37. A.
Viſchbeck (Gerhard.) Canonic. Viennen. col. 268. C.
Vintizla Dux Sclavoniæ col. 527. C.
Vreynſtat oppid. Auſtr. col. 42. A.

W.

Walſa oppid. Auſtriæ col. 41. A.
Waipharius a Pipino interfectus. col. 502. C.
Walafridus Strabo. col. 646. B.
Walach abbas. col. 595. C. Obiit. col. 596. B.
Walach Metenſis epiſcopus occiſus. col. 511. A.
Walſſe (Henricus) col. 123. A. (Rudolphus) Provincialis Mareſchalcus. col. 122. B.
Waltſtein oppid. Stiriæ. col. 40. A.
Warato, Weiferium ducem Aquitaniæ per dolum interimit. col. 560. A.
Wehingen (Reynhardus) ſupremus Magiſter Janitorum. col. 123. A.
Weiferius Aquitaniæ Dux. col. 556. B. Vaſtardo Cavillonem pervenit. col. 559. A. Jus eccleſiis reddere in Aquitania a Pipino cogitur. col. 559. A. Ab eodem captus a Waratone per dolum interimitur. col. 560. A. & 556. B.
Wenceslaus Rex Bohemiæ. col. 44. *not.* (1).
Werinbertus Monachus S. Galli in Helvetia. col. 459. A.
Wibertus fundator cœnobii Gemblacenſis, narratio de elevatione ejus corporis. col. 917. B.
Wicbertus Comes. col. 511. C.

Wi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Widichindus col. 504. A. Vide *Witichindus.*
Wido Tyrannus col. 514. Obiit. col. 525. C.
Wienna vide Vienna.
Wihmuoti pagus in Saxonia. col. 575. B.
Wilcharius archiepiſcop. col. 497. A.
Wildonia oppid. Stiriæ. col. 38. B.
Wilhelmus Altiſſiodorenſis. col. 316. B.
Wilibaldus Eichſteti epiſcopus conſtitutus. col. 555. B.
Willebrechtesdorff oppid. Stiriæ. col. 37. A.
S. Willehadus primus epiſcopus Bremenſis Carolinum pſalmorum codicem ab Hadriano PP. I. dono accepit. col. 412. C.
Willibaldus epiſcopus Eichſtetenſis. col. 502. A.
Willibertus archiepiſcopus Rotomagenſis. col. 452.
Winidharius. col. 723. *not.* (α).
Winidi gens Slavica ultra Albim. fluvium. col. 567. B.
Winigiſus dux Spalatenſis Leonem PP. III. Roma profugum excipit hoſpitio col. 565. C.
Wiſaraha idem ac Wiſurgis fluv. col. 560. C.
Witichindus tyrannus in Saxonia. col. 562. B. Baptizatur. col. 563. A.
Wiſsperch oppidum Stiriæ col. 38. B. & 40. A.
Wizzin Obotritarum Rex, a Saxonibus occiſus. col. 573. B.
Wolfohaldus dux Franciæ Orientalis, Auſtr. dictæ. col. 549.
Wolgarius epiſcopus Wirtzburgenſis. col. 568. B.
Wormatia. col. 511. B. In ea Generalis conventus ab Imp. Ludovico Pio habitus. col. 498. C. & 515. C.
Wulfarius archiepiſc. Rhemenſis. col. 485.
Wynfridus poſtea Bonifacius epiſcopus. col. 501. A. B.

Y.

Ybanswalde oppid. Stiriæ. col. 38. A.

Z.

Zachariæ prophetæ Canticum. col. 409. A.
Zacharias Papa regnum Galliæ in Pipinum transfert. col. 557. A.
Zeisl (Jac.) Statuta particularia Univerſitatis Vindobonenſis iterum vulgavit. col. 43. *in Monito.*
Zingarorum origo & lingua. col. 989. in *not.* (α).
Zwendibaldus, Rudolphi Burgundiæ Regis filius. col. 515. C. Rex creatus. col. 527. B.
Zwentibaldus Dux Moravorum. col. 525. Obiit. col. 526. A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf